UNIVERSAE THEOLOGIAE MORALIS ACCURATA COMPLEXIO INSTITUENDIS...

Digitized by Google

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE
37
30 C
15
FONDO COMERCI
MAG 3250

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIVERSÆ THEOLOGIÆ MORALIS ACCURATA COMPLEXIO

INSTITUENDIS

CANDIDATIS ACCOMMODATA,

In qua, graviori præſertim S. THOMÆ auctoritate, atque ſolidiori ratione ducibus quæſtiones omnes, quæ ad rem Moralem pertinent, brevi ac perſpicua methodo reſolvuntur

A P. F.

FULGENTIO CUNILIATI

ORDINIS PRÆDICATORUM,

CONGREGATIONIS

B. JACOBI SALOMONII,

Exlectore Sacræ Theologiæ Scholaſtico-Dogmaticæ, a pluribus annis Moralis Profeſſore Ordinario in Collegio SS. ROSARII *Venetiarum.*

EDITIO SEPTIMA VENETA

Cui Præter ea, queis in anterioribus Editionibus Opus illuſtratum & auctum fuit, accedunt alia utilia, & ſcitu digna.

PARS ALTERA.

VENETIIS,
MDCCLXXII.

APUD THOMAM BETTINELLI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

INDEX TRACTATUUM CAPITUM, ET PARAGRAPHORUM.

TRACTATUS DUODECIMUS.

De præceptis Eccleſiæ.

De primo Eccleſiæ præcepto, quo jubemur Miſsam audire diebus feſtivis ab Eccleſia præſcriptis fuſe dictum eſt in prima hujus Operis parte Tract. 6. Cap. 2. §§. 1. & 2.

CAPUT I. *De ſecundo Eccleſiæ Præcepto.* Pag. 1

§. I. *De natura Jejunii, necnon de refectione ab eo exacta.* ibid.

§. II. *De ciborum delectu, & de hora refectionis.* 3

§. III. *de exemptione a Jejunio.* 5

CAP. II. *De tertio Eccleſiæ Præcepto Confeſſionis annuæ faciendæ.* 13

§. I. *De neceſſitate Confeſſionis ex vi juris divini.* ibid.

§. II. *De obligatione Confeſſionis ex vi juris Eccleſiaſtici.* 14

CAP. III. *De quarto Eccleſiæ præcepto Communionis Paſchalis.* 16

§. I. *De Obligatione Communionis quoad jus Divinum.* ibid.

§. II. *De Obligatione eadem ex vi præcepti Eccleſiaſtici.* 17

CAP. IV. *De quinto Eccleſiæ Præcepto ſolutionis Decimarum.* 20

§. I. *De qualitate obligationis hujus præcepti.* ibid.

§. II. *De modis, qui eximere poſſunt a ſolutione Decimarum.* 21

§. III. *De quibus rebus ſint Decimæ ſolvendæ, nec non quibus & a quibus ſint ſolvendæ.* ibid.

TRACTATUS DECIMUSTERTIUS.

De Sacramentis novæ Legis Generatim.

CAP. I. *De Sacramenti natura, & effectibus.* 23

§. I. *De Sacramentorum Eſſentia, Numero & Inſtitutore.* ib.

§. II. *De partibus Sacramenta componentibus.* 25

§. III. *De vario materiæ & formæ uſu.* 27

§. IV. *De primo Sacramentorum effectu, nempe Gratia habituali.* ib.

§. V. *De Charactere, altero aliquorum Sacramentorum effectu.* 30

CAP. II. *De Sacramentorum Miniſtro, & Subjecto.* 32

§. I. *De requiſitis generatim in Miniſtro, ut valide miniſtret.* ib.

§. II. *De requiſitis, ut licite miniſtret.* 37

§. III. *De Subjecto Sacramentorum.* 40

APPENDICULA *de Sacramentalibus.* 43

TRACTATUS DECIMUSQUARTUS.

De Sacramentis in particulari.

CAPUT I. *De Sacramento Baptiſmi.* 45

§. I. *De Notione, Inſtitutione, & Neceſſitate Baptiſmi.* ib.

§. II. *De Baptiſmi materia tum remota, tum proxima.* 47

§. III. *De forma Baptiſmi.* 49

§. IV. *Diſſeritur de Miniſtro Baptiſmi.* 50

§. V. *De Ritu Patrini, & effectibus Compaternitatis.* 52

a 2 §. VI.

§. VI. De Subjecto Baptiſmi ſecundum varios ſtatus conſiderato. 55
§. VII. De effectibus Baptiſmi. 60
CAP. II. De Sacramento Confirmationis. ib.
§. I. De Natura, & materia tam remota, quam proxima Confirmationis. ib.
§. II. De forma Sacramenti Confirmationis, & effectibus ejuſdem. 61
§. III. De Confirmationis Miniſtro. 62
§. IV. De Confirmationis Subjecto. 64
CAP. III. De Auguſtiſſimo Eucharistiæ Sacramento. 66
§. I. De Eucharistiæ notione. ibid.
§. II. De materia remota conficiendi Corporis Chriſti. 68
§. III. De forma hujus Sacramenti. 76
§. IV. De admirabili efficacia verborum conſecrationis. 80
§. V. De Miniſtro Sacramenti Eucharistiæ ſecundum diverſa tempora. 81
§. VI. De Subjecto Eucharistiam ſuſcipiente. 85
§. VII. De Eucharistiæ digne ſumptæ effectibus. 96
§. VIII. De Eucharistiæ Sacrificio, ejuſdemque notione. 101
§. IX. De valore, & effectibus Sacrificii Miſſæ. 103
§. X. De applicatione Sacrificii. 105
APPENDIX. De iis, pro quibus Miſſæ Sacrificium offerri, & applicari poteſt, necne. 111
§. I. Pro quibus vivis valide & licite poſſit vel non Miſſæ Sacrificium offerri, & applicari. ibid.
§. II. Pro quibus mortuis poſſit Miſſæ Sacrificium valide & licite offerri. 113
§. XI. CAP. III. De obligatione celebrandi generatim, necnon de tempore, & loco celebrandi. 117
APPENDIX. De privilegio audiendæ, & celebrandæ Miſſæ in Oratoriis privatis. 121
§. I. Ap. Præmittuntur nonnulla, & refertur Decretum Clem. XI. ib.
§. II. Refertur forma Privilegii, ſeu Indulti, quod ſolet concedi. 122
§. III. Præmittuntur nonnulla priuſquam expendantur Clauſulæ Indulti, ſeu Privilegii. 123
§. IV. Expenditur prima Clauſula Indulti. ibid.
§. V. Expenditur ſecunda Clauſula. ibid.
§. VI. Expenditur tertia Clauſula. 124
§. VII. Expenditur quarta Clauſula. ib.
§. VIII. Expenditur quinta Clauſula. 126
§. IX. Expenditur ſexta Clauſula. ibid.
§. X. Expenditur ſeptima Clauſula. 127
§. XI. Expenditur octava Clauſula. ibid.
§. XII. Expenditur nona Clauſula. 128
§. XIII. Expenditur decima Clauſula. 129
§. XIV. Expenditur undecima Clauſula. 131
§. XV. Expenditur duodecima Clauſula. ibid.
§. XVI. Reſolvuntur nonnullæ aliæ difficultates. 133
§. XII. Cap. III. De Ornatu requiſito ad celebrandum. 136
§. XIII. De obſervandis in ipſa celebratione. 141
§. XIV. De ſtipendio celebrationi debito. 143
§. XV. De pollutione Eccleſiæ. 147
§. XVI. APPENDICULA De Altari privilegiato. 148
CAP. IV. De Sacramento Pœnitentiæ. 149
§. I. De notione, & neceſſitate Sacramenti Pœnitentiæ. ibid.
§. II. De materia Sacramenti Pœnitentiæ. 150
§. III. De Contritione, prima Sacramenti parte. 151
§. IV. De Confeſſione. 157
§. V. De Satisfactione Sacramentali. 163
§. VI. De Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ. 168
§. VII. De obligationibus Confeſſarii ad licite obeundum ſuum miniſterium. 176

§. VIII.

Digitized by Google

§. VIII. De obligatione Confeſſarii circa Sigillum Confeſſionis. 183
§. IX. De obligationibus Pœnitentis reſpectu Confeſſarii. 188
§. X. De caſuum reſervatione. 190
§. XI. De facultate abſolvendi a reſervatis. 193
§. XII. De facultate Regularium ſuper caſibus reſervatis. 197
§. XIII. De facultate aliorum Confeſſariorum in reſervata. 203
APPENDIX prima ad Tractatum de Sacramento pœnitentiæ comprehendens animadverſiones ſuper caſibus qui plerumque, & reſpective ab Ordinariis reſervari conſueverunt in propriis Diœceſibus. 206
CAP. I. §. Unicus. Præmittuntur plura ſcitu neceſſaria. ibid.
CAP. II. Circa Blaſphemias. 208
§. I. Referuntur varii modi reſervationis hujus caſus. ibid.
§. II. Expenditur primus dicendi modus, unde cæteri facilius explicantur. 209
§. III. Expenduntur alii modi reſervationis ſuperius relati. 211
CAP. III. De altero caſu ad Superſtitiones ſpectante. 213
§. I. Referuntur varii modi hunc caſum reſervandi. ib.
§. II. Præmittuntur nonnulla ſcitu neceſſaria. 214
§. III. Expenditur primus modus hujus reſervationis, unde ſternitur via ad alios brevius explicandos. 215
§. IV. Expenduntur alii modi reſervandi hunc caſum. 216
CAP. IV. Circa Juramenta. 219
§. I. Referuntur varii modi reſervationis hujus caſus. ibid.
§. II. Expenduntur relati modi reſervationis hujus caſus. ibid.
CAP. V. Circa cultum ſacrorum Feſtor. 220
§. Unicus. Refertur hæc reſervatio ſimulque expenditur. ibid.
CAP. VI. Circa cultum Locorum ſacror. 221
§. I. De pollutione Eccleſiæ. ibid.
§. II. De furto in Eccleſia. ibid.
CAP. VII. Circa honorem Majoribus debitum. ibid.
§. I. Referuntur varii modi reſervationis. ib
§. II. Expenditur primus reſervationis modus. ibid.
§. III. Expenduntur alii modi reſervationis. 223
CAP. VIII. Circa Homicidium. 224
§. I. Referuntur varii modi reſervationis. ibid.
§. II. Expenditur primus dicendi modus, ſterniturque via ad ceteros facilius explicandos. 225
§. III. Expenduntur alii modi reſervandi caſus ſuperius relati. 227
CAP. IX. Circa peccata luxuriæ. 230
§. I. Referuntur varii modi reſervationis. ibid.
§. II. Expenditur primus modus, aperiturque via ad ceteros brevius explicandos. ib
§. III. Expenduntur alii modi reſervationis caſus ſuperius relati. 231
CAP. X. Circa crimen inceſtus. 232
§. I. Referuntur varii modi reſervationis. ibid.
§. II. Expenditur primus modus, ut exinde ceteri brevius explicentur. ibid.
§. III. Expenduntur alii modi ſuperius relati hujus reſervationis. 237
CAP. XI. Circa alia peccata carnalia ſpecialibus deformitatibus affecta. 239
§. I. Recenſentur hæc peccata a pluribus diverſimode reſervata. ibid.
§. II. Expenditur primus reſervationis modus circa infideles. 240
§. III. Expenduntur alii modi reſervationis ſuperius relati circa alia peccata. ib.
CAP. XII. Circa peccata cum Monialibus attentata. 243
§. I. Recenſentur varii modi reſervandi hujuſmodi crimina. ibid.
§. II. Expenditur primus reſervationis modus, ſterniturque via ad alios explicandos. 244

§. III.

Digitized by Google

§. III. *Expenduntur alii modi reſervationis ſupra relati.* 246
CAP. XIII. *Circa alia peccata in grave damnum proximi tendentia.* 249
§. I. *Recenſentur nonnulli caſus vario modo reſervati.* ibid.
§. II. *Expenduntur iſti modi varii reſervationum.* 250
APPENDIX *ſecunda ad Tractatum de Sacramento Pœnitentiæ, quæ eſt de Indulgentiis.* 254
§. I. *De notione Indulgentiæ, & de poteſtate illam conferendi.* ibid.
§. II. *De requiſitis ad acquirendas Indulgentias pro Viventibus.* 255
§. III. *De acquiſitione Indulgentiarum pro Defunctis.* 258
CAP. V. *De Sacramento Extremæ Unctionis.* 259
§. I. *De Inſtitutione, Materia, Forma, & Miniſtro extremæ Unctionis.* ib.
§. II. *De Subjecto, Effectu, & Neceſſitate hujus Sacramenti.* 262
CAP. VI. *De Sacramento Ordinis.* 263
§. I. *De Nomine, Notione, Materia, Forma, & effectu Ordinis generatim accepti.* ibid.
§. II. *De Subjecto Ordinis.* 265
§. III. *De Miniſtro Sacramenti Ordinis.* 267
§. IV. *De Ordinibus in ſpecie, & primo de quatuor Minoribus.* 270
§. V. *De Ordinibus Majoribus, ſeu Sacris.* 272
CAP. VII. *De Sacramento Matrimonii.* 278
§. I. *De Sponſalibus, & de requiſitis ad eorum valorem.* ibid.
§. II. *De effectibus Sponſaliorum validorum.* 285
§. III. *De Sponſalibus conditionatis.* 286
§. IV. *De requiſitis ad licite contrahenda Sponſalia.* 288
§. V. *De diſſolutione Sponſalium.* ib.
§. VI. *De Matrimonio prout eſt Contractus; nempe de illius notione, & de requiſitis ad illius valorem.* 293
§. VII. *De Matrimonio Sacramento; de ipſius Materia, Forma, & Miniſtro.* 297
§. VIII. *De Solemnitatibus requiſitis ad valorem Sacramenti Matrimonii.* 298
§. IX. *De Matrimonii indiſſolubilitate quoad vinculum.* 307
§. X. *De diſſolubilitate Matrimonii rati tantum.* 310
§. XI. *De diſſolubilitate Matrimonii quoad Torum.* 311
§. XII. *De debito conjugali.* 315
§. XIII. *De Honeſtate, & Inhoneſtate actus conjugalis, aliarumque illecebrarum.* 318
APPENDIX, *in qua caſus nonnulli circa matrimonii uſum proponuntur, ac reſolvuntur.* 331
§. XIV. *De impedimentis Matrimonii, & primo de ſolum impedientibus.* 334
§. XV. *De impedimentis dirimentibus, & primo de impedimento erroris.* 337
§. XVI. *De impedimento Conditionis.* 338.
§. XVII. *De impedimentis Voti, & Ordinis.* ibid.
§. XVIII. *De impedimento cognationis.* 339
§. XIX. *De impedimento Criminis.* 342
§. XX. *De impedimento Diſparis Cultus.* 344
§. XXI. *De impedimento Vis, ſeu Metus.* 345
§. XXII. *De impedimento Ligaminis.* 347.
§. XXIII. *De impedimento Honeſtatis.* ibid.
§. XXIV. *De impedimento Ætatis.* 348
§. XXV. *De impedimento Affinitatis.* 349.
§. XXVI. *De impedimento Clandeſtinitatis.* 350
§. XXVII. *De impedimento impotentiæ.* ibid.

§. XXVIII.

Digitized by Google

§. XXVIII. *De impedimento Raptus.* 353.
§. XXIX. *De diſpenſatione Impedimentorum dirimentium.* 354
§. XXX. *De modis, quibus Matrimonium invalide contractum redintegrari, ſeu, ut ajunt, revalidari poteſt.* 356

TRACTATUS DECIMUSQUINTUS.

De Cenſuris.

CAPUT I. *De Cenſuris generatim.* 362
§. I. *De notione & diviſione Cenſuræ.* ibid.
§. II. *De habentibus poteſtatem inferendi Cenſuras.* 363
§. III. *De Materia cenſuræ.* 364
§. IV. *De Subjecto Cenſuræ.* 365
§. V. *De modis ferendi Cenſuras.* 367
§. VI. *De juſtitia cauſæ, ob quam Cenſura infligitur; & de loco ferendæ, vel latæ cenſuræ.* 368
§. VII. *De cauſis a Cenſura excuſantibus.* 370
§. VIII. *De abſolutione generatim a Cenſuris.* 372
CAP. II. *De Cenſuris in particulari, & primo de Excommunicatione.* 375
§. I. *De notione, & diviſione excommunicationis, nec non de primo excommunicationis majoris effectu quoad ſuffragia Eccleſiæ communia.* ibid.
§. II. *De ſecundo excommunicationis effectu quoad participationem Sacramentorum.* 376
§. III. *De tertio excommunicationis effectu quoad privationem ſacrarum Functionum, & ſepulturæ Eccleſiaſticæ.* 377
§. IV. *De quarto excommunicationis effectu reſpectu beneficiorum, & fructuum inde perceptorum.* 379
§. V. *De quinto excommunicationis effectu, privandi actibus juriſdictionis.* 380
§. VI. *De ſexto excommunicationis effectu, privandi communicatione civili.* 381
§. VII. *De ſeptimo effectu privandi actionibus forenſibus.* 383
§. VIII. *De ultimo effectu nullitatis gratiarum impetratarum.* ibid.
§. IX. *De effectibus excommunicationis Minoris.* 384
CAP. III. *De Suſpenſione.* 385
§. I. *De Notione, & diviſione ſuſpenſionis.* ibid.
§. II. *De effectibus ſuſpenſionis.* ibid.
§. III. *De violatione ſuſpenſionis.* 388
§. IV. *De ſuſpenſionibus, quibus Eccleſiaſtici ſunt obnoxii.* 389
§. V. *De modis, quibus aufertur ſuſpenſio.* ibid.
CAP. IV. *De Degradatione.* ibid.
§. I. *De notione Degradationis, & de motivis ejuſdem inferendæ.* ibid.
§. II. *De habentibus facultatem degradandi, tam verbaliter, quam realiter, & de iis, qui degradari poſſunt.* 390
CAP. V. *De Interdicto.* 391
§. I. *De notione, diviſione, intelligentia, & cauſis interdicti.* ibid.
§. II. *De primo effectu interdicti, qui eſt privatio nonnullorum Sacramentorum.* 392
§. III. *De ſecundo effectu interdicti, privationis Officiorum Divinorum.* 393.
§. IV. *De tertio effectu privationis ſepulturæ Eccleſiaſticæ.* 394
§. V. *De interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ.* 395
§. VI. *De peccato & pœnis violantium interdictum.* ibid.
§. VII. *De relaxatione interdicti.* 396
CAP. VI. *De Ceſſatione a Divinis.* 397
§. Unicus. *De notione ceſſationis a Divinis, necnon de cauſis, & effectibus ejuſdem.* ibid.
CAP. VII. *De Irregularitate.* 398

§. I.

§. I. De notione, & diviſione Irregularitatis generatim, & de effectibus ejuſdem. ibid
§. II. De irregularitatibus in particulari, & primo de defectu animi & corporis. 399
§. III. De defectu Natalium. 400
§. IV. De defectu ætatis & libertatis. ibid.
§. V. De defectu bigamiæ. 401
§. VI. De irregularitatibus ex delicto, & primo de infamia. 402
§. VII. De irregularitate ob iterationem Sacramentorum. 403
§. VIII. De irregularitate ob indebitam ſuſceptionem, & indebitum uſum Ordinum. ibid.
§. IX. De irregularitate ob Apoſtaſiam, vel Hæreſim. 405
§. X. De irregularitate propter homicidium licitum, & juſtum, & mutilationem; ubi etiam de defectu Lenitatis. 408
§. XI. De irregularitate ex defectu Lenitatis propter bellum. 409
§. XII. De irregularitate ob exercitium medicinæ, chirurgiæ &c. ibid.
§. XIII. De irregularitate propter homicidium ad ſui, proximi, & ceterarum rerum defenſionem, necnon de caſuali. 410
§. XIV. De irregularitate propter homicidium, vel mutilationem voluntariam. ibid.
§. XV. De diſpenſatione in irregularitate. 411

TRACTATUS DECIMUSSEXTUS.

De Statu Religioſo.

CAP. I. De notione Status Religioſi, ejuſdemque obligationibus. 412
§. I. Explicatur notio Status Religioſi. ibid.
§. II. De obligatione tendendi ad perfectionem eſſentialem eidem ſtatui. 413.
§. III. De neceſſitate trium Votorum, 419.
CAP. II. De Voto Paupertatis. 420
§. I. De materia voti paupertatis religioſæ. ibid.
§. II. De variis contra paupertatis votum peccandi modis; & primo quoad acquiſitionem rerum. 422
§. III. De modo peccandi contra hoc votum per detentionem rerum. 426
§. IV. De modo peccandi contra paupertatem per uſum. 428
§. V. De qualitate obligationis ad vitam communem. 431
CAP. III. De votis Caſtitatis, & obedientiæ. 435
§. I. De obligationibus ad votum caſtitatis pertinentibus. ib.
§. II. De ſpectantibus ad votum Obedientiæ. 437
§. III. De variis contra obedientiam peccandi modis. 440
CAP. IV. De nonnullis aliis obligationibus religioſas Perſonas afficientibus. 442
§. I. De obligatione circa Clauſuram virorum Clauſtralium. ib.
§. II. De obligatione non alienandi bona Monaſteriorum. 446
§. III. De prohibitione alloquendi Moniales. 449
CAP. V. De Novitiatu. 452
§. I. De requiſitis ad validum, & licitum Novitiatum. ib.
§. II. De privilegiis Novitiorum. 454
CAP. VI. De profeſſione Religioſa. 457
§. I. de notione, & diviſione, & incurſu Profeſſionis. ibid.
§. II. De effectibus profeſſionis Religioſæ. 458
§. III. De reclamatione ad reſcindendam Profeſſionem. 460

PARS

Digitized by Google

PARS ALTERA, TRACTATUS XII. DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.

De primo Eccleſiæ præcepto, quo jubemur Miſſam audire diebus feſtivis ab Eccleſia præſcriptis, fuſe diſſeruimus in tract. 6. cap. 2. §. §. 1. & 2. proinde dicta non ſunt hic repetenda.

CAPUT PRIMUM.

De Secundo Eccleſiæ Præcepto.

§. I. *De natura Jejunii, nec non de refectione ab eo exacta.*

Quid & quotuplex Jejunium?

I. SAnctus Thomas in 4. ſent. diſt. 5. quæſt. 4. artic. 1. quæſt. 1., hæc habet: *Jejunium dupliciter dicitur; ſcilicet jejunium naturæ, & jejunium Eccleſiæ: a primo jejunio dicitur aliquis qualibet die jejunus, antequam cibum ſumat: a ſecundo autem dicitur jejunus, quaſi ordinatam ab Eccleſia, propter peccatorum ſatisfactionem, obedientiam ſervans. In ſatisfactionem autem peccatorum non ſolum oportet, quod ab illis homo abſtineat, quæ lex virtutis prohibet; ſed etiam ab illis, quibus, ſalva virtute, uti poſſemus; quia qui illicita commiſit, oportet a licitis abſtinere, ut ait Auguſtinus. Unde jejunium ab Eccleſia inſtitutum præſupponit abſtinentiam illam, quæ ad virtutem exigitur; & addit abſtinentiam quamdam ab illis, quæ medium virtutis non corrumpunt. Et ideo Iſidorus hæc duo in definitione jejunii comprehendit, ſcilicet abſtinentiam ab illis, quæ virtutem corrumpunt, in hoc quod dicit, Parſimonia victus; & ab illis; quibus, ſalva virtute, alias uti liceret, in hoc quod dicit, Abſtinentiamque ciborum.* Duo igitur imponuntur a præcepto jejunii, nempe parſimonia victus, & abſtinentia ciborum.

II. Ad parſimoniam victus pertinet unica refectio, quæ in Eccleſiæ jejunio obſervanda eſt, hincque abſtinendum a pluribus refectionibus. Debet proinde refectio eſſe continuata, ita ut moraliter una refectio judicetur: Si enim notabili intervallo inter- *(Quid pertineat ad Parſimoniam victus,)*

& ad unicam refectionem?

terrumpatur, & iterum reaſſumatur, non cenſebitur una moraliter. Aliquando tamen poteſt una cenſeri, quamvis interrupta; puta ſi quis nondum ſatis refectus, a menſa ſurgat, vocatus ob neceſſitatem alicujus negotii non diutini conficiendi, & confecto negotio redeat, adhuc eamdem cenſetur conſummare comeſtionem; vel ſi abſque neceſſitate, ſed ob aliquod aliud motivum, nondum refectus vadat, animo redeundi; & non multum tempus interponat. Sylvius in 2. 2. q. 147. a. 6. quæſito 1. concluſ. 2. ait, quod qui ſine cauſa interrumpit, & redit poſt horam, forte peccet ſolum venialiter, eo quod non videtur tempus notabile; ab aliis tamen rejicitur, cum qui ita ſe gerit præceptum parvifacere, ac veluti contemnere videatur. Qui vero ita complet prandium ſuum, ut vere compleat animo etiam virtuali non redeundi, neque aliud comedendi, qui animus apparet ex modo ſe gerendi, puta linteum complicando, & recedendo a menſa; & deinde etiam infra breve tempus ſibi offeratur aliquid comedendum, atque ex eo comedat in tanta quantitate, quæ alioquin jejunium frangere ſufficiat; jejunium frangere docent Navarrus cap. 21. n. 14., & Sylvius loco citat. concluſ. 3. Ratio eſt, quia eſt nova formaliter comeſtio; cum enim ex modo ſe gerendi oſtenderit, ſe compleviſſe refectionem; hoc ipſo, quod novam ſuſcipit, ſi in quantitate ſufficienti ſumat, vere jejunium frangit.

Sunt qui oppoſitum ſuſtinent hac ducti ratione, nempe quod in tali caſu unica moraliter cenſeri debeat refectio. *Si quis*, inquit P. Lucius Ferraris in ſua Bibliotheca v. *Jejun. art. 1. n. 54., finierit prandium, & plicaverit mappulam, cum propoſito non amplius comedendi, ſeu ſurrexerit e menſa etiam gratiis actis, poteſt intra quadrantem circiter, mutata voluntate iterum aſſidere, & comedere, quia moraliter cenſebitur una comeſtio*. Num autem ratio hæc ea validior ſit, quam Auctor pro ſua ſententia adducit, ſapientioribus definiendum relinquimus.

Quæres, An ille ſolvat jejunium, qui unicam ſumit refectionem, ſed in ea tantum comedit (temperate tamen) quantum aliis diebus, quibus non jejunat?

Reſp. Cl. Sylvius loco citato, „ non ſolvere; quandoquidem ſervat eſſentialia jejunii. Et confirmari poteſt, *inquit*, tum ex eo quia aſſueverit ſemel dumtaxat comedere in die, & tantum uno die ſumere quantum altero; tum quia Eccleſia jubet abſtinentiam a pluribus refectionibus, non autem a quantitate cibi ſoliti. Similiter etiam, *ſubdit*, non eſt tranſgreſſor jejunii, qui plus & lautius cœnat in die jejunium antecedente; aut, qui die jejunium ſubſequente citius, ac ſplendidius jentat; modo ipſa die jejunii una refectione, cibiſque jejunio propriis contentus ſit, nec eos ante horam legitimam ſumat. "

Quid dicendum de Pauperibus?

III. Pauperes, qui oſtiatim mendicant, nec unam ſufficientem refectionem habere poſſunt, excuſantur, ſi parvas refectiones repetant: ita S. Doctor q. 147. a. 4., ad 4. *Pauperes, qui poſſunt ſufficienter habere, quod eis ſufficiat ad unam comeſtionem non excuſantur propter paupertatem a jejuniis Eccleſiæ; a quibus tamen excuſari videntur illi, qui fruſtatim eleemoſinas mendicant: quia non poſſunt ſimul habere, quod eis ad victum ſufficiat.*

Protrahere refectionem ad plures horas.

IV. Protrahere refectionem ad longum tempus, puta ad plures horas, ſi fiat in fraudem jejunii, jam patet eſſe contra præceptum unius refectionis; quia data opera æquivaleret pluribus refectionibus. Protrahere autem ſine non fraudulento, ſed ob animi levitatem, aut ad liberaliorem comeſtionem, videtur non eſſe mortale, niſi adeo immanis plurium horarum eſſet protractio, ut tempus quod in refectione inſumitur æquivaleret tempori plurium refectionum. Protrahere demum ob convivii ſolemnitatem, puta nuptiarum, adventum hoſpitum &c., urbanitatis, & ſolemnitatis gratia, non videtur eſſe mortale.

Bibere an frangat Jejunium?

V. Bibere ex ſe non frangit jejunium: ait enim S. Doctor loc. cit. a. 6., ad 2. *Non intendit Eccleſia interdicere abſtinentiam potus, qui magis ſumitur ad alterationem corporis, & digeſtionem ciborum aſſumptorum, quam ad nutritionem; licet aliquo modo nutriat. Et ideo licet jejunantibus pluries bibere. Si quis autem immoderate potu utatur, poteſt peccare, & meritum jejunii perdere, ſicut etiamſi immoderate cibum in una refectione ſumat*. Qui igitur bibit ad extinguendam ſitim, jejunium non frangit: ſi tamen ita bibendo excederet, & id faceret in fraudem jejunii, procul dubio jejunium frangeret: quod deducitur ex eiuſdem Angelici verbis ad 3. dicentis, quod electuaria ſumpta titulo medicinæ *non ſolvant jejunium, niſi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate aſſumat per modum cibi*; quæ ratio etiam militat pro vino, cum non modice nutriat. Quod autem di-

dixit Angelicus, immoderate edentem in eadem refectione peccare; intelligitur peccare contra temperantiam, non contra jejunii præceptum. Similiter jejunium frangit potus Cocholatæ, ſi in ea quantitate ſumatur, quæ etiam in aliis rebus jejunium frangat; de quo diffuſe P. Daniel Concina in ſua diſſertatione italica.

Quænam quantitas cibi frangat jejunium?

VI. Circa quantitatem cibi, quæ requiritur, ut quis extra refectionem comedens, jejunium mortali culpa frangat, varie opinantur Auctores. Nimis laxa videtur opinio requirentium quantitatem duas uncias excedentem, quæ propterea a multis rejicitur. Nimis ſevera videtur opinio aſſerens exceſſum dimidiæ unciæ. Judicium ſapientioribus, & timoratis relinquo. Putarem, quod excedere unam unciam, non vacet a gravi. Illud certum eſt apud omnes, quod ſæpe repetere ſumptionem alicujus modici, puta unius amigdalæ, ita ut tandem accreſceret ad quantitatem vetitam, lethale ſit: ut propterea Alexander VII. hanc theſim n. 5. confixerit. *In die jejunii, qui ſæpius modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.*

Quid de Collatiuncula ſerotina?

VII. Parſimonia victus admittit collatiunculam ſerotinam, poſt tempora S. Thomæ inter fideles introductam, & conſuetudine approbatam ex ſilentio Pontificum. Pro quantitate ejuſdem certa regula tradi non poteſt. Nam juxta varietatem climatum, conſtitutionum corporum, & valetudinum videtur libranda. Regulam a pluribus traditam, licere quantitatem octo unciarum, non cenſemus approbandam; quia revera videtur nimia quantitas. Ab ipſa, juxta Doctores graves, & probos, excludendus eſt eſus piſcium, & pulmentorum, & ubi conceditur indultum pro lacticiniis, excludendus eſt eſus ovorum, caſei, & ſimilium; tum quia hujuſmodi ſunt vere cibi ad nutriendum producti; tum quia eſt contra conſuetudinem timoratorum, niſi forte aliter poſtulet debilitas, aut conſtitutio jejunantis; cui alii cibi eſuriales, & collatiunculæ proprii, noceant; quales ſunt fructus exſiccati, vel recentes, bellaria, & alia hujuſmodi.

An toties quis peccet, quoties eodem die refectionem ſumit?

VIII. Qui pluries in eadem die refectionem ſumit, puta quinquies, juxta mihi probabiliorem, immo evidentem, quinquies peccat mortaliter. Ita Major in 4. dub. 15., q., Joannes Medina Codice de Jejunio, tract. 4. q. 5., Covaruvias lib. 4. variar. ca. 20., num. 12., Molanus in Theol. pract. tract. 3. de virt. cap. 11., Sylvius in 2.2., q. 147., art. 6. quæſit. 3., & alii. Ratio, quæ evertit præcipuum adverſæ opinionis motivum, in eo eſt poſita, quia præceptum unius dumtaxat refectionis ſumendæ eſt principaliter negativum; eſt enim non ſumendi plures refectiones: In eo namque differt præceptum negativum ab affirmativo, quod affirmativum obligat ad actionem ponendam, ita ut frangatur, ſi actio non ponitur; negativum autem non obligat ad actionem ponendam, ſed vel prohibet omnino actionem, & tunc eſt ſimpliciter negativum, vel illam permittendo, prohibet, ne repetatur; ita ut etiamſi nec ſemel ponatur actio, obediatur præcepto; & tunc, ut patet, eſt principaliter negativum: atqui hujuſmodi eſt præceptum de unica refectione; non enim jubet poſitive unam refectionem, ita ut qui non vult ſe reficere neque ſemel, nullo modo peccet; ſed illam permittendo, vetat ne repetatur, ut nemo non videt; igitur eſt principaliter negativum; atqui agens contra præceptum negativum, toties illud frangit, quoties actionem vetitam ponit; igitur toties quis contra jejunii præceptum peccabit, quoties in die reficietur præter unicam refectionem. Confirmo ſimilitudine: præceptum ſemel dumtaxat celebrandi in die non obligat ad ſemel celebrandum, ſed ne pluries celebretur, quam ſemel; unde etiam nullo modo celebrans non violet præceptum; quod toties franget, quoties repetet celebrationem, quia eſt præceptum principaliter negativum: ad differentiam præcepti communionis paſchalis, quod conſtringit ad ponendam actionem, & propterea eſt præceptum affirmativum. Hæc ſunt adeo manifeſta, ut mirum videatur inveniri protectores opinionis oppoſitæ.

§. II. *De ciborum delectu, & de hora refectionis.*

A quibus cibis abſtinendum?

I. AUdivimus a S. Doctore alterum quod a præcepto jejunii imponitur, eſſe *abſtinentiam ciborum*. Cibi autem, a quibus abſtinendum eſt, juxta communem omnium fidelium, ſunt carnes, ova, & lacticinia, excepta conceſſione legitima, & conſuetudine Eccleſiæ aſſenſu præſcripta. Id probatur ex Cap. 6. diſt. 4. *Par eſt ut quibus diebus a carne abſtinemus, ab omnibus quoque, quæ ſementinam carnis tra-*

trabunt originem, jejunemus; a lacte videlicet, caſeo, & ovis, & idem in aliis Canonibus. Congruentiam a S. Doctore allatam & quidem egregiam volentibus legere indico loc. cit. art. 8. Hic notanda occurrit theſis 32. ab Alexan. VII. confixa: *Non eſt evidens, quod conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia obliget in quadrageſima.* Quod autem toties quis lethaliter peccet; quoties in die carnes comedit, jam ſatis commune eſt; quandoquidem præceptum illas non comedendi eſt juxta omnes præceptum nedum principaliter, ſed & ſimpliciter negativum.

* S. P. Benedictus XIV. *de Synod. Diœc. lib.* 11. *cap.* 5. *nu.* 9. poſtquam monuit, communem, tutamque hodiernis temporibus haberi regulam circa jejunium & qualitatem cibi diebus eſurialibus adhibendam, quam, *inquit*, S. Thomas Aquinas ſumma ſapientiæ, & æquitatis ratione tradidit 2. 2. *qu.* 147. *art.* 8. docens, Eccleſiæ lege interdictum eſſe jejunantibus eſum carnium eorum animalium, quæ in terra oriuntur, & in terra vitam ducunt; item in jejunio Quadrageſimæ vetita eſſe ova, & lacticinia, quæ tamen aliis jejunii diebus, pro varia locorum ratione, alicubi permittuntur; generaliter vero conceſſum eſſe jejunii tempore piſcibus uti, quod eorum carnes minore ſpiritu & robore, quam animalium terreſtrium, refertæ ac præditæ, magis aptæ ſunt reprimendis ſenſuum cupiditatibus, qui proprius eſt jejuniorum finis; poſtquam, inquam, id monuit, ac præmiſit, ſubdit: Sed, licet adeo clara & perſpicua ſit, (*S. Thomæ doctrina*) nihilominus ad omnes controverſias de medio tollendas minime ſufficiens viſa fuit.

Nemo ſane, (*ſic n.* 10.) quod ſciamus, id hodie contendit, ut avium carnibus jejunii tempore veſci liceat, quod olim Orientales contendiſſe, & factitaſſe compertum eſt, cum dicerent, avium genus æque ac piſcium, ex aqua ortum ducere, ut teſtatur Socrates *Hiſt. cap.* 22. Sed illud in controverſiam ſæpe vocatur, an hæc aut illa animantium ſpecies ad piſcium naturam pertineat, necne; an inter animalia terreſtria, aut volatilia vel potius aquatilia adnumerari debeat, & conſequenter an liceat diebus jejunii eorum carnibus veſci.

Sane, *ait num.* 11., præſtitutis ſuperius regulis inhærendo, ſtandum eſſe hac in re vigenti conſuetudini, nonnulli Auctores docent; adeoque ſi alicujus animantis carnes jejunantibus apponi antea non conſueverunt, ejuſmodi carnes eo numero habendas eſſe, ut diebus jejunii illis uti non liceat; ſi autem uſitatum fuerit, ut animantis illius carnibus jejunantium menſæ extruantur, minime dubitandum eſſe, quod ex eo genere ſint, quo veſci licitum eſt etiam jejunii tempore; ex quo deducunt, licitum eſſe diebus eſurialibus comedere ranas, quæ in aqua vivunt, teſtudines quoque licet terreſtres, minime vero quædam volucrum aquatilium genera; quia nimirum illis conſuetudo favet, his autem contraria dignoſcitur.

Conſuetudinis porro vim non negabimus, *inquit idem S. P. num.* 12. Sed hoc merito admonendum cenſemus, *ſubjungit*, ut videatur, an hæc aut illa conſuetudo, vera & legitima dici debeat, & an apud pios, proboſque viros recepta ſit; ne forte abuſus, & corruptelæ pro judicandi & agendi norma accipiantur. Quod ſi de conſuetudinis exiſtentia, aut illius qualitate dubitetur, exiſtimant aliqui exquirendum eſſe Medicorum judicium, ut ab iis ſtatuatur, an animalia, de quibus dubitatur, ad piſcium naturam propius accedant, an vero ad terreſtrium genus pertineant. Hinc Tamburinus, ubi de viperinis carnibus jejunii tempore comedendis in utramque partem diſputavit, Medicorum denique judicio quæſtionem definiendum remittit. Sed cum Medicorum ſententiæ raro inter ſe conveniant, quod nobis frequenti experientia compertum eſt, id maxime advertendum judicamus, ut relata ſuperius S. Thomæ doctrina ſemper præ oculis habeatur: nimirum eam fuiſſe Eccleſiæ mentem in ſanciendo pro diebus jejunii ciborum delectu, ut comprimendæ, ac minuendæ carnis concupiſcentiæ per ſalutarem abſtinentiam conſuleret: ex quo ſequitur, ut, ſi dubium ſubſit, an eſus carnium alicujus animalis, jejunii tempore, licitus ſit, vel illicitus, nec adſit legitima ac recepta conſuetudo, quæ controverſiam dirimere valeat; hoc maxime examinari debeat, an hujuſmodi animal ſimile ſit, aut diſſimile iis, quorum eſus diebus jejunii interdictus eſt, & an illius carnes validius nutriendo, & roborando idoneæ dignoſcantur: quod ubi ita eſſe appareat, profecto inter eas adnumerari debent, quæ jejunantibus apponi nequeunt; quemadmodum late probat idem Tamburinus tum *lib.* 4. *in Decalog. cap.* 5. *n.*

Digitized by Google

ſ. n. 10.; tum etiam *ad* 4. *Præcept. Eccl. cap.* 3. *n.* 2. Hucuſque S. P. Benedictus XIV. Lege totum præcitatum caput, nec non ejuſdem *Inſtit.* 15. & 16. in quibus plura circa jejunium ſcitu digna reperiuntur.

Quid de hora refectionis?

II. Tempus refectionis ſumendæ modo eſt meridies, ita ut notabiliter anticipare, ſine juſta cauſa, ſit lethale; ita probabilior cum S. Doctore in 4. ſent. d. 15., q. 3., a. 4. q. 3. *Cum Eccleſia inſtituit certum tempus comedendi a jejunantibus; qui nimis notabiliter anticipat, jejunium ſolvit.* Ratio vero præſupponit, quod nunc ab omnibus admittitur ut indubitabile, nempe præceptum jejunii eſſe graviter obligans, cum Alexand. VII. damnaverit theſim 23. quæ dicebat. *Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat; puta quia non vult ſe ſubjicere præcepto.* Si igitur præceptum graviter obſtringit, quando materia, vel circumſtantia materiæ erit gravis, graviter quoque obligabit: atqui præſcriptio temporis eſt res de ſe gravis; etenim eſt unum ex tribus quæ ad jejunium eccleſiaſticum requiruntur, nempe abſtinentia a carnibus, unica refectio, & tempus refectionis: igitur qui notabiliter prævenit tempus, gravem reatum incurret. Idque ex eo magis liquet, quod dum antiquitus hora refectionis pro jejunantibus erat veſper, qui notabiliter præveniebat, dubio procul mortaliter peccabat: cum igitur hora meridiana modo ſubſtituta fuerit veſpertinæ, cur graviter non peccabit, qui ſine juſta cauſa illam prævenit? Notabile vero tempus præventionis eſt, etiam juxta recentiores, una hora.

* Superioribus ſæculis in Quadrageſima quidem refectio differebatur uſque ad veſperam; ſed in minoribus jejuniis hora nona jejunio finem ſtatuebat. Perſeverabat diſciplina hæc tempore S. Bernardi, qui ſupremum explevit diem *an.* 1153. ut ex his verbis liquet *ſerm.* 3. *de Quadrag.*: *Hactenus* (ait loquens de jejunio Monachorum extra Quadrageſimam) *uſque ad nonam jejunavimus ſoli.* Cum vero de Quadrageſimali jejunio verba facit, hæc habet: *Nunc uſque ad veſperam jejunabunt nobiſcum univerſi Reges & Principes, Clerus & populus, nobiles & ignobiles, ſimul in unum dives & pauper.* Conſonat id dicto Petri Bleſenſis, qui ex vita diſceſſit *an.* 1200. Serm. 11. *Temporibus jejuniorum*, inquit, *differtur Miſſæ Officium poſt ſextam, ut uſque poſt Nonam protrahatur abſtinentia ciborum. In Quadrageſima vero etiam poſt Nonam differtur Miſſale officium, ut etiam uſque poſt veſperas refectio differatur.* Conſule Em. Lambertinum *Inſtit.* 15. *nu.* 3. & Contin. *Prælect. Theolog.* Honorati Tourneiy *tom.* 3. *tract. de præcep. Eccl. cap.* 2. *art.* 2. prope finem.

Motiva juſta præveniendi tempus.

III. Motiva autem juſta præveniendi, non omnia admittimus, quæ a multis recenſentur: unde excludimus peregrinationem ex mera devotione ſuſcipiendam; eo quod ordinata devotio poſtulet, ne opera arbitraria, quamvis pia, impediant opera præcepta, ut patet. Excludimus item meram urbanitatem conveſcendi cum amico qui iter facit, neque valet differre itineris proſecutionem uſque ad meridiem; quia prima urbanitas deferenda eſt Deo, & Eccleſiæ præcipienti; non enim rationabiliter oſtentioni adſcribere debet hoſpes, (niſi forte ſit hæreticus Eccleſiæ inimicus) qui ſciens jejunii obligationem, videat amicum præferre reverentiam Eccleſiæ, converſationi ſuæ commenſali. Motiva igitur juſta illa cenſenda ſunt, quæ involvunt grave, & notabile incommodum, ſive corporale, ſive civile, ſive temporale evitandum, quod a jejunante evitari nequeat, niſi notabiliter ante meridiem reficiatur.

An liceat tempus refectionis invertere?

IV. Commutare tempus refectionis, ſumendo collatiunculam mane, & veſpere prandere, ſi fiat ex rationabili cauſa nullum eſt peccatum; ſin autem, quantum potui ex auctoribus deducere, non videtur excedere culpam venialem: non enim ſuppetit ratio urgens, quæ compellat ad aſſerendum mortale.

Caſus incidens reſolvitur.

V. Quando quis, vel non recordans eſſe diem jejunii, vel id ignorans, mane jentaculum ſumpſit plus comedendo, quam patiatur collatiuncula ſerotina, poterit ſero prandere? Reſpondet Sylvius loc. cit. quæſito 2. ſi poſſit abſque alia refectione diem tranſigere ſola collatiuncula veſpertina, eadem ſit contentus; quia ſic jejunabit unica refectione: Si autem notabile incommodum ſit ex hac obſervantia paſſurus, veſpere ſe reficiat: hæc ille.

§. III. *De exemptione a jejunio.*

Cauſæ a jejunio eximentes, quæ

I. Quinque ſunt cauſæ a jejunio eximentes, nempe Diſpenſatio, Ætas, Infirmitas, Labor, & Pietas. Et circa primam, eximuntur a jejunio legitime diſpenſati.

Digitized by Google

…rum prima eſt diſpenſatio.

ſati. Cum autem jejunium & abſtinentiam a carnibus, & unicam refectionem ſuo tempore ſumendam comprehendat; ille, qui eſt ab abſtinentia diſpenſatus, eo quod eſus piſcium eidem noceat, non propterea eſt diſpenſatus ad duas refectiones, ſed tenetur ad unicam, juxta opinionem, quæ cum eſſet probabilior, & ſanior, modo eſt certa; ita ut oppoſita ſit falſa, eo quod ita declaraverit Summus Pontifex Benedictus XIV. feliciter regnans in Conſtitutione incipiente: *Non ambigimus* data an. 1741., 30. Maii §. 4. Qui etiam reſpondens ad quæſita Archiepiſcopi Compoſtellani, decrevit, quod nedum teneantur diſpenſati ad unicam refectionem, & ad horam præſcriptam obſervandam; verum etiam in collatiuncula ſerotina teneantur a lacticiniis abſtinere, niſi forte conſuetudo ab Epiſcopis non ignorata, & tolerata aliter fieri permittat, ut dicitur fieri in quibuſdam regionibus. Ratio primæ partis, præter definitionem Pontificiam, eſt, quia qui non poteſt ſervare præceptum quoad omnes ſuas partes, tenetur ad eam partem, quam poteſt: & diſpenſatus ad unam, non cenſetur diſpenſatus quoad aliam. Ratio ſecundæ partis eſt, quia ſi id a jejunante præſtari poſſit, præſtare tenetur, ut cibi, qui valde nutriunt, a collatiuncula excludantur. Ratio tertiæ partis eſt, quia non eſt major ratio utentis carnibus, quam utentis lacticiniis quoad collatiunculam, ut ſi ab hujuſmodi abſtinere poſſit, abſtineat; ex regula generali, quod privilegia contra jus commune, quale eſt privilegium indulti, & diſpenſationis in jejunio, ſunt ſtricte interpretanda.

Quæſita Archiepiſcopi Compoſtellani, & reſponſa Benedicti XIV. Quæſitum Primum.

II. Ad complementum hujus paragraphi addenda cenſemus quæſita Archiepiſcopi Compoſtellani ad Benedictum XIV. hujuſque ad illum reſponſa.

Primum quæſitum erat: *Utrum quæ in antedictis noſtris literis in forma Brevis* (nempe ſub die 30. Maii, & 22. Auguſti 1741., in quibus interdicitur altera refectio diſpenſatis circa eſum carnium, & ne permiſcerentur aliæ epulæ) *de unica comeſtione, & de epulis non permiſcendis præſcribuntur, ſub gravi etiam præcepto prohibeantur? Reſpondemus, concedentes facultatem veſcendi carnibus tempore vetito, ſub gravi teneri eas facultates non aliter dare, quam geminis hiſce adjectis conditionibus, videlicet unicæ in diem comeſtionis, & non permiſcendarum epularum: Eos vero, qui hujuſmodi facultatibus utuntur, ſub gravi ad binas iſtas conditiones implendas obligari.*

Quæſitum ſecundum.

An illi, quibus conceſſum eſt veſci carnibus, poſſint in veſpertina refectiuncula ea quantitate carnis veſci, quæ jejunantibus permittitur? Reſpondemus, non licere; ſed opus habere eo cibo, eaque uti portione, quibus utuntur homines jejunantes rectæ meticuloſæ conſcientiæ.

Quæſitum tertium.

An illi, qui jejunii tempore veſci carnibus permittuntur, & unica comeſtione uti debent, horam jejunantibus præſcriptam ſervare opus habeant? Edicimus obſervandam iis eſſe.

Quæſitum quartum.

Quænam ſint epulæ licitæ, quæ vetantur interdictis conjungi? Reſpondemus epulas licitas pro iis, quibus permiſſum eſt carnes comedere, eſſe carnes ipſas: epulas interdictas eſſe piſces; ideoque utrumque ſimul adhiberi non poſſe; piſcibus tamen edendis non interdicuntur ii, quibus datur tantum facultas adhibendi ova, & lacticinia.

Quæſitum quintum.

An præceptum de utroque epularum genere non miſcendo dies quoque dominicos quadrageſimales complectatur? Affirmatur complecti.

Quæſitum ſextum.

Utrum lex hæc ad eos quoque pertineat, qui ex Bulla Cruciatæ edere poſſunt ova, & lacticinia? Reſcribimus nihil in prænunciatis noſtris Apoſtolicis literis ſtatutum eſſe, quod reſpiciat gratioſum Cruciatæ diploma. Quare qui eo gaudent, illius tenorem ſtricte, & conſiderate perpendant; ex ejuſque ſententia ſe gerant. Caveant autem ne inani quapiam excuſatione ſe ſolutos eſſe arbitrentur præſcriptis ibi legibus.

Quæſitum ſeptimum.

Utrum memorata duo præcepta urgeant extra Quadrageſimam? Reſpondetur, urgere extra quadrageſimam utrumque præceptum, illud ſcilicet unicæ comeſtionis cum reliquis legibus, in ſecundo & tertio ad hæc poſtulata reſponſo expreſſis: & alterum non permiſcendi epulas licitas cum interdictis, ut in quarto poſtulato definitum eſt. Poſt hæc oracula conticeſcat omnis quæſtio circa hæc definita.

* D. Alphonſus de Ligorio *in ſua Theologia Morali lib. 3. tract. 6. c. 3. de Præceptis Eccleſiæ dub. 1. ſub num.* 1027. refert, quod per quemdam confeſſarium ſupplicatus fuit SS. Pontifex Benedictus XIV. ut explicaret, an revera liceret in ſerotina collatiuncula parum caſei ſumere iis, qui in Quadrageſima, & vigiliis ſunt diſpenſati ad lacticinia? Pontifex ſupplicationem tranſmiſit ad S. Pœnitentiariam, quæ ſic reſcripſit: *Sacra Pœnitentiaria optime conſcia*

Digitized by Google

ſcia mentis Sanctitatis ſuæ ex ſpeciali auctoritate ejuſdem reſpondet non licere. Rationem afferens quod illud *jejunantes*, expreſſum in Bulla, *Libentiſſime*, præfati Pontificis Benedicti XIV. (ubi dictum fuit diſpenſatos ad carnes, vel ad lacticinia, *opus habere eo cibo, eaque uti portione, quibus utuntur homines jejunantes rectæ meticuloſæ conſcientiæ*) intelligitur de rigoroſe jejunantibus Quadrageſimali jejunio, in quo tam carnes, quam ova & lacticinia vetantur.

Deinde dubium ſubortum fuit, *pergit laudatus Theologus*, an ſacra Pœnitentiaria illud, *Optime conſcia mentis &c.* dixerit ex ſua interpretatione, vel ex proprio Oraculo Pontificis? Idcirco idem Confeſſarius item Papam ſupplicavit, ut ipſemet mentem ſuam explicaret. Venit reſponſum (quod ego ipſe, *ait*, authenticum obſervavi, & nunc apud me eſt) in quo ſic dicitur: *Sacra Pœnitentiaria de mandato SS. Domini, qui ſuis ipſe oculis retroſcriptam Epiſtolam dignatus eſt legere, reſpondet vera eſſe, & pro veris habenda, quæ conſtat ab eadem Pœnitentiaria fuiſſe reſcripta. Datum Romæ in Pœn. die 23. Julii 1756.*

Subdit autem quod cum hujuſmodi declaratio ſit *pure talis*, ſeu clare a principio in ipſa lege imbibita, non indiget promulgatione ut fideles obliget, ſed omnes adſtringit qui illam jam noſcunt. Lege præcitatum Theol. gum fuſe *ibidem* hac de re differentem.

Exemptio propter ætatem.

III. Secunda cauſa eximens a jejunio eſt ætas, nempe ante vigeſimum primum annum completum. Congruentiam affert D. Thomas art. 4. ad 2. *Quia* (pueri) *indigent multo nutrimento propter neceſſitatem augmenti, quod fit reſiduo alimenti: & ideo quamdiu ſunt in ſtatu augmenti, ... non tenentur ad jejunia Eccleſiæ obſervanda.* Religioſi tamen profeſſi Religiones, in quibus obſervantur jejunia quædam ſub præcepto, etiam ante prædictam ætatem tenentur ſub præcepto ad eadem; quia profitendo religionem illam, voluntarie dictum onus ſuſceperunt. Pueri, qui ingreſſi ſunt rationis uſum, unde ſubduntur legibus Eccleſiæ, tenentur a cibis vetitis abſtinere; quia niſi aliud obſtet, ut ſubditi præfatis legibus tenentur. Circa ſenes nil eſt definitum a S. Thoma; ſed docet S. Antoninus 2. p. tit. 6. c. 2. §. 5. *Senes ſi ſint multum debiles eo modo poſſunt excuſari, ſicut dictum eſt de infirmis: ratione autem ſenectutis tantum, non excuſantur, ſi ſint fortes ad ferendum jejunium: nec eſt determinata ætas ab aliquo, uſque ad quos annos quis teneatur ad jejunium.* Idcirco recentiores illi, qui contendunt epocham exemptionis ob ſenectutem poſt ſexageſimum, aut ſeptuageſimum annum ſtabilire, decipiuntur; quia inveniuntur non raro ſexagenarii, & ſeptuagenarii robuſtiores viris quadragenariis. Attendatur igitur corporis conſtitutio, & damnum a jejunio illatum conſtitutioni ſenis, & prudens ac pius confeſſarius judicet.

Exemptio propter infirmitatem.

IV. Tertia cauſa eximens eſt Infirmitas, ita ut nedum infirmi lecto decumbentes, verum etiam valetudinarii recentes a morbo, quique remanent valde debiles, eximuntur a jejunio, & ut prudenter ſe gerant, conſulant medicum peritum, & intaminatæ conſcientiæ. *De conſilio rationabilis medici ſolvens jejunium, vel comedens carnes diebus prohibitis, non peccat: ſed peccaret medicus, ſi ſine cauſa rationabili, vel ſaltem dubia, talia mandet, vel ordinet infirmis:* ait S. Antoninus loc. cit. Debilis, qui nequit ſingulis diebus jejunare, poteſt autem aliquibus, in illis jejunare tenetur; cum enim obligatio afficiat ſingulos dies, ſi aliquot diebus impleri poſſit, tunc ea urget. Qui dormire non poteſt, niſi cœnatus, ita ut graviter debilitetur propter frequentem, & quaſi continuam vigiliam, non ideo ab una dumtaxat refectione abſolvitur, ſed tenetur collatiunculam facere mane, & veſpere prandere; quia præceptum obligat eo modo, quo obſervari queat. Si igitur nequit obſervari quoad modum, obſervetur quoad ſubſtantiam.

Exemptio propter labores

V. Quarta cauſa eximens eſt labor, ſeu ſtatus perſonæ: propterea Mulieres prægnantes, & lactantes eximuntur, ob majus nutrimentum requiſitum ad ſui, & fœtus, aut lactentis alimentum. Soli illi operarii eximuntur, quorum labor experientia, & prudentum judicio, cum jejunio conciliari non poteſt: proinde ſi extaret operarius laborioſus, qui utrumque conciliare poſſet, teneretur. Si autem dubitaret, teneretur experiri an poſſit, ob auctoritatem Alex. VII. reprobantis oppoſitum in theſi 30. *Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum jejunio.* Circa hujuſmodi operarios audi S. Thomam in art. 4. ad 3. *Circa .... operarios diſtinguendum videtur; quia .... ſi operis labor commode differri poſſit, aut diminui, abſque detrimento corporalis ſalutis .... non ſunt propter hoc*

Digitized by Google

Eccleſiæ jejunia prætermittenda. Si autem imminet neceſſitas .... multum laborandi, vel propter conſervationem vitæ corporalis, vel propter aliquid neceſſarium ad vitam ſpiritualem, ut ſimul cum hoc non poſſint jejunia Eccleſiæ obſervari, non obligatur homo ad jejunandum, quia non videtur fuiſſe intentio Eccleſiæ ſtatuentis jejunia. Igitur ex S. Thoma illicite violant jejunium, qui ſolius voluptatis cauſa, aut etiam lucri non neceſſarii ad ſuam, & ſuorum, ſuique ſtatus conſervationem labores ſuſcipiunt, quos cum jejunio componere nequeunt: qui in jejunii diebus longa itinera pedibus conficienda abſque neceſſitate ſuſcipiunt; qui laborioſis venationibus ſine neceſſitate, immo voluptatis ergo operam dant; ita ut jejunia obſervare non poſſint: illi, inquam, violant profecto legem jejunii: neque utuntur jure ſuo, ſed abutuntur eodem, ut oſtendimus late in tract. 1., c. 2., §. 7. n. 13., & ſequentibus: & interea nota theſim 31. ab Alex. VII. confixam: *Excuſantur abſolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt, equitando, utcunque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant.*

Exemptio propter pietatem.

VI. Quinta cauſa excuſans eſt Pietas. Quando igitur aliquod opus jejunio ſanctius eſt faciendum vel ex officio, vel poſtulante proximi neceſſitate, vel quod, conſideratis circumſtantiis, utilius eſt animabus proximi facere, quam ab illo abſtinere, ut jejunium ſervetur; operarius hujuſmodi eximitur a jejunio, ſi tale opus ſociari nequeat cum jejunio; neque poſſit in aliud tempus transferri. Rationem dat S. Doctor loc. cit. *Quia non videtur fuiſſe intentio Eccleſiæ ſtatuentis jejunia, ut per hoc impediret alias pias, & magis neceſſarias cauſas.* Conferenda eſt igitur præſtantior dignitas operis, utilitas proximi, & deinde coram Deo reſolvendum quid agere oporteat. Ne autem ſubrepat deceptio, monet S. Doctor: *videtur tamen in talibus recurrendum eſſe ad Superioris diſpenſationem, niſi forte ubi eſt ita conſuetum; quia ex hoc, quod Prælati diſſimulant, videntur annuere.* Non igitur quævis actio melior laborioſa, quæ componi non poteſt cum jejunio, ab eodem excuſat, ſi ſuſcipiatur: puta ſi quis in quadrageſima longam peregrinationem ex mera devotione ſuſceperit; quia alio tempore poteſt illa perfici: *Quia ſi peregrinatio*, ait S. Doctor loc. cit. *commode differri poſſit .... non ſunt propter hoc jejunia Eccleſiæ prætermittenda.* Hujuſmodi autem pia opera jejuniis anteferenda ab auctoribus recenſentur; & ſunt opera miſericordiæ, utriuſque ordinis tunc requiſita. Addunt aliqui cum Cajetano ſuper articulum 3.: *Quod uxor, quæ jejunio macilenta, minuſque grata viri ſui oculis apparet, & hinc deſpici, aut minus amari conſpicit ab eo, excuſatur a jejunio, quoniam ipſa tenetur ſe conſervare gratam viro ſuo.* Verum, ſervata reverentia Eminentiſſimo Doctori, nimis indulgens videtur hæc aſſertio ita nude expoſita. Quid enim facilius uxori delicatæ & ſuſpicioſæ, quam id de marito ſibi ſuadere, ut inde ſe eximat a jejunio? Putarem eſſe addendum, quod ſi deſpectus uxoris, & imminutio affectus conjugalis eo uſque perveniat, ut ex ſignis conjugalibus prudenter timeat, ne maritus thorum adulterinis amoribus maculet; tunc quidem ex pietate, charitate, & juſtitia, rationabiliter a jejunio ſe eximere poſſet, petita a Parocho diſpenſatione; tunc enim teneretur ſe gratam exibere, ad impediendam graviſſimam Dei offenſam. Addo, quod ſi vir ſit conſcientiæ relaxatæ, qui neque velit ſervare jejunium, neque quod ab uxore obſervetur, & propterea cum eadem quotidie rixatur, atque in blaſphemias erumpit, in perjuria, in minas, quia ſecum cœnare recuſat, comminando etiam eidem conjugalem injuriam irrogare, unde tumultibus, & ſcandalis quotidie familia repleatur; in hoc etiam caſu, ut notant *Sylveſter*, verbo jejunium; Navarrus c. 21. n. 19., & alii, poterit pia uxor de Parochi licentia, ad tot peccata viri impedienda, ſecum cœnare majori ſobrietate, qua poterit. Excipe tamen caſum, in quo vir id faceret in contemptum legis: quia tunc ex præcepto naturali non cooperandi contemptui legis, & Religionis, etiam cum vitæ diſpendio recuſare obſtringeretur.

Caſus peculiaris de uxore.

* Quæres, num qui votum edidit jejunandi qualibet ſexta feria, aut omnibus ſabbatis per annum, poſſit carnibus veſci, quando his diebus Feſtum recurrit Nativitatis Domini?

Reſp. Affirmant nonnulli; ſed communior, nobiſque vera ſententia oppoſitum propugnat, niſi vovens præfatum diem exceperit. Hoc clare eruitur ex conceſſione ſeu ex privilegio Honorii III. quod habetur *in cap.* Explicari *de obſervatione jejuniorum n. 3. Qui nec voto*, ait Pontifex, *nec regulari obſervantia ſunt adſtricti, in ſexta feria, ſi feſtum Nativitatis Dominicæ die ipſo venire contigerit, carnibus propter feſti excellentiam veſci poſſunt ſecundum conſue-*

Digitized by Google

ſuetudinem Eccleſiæ generalis. Igitur Eccleſia eos ſolos Chriſtianos a carnium abſtinentia, & a jejunii obſervantia eximit, qui aut voto, aut regulari obſervantia ad jejunium non tenentur. Ergo qui aut vi voti, aut ex regulari obſervantia ad jejunium adſtringuntur, non remanent ab illo tali die exempti. Legatur P. Daniel Concina tum *tom. 3. lib. 4. diſſert. 2. c. 6. n. 17.* tum *tom. 5. lib. 2. diſſert. 2. c. 17. n. 3. 4. & 5.* ubi etiam poſt Bartholomæum Medina *in Inſtruct. Confeſſ. lib. 1. c. 14. §. 10.* fuſo calamo oſtendit, neque Regulares, qui ſolum ad jejunium & abſtinentiam tenentur vi Conſtitutionum, quæ ad culpam non obligant, uti ſunt Prædicatores, poſſe eodem die carnibus veſci.

Quamvis S. P. Benedictus XIV. in *Reſcripto* ad Archiepiſcopum Compoſtellæ dato ſub die 8. *Julii* 1744. luculenter declaraverit, ut conſtat ex verbis ipſius etiam ab Auctore ſupra relatis, & ex aliis *ibidem* adjectis, qualitatem, & quantitatem cibi in veſpertina collatiuncula capiendi ab iis, qui ex rationabili cauſa a præcepto de abſtinentia a carnibus eximuntur; nihiloſecius alii poſtmodum abuſus fuere introducti, præſertim circa qualitatem cibi ſumendi, quos tamen illico de medio ſuſtulit, omnibuſque controverſiis finem impoſuit SS. D. N. Clemens Pp. XIII. feliciter regnans Epiſtola Encyclica, quam dedit ad Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, & Epiſcopos univerſæ Eccleſiæ Catholicæ *die 20. Decembris an.* 1759. In ea ſiquidem imprimis paſtorali zelo enixe illos hortatur, ut quantum, juvante Domino, fieri poteſt, radicitus convellere nitantur, ſi quidpiam de veteri corruptela circa jejunium poſt Prædeceſſoris ſui Litteras fortaſſe reliquum fuerit; ſive nova infringendis jejunii legibus vel opinionum commenta, vel a vera jejunii vi & natura adhorrentes conſuetudines humani pravitate ingenii noviſſime invectas. Deinde abuſus, & conſuetudines inductas quæ ad aures ejus pervenere, patefacit, eaſque reprobat, ac prohibet his verbis: *in quibus profecto abuſum illum cenſemus omnino numerandum, quem rumor quidam ad nos pertulit; cum nonnulli, quibus, ob juſtas & legitimas cauſſas, ab abſtinentia carnium diſpenſatum fuerit, licere ſibi putant potiones lacte permixtas ſumere, contra quam prædicto Prædeceſſori noſtro viſum fuerit, qui cenſuit tam diſpenſatos a carnium abſtinentia, quam quovis modo jejunantes, unica excepta comeſtione, in omnibus æquiparandos iis eſſe, quibuſcum nulla eſſet diſpenſatio, ac propterea tantummodo ad unicam comeſtionem poſſe carnem, vel quæ ex carne trahunt originem, adhibere.* Hactenus Summus Pontifex. Quænam autem ſint ea, quæ a carne trahunt originem, clare habetur in cap. *Denique diſtinct.* 4. etiam ab Auctore *ſuperius §. 2. n. 1.* relato, ubi dicitur. *Par autem eſt ut quibus diebus a carne animalium abſtinemus, ab omnibus quoque, quæ ſementinam carnis trahunt originem jejunemus: a lacte videlicet, caſeo, & ovis.*

Liquet igitur 1. illum, qui ob juſtas & legitimas cauſas ab abſtinentia carnium diſpenſatus fuerit, non poſſe in ſerotino jentaculo ſumere lacticinia, puta lac, ovum, caſeum, aut potiones lacte commixtas; nam id etiam inter abuſus recenter invectos S. P. recenſet.

Liquet 2. non poſſe etiam ſumere, aut jus carnium, aut panem jure carnium madefactum, aut jus carnium vel pane contrito, vel ovo permixtum. Et ſane ſi lacticinia interdicuntur, multo magis jus carnium prohibetur.

In ſumma: Tam diſpenſati a carnium abſtinentia, quam quovis modo jejunantes, unica excepta comeſtione, in omnibus æquiparandi iis ſunt, quibus nulla eſt diſpenſatio; atque adeo in veſpertina collatione eo cibo, eaque uti debent portione, quibus utuntur homines jejunantes rectæ meticuloſæ conſcientiæ, ideſt homines bene morati, recti, prudentiſque conſilii, qui nec ſcrupulis anguntur, nec ad laxitatem declinant. Hæc eſt prudentiſſima regula, quam in ſuo reſponſo ad Archiepiſcopum Compoſtellanum præbuit Sapientiſſimus Pontifex Benedictus XIV., quamque exequendam inculcat SS. D. N. Clemens XIII. feliciter regnans in ſua Encyclica. Quinam igitur eſt cibus, quo in ſerotina collatiuncula veſcuntur Chriſtiani jejunantes rectæ meticuloſæ conſcientiæ? Panis, poma, pyra, ficus, uvæ ſive recentes, ſive ſiccæ, oleæ, nuces, herbæ crudæ, dulciaria ſeu bellaria, idque genus ſimilia, quæ rationem epulæ, ſeu ferculi, quod in prandio comedi ſolet, non habent; ſed poſt prandium ſumuntur. Quænam quantitas? Tres, aut ad ſummum quatuor unciæ. Hoc pro certo habent docentque vel ipſimet mollioris ethicæ Patroni. Jacobus Graffius *p. p. Deciſ. lib. 2. c. 36. n. 20.* „ Dicta collatio, *ait*, „ fieri poteſt ſumendo vel parum fructuum, „ vel ſicuum, vel panis ſolius v. g. duarum, aut trium unciarum. „ Et Johan-

Digitized by Google

hannes Azorius *lib. 7. cap. 8. q. 8.* quærit, „ an veſpertina refectiuncula certa, „ & definita cibi quantitate, & qualitate conſtare debeat? & reſpondet, debere; alioquin, *inquit*, in cœnam tranſiret. Quare, *ſubdit*, ſolum edi poſſunt, „ quæ ante, vel poſt prandium, aut cœnam alias ſumi ſolent, quales ſunt fructus arborum, herbæ, aut quidam fructus leviores ſumi ſoliti, ea tamen ratione, ne ſtomacho potus noceat, & in „ quantitate, quæ modica cenſeatur, qualis eſt panis quantitas, quæ trium unciarum, aut quatuor eſt ". In eamdem ſententiam concedunt & alii plures ejuſdem claſſis Theologi. Hanc itaque regulam exacte etiam ſervare debent, qui ob aliquam juſtam ac legitimam cauſſam a præcepto de abſtinentia a carnibus immunes redduntur. Et quidem quoad qualitatem cibi capiendi res eſt in comperto tam ex Reſponſione S. P. Benedicti XIV. multoties laudata, quam ex Encyclica SS. D. N. Clementis XIII. qui carnium eſum, aut quæ ex carnibus trahunt originem, ſeu lacticinia non licere in veſpertino jentaculo clare edicunt. Quoad quantitatem vero, etſi prudentiſſime nihil definierint, ac decreverint Pontifices ſummi, quia materies hæc individuos limites non excipit, ſicut & Auctor obſervat *præcedentis* §. n. VII.; attamen dubio procul videtur amplectenda opinio, quam paulo ante oculis ſubjecimus, nempe quod excedere non debeat tres, aut quatuor uncias; cum hæc tum a ſeveritate, tum a laxitate declinet; recedit enim tum ab extremo ſeveritatis unius aut alterius unciæ, tum ab oppoſito extremo laxitatis octo vel decem unciarum, mediumque præſtituit, ſeu metam, ad quam plus minuſve bene morati fideles ſuam conformare refectiunculam teneantur. Quare jure meritoque & Auctor *loco citato* rejicit regulam a pluribus traditam, quod liceat quantitatem octo unciarum ſumere. Lege eruditiſſimum Com. P. Danielis Concina in *Reſcriptum* Benedicti XIV. ad ſeptem poſtulata Archiepiſcopi Compoſtellæ *cap.* 4.

Quæ autem hucuſque aſſeruimus, intelligenda ſunt generatim loquendo, & præciſis peculiaribus circumſtantiis. Si namque peculiares circumſtantiæ occurrant, quæ aliud expoſtulent, puta ſi quis ob ſtomachi debilitatem omnia recenſita, quæ communi theologorum aſſenſione in veſpertina collatiuncula dumtaxat ſumi poſſunt, ſibi revera noxia experiatur, poterit aliqua alia re veſci, quæ ſibi nocumentum minime afferat, in præfinita tamen ſuperius quantitate; poſito pariter, quod ejus debilitas majorem non expoſcat; nam hac etiam in parte, ſi opus fuerit, juxta ipſius indigentiam ei indulgendum erit, ac quantitatis limites amplificandi.

Quæres 1. Num poſt Reſcriptum Benedicti XIV. ad Archiepiſcopum Compoſtellæ, & Litteram Encyclicam SS. D. N. Clementis Pp. XIII., poſſint ii, quibus juſta de cauſſa, quadrageſimali recurrente jejunio, carnium eſus permittitur, in ſecunda refectione carnibus veſci diebus Dominicis quadrageſimæ?

Reſp. poſſe. Id enim minime interdixerunt laudati Pontifices ſummi. Quippe Benedictus XIV. diſpenſatis ad eſum carnium ob juſtam cauſſam diebus Dominicis nihil aliud vetuit, quam permixtionem piſcium cum carnibus in eadem menſa, ut liquido conſtat ex *n.* 5. *Reſcripti*. Neque circa hoc dubium ullum propoſuit Compoſtellæ Archiepiſcopus. Clemens vero XIII. feliciter regnans nonniſi ſancita a Prædeceſſore ſuo, præſertim circa qualitatem cibi ſumendi in ſerotino jentaculo ab eis, cum quibus, ob juſtas & legitimas cauſas, ab abſtinentia carnium diſpenſatum fuerit, confirmavit, ac declaravit, nihilque amplius ad rem hanc indixit.

Nec obſtat illos, quibus conceditur facultas adhibendi carnes ad menſam tempore Quadrageſimæ, non poſſe in refectiuncula veſpertina ſumere carnes, vel quæ ex carnibus trahunt originem; nam hoc Benedictus XIV. *in ſuo Reſcripto*, & Clemens XIII. *in ſua Encyclica* expreſſe prohibuerunt, non vero prohibuerunt carnium comeſturam in ſecunda refectione diebus Dominicis. Præterea dies Dominicæ Quadrageſimæ non pertinent ad rigorem jejunii, ſicut reliquæ dies, atque adeo ex eo, quod Benedictus XIV. & SS. D. N. Clemens XIII. iis, qui diſpenſationem abſtinentiæ a carnibus obtinent, vetuerint in diebus jejunii carnes ſumere in ſerotina refectiuncula, non ſequitur quod illis etiam inhibuerint carnes comedere in ſecunda refectione diebus Dominicis. Quod licitum aſſerimus diebus Dominicis, licitum quoque aſſerendum eſt aliis diebus ſolius abſtinentiæ, uti ſunt feriæ ſextæ, & dies ſabbati ordinariæ per annum.

Quæres 2. An diſpenſati ad eſum carnium ob juſtam cauſam, ſi ad jejunium non teneantur, uti ſunt qui ætatis ſuæ an-

num

num 21. nondum complevere; vel ob motivum rationabile a jejunio excuſantur, valeant diebus reliquis quadrageſimæ in ſero carnes comedere abſque peculiari diſpenſatione?

Reſp. Affirmative, ſicque cenſet P. Marcus M. Struggl *Theol. Moral. tract.* 8. *qu.* 2. *art.* 1. *in reſp. ad quær.* 9. qui id colligit ex Reſcripto Benedicti XIV. ad Archiepiſcopum Valentiæ in Hiſpania edito an. 1742. in quo declarat laudatus Pontifex ſe in ſuperiori Conſtitutione data anno præcedenti nimirum 1741. non ſuſcepiſſe definiendum „ *an qui Eccleſiaſtica auctoritate a jejunio excuſantur, non ſolum cibis vetitis uti, ſed juſtæ pariter veſpertinæ abſtinentiæ fines egredi queant.* „ Itaque circa veſpertinam abſtinentiam illorum, qui vel ad jejunium non tenentur, vel a jejunio excuſantur, nihil de novo ſtatuere voluit Pontifex, atque proinde ex vi Conſtitutionum ejuſdem non requiritur peculiaris diſpenſatio, ut queant illi diebus reliquis Quadrageſimæ in ſero carnes comedere. Idem aſſerendum & de aliis diebus jejunii per annum recurrentibus.

Quæres 3. Utrum diſpenſatus ad eſum carnium etiam ovis & lacticinis veſci queat?

Reſp. Certa imprimis ab eo, quod in controverſiam adducitur, ſecernamus. In comperto eſt apud omnes eum, qui eſuriali pulmento, vulgo *mineſtra* veſci nequit, indigetque pulmento jure carnium cocto, & hoc illi ſatis eſt pro ſua neceſſitate, nec opus habet carnem comedere, poſſe reliquum prandii lacticiniis; & piſcibus perficere: imo ad id etiam teneri, nec poſſe carnibus, quarum non eget, uti, nullus ibit inficias; quippe non plus extendenda eſt diſpenſatio, quam neceſſitatis gradus poſtulet; & qui nequit integrum reddere debitum, partem, quam poteſt, ſolvere tenetur. *Non probamus*, (inquit Sapientiſſimus Cardinalis Quirinus Epiſcopus Brixienſis ad Vicarios Foraneos, Parochos, & Confeſſarios ſuæ Diœceſis data Romæ *die* 15. *Februarii* 1742.) *eorum ſententiam, qui putant diſpenſatis, quorum ſtomacho ſatis foret de utriuſque medici conſilio pulmentum in jure coctum, aut quid ſimile deguſtare, non amplius licere poſt illam deguſtationem in reliquo prandio, ſeu ovis & lacticiniis, ſeu piſcibus uti, eaque ratione prohiberi, quin communem illam abſtinentiam amplectantur, quam valetudinis ſuæ ſtatum minime refugiat. Contra cenſendum eſt dimidiatam illam pro cujuſque viribus temperantiam, dum a chriſtiana pietate, & abſtinentiæ ipſius amore ortum trahat, potius eſſe laudandam.* Subdit tamen præſtantiſſimus Purpuratus cavendum eſſe, ne ſub hoc dimidiatæ temperantiæ velamine vitium gulæ. ſeu lautioris victus tegatur.

Idem dicendum de diſpenſato, qui non habet carnem, quantum ſibi ſufficere poſſit. Et hic complere poteſt unam refectionem per eſum ovorum, & lacticiniorum.

Tota igitur lis, atque concertatio in eo eſt repoſita, num ſcilicet qui eſt ad eſum carnium diſpenſatus, ac non ſolum pulmento jure cocto, ſed & carnibus veſcitur, & ex carnibus ſufficientem alimoniam ſumere poteſt, valeat ſimul cum carnibus ova, & lacticinia comedere? Negat recens Theologus, atque hiſce argumentis ſuam adſtruit opinionem. „ Si diſpenſatus, „ *inquit*, quoad carnes, ſimul cum iis „ ova, & lacticinia comedere poſſet, mul„ to magis piſces: at piſces ſimul cum „ carnibus comedere non poteſt, ut decla„ rat, & edicit Benedictus XIV. Conſtit. „ *Non ambigimus* an. 1741. & in Con„ ſtitutione *Suprema* ejuſdem anni. " Utriuſque Conſtitutionis verba ad id evincendum exſcribit ipſe, quæ tamen nos, ut nimiam prolixitatem vitemus, prætermittimus.

Porro, *ſubjungit idem*, quum Archiepiſcopus Compoſtellanus tum alias, cum quarto loco quæreret, „ *quænam ſint epu„ læ licitæ; quæ vetantur cum interdi„ ctis conjungi: Reſpondemus*, inquit i„ dem Summus Pontifex, *epulas licitas „ pro iis, quibus permiſſum eſt carnes „ comedere, eſſe carnes ipſas, epulas in„ terdictas eſſe piſces, adeoque utrumque „ ſimul adhiberi non poſſe. Piſcibus ta„ men edendis non interdicuntur ii, qui„ bus datur tantum facultas adhibendi „ ova, & lacticinia:* " Ergo diſpenſati jejunii diebus quoad carnes, non in elliguntur diſpenſati quoad ova, & lacticinia ſimul cum carnibus comedenda.

„ Præterea diſpenſatus quoad carnes, „ (*pergit ipſe*) ſalubres tantum, ut ver„ vecinas, vitulinas &c. comedere poteſt, „ ſicuti declarat Clemens XI. in edicto an. „ 1702., & repetit Benedictus XIV. in „ Conſtit. an. 1741. quod ſi diſpenſatio „ quoad carnes, ex ipſius diſpenſationis vi, „ ſalubres tantum carnes permittit, cur „ ova & lacticinia permittet? Diſpenſa„ tio natura ſua eo ſpectat, ut neceſſitati

„ ſa-

Digitized by Google

„ ſatisfaciat, non ut genio, & gulæ inſerviat: at uſus carnium ſine ovis, & lacticiniis quoad neceſſitatem ſatis eſt; ergo diſpenſatio ova & lacticinia ſimul cum carnibus non permittit. “ Sic quidem ille.

Verum, ſi quod ſentimus ingenue promere liceat, hæc argumenta, quæ ad ſuam evincendam opinionem in medium adducit, non videntur ea vi pollere, ut ad aſſenſum eidem præſtandum nos valeant impellere. Et ad primum quod attinet, minus recte arguit, ut noſtræ imbecillitati apparet, dum aſſerit, quod ſi diſpenſatus quoad carnes poſſet ſimul cum iis ova & lacticinia comedere, poſſet multo magis comedere piſces. Non, inquam, noſtro quidem judicio recte arguit. Quare? Quia hoc, non illud, expreſſe vetat S. P. Benedictus XIV. ſeu inhibet quidem permixtionem piſcium cum carnibus, neutiquam vero cum iis interdicit permixtionem ovorum, & lacticiniorum. Expendamus, quæſo, ſerio S. Pontificis reſponſionem ad Archiepiſcopum Compoſtellæ. Utique huic Archiepiſcopo occaſione Conſtitutionum, quas vulgaverat, ſciſcitanti, *quænam ſint epulæ licitæ, quæ vetantur cum interdictis conjungi*, reſpondit an. 1744. 8. *Julii: Epulas licitas pro iis quibus permiſſum eſt carnes comedere, eſſe carnes ipſas*. At quid inde? Statuendum ne propterea ſolis carnibus veſci poſſe, qui ad carnes edendas ſunt diſpenſati, vetitamque ipſis permixtionem lacticiniorum cum carnibus? Minime profecto. Sic namque ſapientiſſimus Pontifex reſpondit non ad excludenda ova, & lacticinia, ſed ad excludendos ſolummodo piſces, ſeu reſpondit epulas licitas eſſe carnes ipſas, non ad interdicendam permixtionem ovorum, & lacticiniorum, ſed dumtaxat ad vetandam permixtionem piſcium cum carnibus, ut clare liquet; quippe ſtatim ſubdit: *epulas interdictas eſſe piſces, adeoque utrumque ſimul adhiberi non poſſe*: En utrumque ſimul, nimirum carnes & piſces ſimul adhiberi non poſſe ſolummodo edicit, & de ovis, ac lacticiniis nec verbum habet. Duo itaque in ſua reſponſione ſancit Pontifex ſummus, nimirum epulas licitas eſſe carnes, & epulas interdictas eſſe piſces. Quare recens Theologus potius eruit vetitam eſſe permixtionem ovorum, & lacticiniorum cum carnibus ex eo, quod Pontifex inter epulas licitas ſolum carnes percenſet, & non potius infert haud inhibitam eſſe hujuſmodi permixtionem ex eo, quod inter epulas interdictas piſces dumtaxat memorat? Videtur potiori jure ex hoc colligi poſſe talem permixtionem prohibitam non eſſe, ſed intra debitos frugalitatis limites permiſſam. Etenim ſi voluiſſet ipſe vetare etiam ovorum, & lacticiniorum cum carnibus permixtionem, id aperte declaraſſet, ac ſtatuiſſet, atque ova, & lacticinia inter epulas interdictas enumeraſſet. Addimus hoc idem ſentiendum, ſi non verba legis tantum, ſed & finis legis ſpectetur. Quiſnam, amabo, finis legis de non permiſcendis epulis? Non alius ſane quam inhibere luxum epularum, & gulam cohibere. Porro permixtio carnium & lacticiniorum, ſi intra debitos frugalitatis limites ſiſtat, neque affert luxum epularum, neque gulæ deſervit, ſicut permixtio carnium, & piſcium, ut evidens eſt. Quis enim dixerit unquam eum ſplendide menſam inſtruere, aut menſæ delicias procurare, qui præter carnes, unum vel duo ova ſorbilia ſumit, vel aliquid ex lacte confectum deguſtat, vel parum caſei comedit? Nullus revera ita ſentiet. Demum non adeo ab invicem diſtant hæc duo genera ciborum, videlicet carnes, & lacticinia, ſicut diſtant carnes & piſces; adeoque abſonum quidem valde eſt, ut qui ad carnes edendas ſunt diſpenſati, piſcibus ſimul cum carnibus utantur: eo vel magis, quia qui diſpenſationem petunt, eam petunt, quia piſces aut ſecundum ſe, aut ratione condimenti noxios experiuntur. Non item ſic abſonum eſt, ſi una cum carnibus ova, & lacticinia intra frugalitatis limites ſumant. Hinc quemadmodum S. Pontifex iis, quibus datur tantum facultas adhibendi ova & lacticinia, eſum piſcium non interdicit: quia horum conjunctio nullam redolet indecentiam; ita eadem de cauſſa dicendum videtur iis, qui quoad carnes ſunt diſpenſati, ova & lacticinia non prohibere.

Magis infirmum adhuc nobis videtur alterum, quod idem Theologus ad ſuam corroborandam ſententiam affert argumentum ex eo depromptum, quod diſpenſatus quoad carnes, ſalubres tantum comedere poteſt, excluſis noxiis. Hoc quidem veritati conſonum eſt, idque non ſolum ex edicto Clementis XI. jam relato; ſed & pluribus aliis momentis tum ab auctoritate, cum a ratione deſumtis fuſe oſtendit P. Daniel Concina *in Reſcriptum* Benedicti XIV. ad poſtulata Archiepiſcopi Compoſtellæ *cap.* 6. §. 3. At & hinc, niſi noſtra nos fallat opi-

nio,

Digitized by Google

nio, non bene infert quamcumque ovorum, & lacticiniorum cum carnibus permixtionem vetitam eſſe ei, qui juſta de cauſſa ad carnes edendas eſt diſpenſatus. Neque enim ova, & lacticinia inſalubria ſunt, ut innuere, & ſentire ipſe videtur; cum diverſorum Ordinum Religioſi iiſdem, ut communi, & conſueto cibo utantur per totam vitam, quin aliquod detrimentum ſubeant, & ova recentia ſorbilia vel ipſiſmet graviter, periculoſeque ægrotantibus præbeantur, ut ad digeſtionem faciliora, & ita ad eorum nutrimentum aptiora. Argumenta igitur, queis recens Theologus innititur adeo imbecilla nobis videntur, ut aſſenſum noſtrum in re, qua de agimus, extorquere minime queant.

CAPUT II.

DE TERTIO

ECCLESIÆ PRÆCEPTO

CONFESSIONIS ANNUÆ FACIENDÆ.

§.I. *De neceſſitate Confeſſionis ex vi juris divini.*

Neceſſitas juris Divini.

I. Confeſſionem Sacramentalem lapſis poſt Baptiſmum eſſe neceſſariam, fatentur catholici omnes ex verbis Chriſti Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta ſunt*. Si igitur alia ſunt remittenda, & alia retinenda, quomodo id ſacro Miniſtro innoteſcere poterit, niſi a pœnitente explicentur? Idcirco Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 5. *Ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ jam explicata univerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam etiam eſſe a Domino integram peccatorum Confeſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis jure divino neceſſariam exiſtere: quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus, e terris aſcenſurus ad cælos, Sacerdotes ſuiipſius Vicarios reliquit, tanquam præſides, & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſtifideles ceciderunt: qui pro poteſtate clavium remiſſionis, aut retentionis peccatorum, ſententiam pronuncient. Conſtat enim, Sacerdotes judicium hoc, incognita cauſa, exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potius in ſpecie, ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent. Ex his colligitur, oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in confeſſione recenſeri, etiam ſi occultiſſima illa ſint &c.* Et S. Thomas longe ante Concilium in 4. d. 17. q. 3. a. 1. q. 3. *Ad confeſſionem obligamur uno modo ex jure divino, ex hoc ipſo, quod eſt medicina: & ſecundum hoc non omnes tenentur ad confeſſionem, ſed illi tantum, qui peccatum mortale incurrunt poſt baptiſmum.* Eſt autem neceſſitas illa medii ad ſalutem, ut confeſſio fiat in re, ſi fieri poſſit; ſin autem, in voto: ita omnes cum S. Doctore loc. cit. q. 3. a. 1. q. 1.: *Illa Sacramenta, quæ ordinantur contra culpam, cum qua ſalus eſſe non poteſt, ſunt de neceſſitate ſalutis, ... ita & Pœnitentiæ Sacramentum; .... & ideo confeſſio eſt de neceſſitate ſalutis.*

Quando obliget hoc præceptum divinum?

II. Hoc divinum præceptum obligat per ſe in morali periculo mortis: ita S. Doctor Quodlibet. 1. p. 6. art. 11. *Quidam dicunt, quod* (peccator) *teneatur confiteri, quam cito opportunitas confitendi ſe obtulerit, ita quod ſi differat, peccat. Sed hoc eſt contra rationem præcepti affirmativi, quod licet obliget ſemper, non tamen ad ſemper, ſed loco & tempore. Tempus autem implendi præceptum de confeſſione videtur, quando imminet aliquis caſus, in quo neceſſe eſt homini, quod ſit confeſſus, puta ſi immineat ei mortis articulus.* Nomine autem articuli mortis, ut notat Sylvius in 3. partem quæſt. 1. ſupplementi art. 1. quæſito 1., intelligitur morale & prudens periculum, ex. gr. partus difficilis; imminens conflictus militaris; morbus gravis, & periculoſus; navigatio periculoſa, &c. Monet tamen S. Doctor ante verba relata: *quod peccator quam citius commode poteſt, peccatum ſuum confiteatur; quia per Sacramentum Pœnitentiæ confertur gratia, quæ hominem reddit magis firmum ad reſiſtendum peccato.* Quibus verbis oſtendit Angelicus ſibi arridere opinionem illam, quæ obligat peccatorem ad non differendam diu confeſſionem: de quo diſſeretur ſuo tempore dum de Sacramento Pœnitentiæ, in tr. 14. c. 4. §. 3. num. 14.

Quamvis negari non poſſit, quin ſæpius mortis periculum pro articulo mortis promiſcue accipiatur; attamen, ſi exacte loqui

qui velimus, diſtinguendus eſt articulus mortis a periculo mortis, & Auctor etiam unum ab alio accurate diſtinguit *Tom.* 2. *Tract.* 14. *cap.* 4. §. 6. *n.* 9. Itaque articulus mortis eſt tempus illud, quo mors proxime inſtat, eſtque moraliter certa, & fere inevitabilis. Periculum autem mortis eſt tempus illud, quo mors non certo inſtat, ſed ex ſæpe contingentibus probabiliter timetur. Sic cenſentur in periculo mortis qui proxime prælium aggreſſuri ſunt, aut periculoſam vel longam navigationem ſuſcepturi: item Fœminæ quæ partui proximæ ſunt, & nondum pepererunt, vel, ſi pepererunt, expertæ fuere ſe parere difficulter. Banniti etiam, qui impune poſſunt occidi; & qui proxime rationis, aut loquelæ uſum amiſſuri ſunt; necnon inſervientes peſte infectis, vel laborantes morbo, qui ut plurimum ſolet mortem afferre. Porro divinum confeſſionis ſacramentalis præceptum non ſolum per ſe obligat in mortis articulo, verum etiam in mortis periculo; tum quia alioquin homo ſeſe committeret periculo nunquam adimplendi tale præceptum; tum etiam quia in mortis periculo adhibenda ſunt omnia media ad æternam ſalutem conſequendam neceſſaria, cujuſmodi eſt ſacramentalis confeſſio poſt lapſum in lethale peccatum.

An etiam extra periculum mortis? III. Probabilius eſt cum Victoria, Dominico Soto, Cano, Covaruvias, & Sylvio, quod præceptum divinum de Confeſſione per ſe obliget etiam extra articulum, & periculum mortis; tum quia videtur inconveniens, quod Chriſtus intenderit præceptum de re adeo fidelibus neceſſaria non obligare, niſi in periculo mortis, quod eſſet idem regulariter, ac ſemel in vita; tum etiam quia cum confeſſionem inſtituerit ut homo reconcilietur Deo; incredibile eſt, noluiſſe obligare, ut homo Deo non reconcilietur niſi in mortis periculo, cum alioquin teneamur reconciliari homini, quoties illum offendimus, & extra mortis periculum. Demum quia præcepta affirmativa Fidei, Spei, Charitatis per ſe obligant etiam extra mortis periculum; cur non etiam iſtud æque lapſis neceſſarium?

Quando obliget per accidens? IV. Præceptum divinum Confeſſionis per accidens obligat, quoties Euchariſtia eſt ſumenda, & ſumpturus invenitur in ſtatu culpæ lethalis: item quando quis non poteſt gravi tentationi reſiſtere, aut nova mortalia vitare, niſi confeſſionem faciendo; quia in primo caſu a D. Paulo jubetur homo ſe probare. (Sed de hoc iterum dum de Euchariſtia) In ſecundo autem caſu, cum ex negativo præcepto teneatur homo nunquam peccare lethaliter; inde & adhibere remedia ad hoc neceſſaria: ſi igitur expertus ſit, nullum aliud remedium ſibi ſupereſſe niſi confeſſionem, ad hanc faciendam tenebitur.

§. II. *De obligatione Confeſſionis ex vi Juris Eccleſiaſtici.*

Præceptum Eccleſiaſticum explicatur. I. JUſſu Concilii Generalis Lateranenſis quarti cap. 21. renovato a Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 5. mandatur, quod *omnis utriuſque ſexus fidelis poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur Sacerdoti proprio, & injunctam ſibi pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere*. Nomine *fidelis* ſignificatur baptizatus; unde intelliguntur etiam hæretici, qui tenentur legibus Eccleſiæ, & ſunt in ſtatu inobedientiæ culpabilis; proinde ſicut tenentur reconciliari Eccleſiæ, ita mediate tenentur obedire præceptis ejuſdem. Annus autem diſcretionis ille ſignificatur, in quo acquiritur uſus rationis, qui plerumque eſt ſeptennarius, ut præſumitur a jure in capite *litera* de deſponſat. impuber. Quibuſdam vero illucet uſus rationis ante, quibuſdam poſt: & propterea vigilare tenentur genitores, ut filios opportune in ordine ad confeſſionem inſtruant, & ducant; nec deeſſe debet confeſſarii ſolertia, ut exploret an adſit uſus rationis, an peccatum de ſe grave invenerit, & an abſolvere debeat. Præcipit autem Concilium confeſſionem omnium mortalium, (quæ ſola ſunt confeſſionis materia neceſſaria) quæ memoriæ occurrunt poſt diligens examen: & præcipit confeſſionem validam; ita ut per confeſſionem voluntarie nullam non ſatisfiat præcepto; ita declarante Alexandro VII. ſequentem theſim num. 14. reprobante: *Qui facit confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ*. Nomine proprii Sacerdotis directe intelligitur Parochus; ſed profecto non eſt excludendus Epiſcopus, qui Parochus Parochorum cenſetur, nec multo magis Summus Pontifex omnium Paſtor. In his noſtris regionibus conſuetudo jam invaluit, ut quilibet fidelis cui confeſſario approbato libuerit, confiteatur; immo etiamſi extra ſuam diœceſim confiteatur, præcepto ſatisfacit, ſive confiteatur approbato Sæculari, ſive Regulari: proin-

de

Digitized by Google

de Regularis debet eſſe approbatus ab Epiſcopo; nec valeret confeſſio, quamvis fuiſſet injuſte ab Epiſcopo reprobatus, ita definiente Alexandro VII. damnante theſim 13. *Satisfacit præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſte reprobato.* Ubi autem viget conſuetudo, quod annua confeſſio fiat Parocho, eſt obſervanda. *Ly ſemel in anno* non determinat ullam anni partem: propterea qui ita confitetur, ut inter unam & alteram confeſſionem non intercurrat integer annus, ſatisfacit præcepto. Si enim Eccleſia aliquam anni partem decernere voluiſſet, id feciſſet, ſicuti fecit in communionis præcepto. Et proinde ſi quis poſt confeſſionem factam aut labatur in nova mortalia, aut aliquorum in confeſſione invincibiliter oblitus fuerit, non tenetur ex vi hujus præcepti alteram facere confeſſionem.

* Annus, intra quem ſemel obligat præceptum confeſſionis, computandus eſt juxta plures a principio Januarii ad ultimum uſque Decembris incluſive. Quamobrem, ajunt, qui intra hoc ſpatium ſua confitetur peccata, ſatisfacit Lateranenſi Decreto, quod ita Paſchale tempus pro annua communione decernit, ut nullum pro annua confeſſione ſanciat. Equidem Tridentina Synodus conſuetudinem confitendi Quadrageſimæ tempore maxime probat, & amplectitur, ſed *tamquam piam*, non tanquam ſtricte obligatoriam. Si quis tamen jam confeſſus lethalis criminis reus efficiatur, tenebitur per accidens iterum confiteri propter annuæ communionis præceptum, cui debet ſatisfacere. Quod ſi alicubi ſpeciali lege certo tempori, puta quindenæ Paſchali foret affixa confeſſio, huic ſane legi eſſet obtemperandum: unde qui antea confeſſus eſſet, haud dubie denuo confiteri adſtringeretur.

At ex relata ſententia, quæ abſolute ſtatuit annum computandum eſſe a principio Januarii ad ultimum uſque Decembris incluſive, ſequitur poſſe aliquem biennio toto non accedere ad pœnitentiæ tribunal; nam ſi ex. gr. die prima Januarii hujus anni 1766. confeſſus ſit, ſufficiet ei, ut ultima die anni 1767. ſua peccata deponat; quod etſi Card. Lugo *diſp.* 15. *de Pœnit. n.* 161. non eſſe magis abſurdum exiſtimet, quam abſurdum ſit ut quis totum feriæ ſecundæ Officium recitet ſtatim poſt mediam noctem; totum vero feriæ tertiæ Officium perſolvat proxime ante mediam ejuſdem diei noctem; ſicque biduo fere toto nihil recitet; attamen hæc ratio bene inſpecta, ut obſervat Continuator *Prælectionum Theologicarum* Honorati Tournely *tract. de præcept. Eccl. cap.* 4. *q.* 3. probat opinionem Lugo non eſſe in praxi ſequendam ſine rationabili cauſa: cum alioqui, *ait*, ab omni peccato immunis non ſit, qui geminæ diei Officia quadraginta ſex horarum ſpatio ſeparat a ſe invicem. Et vero, *ſubdit*, dum Eccleſia ſaltem ſemel in anno confiteri præcipit, prima fronte exigere videtur, ut priorem inter & poſteriorem confeſſionem non plus moraliter loquendo decurrat temporis quam anni circulus. Dixi *moraliter loquendo*; quia qui ſolitum in Paſchate confitendi morem ſequuntur, bis aliquando intra menſes decem, aliquando ſemel tantum intra menſes pluſquam tredecim confitentur, prout Paſcha ſerius, vel ocius celebrari contingit.

Optime autem cenſet Auctor eum, qui aliquorum in confeſſione invincibiliter oblitus fuerit peccatorum, non teneri ex vi hujus præcepti alteram facere confeſſionem; quippe aliter aſſerendum foret ſi quis non invincibiliter, ſed ex negligentia graviter culpabili alicujus peccati eſſet oblitus; quia per confeſſionem voluntarie nullam utpote nec piam, nec hominis cum Deo reconciliativam, non ſatisfit præcepto Eccleſiæ, ut ex dictis ſuperius perſpicuum eſt. Optime etiam addidit *ex vi hujus præcepti* &c. Conſtat enim eum qui peccati alicujus oblitus eſt, non debere ex alio capite diu confeſſionem differre; quod & de eo ſentiendum qui poſt confeſſionem in novum labitur mortale peccatum.

II. Qui omittit confiteri, elapſo jam anno, tenetur, quamprimum moraliter poteſt, confeſſionem facere: verba namque Concilii id clare manifeſtant, dum dicunt *ſaltem ſemel in anno*; quibus indicitur, ne differatur ultra annum; hinc viget obligatio, ne diutius differatur: ita ut toties graviter peccet qui differt, quoties ei occurrit opportunitas confitendi cum recordatione omiſſi præcepti. Si autem confiteatur poſt elapſum annum, ſatisfaciendo pro anno tranſacto, tenetur eodem anno noviter cœpto iterum confiteri; quia, ut dixi, in termino anni elapſi non ceſſat obligatio, quæ eſt, ne differatur poſt annum, & ut ſingulis annis ſaltem quis ſemel confiteatur: ſicuti ſi quis ſingulis menſibus ſolvere teneretur ſummam aliquam, non ceſſaret obligatio ela-

Quid de omittente confiteri

elapſo menſe, ſed quamprimum teneretur ſolvere pro eo debito, & alteram ſolutionem erogare pro menſe noviter cœpto.

* Utique qui intra annum confeſſus non eſt, tenetur confiteri ſub initium anni ſequentis, adeo ut, ſi quamprimum poteſt, non confiteatur, peccet deinceps, & continenter donec hoc præſtet. Eſt autem obſervandum quod ille, qui confeſſionem omiſit, dum adhuc currit annus ſecundus, debet bis confiteri, ſemel pro anno præterito, ut defectum ſuum reſarciat, & ſemel pro anno currenti, ut ejuſdem anni præcepto ſatisfaciat, ut & Auctor docet. Hinc tamen minime colligendum eſt, eum qui per 20. annos confeſſionem neglexit, eodem anno vicies ad confeſſionem teneri; etenim alia eſt Eccleſiæ mens, & timoratorum praxis in hoc caſu, alia in caſu præcedenti.

Quid de eo, qui prævidet ſe impediendum iri?

III. Qui prævidet ſe impediendum, ne confeſſionem faciat, antequam elabatur annus, ex vi hujus præcepti tenetur prævenire: v. g. dum ſuſcipit longam navigationem &c., quia ex modo dictis præceptum non expirat cum fine anni, ſed obſtringit, ne ſaltem elabatur annus; igitur obligat prævenire, ſi prævideatur annus elapſurus.

Gravitas hujuſce præcepti.

IV. Hoc præceptum obligare ſub gravi, nemo Catholicorum inficiatur, tum propter gravitatem materiæ, tum propter pœnam comminatam tranſgreſſoribus, quæ eſt Interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ perſonæ viventi; & privatio ſepulturæ eccleſiaſticæ reſpectu morientis, quæ ſunt ferendæ ſententiæ, & quidem per Epiſcopum, & non Parochum, cum Parochi in foro externo non habeant juriſdictionem.

Habens ſola venialia an teneatur?

V. Habens ſola venialia, a pleriſque diſpenſatur ab onere confeſſionis annuæ: ſed ab Hallenſi, a S. Bonaventura, Sylveſtro, & aliis; quibus noviſſime ſubſcripſit doctiſſimus Fagnanus, ſubjicitur præcepto: Nobis audiendus eſt S. Thomas in 4. d. 17. q. 3. art. 1. q. 3. ad 3.: *Dicendum, quod ex vi Sacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri; ſed ex inſtitutione Eccleſiæ, quando non habeat alia, quæ confiteatur. Vel poteſt dici ſecundum quoſdam, quod ex decretali prædicta non obligentur niſi illi, qui habent peccata mortalia; quod patet ex hoc, quod dicit: quia debet omnia peccata ſua confiteri; quod de venialibus intelligi non poteſt ... & per hoc etiam ille, qui non habet mortalia non tenetur ad confeſſionem venialium; ſed ſufficit ad præceptum implendum, ut ſe Sacerdoti repræſentet, & ſe oſtendat abſque conſcientia mortalis eſſe, & hoc ei pro confeſſione reputatur.*

CAPUT IV.

DE QUARTO.

ECCLESIÆ PRÆCEPTO

COMMUNIONIS PASCHALIS.

§. I. *De obligatione Communionis quoad jus Divinum.*

Præceptum Divinum.

I. JUre divino Chriſti Domini Joan. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis &c.* & Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, tenentur fideles aliquoties in vita Euchariſtiam ſumere: idque ita declaratur a S. Thoma 3. p. quæſt. 80. art. 11. *Duplex eſt modus percipiendi hoc Sacramentum, ſcilicet Spiritualis, & Sacramentalis. Manifeſtum eſt autem, quod omnes tenentur ſaltem ſpiritualiter manducare, quia hoc eſt Chriſto incorporari. Spiritualis autem manducatio includit votum; ſeu deſiderium percipiendi hoc Sacramentum .... & ideo ſine voto percipiendi hoc Sacramentum, non poteſt homini eſſe ſalus. Fruſtra autem eſſet votum, niſi impleretur, quando opportunitas adeſſet: & ideo manifeſtum eſt, quod homo tenetur hoc Sacramentum ſumere non ſolum ex ſtatuto Eccleſiæ, ſed ex mandato Domini dicentis Luc. 22. hoc facite in meam commemorationem. Ex ſtatuto autem Eccleſiæ ſunt determinata tempora exequendi hoc præceptum:* & loquitur de neceſſitate medii; nam in reſponſ. ad 2. æquiparat hoc Sacramentum Sacramento Baptiſmi: *Hoc Sacramentum dicitur non eſſe neceſſitatis, ſicut Baptiſmus quantum ad pueros, quibus poteſt eſſe ſalus ſine hoc Sacramento, non autem ſine Sacramento Baptiſmi: quantum vero ad adultos utrumque eſt neceſſitatis.* Intellige ſuſceptum ſaltem in voto, & quidem explicito, ſi menti occurrat; implicito autem, nempe contento in contritione perfecta, vel actu amoris Dei ſuper omnia. Et nota, quod Ly *hoc facite in meam commemorationem*, intelligitur de tota actione in cœna illa peracta, nempe nedum de celebratione, verum etiam de diſtributione,

ac

Digitized by Google

ac proinde de ſumptione a fidelibus exequenda.

Communio de jure Divino in periculo mortis. II. Ex vi præcepti Divini per ſe obligantis tenetur adultus ad ſumendam Euchariſtiam in articulo, aut periculo mortis, ex. gr. morbo gravi, partu difficili, navigatione periculoſa &c.; quia niſi obligaret ſaltem hoc tempore, nunquam obligaret. Et animadverte, quod etiam per modum viatici licet pluries illam ſumere in eodem morbo, dummodo dies aliquot intercedant, juxta Ritualia cujuſque diœceſis. Nam in Pariſienſi requiritur interceſſio decem dierum, in aliis longior, in aliis brevior. Vide *tract. 14. cap. 3. §. 6. n. 13.*

Quemadmodum qui in Paſchate ſacrilege communicat præcepto annuæ communionis minime ſatisfacit, ut liquido conſtat ex iis, quæ tradit Auctor *§. ſeq. num. V.*; ſic qui in exitu vitæ communionem facit ſacrilegam, non ſatisfacit præcepto Viatici. Quare qui indigne Viaticum recepit, denuo communicare tenetur. At quia vix id fieri poteſt citra ſcandalum, & gravis ſuſpicionis occaſionem, ideo communiter, receptionis hujus novæ omiſſio ingenti animi dolore, & humili ac ſubmiſſa ægritudinis perpeſſione, atque ejuſdem Sacramenti voto compenſari debet. Idem eſt, & eadem de cauſa, ſi æger poſt acceptum Viaticum in gravem culpam labatur. Verum ſi aliquot diebus, manente eodem mortis periculo ſupervixerit, expedit Viaticum ad eum deferri; ſæpius enim, ut & Auctor docet *n. præced.* in eodem lethali morbo miniſtrari poteſt non jejunis. Lege Continuat. *Prælect. Theolog.* Honorati Tournely *Tract. de Euch. Part. 1. cap. 7. art. 2. ſect. 2.*

Alia excitatur a Theologis difficultas, an qui mane corpore ſanus ex mera devotione Sanctiſſimam Euchariſtiam percepit, ſi repentino corripiatur morbo, ita ut in ultimo verſetur vitæ diſcrimine, medicorumque judicio prudenter timeatur ipſa die moriturus, Sanctiſſimum Chriſti corpus per modum Viatici iterum ſumere poſſit, ac debeat?

Triplex eſt ea de re opinio. Cenſent plures hunc, qui inopinato incidit in mortis periculum non ſolum poſſe, ſed & debere denuo percipere Sanctiſſimum Chriſti Corpus per modum Viatici; neque enim, ajunt, per communionem ante morbum peractam potuit ſatisfieri præcepto, quod nondum urgebat, Euchariſtiam ſumendi in mortis articulo. Alii ex adverſo contendunt in prædicto caſu non modo urgere præceptum ſumendi Viaticum, ſed etiam recipi non poſſe abſque piaculo; etenim ex una parte eum qui mane communicavit veluti prævia quadam ſolutione ſatisfeciſſe exiſtimant præcepto divino de communione ſumenda in exitu vitæ; ex alia vero parte nemini, inquiunt, licitum eſt bis eadem die Chriſti corporis participare myſteria, idque permittitur dumtaxat Parocho in aliquo extraordinario eventu, cum ſcilicet duas regit Parochias, & in utraque debet eodem die feſto celebrare. Nonnulli demum media via incedunt, decernuntque eum, qui mane cum ceteroquin nondum ulla laboraret corporis infirmitate, ad Euchariſtiam acceſſit, & deinde ſubito lethali morbo urgetur, & ad interitum vergit, poſſe, ſi velit iterum Euchariſtiam recipere per modum Viatici, nullo tamen præcepto ad id faciendum obſtringi. His omnibus relatis Theologorum opinionibus, ſic concludit S. P. Benedictus XIV. *De Synodo Diœceſana Lib. 7. cap. 11. In tanta*, inquit, *opinionum varietate, Auctorumque diſcrepantia, integrum erit Parocho eam ſententiam amplecti, quæ ſibi magis arriſerit, quin fiat reus violati ſtatuti Synodalis* (nempe ut Parochi ſolliciti ſint de Sanctiſſimo Viatico iis ſtatim porrigendo, quos vita periclitari deprehenderint) *quod certe non potuit caſum iſtum extraordinarium reſpicere. Neque fas erit Epiſcopo aut in Parochum animadvertere qui præfato ægrotanti Viaticum denegavit, aut quidquam de hujuſmodi controverſia in ſua Synodo decernere, ne videatur ſibi arrogare partes judicis inter graviſſimos, hac ſuper re, ſecum contendentes Theologos.*

III. Ex vi præcepti divini per ſe obligantis, tenetur adultus ad ſumendam Euchariſtiam etiam pluries in vita: ita communior, & vera: quia cum fuerit inſtituta ad alimoniam ſpiritualem animæ, fruſtranea foret inſtitutio; niſi etiam extra mortis periculum, ex divino præcepto ſumenda eſſet. Et etiam pluries in vita.

§. II. *De Obligatione ex vi præcepti Eccleſiaſtici.*

I. EX laudato capite Concilii Lateranenſis, tenentur fideles adulti diſcretionis annos aſſecuti ſemel in anno, nempe in Paſchate Reſurrectionis, Euchariſtiam ſumere, & quidem ſub gravi, tum quia præceptum eſt in re gravi, tum quia pœna inferenda omittentibus eſt gravis, nempe interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ viventibus, & pri- Obligatio ex vi Juris Eccleſiaſtici.

privatio ſepulturæ Eccleſiaſticæ morientibus. Nomine autem Paſchatis intelligitur communiter tota quindenna a die Palmarum uſque ad Dominicam in Albis incluſive. Si autem alicubi ex approbata conſuetudine concedatur tempus diuturnius, non eſt obſtandum. Poteſt tamen differri ex conſilio Confeſſarii, ita expediens eſſe judicantis.

Quid nomine adultorum obligatorum?

II. Adultorum nomine, qui hoc præcepto tenentur, intelliguntur etiam pueri, qui ætatem diſcernendi attigerunt, & ſunt capaces ſufficienter percipiendi tanti Sacramenti dignitatem, & munditiem ad illud requiſitam: propterea fixa ætas non poteſt præſcribi; communiter tamen comprehendit latitudinem ab anno decimo, uſque ad decimum quartum; & propterea qui ultra decimumquartum differunt, ſi alioquin ſint capaces, graviter delinquunt contra Eccleſiæ præceptum, & gravius peccant genitores, vel alii, qui puerorum curam gerunt, ad quos pertinet curare, ut leges Dei, & Eccleſiæ a ſuis obſerventur.

Aliquando etiam pueris danda.

III. Si tamen puer confeſſionis capax in periculum mortis incidat; ſufficienter inſtruatur etiam pro communione, ne tanto Sacramento, & ſubſidio privetur; quia tunc eſt laudabile prævenire ætatem opportuniorem, cum alia ætas ſperari vix poſſit.

* Excommunicati, & interdicti excuſantur a ſumptione Euchariſtiæ in Paſchate, dummodo ipſi in cauſa non ſint, cur a cenſuris non abſolvantur. Ratio eſt manifeſta; quippe per excommunicationem, & interdictum ſunt Sacramentorum uſu privati. Si vero ipſi contumacia ſua obicem ponant, ne abſolutionem aſſequantur, vel cenſuram, qua irretiti ſunt, ſibi per abſolutionem relaxari non curent, peccant dubio procul etiam contra hoc præceptum.

Sic etiam reus eſt qui debitam communionem omittit ex odio aut voluntate non ignoſcendi, vel non reſtituendi; vel non præſtandi aliquid aliud, ad quod ſub mortali adſtringitur; is namque noviter peccat, cum nemini malitia ſua debeat prodeſſe.

Ubi facienda communio?

IV. Paſchalis Communio fieri debet in propria parochia, & Euchariſtia eſt ſumenda de manu Parochi, vel ejus delegati. Neque ſatisfit præcepto, ſi abſque licentia Parochi, fiat extra Parochialem Eccleſiam: ita ex conſuetudine interpretante Canonem Concilii Lateranenſis. Sacerdos autem celebrans, ſatisfacit præcepto, celebrando in Eccleſia, cui eſt aggregatus.

Cum poſſit quis duobus in locis domicilium habere, ut palam eſt ex l. 6. ff. *Ad Municipalem &c.* & ex cap. 3. *de Sepult.* in 6., & cum valeat quilibet communionem Paſchalem percipere ubicumque habet domicilium, compertum eſt, exploratumque illum, qui per mediam anni partem in una Parochia degit, & per mediam in altera moratur, poſſe quam ſibi magis libuerit ad communionem Paſchalem eligere. Si vero plus in una, quam in alia permaneat, communicare debet in ea, in qua diutius commoratur, niſi forte tunc alibi bona fide ipſum commorari contingat.

Quæres. An Fideles qui tempore Paſchali ſine licentia Epiſcopi, vel Parochi Communionem percipiunt in Cathedrali Eccleſia, ſatisfaciant præcepto Eccleſiæ?

Reſp. Fuere nonnulli a Diana relati Part. 9. Tract. 9. reſolut. 65. qui ipſos præcepto Eccleſiæ ſatisfacere exiſtimarunt hoc nixi argumento, quia ſcilicet Eccleſia Cathedralis eſt Eccleſia ſeu Parochia communis Diœceſis.

„ Sed omiſſis iis omnibus, ait Em. Cardinalis Lambertinus poſtea S. P. Benedictus XIV. *Inſtit.* 18. *n.* 11. quæ in hanc rem ſcripta fuerunt, certum quidem eſt poſt Innocentii XI. deciſionem 5. Februarii an. 1682. in qua Pontifex hujuſmodi præcepto minime ſatisfieri declarat, ſi qui Romæ in Eccleſiis etiam Patriarchalibus S. Joannis Lateranenſis, aut S. Petri in Vaticano Sacram Euchariſtiam ſumant, certum, inquam, eſt, ſententiam, quæ ſuperius allata eſt, omnino corruere, niſi forte Epiſcopus vel Parochus conſentiant, ac id permittant. Id pariter tradit P. Giribaldus *Tract. 4. de Euch. cap. 8. dub.* 5. ſub. num. 28., qui in noſtra Metropolitana Pœnitentiarii munus per tot annos exercuit. Sed præ cæteris, *ſubdit nu.* 13. Cardinalis de Lugo ſuper hac re luculenter diſſeruit, qui Theologicæ ſcientiæ, quam in Cathedris S. J. profeſſus fuerat, rerum quoque experientiam adjunxit, quam ex Sacris Congregationibus, quibus Cardinalis interfuit, conſequutus eſt. Rem, de qua nunc agimus, proponit, & coram Pontifice diligenter examinatam fuiſſe aſſerit, decretumque Paſchali præcepto illum non ſatisfacere, qui in ſua Parochia ad Sacram Euchariſtiam minime accedat, licet illam in Metropolitana, ſeu Cathedrali percipiat: cum unaquæque Parochia certis quibuſdam terminis concludatur, quos ultra nequit excurrere Metropolitana, licet inter Parochias adnumeretur. Et

„ ſane,

Digitized by Google

„ ſane, quemadmodum ex decreto Tridentinæ Synodi Parochus, ſeu alius Sacerdos „ ipſo conſentiente intereſſe debet, cum „ matrimonium celebratur; neque huic „ mandato parerent ſponſi, qui alteri Parochiæ adſcripti coram Parocho Metropolitano, ſive alio Sacerdote ex ejus permiſſu matrimonium inirent; ita de præcepto Paſchalis Communionis idem ſtatuendum eſt. Quippe Lateranenſe Concilium per Clementem VIII. declaratum, „ uti diximus, hoc apertiſſime indicit, ut „ in ſua quiſque Parochia ad Euchariſtiæ „ Sacramentum accedat, ipſumque a Parocho tradatur, aut alibi, ſi tamen Parochi conſenſus habeatur. “

Quinimo contendunt Doctores, nec præcepto ſatisfacere qui ab inſcio Loci Epiſcopo Paſchali tempore Euchariſtiam ſuſcipit, cum non intendat Epiſcopus a communi Lege citra cauſam diſpenſare. Qui igitur extra Parochiam Paſchali tempore Euchariſtiam percipere cogitat, is vel proprii Parochi, vel Epiſcopi licentiam obtineat neceſſe eſt.

Hac tamen lege obſtringuntur dumtaxat illi, qui more laicorum communionem ſumunt. Quamobrem Sacerdotes Miſſam celebrantes, in quacumque Eccleſia celebrent, ſatisfaciunt præcepto communionis Paſchalis, & non tantum in Eccleſia, cui aggregati ſunt. Si vero non celebrent, tenentur communicare in propria Parochia, & de manu proprii Sacerdotis Euchariſtiam percipere. Legatur *Inſt.* 55. prælaudati Benedicti XIV. *num.* 9.

Quali communione ſatisfiat?

V. Ut ſatisfiat præcepto, debet eſſe communio facta cum bona conſcientia, quantum humanæ cognitioni permittitur. Idcirco per communionem ſacrilegam nequit ſatisfieri præcepto; ita docente Innoc. XI., qui damnavit theſim 58., in qua dicebatur: *Præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.* Cum enim Chriſtus voluerit, ut notat Tridentinum ſeſſ. 13., c. 2. ſumi *Sacramentum hoc tanquam ſpiritualem animarum cibum quo alantur, & confortentur*: id quæ præſtari nequeat a ſacrilega ſumptione, eapropter non ſervatur præceptum, niſi ſervetur modus præcepti, quando in præcepto eſt expreſſus.

Quomodo ſatisfiat a Vagis, & Peregrinis?

VI. Vagi tenentur in ea parœcia ad communionem in paſchate, in qua eo tempore inveniuntur, quia tunc eidem ſubjiciuntur, cum alium paſtorem fixum non habeant; & ſimiliter Peregrini, qui ſunt ejus loci incolæ, in quo tempore Paſchali inveniuntur, ut declaravit Eugenius IV.

* Doctores plures, & præſertim Caetanus, Navarrus, Azorius, Lugo aliique quos allegat, ac ſequitur Henricus a S. Ignatio *de Euchariſt. Sacr. c.* 58. *n.* 756. contendunt advenas, & peregrinos, qui ad proprias Parochias redire nequeunt tota quindenna Paſchali, ſatisfacere præcepto communionis paſchalis, in quacumque Eccleſia, ſive Regularium, ſive aliorum Sacerdotum, ſuſcipiant Euchariſtiam a Sacerdotibus facultatem habentibus illam miniſtrandi. Huic opinioni ſubſcripſit & P. Daniel Concina *Theolog. Chriſt. tom.* 5. *lib.* 4. *diſſert.* 2. *c.* 3. *n.* 9. Verum a ſententia, quam Auctor proponit, atque amplectitur noſtro judicio recedendum non eſt; cum gravioribus, firmioribuſque nitatur ipſa argumentis, ſicuti poſt Suarez oſtendit P. Antoine *tract. de Euch. c.* 2. *reſp.* 2. *ad q.* 1. *n.* 4. & Continuator *Prælect. Theolog.* Honorati Tournely *to.* 4. *tract. de præcept. Eccl. c.* 5. *q.* 10.

Quid de eo, qui vel ante tempus communicavit vel communicare omiſit Paſchali tempore?

VII. Qui etiam una die ante Paſchale tempus communicavit, tenetur iterum ſub mortali infra tempus paſchale Euchariſtiam ſumere; quia quando a lege determinatur tempus implendi præcepti, etiam illud eſt obſervandum. Qui autem non communicavit infra tempus paſchale, tenetur infra annum communicare in parœcia: quia eſt præceptum affirmativum, obligans ad actionem ponendam, mixtum negativo, ne diutius differatur; unde non expirat obligatio cum tempore, ſed perſeverat. Ita etiam fert ſenſus verborum legis Lateranenſis, *ad minus in Paſcha*; ac Tridentinæ, *ſingulis annis ſaltem in Paſchate*: qui itaque deficit in Paſchate, adhuc obligatur, cum adhuc annus continuetur.

An teneatur ſupplere quam primum?

VIII. An autem teneatur ommittens ſupplere quam primum, ita ut toties peccet omiſſione lethali, quoties recordatur, & opportunitatem habet ſupplendi? Probabilior cum Suarez, Azorio, Reginaldo, & aliis affirmat: quia non præcipitur communio primario propter ſolemnitatem, ſed ne diutius anima privetur tanto adjutorio. Ad differentiam præcepti auditionis Miſſæ, quæ primario præcipitur in cultum diei feſtivæ, & proinde, ea tranſacta, ceſſat obligatio. Et quamvis aliqui cum Lugone dicant, quod dummodo habeat animum ſupplendi infra annum, toties non peccet, quoties opportunitatem omittit: Opinio nihilominus poſita magis accedit ad mentem Eccleſiæ, a qua ſecundario præcipitur communio etiam propter ſolemnitatem; & primario, ut dixi, ne anima diutius careat

Digitized by Google

tanto adjutorio; & idcirco virtualiter obligat, ut quamprimum omittens poſſit, ſuppleat, quod agere omiſit; & ne differat ad beneplacitum.

Qui prævidet ſe impeditum iri ad quid tenetur? IX. Qui prævidet ſe impediendum, ne paſchali tempore communicare queat; ſi prævideat, nedum paſchali tempore, ſed etiam multo poſt, impeditum iri, prævenire tenetur: ſi autem prævideat dilationem futuram longe breviorem eſſe, & viciniorem eſſe tempori paſchali, quam anticipatio longe diſtans ab eo tempore; tunc putarem poſſe differre, puta cum a navigatione redierit; dummodo tamen non excedatur annus. Si enim dilatio quamvis brevis excedat annum, deberet abſolute prævenire; quia Eccleſia inculcat ne elabatur annus. Qui demum prævenit, ſi poſtea accidat, ut tempore paſchali non diſceſſerit; tenetur iterum eo tempore communicare; quia tempus illud eſt expreſſe in præcepto; neque anticipatio facta valet; niſi in caſu impotentiæ pro dicto tempore.

* Juvat hic paucis exponere cum Petro Colet *q.* 16. quomodo ſe gerere debeat Parochus erga eos, quos Paſchali communioni defuiſſe cognoſcit. Corripiendi ſunt ſecreto, *ait*, & inſtanter monendi, ne hoc Chriſtianæ pietatis munus differant. Si renuunt ob duritiem cordis, comminabitur Parochus e ſuggeſtu, generalibus terminis ſcilicet, ſe eos Epiſcopo denuntiaturum eſſe: ſi necdum cedant minis, denuntiandi erunt; & tunc res tota erit penes Epiſcopum, cui a Parocho parendum.

CAPUT IV.

DE QUINTO ECCLESIÆ PRÆCEPTO SOLUTIONIS DECIMARUM.

§. I. *De qualitate obligationis hujus præcepti.*

Explicatur obligatio Juris naturalis. I. S. Thomas 2. 2. q. 87., ar. 1., explicans ſtrictam obligationem ſolvendi decimas, affert textum S. Auguſtini relatum a Gratiano 16., q. 1., dicentis: *Decimæ ex debito requiruntur, & qui eas dare noluerint, res alienas invadunt*: Deinde ſubjungit S. Doctor, quod in lege veteri præceptum de decimis *partim erat morale*, (ideſt naturale) *inditum naturali ratione*: *partim autem judiciale ex divina inſtitutione robur habens*: *Quod enim eis, qui divino cultui miniſtrabant ad ſalutem populi totius, populus neceſſaria victus miniſtraret, ratio naturalis dictat: ſicut & iis, qui communi utilitati invigilant, ſcilicet principibus, militibus, & aliis hujuſmodi ſtipendia victus debentur a populo.. Sed determinatio certæ partis exhibendæ miniſtris Divini cultus, non eſt de jure naturali, ſed eſt introducta inſtitutione divina ſecundum conditionem illius populi, cui lex dabatur... unde quantum ad determinationem decimæ partis, erat judiciale, ſicut & alia multa ſpecialiter in illo populo inſtituta erant,... licet ex conſequenti aliquid ſignificarent in futurum, ſicut & omnia eorum facta, ſecundum illud 1. Corinth. 10., omnia in figura contingebant illis; in quo conveniebant cum Cæremonialibus præceptis, quæ principaliter inſtituta erant ad ſignificandum aliquid futurum... Eſt autem hæc differentia inter cæremonialia, & judicialia præcepta legis, quod cæremonialia illicitum eſt obſervare tempore legis novæ; judicialia vero, quamvis non obligent tempore gratiæ, tamen poſſunt obſervari abſque peccato, & ad eorum obſervantiam aliqui obligantur, ſi ſtatuantur auctoritate eorum, quorum eſt condere legem... Ita etiam determinatio decimæ partis ſolvendæ, eſt auctoritate Eccleſiæ tempore novæ legis inſtituta.... Sic ergo patet; quod ad ſolutionem decimarum homines teneantur, partim quidem ex jure naturali, partim ex inſtitutione Eccleſiæ: quæ tamen penſatis opportunitatibus temporum & perſonarum, poſſet aliam partem determinare ſolvendam.*

II. Decimarum igitur ſolutio fuit ab Eccleſia approbata, quoad eam quotam, quæ ſolvenda præcipitur: & præter alia loca juris canonici, clare conſtat, Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 12. de Reformatione decimarum ſolutionem diſtricte mandaſſe, monendo, ut qui illas ſubtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, neque abſolvantur, niſi expleta reſtitutione earumdem. Hoc autem jus naturale recipiendi temporalia laicorum ad alendos Dei miniſtros, non obſcure innuitur a D. Paulo 1. Corint. 9. dicente: *Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt ſi carnalia veſtra metamus? Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere*. Eccleſia igitur non inſtituit ſubſtantiam decimarum, ideſt dandam eſſe ſuſtentationem Dei mini- Eccleſiæ mandatum explicatur.

miniſtris, Deo ipſi pro fideli populo vacantibus, ſed ſolum quotam determinavit, & approbavit debere eſſe decimam partem bonorum. Et hinc colligas præceptum naturale de ſuſtentatione miniſtrorum aboleri non poſſe quoad ſubſtantiam, bene vero quoad quotam: Et proinde ſi a Summo Pontifice tolleretur obligatio decimarum, eſſet proculdubio miniſtris Eccleſiæ aliunde providendum.

§. II. *De modis, qui eximere poſſunt a ſolutione decimarum.*

Exemptio a decimis ſolvendis. I. Communior cum Sanctis Thoma loc. cit. ad 3., & Antonino p. 2., tit. 4., cap. 3. §. 6., nec non Sylveſtro, Cajetano, & aliis docet, quod per conſuetudinem, aut præſcriptionem, verificari poſſit exemptio a decimis ſolvendis; quod intelligas, dummodo miniſtri Eccleſiæ aliunde habeant congruam ſuſtentationem. Id oſtendunt jura Eccleſiaſtica in cap. de *quarta* lib. 2. decretor. De præſcript. Ratio patet: quia per contrariam conſuetudinem poteſt tolli obligatio cujuſvis juris poſitivi humani; non eſt autem minor vis præſcriptionis, quam conſuetudinis; igitur &c. Neque obeſt S. Th. in Quodlib. 2. art. 8., ubi docet, quod *ſemper tenentur homines reddere decimas, ſi Eccleſia exigat, etiam contraria conſuetudine non obſtante*. Loquitur enim de Eccleſia Romana, cui ſemper integrum eſt, ſi velit, exigere decimas, & cogere ad ſolvendum Eccleſiis particularibus, nulla obſtante conſuetudine: idcirco ſubjungit: *In Terris, in quibus non eſt conſuetudo communis, quod decimæ dentur, & Eccleſia* (nempe Romana) *non petit, videtur Eccleſia remittere, dum diſſimulat. Unde non bene facerent Rectores Eccleſiarum, ſi in terris illis decimas exigerent, in quibus non eſt conſuetudo dare, ſi probabiliter crederent, quod ex hoc ſcandalum naſceretur*. En quomodo admittit conſuetudinem contra Eccleſias particulares. Tandem in ſumma loc. cit. ad 3. docet: *eos, qui propter conſuetudinem non ſolvunt decimas, non eſſe in ſtatu peccati*. Cavere igitur debent Rectores Eccleſiarum ab impetranda a S. Sede facultate exigendi decimas, ubi ex conſuetudine, vel præſcriptione non ſolvuntur, ſi alioquin habeant unde ſufficienter ſuſtentari poſſint, ne veniant in ſuſpicionem, quod decimarum nova exactio ſit avaritiæ potius effectus, quam neceſſitatis.

Eccleſiæ mandatum explicatur.

§. III. *De quibus rebus ſint Decimæ ſolvendæ, nec non quibus, & a quibus ſunt ſolvendæ.*

Quorum bonorum decimæ ſint ſolvendæ? I. Quamvis Angelicus doceat in artic. 2., quod *de omnibus poſſeſſis decimæ ſint ſolvendæ*; id aſſerit loquendo præciſive a quacumque conſuetudine, vel præſcriptione; & ſine præjudicio eorum quæ paulo ante ex eodem Angelico aſſeruimus: ita ut conſuetudo ab Eccleſia cognita, & tolerata dirigat debentem decimas ſolvere. Circa bona autem male acquiſita, diſtinguendum eſt cum S. Doctore loc. cit. ad 2. *Uno modo quia ipſa acquiſitio eſt injuſta, puta quia acquiruntur per rapinam, per furtum, aut uſuram, quæ homo tenetur reſtituere, non autem de eis decimas dare: tamen ſi aliquis ager ſit emptus de uſura, de fructu ejus tenetur uſurarius decimas dare; quia fructus illi non ſunt ex uſura, ſed ex Dei munere. Quædam vero dicuntur male acquiſita, quia acquiruntur ex turpi cauſa, ſicut de meretricio, & hiſtrionatu, & aliis hujuſmodi, quæ non tenetur reſtituere. Unde de talibus tenentur dare decimas ſecundum modum aliarum decimarum perſonalium* (ſi ſint in uſu); *tamen Eccleſia non debet eas recipere, quamdiu ſunt in peccato, ne videatur eorum peccatis communicare; ſed poſtquam pœnituerint, poſſunt de eis ab his recipi decimæ*. Et ad tertium docet: *De minutis rebus non tenentur homines decimas dare, niſi forte propter conſuetudinem Patriæ*: Hæc autem minuta ſunt herbæ hortenſes, aliaque ſimilia. Et ad 4. docet: *De his quæ furto, vel rapina tolluntur, ille a quo auferuntur, decimas ſolvere non tenetur, antequam recuperet; niſi forte propter culpam, vel negligentiam ſuam damnum incurrerit; quia ex hoc Eccleſia non debet damnificari. Si vero vendat triticum non decimatum, poteſt Eccleſia decimas exigere & ab emptore, quia habet rem Eccleſiæ debitam; & a venditore, quia, quantum eſt de ſe, Eccleſiam defraudavit: uno tamen ſolvente, alius non tenetur. Debentur autem decimæ de fructibus terræ, in quantum proveniunt ex Divino munere; & ideo decimæ non cadunt ſub tributo, nec etiam ſunt obnoxiæ mercedi operariorum: & ideo non debent prius deduci tributa, & pretium operariorum, quam ſolvantur de-*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

decimæ; ſed ante omnia debent decimæ ſolvi ex integris fructibus.

Decimæ ſunt dandæ ſolis Clericis curam animarum gerentibus.

II. Circa perſonas, quibus debentur decimæ docet S. Doctor in art. 3. *dicendum quod circa decimas duo ſunt conſideranda; ſcilicet ipſum jus accipiendi decimas, & ipſæ res, quæ decimæ nomine dantur. Jus autem accipiendi decimas eſt ſpirituale; conſequitur enim illud debitum, quo miniſtris altaris debentur ſumptus de miniſterio, & quo miniſtrantibus ſpiritualia, debentur temporalia; quod ad ſolos Clericos pertinet, habentes curam animarum: & ideo eis ſolum competit hoc jus habere. Res autem, quæ nomine decimarum dantur, corporales ſunt; unde poſſunt in uſum quorumlibet cedere, & ſic poſſunt etiam ad laicos pertinere.*

Quibus modis ad laicos ſpectare poſſint?

III. Multis modis poſſunt decimæ, ideſt res temporales, quæ decimæ vocantur (non jus primarium illas recipiendi) ad laicos pertinere; nempe per venditionem, donationem, vel permutationem; dum Eccleſiæ miniſtri illas res, vel illarum partem dictis modis alienant, ſicuti alias proprias temporales: item per locationem, locando eaſdem res: item per privilegium Pontificis, qui quandoque Principibus ſæcularibus de Eccleſia bene merentibus concedit decimas in Feudum etiam perpetuum: ex capit: *cum Apoſtolica* lib. 3. Decretal. tit. 10.. Hæ tamen perſonæ ſeculares non poſſunt tranferre dictas decimas in aliam perſonam laicam, ex capite *prohibemus* tit. de decimis; ſed ſi velint illas dimittere, tenentur reſtituere eidem Eccleſiæ, a qua Feudum illud habuerunt, aut alteri Eccleſiæ, ſive domui Religioſæ aſſignare, habito tamen conſenſu Epiſcopi; ita ex laudato cap. *cum Apoſtolica*. Et dum dicitur petenda licentia ab Epiſcopo, ille intelligitur Epiſcopus, ſub quo erat Eccleſia illa, a qua illæ decimæ originaliter proficiſcebantur; quandoquidem cum hujuſmodi Eccleſia per talem tranſitum ad aliam Eccleſiam amittat ſpem illas recuperandi, neceſſarius eſt conſenſus Epiſcopi anterioris Eccleſiæ. Et notandum, quod, maxime poſt Concilium Generale Lateranenſe tertium, non poſſunt Epiſcopi dare decimas in feudum ſæcularibus; ut patet ex cap. *Quamvis* de decimis.

An dentur etiam aliis Clericis?

IV. Quare autem ſolis Clericis curam animarum habentibus competat jus primarium decimarum, (quo nomine veniunt etiam Epiſcopi, & Rectores Eccleſiarum) ratio eſt, quam innuit S. Doctor, quia ad illos ſolos ex debito ſui muneris attinet ſacramenta miniſtrare, verbum Dei concionari ſuis ſubditis, doctrinam chriſtianam docere: cum itaque ſoli ipſi ex officio, & debito ſpiritualia ſeminent, ipſis ſolis competit jus metendi temporalia. Et propterea Summus Pontifex in cap. *cum contingat* decernit, decimarum perceptionem ad ſolas Eccleſias Parochiales pertinere de jure communi. Hoc tamen non obſtante ſi contingat ex privilegio, aut ex conſuetudine, aut ex caritate, decimas dari etiam aliis illius Eccleſiæ Clericis altari deſervientibus, & choro adſiſtentibus, Parochumque adjuvantibus, dubio procul erit obſervandum: Idcirco Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 12. de Reformat. loquens de decimis, & de earum ſolutione illis, quibus debentur, etiam aliarum perſonarum a Parocho diſtinctarum mentionem fecit his verbis: *Præcipit omnibus cujuſcumque gradus, & conditionis ſint, ad quos decimarum ſolutio ſpectat, ut eas, ad quos de jure tenentur in Cathedrali, aut quibuſcumque aliis eccleſiis, vel perſonis legitime debentur, integre perſolvant.*

Objectio reſolvitur.

V. Neque inferas: ſi ergo decimæ dantur ob congruam ſuſtentationem miniſtrorum, illis dandæ non erunt, qui ex proprio patrimonio habent, unde commode vivant; & præcipue iis non debebuntur a pauperibus. Ita enim occurrit S. Doctor loc. cit. ad 1.: *In nova lege decimæ dantur Clericis non ſolum propter ſui ſuſtentationem, ſed etiam ut ex eis ſubveniant pauperibus; & ideo non ſuperfluunt, ſed adhuc neceſſariæ ſunt poſſeſſiones eccleſiaſticæ, & oblationes, & primitiæ ſimul cum decimis.* Et in quodlibet. 2. art. 10. ubi ex profeſſo de hoc diſſerit, indicat rationem, cur debeantur, etiamſi miniſter non indigeat: quæ ratio ita paucis ob oculos ponitur. Quia videlicet debentur ex juſtitia, & æquitate naturali: quod autem debetur ex naturali juſtitia, debetur creditori, ſive dives ſit, ſive pauper; ſive debitor pauper ſit, ſive dives: propterea concludit: *Unde cum ſacerdotibus decimæ debeantur de jure naturali, ... quamvis Sacerdos ſit dives; nihilominus pauper tenetur ei decimas ſolvere.* Laudabiliter tamen faciet Parochus, vel Epiſcopus habens ſufficientes proventus, ſi pauperibus remittat decimas, titulo quidem meræ eleemoſinæ, & non alio modo; ne præjudicium juri Parochiali

li afferat. Idcirco monent Auctores, quod in caſu hujus remiſſionis, ſingrapham ſibi conſcribere faciat, qua pauper teſtetur, ſibi in meram eleemoſinam decimas fuiſſe remiſſas; & hoc ne eleemoſina ullam conſuetudinem aut præſcriptionem fundare incipiat.

Caſus incidens reſolvitur.

VI. Quando quis in diverſis parœciis bona tenet, docet S. Doctor in reſponſ. ad 2. loci ex ſumma ſupracitati: *Quod decimæ perſonales* (ſi ſint in uſu) *debentur Eccleſiæ, in cujus parœcia homo habitat: Decimæ vero prædiales rationabiliter magis videntur pertinere ad Eccleſiam, in cujus terminis prædia ſita ſunt; tamen jura determinant, quod in hoc ſervetur conſuetudo diu obtenta. Paſtor autem, qui diverſis temporibus in diverſis parochiis gregem paſcit, debet proportionabiliter utrique Eccleſiæ decimas ſolvere; & quia ex paſcuis fructus gregis proveniunt, magis debetur decima Eccleſiæ, in cujus territorio grex paſcitur, quam illi, in cujus territorio ovile locatur.*

Clerici qualiter teneantur ad decimas?

Objectio reſolvitur.

VII. *Clericis in quantum ſunt miniſtri altaris ſpiritualia populo ſeminantes, debentur decimæ. Unde in quantum clerici ſunt, ideſt in quantum habent Eccleſiaſticas poſſeſſiones, decimas ſolvere non tenentur. Ex alia vero cauſa propter hoc, quod poſſident proprio jure, vel ex ſucceſſione parentum, vel ex emptione, vel quacumque hujuſmodi modo, ſunt ad decimas ſolvendas obligati. Unde Clerici de propriis prædiis tenentur ſolvere decimas parochiali Eccleſiæ, ſicut & alii, etiamſi ipſi ſint ejuſdem Eccleſiæ clerici; quia aliud eſt habere aliquid ut proprium, aliud ut commune; Prædia vero Eccleſiæ non ſunt ad decimas ſolvendas obligata, etiamſi ſint intra terminos alterius parochiæ:* ita S. Doctor in art. 4. loci citati. Circa hæc poſtrema verba animadvertendum eſt cum Cajetano in Commentario, ea eſſe intelligenda de bonis illi Eccleſiæ datis, ob intuitum parochialium miniſteriorum; & ut ita dicam, in dotem in ſui fundatione: Si enim eidem Eccleſiæ adveniant ex legato, dono, &c., alia prædia conſtituta intra terminos alterius parochiæ, tranſeunt ad ipſam cum onere decimarum ſolvendarum: aliter evenire poſſet, quod ſi Dominus omnium prædiorum, quæ ſunt intra unam parochiam, ea donet, aut leget alteri parochiæ, exonerentur onere decimarum, cum notabiliſſima, & forte totali jactura decimarum illius parochiæ, quod eſt grave abſurdum.

Quid de Religioſis?

VIII. *Religioſi, qui ſunt Clerici, ſi habeant curam animarum, ſpiritualia populo diſpenſantes non tenentur decimas dare, ſed poſſunt eas recipere. De aliis vero Religioſis etiamſi ſint Clerici, qui non diſpenſant populo ſpiritualia, eſt alia ratio; ipſi enim tenentur de jure communi decimas dare: habent tamen aliquam immunitatem ſecundum diverſas conceſſiones, eis a ſede Apoſtolica factas*, ait S. Doctor in ſolution. ad 2.

TRACTATUS XIII.

DE

SACRAMENTIS

NOVÆ LEGIS GENERATIM.

CAPUT PRIMUM.

De Sacramenti Natura, & Effectibus.

§. I. *De Sacramentorum eſſentia, numero, & Inſtitutione.*

Explicatur Sacramenti notio, & primo ratio ſigni.

I. *Sacramentum* juxta S. Thomam 3. p. q. 60. art. 2. prout ſumitur in præſenti, *eſt ſignum rei ſacræ, inquantum eſt ſanctificans homines*: Dicitur ſignum, non quidem naturale, ſicut fumus, qui naturaliter repræſentat ignem; ſed arbitrarium; ſeu ex Dei beneplacito deſtinatum ad aliquid ſignificandum: eſt autem ſignum non mere ſpeculativum, ſeu mere deſerviens ad aliquid manifeſtandum, ſed etiam practicum, ideſt inſtitutum ad aliquid in ſui uſu efficiendum: ſignum item ſenſibile, quia *eſt homini connaturale, ut per ſenſibilia perveniat in cognitionem intelligibilium*, ait S. Doctor ibidem art. 4. item ſignum ſtabile, ideſt quod durare debeat, eo quod ſit ſignum, quo homines in unum Religionis nomen colligantur: & cum Religio ſtabilis ſit, ſtabilia quoque decet eſſe ſigna, quibus religionem profiteantur: ſignum tandem a Deo inſtitutum, quia, ut ſtatim videbimus, cum ſit ſignum in ſuimet uſu gratiæ ſanctificantis collativum; & gratia a nemine conferri poſſit niſi a Deo; propterea ipſius ſolius eſt deſtinare ſigna, quorum uſu ipſe gratiam elargiatur. Præterea Sacramentum novæ legis ex doctrina S. Thomæ loc. cit. a. 3., eſt ſignum *commemorativum* rei præteri-

Digitized by Google

teritæ, nempe Paſſionis Chriſti, tamquam cauſæ noſtræ juſtificationis; *Demonſtrativum* rei præſentis, nempe gratiæ, quæ confertur, tanquam formæ noſtræ juſtificationis: Et *Prognoſticum* rei futuræ, nempe Gloriæ, tanquam finis noſtræ juſtificationis.

Explicatur ly rei Sacræ &c.

II. Dicitur ſignum rei ſacræ, quæ res ſacra a Sacramento ſignificata proprie eſt Gratia habitualis, qua ſanctificatur anima. Cum enim Sacramentum tanquam inſtrumentum aſſumatur a Deo ad gratiam efficiendam, & conferendam animæ: propterea iſtius propriiſſime dicitur ſignum demonſtrativum; quæ Gratia, cum, ut dixi, ſit habitualis, & ſanctificans, recte dicitur ſignum gratiæ, in quantum ſanctificat homines. Ex his inferas tria eſſe neceſſario requiſita ad Sacramentum quodlibet: nempe Inſtitutionem Dei: Signum ſenſibile; & promiſſionem gratiæ, in ejuſdem ſigni digno uſu.

Tria in quovis Sacramento diſtinguenda.

III. Hinc nota, quomodo in Sacramentis tria diſtinguenda ſunt, nempe id, quod dicitur Sacramentum tantum; quia eſt merum ſignum ſignificans, quin ab alio ſignificetur: id quod eſt res ſignificata ſimul, & ſignum; quia & ſignificatur, & ſignificat: & id quod eſt res tantum, quia dumtaxat ſignificatur, & non ſignificat aliud. Do exemplum in Sacramentis imprimentibus characterem, in quibus tria iſta inveniuntur; puta in Baptiſmo, ablutio exterior cum verbis a baptizante prolatis eſt Sacramentum tantum, quæ ſignificat ablutionem animæ per gratiam, quin ipſa ablutio ab alio ſignificetur. Character impreſſus in collatione baptiſmi eſt res ſimul & Sacramentum; quia ſignificatur per illam ablutionem, & ſimul ſignificat eamdem gratiam regenerativam: Gratia autem eſt res tantum, quia ſignificatur ab ablutione, & a charactere, quin ipſa aliud ſignificet.

* Explicat Auctor. *num. præced.* quid in Baptiſmo ſit Sacramentum tantum, quid res tantum, & quid res & Sacramentum ſimul. Non inutile erit hoc idem exponere, & in cæteris Sacramentis. Et inprimis de duobus aliis Sacramentis characterem imprimentibus, nempe de Confirmatione, & Ordine eodem modo dicendum eſt, ac dictum fuit de Baptiſmo, videlicet, quod actio, in qua conſiſtunt, ſit Sacramentum tantum; character res & Sacramentum ſimul; gratia res tantum. Ad alia vero Sacramenta quod attinet. In comperto eſt quod gratia non ſecus ac in tribus recenſitis eſt res tantum. In Euchariſtia vero ſpecies conſecratæ ſunt Sacramentum tantum, quia ſignificant gratiam; Corpus & ſanguis Chriſti res, & Sacramentum ſimul, quia ſignificant gratiam, & ſignificantur a ſpeciebus, ut & Auctor docet infra *cap.* 3. §. 1. In Pœnitentia Sacramentum tantum ſunt actus externi pœnitentis, quia ſignificant gratiam; res & Sacramentum ſimul eſt dolor internus, qui ab actu externo ſignificatur, & gratiam ſignificat. In extrema Unctione Sacramentum tantum eſt unctio ſub præſcripta verborum forma; res & Sacramentum ſimul eſt *quædam interior devotio, quæ eſt ſpiritualis unctio*, ut docet D. Thomas *in Sup. qu.* 30. *art.* 3. *ad* 3. quia ſignificatur ab unctione externa, & ſignificat gratiam. Et quamvis quodlibet Sacramentum internam animi devotionem producat, non tamen ſub ratione ſpiritualis unctionis. In Matrimonio demum *Sacramentum tantum ſunt actus exterius apparentes, res & Sacramentum eſt obligatio, quæ innaſcitur viri ad mulierem ex talibus actibus*, ut aſſerit idem S. D. *in eodem Sup. qu.* 42. *art.* 1. *ad* 5.

IV. Septem eſſe novæ legis Sacramenta, & a Chriſto inſtituta, fide docemur ex definitione Synodi Tridentinæ ſeſſ. 7. can. 1., *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura, vel pauciora quam ſeptem, videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe vere, & proprie Sacramentum, anathema ſit.* Nobis modo id ſufficere debet: nam hoc idem probare ex Scripturis, & Traditione, ſpectat ad Theologiam dogmatum, ſeu poſitivam. Non debemus autem præterire, quin ſaltem indicemus locum, in quo Angelicus Doctor affert hujuſce numeri Sacramentorum egregiam congruentiam, nempe 3. p. q. 65. a. 1.

Numerus & Auctor Sacramentorum.

Præſtat hic adiicere D. Thomæ doctrinam circa neceſſitatem Sacramentorum, de qua nil differit Auctor. Eſt autem nunc ſermo non de neceſſitate uſus Sacramentorum, ſuppoſita eorumdem inſtitutione, ſed de neceſſitate inſtitutionis, num videlicet neceſſe fuerit ad hominis ſalutem inſtitui a Deo Sacramenta. Et illud in comperto eſt apud omnes, Sacramenta non fuiſſe neceſſaria neceſſitate abſoluta, cum certum

tum ſit, Deum potuiſſe abſolute aliis mediis, aliaque via hominem ſalvare. Solum igitur difficultas procedit de neceſſitate congruentiæ, ſeu convenientiæ, an ſcilicet per Sacramenta magis congrue fiat hominis reparatio. Hoc modo neceſſarium fuiſſe Sacramenta inſtitui ad hominum juſtificationem & ſalutem, & aſſerit apertiſſime, & pluribus momentis perſpicue evincit Angelicus Doctor 3. *p. q.* 61. *art.* 1. *Dicendum*, inquit, *quod Sacramenta neceſſaria ſunt ad humanam ſalutem triplici ratione. Quarum prima ſumenda eſt ex conditione humanæ naturæ, cujus proprium eſt, ut per corporalia & ſenſibilia in ſpiritualia, & intelligibilia deducatur. Pertinet autem ad divinam Providentiam, ut unicuique provideat ſecundum modum ſuæ conditionis. Et ideo convenienter divina ſapientia homini auxilia ſalutis confert ſub quibuſdam corporalibus, & ſenſibilibus ſignis, quæ Sacramenta dicuntur. Secunda ratio ſumenda eſt ex ſtatu hominis, qui peccando ſe ſubdidit per affectum corporalibus rebus. Ibi autem debet medicinale remedium homini adhiberi, ubi patitur morbum. Et ideo conveniens fuit, ut Deus per quædam corporalia ſigna homini ſpiritualem medicinam adhiberet; nam ſi ſpiritualia nuda ei proponerentur, ejus animus applicari non poſſet, corporalibus deditus. Tertia autem ratio ſumenda eſt ex ſtudio actionis humanæ, quæ præcipue circa corporalia verſatur. Ne ergo eſſet homini durum, ſi totaliter a corporalibus actibus abſtraheretur, propoſita ſunt ei corporalia exercitia in Sacramentis, quibus ſalubriter exerceatur ad evitanda ſuperſtitioſa exercitia, quæ conſiſtunt in cultu Dæmonum, vel qualitercumque noxia, quæ conſiſtunt in actibus peccatorum. Sic igitur per Sacramentorum inſtitutionem, homo convenienter ſuæ naturæ eruditur per ſenſibilia: humiliatur, ſe corporalibus ſubjectum cognoſcens, dum ſibi per corporalia ſubvenitur: præſervatur etiam a noxiis actionibus per ſalubria exercitia Sacramentorum.* Hæc S. D. Neceſſarium itaque fuit neceſſitate congruentiæ, & convenientiæ, ut poſt hominis lapſum inſtituerentur Sacramenta, ut facilius ad ſanctitatem, & ſalutem promoveretur. Hinc extiterunt Sacramenta in quolibet ſtatu, poſt peccatum, nempe & in ſtatu legis naturæ, qui cœpit a lapſu Adami primi hominis, duravitque uſque ad Moyſem, qui legem ſcriptam ſeu veterem, ut vulgo ajunt, promulgavit, & in ſtatu legis ſcriptæ, qui a tempore Moyſis uſque ad Chriſtum Dominum ſe extendit, & extant demum in ſtatu legis novæ, in quo degimus, quique uſque ad conſummationem ſæculi perſeverabit. Lege S. D. præcitata q. 61. *art.* 3. & 4.

Numerus & Auctor Sacramentorum.

De induſtria autem diximus neceſſariam fuiſſe inſtitutionem Sacramentorum poſt hominis lapſum; quippe ante lapſum, ſeu in feliciſſimo illo innocentiæ ſtatu, in quo conditus fuit Protoparens, nec extiterunt, nec fuerunt neceſſaria Sacramenta, ut oſtendit idem D. Thomas art. 2. *Dicendum*, ait, *quod in ſtatu innocentiæ ante peccatum Sacramenta neceſſaria non fuerunt. Cujus ratio accipi poteſt ex rectitudine ſtatus illius, in quo ſuperiora inferioribus dominabantur, & nullo modo dependebant ab eis. Sicut enim mens ſuberat Deo, ita menti ſuberant inferiores animæ vires, & ipſi animæ corpus. Contra hunc autem ordinem eſſet, ſi anima perficeretur vel quantum ad ſcientiam, vel quantum ad gratiam per aliquid corporale, quod fit in Sacramentis. Et ideo in ſtatu innocentiæ homo Sacramentis non indigebat, non ſolum inquantum Sacramenta ordinantur ad remedium peccati, ſed etiam inquantum ipſa ordinantur ad animæ perfectionem.* Hæc de neceſſitate inſtitutionis Sacramentorum delibaſſe ſufficiat. Qui plura deſiderat, adeat Em. Gotti de Sacrament. L. 1. *Dub.* 2. 3. 4. 5. & 6. De neceſſitate autem uſus noſtrorum Sacramentorum nihil hic addendum, cum jam Auctor de ſingulis agens, uniuſcujuſque neceſſitatem prodat.

§. II. *De partibus Sacramenta componentibus.*

I. PArtes Sacramenta componentes vocitari ſolent Materia, & Forma: Materiæ nomine, denotantur res, vel actiones ſenſibiles, quæ in ſingulorum collatione exhiberi conſueverunt: nomine vero Formæ ſignificantur verba, quæ a miniſtris proferuntur, vel aliquid verbis æquivalens: Ita ex Concilio Generali Florentino in Decreto Eugenii IV.: *Omnia Sacramenta tribus perfici, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona Miniſtri conferentis Sacramenta cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, quorum ſi aliquid deſit, non perficitur Sacramentum.* Conſulto dixi, materiam eſſe

Partes Sacramenta componentes

ſe res, vel actus ſenſibiles; quia in Sacramento Pœnitentiæ loco rerum exhibentur actus ſenſibiles pœnitentis, nempe confeſſio doloroſa; ita etiam dixi, quod loco verborum ſubrogari poteſt æquivalens; quia in Sacramento matrimonii poteſt dari aſſenſus contrahentium, etiam per ſolos nutus.

Materia, & forma in quolibet Sacramento duplex eſt, remota videlicet, & proxima. Materia remota communiter eſt res illa ſenſibilis, quæ per actionem Miniſtri applicatur ſuſcipienti. Materia proxima eſt ipſamet debita applicatio materiæ remotæ, quæ ſcilicet una cum forma ſibi correſpondente prolata a Miniſtro proxime conſtituit Sacramentum. Forma vero remota ſunt certa verba a Miniſtro proferenda una cum applicatione materiæ. Forma proxima eſt actualis prolatio eorumdem verborum una cum applicatione materiæ facta a Miniſtro. Quænam ſit autem materia & forma tum remota, cum proxima cujuslibet Sacramenti, ſuis propriis locis perſpicuum fiet.

Solum hic obiter animadvertendum occurrit, verba, in quibus Sacramentorum novæ legis formæ conſiſtunt, non eſſe aut promiſſoria, ſeu quæ divinas promiſſiones vel expreſſe contineant, vel ad eas promiſſiones jam factas animum erigant, ac revocent, ut Lutherus, ejuſque aſſeclæ contendunt; aut concionalia, ſeu quæ alta, & intelligibili voce prolata fidem audientium moveant, & excitent, vel ſaltem movere poſſint & excitare, ut Calvinus, ejuſque gregales comminiſcuntur; ſed eſſe vere ac proprie conſecratoria, ſeu quæ res ab uſu profano & vulgari ad ſacrum & religioſum traducunt, eaſque ſacras efficiunt, ac reddunt ſpiritaliter ſalutiferas, ut ſentiunt Catholici auctoritate Divinæ Scripturæ, & conſtanti SS. Patrum loquendi modo innixi. Scriptura namque verba Sacramentorum vocat verba benedictionis 1. *ad Cor.* 10. verba invocationis *Act.* 22., verba vitæ *ad Epheſ.* 5. Patres vero eadem appellant verba ſolemnia, cœleſtia, evangelica, myſtica, conſecratoria, ſanctificantia. Legantur Juſtinus in *Apologia ad Antoninum*, Baſilius in *Lib. de Spir. Sanct. cap.* 15. Cyrillus Hieroſolim. *Catech.* 3., Niſſenus *in Lib. de Baptiſ. & in Oratione catech. cap.* 37., Ambroſius *Lib.* 2. *de Sacram. cap.* 5., Auguſtinus *Lib.* 3. *de Baptiſ. cap.* 10., & *Lib.* 6. *cap.* 25., aliique.

Quomodo a Chriſto determinatæ?

II. Materiæ, & formæ Sacramentorum, quædam fuerunt a Chriſto determinatæ in ſpecie, quædam vero tantum in genere: Nam Baptiſmi habentur determinatæ in ſpecie; nempe aqua pro materia Joan. 3., & invocatio expreſſa Trinitatis pro forma, Matth. ultimo. Ita Euchariſtiæ determinavit panem triticeum, & vinum vitis pro materia; & *hoc eſt &c. hic eſt Calix &c.* pro forma: Math. 26. & Mar. 14. Similiter materiam & formam Pœnitentiæ Joan. 20. Materias autem, & formas aliorum Sacramentorum, tametſi deduci queant ex Scripturis, habemus manifeſte in Traditione Apoſtolico divina, de quibus diſſeretur, cum de unoquoque in particulari ſermo inſtituetur. Eorum igitur Sacramentorum, quorum formas, & materias immediate ipſe Chriſtus non determinavit in ſpecie, determinavit tamen in genere, nempe imponendo Apoſtolis, & ſucceſſoribus, ut adhiberent in collatione illorum Sacramentorum illas materias, illaſque formas, quibus ſufficienter ſignificaretur effectus illius Sacramenti. Id autem eſt neceſſario aſſerendum; nam cum videamus, Eccleſiam Græcam & Latinam diverſis materiebus & formis uti in collatione Sacramenti Ordinis, & neutra reprobet ritum alterius, ſed ut legitimum admittat; profecto inferendum eſt, præfatorum Sacramentorum formas & materias dumtaxat in genere Chriſtum modo explicato determinaſſe & reliquiſſe Eccleſiæ optioni, determinare in ſpecie, quibus eſſet utendum; ac Græcis conceſſiſſe materias & formas illas, ſicuti Latinis formas, & materias, quibus utuntur.

III. Requiritur unio inter materiam, & formam; cum enim ambæ ſint partes componentes Sacramentum, quod eſt compoſitum ex ipſis aſſurgens, niſi uniantur, nunquam aſſurget. Hæc autem unio, ideſt ſimultas partium ſufficit ut ſit moralis, ita ut humano modo prudenter judicentur ſimul coexiſtere; & hæc coexiſtentia, ſeu ſimultas major, vel minor requiritur juxta diverſitatem Sacramentorum; nam v. gr. in Baptiſmo, cum verbis deſignetur actio abluendi, ſufficiet quod verba proferantur, antequam compleatur ablutio, vel viceverſa; quia jam apparet ſimultas moralis: optimum tamen eſt utrumque ſimul incipere, & finire; & ita in aliis Sacramentis. In Sacramento autem Pœnitentiæ non exigitur ſemper iſta ſimultas adeo ſtricte accepta; quia cum ſit inſtitutum ad modum judicii, non ſemper ſententia ſtatim profertur cognita cauſa; quamvis quando ab-

ſo-

Digitized by Google

ſolutio profertur, ſemper ſit aliquo modo præſens confeſſio doloroſa antea facta; & ita in matrimonio putantur conſenſus moraliter conjungi, quamdiu cenſentur moraliter perſeverare.

§. III. *De vario materiæ, & formæ uſu.*

Mutatio materiæ, & formæ. I. MUtare materiam ſubſtantialiter, puta adhibere panem hordeaceum pro triticeo, irritum reddit Sacramentum, quia non adhibetur materia a Chriſto determinata immediate; vel mediante Eccleſia. Mutare autem materiam accidentaliter, puta in Eccleſia Latina uti pane triticeo fermentato pro azimo, relinquit Sacramentum validum, ſed illicite agitur lethaliter, niſi forte in caſu neceſſitatis, de quibus ſuis locis dicetur. Idem ſimiliter dicas de mutatione formæ, quæ ſi ſit mutatio ſenſus ſubſtantialis, nullum reddit Sacramentum; non autem ſi accidentalis; quamvis & hæc ſit ſemper graviter illicita, ſi ſufficienti deliberatione fiat. Similiter interruptio verborum, ſi talis ſit, quod continuationem moraliter tollat, irritum facit Sacramentum; ſi vero continuationem non violet, validum relinquit Sacramentum; ſed ſi fiat ſine cauſa, eſt lethalis, ob gravem injuriam, quæ irrogatur Sacramento. Indulgeatur ſcrupuloſis; ſed prudenter caſtigetur eorum obſtinatio. Pariter omiſſio, aut adjectio verborum, ſenſum non corrumpentium, non efficit irritum Sacramentum, ſed ſemper eſt lethalis, ſi advertenter fiat; qui in re graviſſima agitur contra præſcriptum Eccleſiæ. Mutatio vero idiomatis poteſt eſſe vel lethaliter, vel venialiter, vel nullo modo peccaminoſa, reſpective ad circumſtantias, & qualitates Sacramentorum, perſonarum, vel temporum.

Forma conditionaliter prolata. II. Forma conditionalis ſub conditione de futuro reddit Sacramentum nullum; quia dum ponuntur materia & forma, cum conditio non ſubſiſtat, ſed ſit futura, non ſit Sacramentum; neque ſit adveniente conditione, quia tunc deſunt materia, & forma. Forma vero conditionalis ſub conditione de præterito, vel præſenti nec irritum reddit Sacramentum, neque eſt illicita, ſi in neceſſitate adhibeatur; puta dum non poteſt haberi materia certa, ſed dumtaxat dubia: aut cum dubitatur de valida collatione Sacramenti: non inquam irritum reddit Sacramentum, quia jam conditio fuit, aut eſt ſimul cum Sacramenti partibus: neque eſt illicita; ſervatis ſervandis, de quibus alibi, quia nulla irrogatur injuria Sacramento.

Uti materia dubia. III. Materiæ dubiæ uſus dumtaxat eſt licitus in caſu neceſſitatis miniſtrandi ſacramentum, nec materia certa haberi poteſt; quia ita faciendo, ſuccurritur extreme indigenti, & nulla irrogatur injuria ſacramento, quod in tali caſu miniſtratur conditionate, ideſt ſi materia ſufficiat, te baptizo &c.

Uti materia vel forma probabili, relicta ſecura. IV. Uti forma, vel materia probabili, dum certa haberi poteſt, eſt grave ſacrilegium: ita tenere compelluntur omnes, poſt confixam ab Innoc. XI. theſim 1., in qua dicebatur: *Non eſt illicitum, in conferendis ſacramentis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi: hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.* Materia autem & forma pertinent ad valorem Sacramenti, ut patet. Ratio etiam eſt manifeſta, quia hoc ſe gerendi modo ſit injuria gravis tam Inſtitutori Sacramentorum, quam Sacramentis.

§. IV. *De primo Sacramentorum effectu, nempe Gratia Habituali.*

Sacramenta conferunt gratiam. I. DE fide eſt, Sacramenta novæ legis conferre gratiam ſanctificantem, eadem digne ſuſcipientibus: ita Tridentina Synodus ſeſſ. 7., can. 8. *Si quis dixerit, ipſa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferre gratiam . . . . anathema ſit.* Gratia autem, quam conferunt, eſt gratia habitualis, ſeu gratum faciens, ſeu ſanctificans; quod dicitur ad illam diſtinguendam a gratiis actualibus auxiliantibus, neque formaliter, ſed ſolum diſpoſitive ſanctificantibus. Hæc gratia ſanctificans aliquando vocatur prima, aliquando ſecunda: prima vocatur, quando confertur animæ adhuc exiſtenti in ſtatu peccati lethalis, quod ad gratiæ adventum depellitur; & exinde primo ſanctificat animam. Vocatur autem ſecunda, quando animæ jam habenti gratiam, ejuſdem gratiæ habitualis accedit novum augmentum. Conferre gratiam primam convenit Sacramentis illis, quæ appellari ſolent mortuorum; eo quod fuerint inſtituta ad juſtificandam ani-

animam, & ſunt duo, nempe Baptiſmus, & Pœnitentia. Conferre autem gratiam ſecundam cæteris quinque convenit, quia inſtituta fuerunt, ut conferantur animæ jam juſtitiam, & gratiam habenti; & idcirco vocitari conſueverunt Sacramenta vivorum.

Ex Canone Concilii Tridentini, ab Auctore *num. præced.* relato exploratum eſt, novæ legis Sacramenta gratiam producere *ex opere operato*. Hunc autem loquendi modum paucis exponere, operæ pretium cenſemus. Itaque per *opus operatum* nil aliud Catholici intelligunt, quam ipſum Sacramentum, ſive externum ac ſenſibile ſignum debite ſuſcipienti applicatum ab adminiſtrante, hoc eſt materiæ & formæ conjunctionem, ejuſque applicationem juxta Chriſti inſtitutionem; e.g. in Baptiſmo externam per aquam ablutionem ſub præſcripta verborum forma; & hoc opus contraponunt *operi operantis*, ideſt fidei, pietati, & merito Sacramentum conferentis, vel recipientis; hæc enim ab operante ſuam æſtimationem, & valorem accipiunt: at Sacramentum, ex eo quod fit exterius, penſatur. Igitur cauſare gratiam *ex opere operato* eſt illam producere virtute, & efficacia externi operis ſacramentalis etiam ab indigno, & infideli Miniſtro præſtiti, quod Donatiſtæ negabant, & aliquando ſine ulla diſpoſitione ſubjecti, ut in infantibus; ſemper vero etiam in adultis ultra exigentiam diſpoſitionis prærequiſitæ, quæ ſolum ad tollendum obicem gratiæ, non ad ipſam præſtandam eſt neceſſaria. Quapropter nullum alium ſenſum habet præfatus loquendi modus, præter eum quem ingerunt Auguſtini verba *lib. 4. contra Creſconium cap. 16. n. 19.* nempe, *Baptiſmum* e. g. *non eorum meritis, a quibus miniſtratur, nec eorum quibus miniſtratur conſtare, ſed propria ſanctitate, atque veritate propter eum, a quo inſtitutus eſt*; nec non illa, quæ profert *Lib. 4. c. 24. contra Donatiſtas* dicens, ipſum per ſemetipſum Sacramentum multum valere.

Num autem Novæ Legis Sacramenta moraliter ſolum gratiam producant, ſic videlicet quod & ſua inſtitutione, & ex vi meritorum Chriſti Deum moveant ad gratiam conferendam; an vero etiam phyſice ut inſtrumenta Divinæ Omnipotentiæ; ita ut ex vi & elevatione ipſius ad gratiæ productionem concurrant, magna eſt inter Theologos diſcreptatio. S. Thomas 3. *p.* tota *q.* 62. & præcipue art. 1. apertiſſime docet, Sacramenta non ſolum moraliter, movendo ſcilicet Deum ad gratiam conferendam, ſed etiam phyſice gratiam producere, nimirum concurrendo reali influxu ad ejus efficientiam, tanquam inſtrumenta Divinæ Omnipotentiæ. Quæ ſane ſententia & Scripturarum loquendi modo, & SS. Patrum dictis, & menti Concilii Tridentini, ac demum ipſorum Sacramentorum novæ legis dignitati conformior eſt, ut fuſo calamo nitide oſtendunt ejuſdem S. D. Diſcipuli. Diximus autem conſulto tanquam inſtrumenta Divinæ Omnipotentiæ; ſiquidem certum eſt, ſolum Deum eſſe cauſam principalem gratiæ: unde Apoſtolus ad *Rom. 3. v. 3. Unus*, inquit, *eſt Deus qui juſtificat*. Verum hac de re inſtituto noſtro parum utili, hæc indicaſſe ſit ſatis.

Quomodo per accidens gratia prima cauſatur a Sacramentis vivorum, & ſecunda a Sacramentis mortuorum?

II. Contingere autem non raro poteſt, ut gratia ſecunda conferatur a ſacramentis mortuorum, ſicuti e contra prima a ſacramentis vivorum: puta ſi accedens ad baptiſmum, vel pœnitentiam, accedat jam juſtificatus per contritionem perfectam (ex qua certum eſt peccatorem juſtificari) tunc ſacramenta illa, cum ſemper ſint collativa gratiæ bene diſpoſitis, & jam inveniant animam juſtificatam per gratiam, conferunt ejuſdem gratiæ augmentum, nempe gratiam ſecundam: ita e contra ſi recipiens v. g. Sacramentum Ordinis, & exiſtens in ſtatu peccati mortalis, procuraverit per contritionem ſe ab eo mundare meliori modo quo potuit; revera tamen ad id non pervenerit; & putans ſe diſpoſitum, bona fide accedat ad ſuſcipiendum Ordinem; tunc cum Sacramentum non inveniat obicem voluntarium, eo quod deſtructus fuit a voluntate deteſtante illum, ſacramentum illud vivorum per accidens confert gratiam primam; eo quod de fide ſit Sacramenta *conferre gratiam non ponentibus obicem*, ut definit Tridentina Synodus ſeſſ. 7. can. 6.

Juvat doctrinam hanc verbis D. Thomæ confirmare. Agens S. D. de Sacramento Confirmationis 3. *p. q.* 72. *a.* 7. *ad* 2. hæc habet. *Si aliquis adultus in peccato exiſtens, cujus conſcientiam non habet, vel ſi etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc Sacramento conſequetur remiſſionem peccatorum.* Idem aperte aſſerit & de Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento; ſic enim loquitur *q.* 79. *art.* 3. *Poteſt tamen hoc Sacramentum operari remiſſionem peccati .... etiam perceptum* ab

Digitized by Google

ab eo, qui eſt in peccato mortali, cujus conſcientiam, & affectum non habet. Forte enim primo non fuit ſufficienter contritus; ſed devote, & reverenter accedens, conſequetur per hoc Sacramentum gratiam caritatis, quæ contritionem perficiet, & remiſſionem peccati. Idem repetit etiam de Extrema unctione *in 4. d. 23. q. 1. a. 2. q. 1.*

Quid addat gratia Sacramentalis gratiæ communiter dictæ?

III. Gratia, quæ per Sacramenta confertur, vocari ſolet Sacramentalis, non quia ſit diverſæ ſpeciei a gratia habituali communiter dicta; cum gratia habitualis ſit dumtaxat unius ſpeciei; ſed quia *addit ſuper gratiam communiter dictam quoddam divinum auxilium ad conſequendum Sacramenti finem*, ait S. Doctor 3. p. q. 62. a. 2.; igitur ſuperaddit gratiæ illi habituali communiter dictæ quoddam jus ad conſequenda auxilia divina, quæ correſpondent effectibus ſacramentorum reſpective, & ut pie, devote, & ſicut oportet obeantur munera illorum Sacramentorum propria. Itaque perpendendo ſingula Sacramenta: cum effectus gratiæ baptiſmalis ſint, omnem culpam tum originalem, tum actualem ante Baptiſmum commiſſam plene remittere, tum quoad reatum culpæ, tum quoad reatum pœnæ; illuminare mentem, diminuere concupiſcentiæ vim, & fœcundare animam ad opera chriſtiana; hæc gratia habitualis affert jus baptizato ad obtinenda auxilia, ut feliciter hos effectus aſſequatur. Effectus gratiæ Confirmationis eſt robur ad fidem, ſi opus fuerit, coram tyranno profitendam, & ad eamdem fidem, datis opportunitatibus, propugnandam; & ideo affert animæ jus ad obtinenda auxilia, quibus præfatas præſtet actiones. Effectus gratiæ Euchariſtiæ ſunt, alere vitam ſpiritualem, eamdem augere delectando ſpiritualiter, & nauſeam rerum mundanarum generando, & vehementius attrahere animam ad unionem cum Deo; & ideo affert jus ad auxilia, quibus hæc omnia conſequatur. Effectus gratiæ Pœnitentiæ eſt conferre vim ad fugienda peccata, ad evitanda lenocinia occaſionum, & ad perſeverandum in ſtatu juſtitiæ; & ideo confert jus ad auxilia, his actionibus præſtandis opportuna. Effectus gratiæ Extremæ Unctionis eſt tollere peccatorum reliquias, ægrotantis animam alleviare, fiduciam corroborare, morbi incommoda minus moleſta reddere, tentationibus extremis repellendis robur conferre; & ideo confert jus ad auxilia, his actionibus præſtandis accommodata. Effectus gratiæ Sacræ Ordinationis eſt aptare ſacris miniſteriis obeundis, ut debita pietate, & devotione peragantur; & ideo confert jus ad auxilia opportuna. Effectus gratiæ Matrimonii ſunt, purgare inordinatam concupiſcentiam, vires conferre ad ſuſtinenda onera ſtatus conjugalis, ad ſervandam fidem conjugalem, reciprocam dilectionem, domeſticam concordiam; ad prolem chriſtiana methodo educandam: & ideo confert jus ad auxilia, his omnibus ad praxim deducendis neceſſaria. Hi ſunt effectus ſpeciales, quos, præter ſanctificationem animæ omnibus ſacramentis communem, confert gratia eadem conſiderata ut Sacramentalis; qui effectus collati ab uno, non conferuntur ab altero Sacramento.

Quænam Sacramenta ſuſcepta cum obice gratiam cauſent eo ſemoto?

IV. Sacramenta cum obice peccati mortalis ſuſcepta, ſi ſint ex iis, quæ imprimunt Characterem, (de quo ſtatim in §. ſequenti) quando removetur obex per Pœnitentiam, cauſant ſuam gratiam; ita communior Theologorum cum S. Thoma variis in locis, ſed præcipue 3. p. q. 69. a. 10. *Quando aliquis baptizatur, accipit characterem quaſi formam, & conſequitur proprium effectum, qui eſt gratia remittens omnia peccata: Impeditur autem quandoque per fictionem:* (hoc nomine ſolent vocare theologi obicem) *unde patet, quod remota ea per Pœnitentiam, Baptiſmus ſtatim conſequatur ſuum effectum.* Ratio etiam ſuffragatur: Cum enim Sacramenta ſint ex ſe, & ex propria inſtitutione productiva gratiæ, illam ſtatim producunt, niſi inveniant impedimentum; igitur ſi Sacramenta perſeverent in aliquo ſuo effectu, gratiam illam efficient, remoto impedimento; atqui Sacramenta imprimentia characterem, quamvis ex ſe tranſeant, remanent tamen virtualiter in effectu a ſe producto, qui eſt ipſe character indelebilis; ergo, remoto impedimento, efficiunt gratiam ſuam. Sacramenta vero, quæ non imprimunt characterem, cum neque exiſtant in ſe, eo quod tranſeant, peracta actione Sacramentali, neque exiſtant in aliquo alio ſuo effectu, eo quod non imprimant characterem; ſane, remoto obice, non cauſabunt gratiam ſuam, quandoquidem cauſa neque exiſtens in ſe, neque in aliquo ſuo effectu, inhabilis eſt ad aliquid efficiendum: ita expreſſe S. Doctor in 4. diſt. 4. q. 3. a. 2. q. 3. ubi cum ſibi objieciſſet: *Sicut aliquis ficte accedit ad Baptiſmum; ita etiam ad Euchariſtiam; ſed, recedente fictione, Euchariſtiæ effectum non recipit; ergo nec*

etiam

Digitized by Google

etiam recedente fictione aliquis Baptiſmi effectum recipit: Cui Objectioni ita reſpondet: *Ad tertium dicendum, quod in Euchariſtia non imprimitur character, cujus virtute poſſit aliquis effectum Sacramenti percipere, fictione recedente; & ideo non eſt ſimile.* Quid clarius?

§. V. *De Charactere, altero aliquorum Sacramentorum effectu.*

Quid ſit Character? I. Characteris nomine ſignificatur ſignaculum quoddam ſpirituale, & indelebile, animæ impreſſum, ad ſuſcipiendum, vel aliis tradendum ea, quæ ſunt divini cultus: ita colligitur ex Patrum traditione, ex quibus attente perlectis, ita diſſerit S. Thomas 3. p. q. 63. a. 5. *Character Sacramentalis eſt quædam participatio Sacerdotii Chriſti in fidelibus ejus.... Sacerdotium autem Chriſti eſt æternum; & inde eſt quod omnis ſanctificatio, quæ fit per Sacerdotium ejus, eſt perpetua, reconſecrata manente. Quod patet etiam in rebus inanimatis; nam Eccleſiæ vel Altaris manet conſecratio ſemper, niſi deſtruatur.* Et proſequitur ad 2.: *Divinus cultus conſiſtit vel in recipiendo aliqua divina, vel in tradendo aliis; ad utrumque autem horum requiritur quædam potentia activa; ad recipiendum autem requiritur potentia paſſiva.* Ex quibus habes characterem non eſſe habitum quemdam, ut plurimi affirmant, ſed potentiam quamdam ſpiritualem. Non quidem habitum; quia habitus eſt facultas ad vel determinate bene, vel determinate male operandum, ut videre eſt in ſingulis; charactere vero bene & male utimur, ut patet. Tum etiam, quia habitus augentur, vel minuuntur, immo & deſtruuntur; non ita character; non eſt igitur habitus, ſed ſimplex potentia, ſeu poteſtas, ut conſtat ex data communi definitione, & ex forma, quæ a conferente Sacramentum profertur: *Accipe poteſtatem* &c. Tum quia potentia & male, & bene utimur pro arbitrio noſtro: Propterea concludit S. Doctor q. 72. a. 5. in reſp. ad 2. *Hæc ſpiritualis poteſtas eſt inſtrumentalis,... habere enim characterem competit miniſtris Dei; miniſter autem ſe habet per modum inſtrumenti.*

Quamvis certiſſimum eſſe debeat, characterem ſacramentalem in anima recipi, ipſique inhærere; probabilius tamen eſt, non in animæ eſſentia immediate collocari, ſed in una aliqua naturali ipſius facultate; cum enim character propter operationem imprimatur, in potentia proxime operativa recipiatur oportet, ut docet S. Thomas 3. *p. q.* 63. *art.* 4. Hæc autem facultas, in qua character immediate reſidet non eſt voluntas, ſed intellectus, quatenus ſe extendit ad opus, & practicus denominatur, ut cenſet idem *S. D. in reſp. ad* 3. ajens: *Dicendum quod, ſicut dictum eſt, character ordinatur ad ea quæ ſunt divini cultus. Qui quidem eſt quædam fidei proteſtatio per exteriora ſigna. Et ideo oportet quod character ſit in cognitiva potentia animæ, in qua eſt fides.* Verum hæc leviter tetigiſſe ſufficiat; fuſius enim de his agere ad Scholaſticos Theologos ſpectat.

Placet autem breviter etiam characteris munera ſeu officia percenſere. Sunt vero hæc. Primum ac principale eſt, hominem idoneum reddere ad chriſtianæ vitæ miniſteria, & ea quæ divini ſunt cultus, agenda, vel ſuſcipienda. Secundum, configurare Chriſto Domino, Summo & æterno Sacerdoti, cujus dignitatis & poteſtatis quamdam participationem in eos, quos exornat, traducit. In Chriſto tamen qui eſt ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ Patris, & in quo inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter, nullum eſſe characterem admonet D. Thomas *præcitatæ quæſt. art.* 5. Tertium, diſtinguere eos, qui charactere ſunt inſigniti ab aliis, qui eo ſunt deſtituti, v. g. baptizatos a non baptizatis, Sacerdotes a Laicis. Et quidem propter hæc duo proxime dicta tamquam notiora, *ſignum* a Conciliis & Patribus vocitatur. Sed quale ſignum? Non ex inſtituto, ut contendunt plures, ſed effectum quodammodo naturale, ut probabilius Salmanticenſes, aliique ſuſtinent, cum in ſimilitudine, & participatione, quæ eſt in Chriſto, fundetur.

Demum & de characteris indelebilitate, ut ajunt, quæ etiam inter ipſius proprietates ab aliquibus enumeratur, paucis diſſerere non inutile erit. Itaque characterem Sacramentorum eſſe indebilem in aliquo ſenſu extra Theologorum dubitationem verſatur, utpote a Conciliis Florentino, & Tridentino aſſertum, quæ ſaltem ipſum impreſſum in hac mortali vita non amplius auferri aperte manifeſtant. At neque poſt mortem abraſum iri, ſed perpetuo manſurum in Beatis ad gloriam, & in damnatis ad pœnam concors Theologorum ferme omnium ſententia eſt cum D. Tho-

Digitized by Google

D. Thoma relato *art.* 5. ad 3., ubi ſic mentem ſuam aperit: *Dicendum quod quamvis poſt hanc vitam non remaneat exterior cultus, remanet tamen finis illius cultus. Et ideo poſt hanc vitam remanet character & in bonis ad eorum gloriam, & in malis ad eorum ignominiam. Sicut etiam militaris character remanet in militibus poſt adeptam victoriam, & in his qui vicerunt ad gloriam, & in his qui ſunt victi, ad pœnam.* Hoc etiam Eccleſiaſticis ſanctionibus conformius deprehenditur: unde, ut nemo non videt, non foret iterum baptizandus, aut ordinandus Chriſtianus homo, vel Sacerdos, ſi defunctus miraculoſe revocaretur ad vitam; ſed adhuc ad Sacramenta recipienda, vel Sacrificium valide celebrandum aptus eſſet, atque idoneus. Undenam vero repetenda ſit hujuſce perpetuitatis cauſa, non conſentiunt Doctores. Poſthabitis aliorum placitis, quid ſentiant Thomiſtæ dumtaxat oculis ſubiicimus. Hi igitur in ipſa characteris natura prædictæ indelebilitatis radicem detegunt, non quod per Dei Omnipotentiam ille deleri, ac deſtrui nequeat; ad hoc quippe ſatis foret, ut ſuum Divinum ad ejus conſervationem concurſum ſubtraheret; cum hoc modo perire poſſint etiam ea omnia, quæ ſuamet natura immortalia, atque incorruptibilia vocamus, ſed quia deſitioni a naturalibus cauſis inducendæ obnoxius non eſt character. Quidquid enim deficit aut per accidens, & ad alterius ruinam evertitur, nempe quia ſubjectum a quo fulciebatur ereptum fuit; aut per ſe, quoniam a ſuo contrario perimitur. Neutro autem modo concidere poteſt character; habet ſiquidem ſubjectum ab interitu immune, quoniam animæ ſpirituali atque incorruptibili impreſſus eſt; neque etiam quidpiam ſibi directo hoſtile extimeſcit; etenim poteſtas eſt ſpiritualis divinitus indita, cui nihil vel phyſice, vel moraliter adverſatur; nam quid ipſi nocere poteſt, ſi neque graviſſimis illorum, quibus ineſt, peccatis labefactatur? Quod ideo evenit quia per ſe non ordinatur ad actus moraliter bonos, ſed ſolum tendit ad præbendam capacitatem quidpiam agendi, vel recipiendi.

Cur, inquies, gratia, etſi quidpiam perfectius ſit quam character, cum character ordinetur ad gratiam ſicut ad ulteriorem finem, cur itaque gratia per mortale peccatum amittitur, non item character?

Reſp. D. Thomas *cit. art.* 5. *ad* 1. *dicendum quod aliter eſt in anima gratia, & aliter character. Nam gratia eſt in anima ſicut quædam forma habens eſſe completum in ea: character autem eſt in anima ſicut quædam virtus inſtrumentalis. Forma autem completa eſt in ſubjecto ſecundum conditionem ſubjecti; & quia anima eſt mutabilis ſecundum liberum arbitrium, quandiu eſt in ſtatu viæ, conſequens eſt quod gratia inſit animæ mutabiliter. Sed virtus inſtrumentalis magis attenditur ſecundum conditionem principalis agentis: & ideo character indelebiliter ineſt animæ non propter ſui perfectionem, ſed propter perfectionem Sacerdotii Chriſti, a quo derivatur character, ſicut quædam inſtrumentalis virtus.*

II. Sacramenta vero, quæ characterem imprimunt, de fide eſt eſſe tantum tria, nempe Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem: ita Synodus Tridentina ſeſſ. 7. can. 9. *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile; unde & iterari non poſſunt, anathema ſit.* Sunt igitur hæc tria initerabilia ob motivum a Tridentino indicatum, & longe ante a S. Doctore aſſertum 3. p. q. 63. a. 6. *non reiterantur; eo quod character eſt indelebilis.* Sacramenta imprimentia characterem.

D. Thomas 3. p. q. 63. art. 6. ſolita ſua perſpicuitate explicat, cur per omnia novæ Legis Sacramenta character non imprimatur, ſed per tria dumtaxat, nempe per Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem: *Dicendum*, ait, *quod (ſicut ſupra dictum eſt) Sacramenta novæ legis ad duo ordinantur, ſcilicet in remedium peccati, & ad cultum divinum. Eſt autem omnibus Sacramentis commune, quod per ea exhibeatur aliquod remedium contra peccatum, per hoc quod gratiam conferunt. Non autem omnia Sacramenta ordinantur ad divinum cultum; ſicut patet de pœnitentia, per quam homo liberatur a peccato: non autem per hoc Sacramentum exhibetur homini aliquid de novo pertinens ad divinum cultum, ſed reſtituitur in ſtatum priſtinum. Pertinet autem aliquod Sacramentum ad divinum cultum tripliciter: uno modo per modum ipſius actionis: alio modo per modum agentis: tertio modo per modum recipientis. Per modum quidem ipſius actionis pertinet ad divinum cultum Eucbariſtia, in qua principaliter divinus cultus conſiſtit, in quantum eſt Eccleſiæ Sacrificium. Et per hoc item Sacra-*

cra-

Digitized by Google

cramentum non imprimitur homini character; quia per hoc Sacramentum non ordinatur homo ad aliquid aliud ulterius agendum, vel recipiendum in Sacramentis; cum potius ſit finis, & conſummatio omnium Sacramentorum... Sed ad agentes in Sacramentis pertinet Sacramentum Ordinis, quia per hoc Sacramentum deputatur homo ad Sacramenta aliis tradenda. Sed ad recipientes pertinet Sacramentum Baptiſmi, quia per ipſum homo accipit poteſtatem recipiendi alia Eccleſiæ Sacramenta. Unde Baptiſmus dicitur eſſe janua omnium Sacramentorum. Ad idem etiam ordinatur quodammodo Confirmatio, ut infra ſuo loco dicetur. Et ideo per hæc tria Sacramenta character imprimitur, ſcilicet per Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem.

CAPUT II.

DE SACRAMENTORUM MINISTRO, ET SUBJECTO.

§. I. *De requiſitis generatim in Miniſtro, ut valide miniſtret.*

Quis Miniſter Ordinarius Sacramentorum?

I. MIniſter ordinarius Sacramentorum eſt ſolus homo viator, ut conſtat ex diſpoſitione Chriſti, & ex Patrum traditione; ita tamen, ut reſpectu Baptiſmi in caſu neceſſitatis, neque fœmina excludatur, ut ſuo loco dicetur. Dixi ordinarium, quia ex divino beneplacito etiam homo comprehenſor poteſt eſſe miniſter, qui ſi characterem habeat, reſpectu Sacramenti illum poſtulantis, diceretur miniſter extraordinarius quoad ſtatum, non quoad poteſtatem: Et ſi a Deo mitteretur Angelus, eſſet miniſter non ex inſtitutione Chriſti, ſed ex inſolita, & extraordinaria Dei commiſſione; quia ait S. Doctor hic art. 7., cum Deus poſſit Sacramentorum effectus etiam ſine Sacramentis conferre, poteſt, ſi velit, etiam Angelis talem virtutem tribuere.

Aliquorum Sacramentorum debet eſſe de-terminata Perſona.

II. Miniſter aliquorum Sacramentorum debet eſſe Perſona ſacris ordinibus inſignita, & eſt de fide ex Canon. 10. Tridentini ſeſſ. 7. *Si quis dixerit Chriſtianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis habere poteſtatem, anathema ſit.* Conſulto dixi quorumdam Sacramentorum; Nam Baptiſmus etiam a laico in quibuſdam caſibus miniſtratur; & Matrimonium a laicis celebratur, & miniſtratur. Hanc autem propoſitionem probare contra heterodoxos relinquimus Theologis dogmatum.

Non requiritur in miniſtro fides aut juſtitia.

III. Ut miniſter Sacramentorum valide agat, non requiritur in eo fides, aut juſtitia, dummodo alia neceſſaria præſtet, materiam videlicet, formam, & intentionem: ita de fide ſanxit Tridentina Synodus ſeſſ. 7. can. 12. *Si quis dixerit miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modo omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, ſervaverit, non conficere Sacramentum, anathema ſit.* Quod pariter Theologiæ dogmatum ex D. Paulo, & ex traditione probandum relinquimus. Requiritur ergo, ut valide agat, præter materiam & formam, etiam intentio ſaltem faciendi id quod facit Eccleſia, ex definit. Trident. loc. cit. can. 11. *Si quis dixerit, in miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia, anathema ſit.*

Requiritur intentio interna Miniſtri.

IV. Quid autem ſignificetur verbis illis denotantibus *intentionem ſaltem faciendi quod facit Eccleſia*, varia eſt graviſſimorum doctorum opinio. Quidam enim dicunt cum Cano ſufficere, quod miniſter ſerio intendat facere ſolum opus externum, ita ut exterius ex circumſtantiis appareat, miniſtrum ſerio ſe gerere, & prout exterius fit ab Eccleſia; quamvis nulla, vel contraria ſit in miniſtro intentio ſua interna. Alii e contra communius, & videri noſtro probabilius dicunt, requiri intentionem internam in miniſtro, volendi facere ſaltem, quod fit ab Eccleſia. Idque evincitur ex ipſis Concilii verbis. Etenim Concilium, præter poſitionem materiæ, & formæ, requirit intentionem: ergo requirit intentionem in ſenſu noſtro explicatam, & non in ſenſu oppoſitæ opinionis: probo conſequentiam; illa intentio opinionis oppoſitæ jam requiritur a Concilio, dum exigit poſitionem ſeriam materiæ, & formæ, nam hæ non ponuntur niſi ab intendente, & volente illas ponere: ergo ſi præter poſitionem materiæ & formæ, requirit etiam intentionem; poſtulat intentionem in ſenſu noſtro explicatam, quæ eſt alia ab intentione & volitione poſitionis materiæ, & formæ: aliter repeteret idem inutiliter; quandoquidem intentio ponendi materiam, & formam includitur in poſitione

Digitized by Google

ne earumdem, & eſt idem cum poſitione ipſarum. Confirmo: quia Concilium indicat objectum hujus intentionis, dicendo illud eſſe, faciendi quod facit Eccleſia: Eccleſia autem facit non ſolum illam cæremoniam materialiter in ſe, quæ etiam a laico poteſt ſerio fieri, ſed etiam intendit facere actionem ſacram, & ritum a Chriſto inſtitutum, & Sacramentum; igitur intentio, quam poſtulat in miniſtro, eſt faciendi Sacramentum. Confirmo tandem: quia miniſter eſt cauſa inſtrumentalis humana; ergo non debet eſſe merus materialis exequutor, & veluti purum medium materiale deferens virtutem; ſed debet cooperari Deo agenti principali, modo proprio, conveniente cauſæ inſtrumentali humanæ, quæ humano modo non operatur, niſi per intellectum, & voluntatem, volentem ſe conformare intentioni divinæ, & Eccleſiæ, quæ eſt, ut fiat Sacramentum. Quibus rationibus ſuſpicari poſſumus inductum fuiſſe Summum Pontificem Alexandrum VIII. ad reprobandam theſim, inter confixas ab ipſo, n. 28. in qua dicebatur: *Valet Baptiſmus collatus a Miniſtro, qui omnem ritum externum formamque Baptiſmi obſervat, intus vero in corde ſuo apud ſe reſolvit: Non intendo facere, quod facit Eccleſia.* Noſtræ opinioni videtur conformis eſſe etiam Angelicus dum 3. p. q. 64. a. 10., ubi de intentione requiſita loquens, dicit: *Intentio miniſtri poteſt perverti dupliciter, uno modo reſpectu ipſius Sacramenti; puta cum aliquis non intendit Sacramentum conferre, ſed deriſorie aliquid agere* (hoc interius intendendo;) *& talis perverſitas tollit veritatem Sacramenti; præcipue* (nota bene) *præcipue quando ſuam intentionem exterius manifeſtat:* Si igitur ex Angelico, qui intendit deriſorie aliquid agere, non facit Sacramentum, etiamſi dumtaxat interius ita ſentiat: ergo qui interius non vult facere Sacramentum, deriſorie agit, nec facit Sacramentum; & præcipue ſi id exterius ſignificet: profecto ſi ly *præcipue* eſt vox correllativa, & declarat aliquid, quod jam præſupponitur antea aſſertum; ſi *præcipue* evincit; nempe quod non efficiat Sacramentum, quando exterius dicit ſe nolle facere; id etiam erit, quando exterius id non exprimat, ut verificetur, quod id *præcipue* accidat, quando profitetur exterius, ſe nolle conficere.

V. Neque oppoſitum docuit S. Doctor loc. cit. a. 8. ad 2., ubi approbat opinionem dicentium; quod *miniſter Sacramenti agit in perſona totius Eccleſiæ, cujus eſt miniſter; in verbis autem, quæ profert, exprimitur intentio Eccleſiæ, quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti, niſi contrarium exterius exprimatur ex parte Miniſtri, vel recipientis Sacramentum:* Ibi enim reſpondet S. Doctor objectioni, quam ſibi oppoſuerat hoc modo: *Non poteſt homini eſſe nota intentio alterius: ſi igitur intentio miniſtri requiritur ad perfectionem Sacramenti, non poſſet homini ad Sacramentum accedenti eſſe notum, quod Sacramentum ſuſcepiſſet.* Quod argumentum, ut vides, excludere vult intentionis interioris neceſſitatem, ne qui ſuſcipit Sacramentum, reddatur anxius, an revera illud ſuſceperit; eo quod occulta eidem ſit intentio miniſtri; & huic argumento dat reſponſionem allatam, qua nil aliud intendit S. Doctor, quam ſimul conjungere, & neceſſitatem intentionis, & prudentem ſecuritatem ſuſcipientis, ſe Sacramentum ſuſcepiſſe; eo quod cum miniſter agat in perſona Eccleſiæ, & intentio ſatis exprimatur in verbis, puta *ego te abſolvo*; prudenter credere debet ſuſcipiens, miniſtrum habuiſſe intentionem abſolvendi, niſi contrarium exterius manifeſtet. At ex his quid contra nos? tollit ne S. Doctor neceſſitatem intentionis internæ faciendi Sacramentum? minime gentium; cum, prætermiſſo reſponſo, reſpondere potuiſſet, eam ad valorem Sacramenti non requiri; dummodo exterius fecerit, quod faciendum erat. Ita tamen non reſpondet; ſed, ſuſtinendo neceſſitatem intentionis, ſedare vult anxietatem imprudentem timentis de intentione ſibi occulta miniſtri.

Solvitur objectum ex S. Doctore.

VI. Dices Sacramenta eſſe ſpirituales quaſdam medicinas, quarum effectus non pendet ex intentione illas miniſtrantis. Sed huic nugæ facile occurritur, primo dicendo; quod effectus medicinæ ex ejuſdem naturali conditione profluit, & proinde medicus ſicuti non eſt medicinæ cauſa, ita neque effectus ejuſdem, ſed merus applicans: at materiæ & formæ Sacramentorum non cauſant gratiæ effectum natura ſua, neque ex ſe ſunt partes ſacramentales, neque miniſter eſt merus applicans, ſed cauſa inſtrumentalis effectus Sacramentalis; igitur niſi eleventur a Deo, ut cauſa principali per miniſterium miniſtri, ut cauſæ inſtrumentalis, non producunt effectum gratiæ: niſi igitur etiam mi-

Solvuntur alia duo objecta.

miniſter voluntate operandi Sacramentaliter ſe determinet, non influet inſtrumentaliter in effectum, neque habebitur effectus. Repones, impoſſibile videri, quod Deus alligare voluerit effectus Sacramentorum intentioni miniſtri. Sed id nullo modo impoſſibile videbitur conſideranti, quod poſito divino beneplacito utendi miniſtro tanquam cauſa inſtrumentali operante per intellectum, & voluntatem, voluerit effectus Sacramentorum pendentes eſſe etiam ab intentione ejuſdem. Illud monendum ſupereſt, poſt damnatam theſim I. ab Innoc. XI., cujus auctoritate definitum fuit, quando agitur de valore ſacramenti, non eſſe ſequendam probabilem opinionem, relicta tutiore; per conſequens in praxi noſtræ eſſe opinioni ſubſcribendum.

* Ambroſius Catharinus, e Dominicanorum Familia Epiſcopus Minorenſis, & poſtea Archiepiſcopus Compſanus, *in Opuſc. de Intentione Miniſtri* contendit ad Sacramentum adminiſtrandum, ſatis eſſe, ut miniſter intentionem habeat ſerio perficiendi ritum externum, qui ab Eccleſia adhibetur; atque adeo, etiamſi ſuam intentionem retineat, aut interius dicat, ſe nolle facere, quod facit Eccleſia, dummodo exterius ſerio agat, nulloque ſigno pravam ſuam voluntatem prodat, ratum perfectumque Sacramentum ab eo perfici, Catharinus propugnat. Catharino præiverant Petrus Cantor, Robertus Cardinalis Pullus, Palludanus, Sylveſter, eumque poſtea ſunt ſectati Salmeron *lib. 1. commen. in Epiſt. D. Pauli 3. par. diſp. 2.* Joannes Marius Scribonius *in Summ. Theolog. de Sacram. in Gen. qu. 6. & 7.* Vincentius Contenſonius *in ſuo tract. de Sacram. in Gen.* Hyacinthus Serry in *Vind. Catharin.* Natalis Alexander, Gaſpar Juvenin, aliique recentiores.

Melioris judicii Theologi, ut animadvertit S. P. Benedictus XIV. *de Synodo Diœc. lib. 7. cap. 4. n. 8.* Catharini opinionem ab hæreſis cenſura vindicant, latumque inter illam, ac Lutheri, & Calvini doctrinam diſcrimen intercedere demonſtrant. Negari tamen haud poteſt, *ſubdit*, grave vulnus præfatæ opinioni inflictum ab Alexandro VIII. a quo die 7. Decembris 1690. propoſitio damnata fuit, quam ſupra *num. 4.* affert Auctor. Sed nihilominus a damnationis telo illam defendere conantur Juveninus *cit. loc.* Serry *in cit. Vind. pag.* 109. Auctor Oper. *de Re Sacram. pag.* 113. aliique. Sic autem idem S.P. tandem concludit *n. 9.* „ Ut ut hæc
„ res coram Deo ſe habeat, nulla uſque
„ adhuc de ea emanavit expreſſa Apoſto-
„ licæ Sedis definitio. Quamvis igitur com-
„ munior ſit ſententia exigens in miniſtro
„ intentionem vel actualem, vel virtua-
„ lem, faciendi non ſolum ritum exter-
„ num, ſed id quod Chriſtus inſtituit, ſeu
„ quod facit Eccleſia, & hæc veluti tu-
„ tior, ſit omnino ſervanda in praxi; non
„ eſt tamen Epiſcopi priorem opinionem
„ reprobare, atque ad hanc poſteriorem,
„ etiam theoretice tuendam, ſuos diœce-
„ ſanos adigere: cauſas quippe majores,
„ difficilioreſque quæſtiones, Fidem aut
„ diſciplinam ſpectantes, ad Apoſtolicam
„ Sedem deferendas, ſtatuit perpetua Ec-
„ cleſiæ conſuetudo, ab Innocentio III. in
„ *Cap. Majores, de Baptiſmo* confirmata.
„ Quare, ſi conſtet, quempiam aut Baptiſ-
„ mum contuliſſe, aut aliud Sacramentum
„ ex iis, quæ iterari nequeunt, admini-
„ ſtraſſe, omni adhibito externo ritu, ſed
„ intentione retenta, aut cum deliberata
„ voluntate non faciendi quod facit Eccle-
„ ſia; urgente quidem neceſſitate, erit
„ iterum Sacramentum ſub conditione per-
„ ficiendum; ſi tamen res moram patia-
„ tur, Sedis Apoſtolicæ oraculum erit ex-
„ quirendum, quemadmodum ad Schola-
„ ſticum Conſtantinopolitanum faciendum
„ ſcripſit Ferrandus, Eccleſiæ Carthagi-
„ nenſis Diaconus, in difficili quæſtione,
„ qua tunc Eccleſia fatigabatur, doctis,
„ indoctiſque in varias partes ſciſſis, in-
„ quiens: *Interroga, vir prudentiſſime, ſi*
„ *quid veritatis cupis audire, principa-*
„ *liter Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem, cujus*
„ *ſana doctrina conſtat judicio veritatis,*
„ *& fulcitur munimine Auctoritatis:*
„ *tom. 9. Biblioth. Patrum pag.* 509. “

VII. Jam alibi explicata triplici intentione, actuali videlicet, virtuali, & habituali, dicimus, cum communi, ad conficiendum Sacramentum ſufficere intentionem virtualem, quæ videlicet remanet ex actuali jam antea elicita, & cujus imperio, impulſu, & efficacia homo operatur, quæ operari conſtituit, diciturque adhuc humano modo operari ex influxu præcedentis elicitæ actualis intentionis. Habitualis autem nil prodeſt, quia omni caret influxu in operationem.

Sufficit intentio virtualis.

Cum intentio ſit actus voluntatis deliberatus, quo quis aliquid intendit, ſeu aſſequi vult, dum externam aliquam opera-

ra-

Digitized by Google

rationem exequitur; cumque variis modis voluntas tendere poſſit in id, quod intendit, ſeu aſſequi vult, hinc multiplex ex parte modi intentio diſtinguitur. Ceteras inter celebris eſt diviſio *in actualem, virtualem*, & *habitualem*, quam indicat Auctor *num. præced.*, quamque & hic uberius, accuratiuſque explicare operæ pretium exiſtimamus. Itaque intentio *actualis*, eſt præſens animi applicatio ad opus, quod reipſa agitur. Talem intentionem habet Sacerdos, qui dum conficit Sacramentum, actu cogitat de eo conferendo, & actu intendit illud miniſtrare. Intentio *virtualis* eſt voluntas faciendi, quæ quoad *formalem* & expreſſum actum non amplius extat, ſed in effectu & determinatione a ſe relicta perſeverat, quoniam manet adhuc aliquis motus, & tendentia ad opus, quod incepit cum ipſius cogitatione, licet cogitatio ſaltem reflexa ſenſim evanuerit. *Habitualis* demum eſt intentio olim habita, nec unquam contrario propoſito revocata, quæ tamen neque in ſe, neque in ſua virtute, nec in aliquo effectu a ſe relicto amplius viget; vel juxta alios eſt habitus per actus ſimiles ſæpius repetitos acquiſitus, qui voluntati facilitatem, & propenſionem tribuit ad eos replicandos, ſive eſt ipſamet facilitas, & propenſio, ſeu inclinatio ex tali habitu genita. His expoſitis.

Convenit penes omnes, ad perficiendum Sacramentum, omnium eſſe optimam intentionem actualem, virtualem ſufficere, habitualem non item.

Actualis quidem omnium optima eſt, ſacriſque rebus tractandis ſumme conveniens, ideoque maxime optanda, & a religioſo miniſtro pro viribus procuranda, nec niſi culpabiliter negligenda: at omnium conſenſu ad valorem Sacramenti neceſſaria non eſt; cum vix ſit in humanæ mentis poteſtate; quæ ob ſui inconſtantiam, & infirmitatem, etiam dum res Sanctiſſimas tractat, & tota cordis intentione eas peragere conatur, alio invita abſtrahitur, & ſecundum varia, quæ ipſis præſentantur objecta, in varias labitur evagationes. Quare ſi ad valorem Sacramenti actualis requireretur intentio, dubio procul ſemper, vel ſaltem ſæpenumero de ipſius valore ambigendum foret. *Non eſt autem credibile* ait Em. Gotti *Quæſt. 7. Dub. 4. §. 2.*, *Chriſtum voluiſſe ſua Sacramenta cum tanta incertitudine miniſtrari*.

Sufficit intentio virtualis.

Hinc colligere pronum eſt, ſufficere intentionem virtualem ad Sacramentum valide conficiendum, ut ſecundo loco pronunciavimus. Quippe Miniſter ex intentione virtuali agens, agit humano & rationabili modo, videlicet cum ſufficienti advertentia, & deliberatione: ſiquidem, ut jam diximus, non eſt in hominis poteſtate poſitum ita cohibere mentem, ut nunquam divagetur, continuoque actu cogitet de opere præſertim diuturniore, quod deliberata voluntate ſemel aggreſſus eſt. Sic concorditer ſentiunt Theologi poſt D. Thomam 4. *p. q.* 64. *art.* 8. *ad* 2., ubi ad rem hanc hiſce ſeſe explicat verbis. *Dicendum, quod licet ille qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen intentionem habitualem, quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti; puta cum Sacerdos accedens ad baptizandum intendit facere circa baptizandum quod facit Eccleſia. Unde ſi poſtea in ipſo exercitio actus cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum. Quamvis ſtudioſe curare debeat Sacramenti Miniſter, ut etiam actualem intentionem adhibeat: ſed hoc non eſt totaliter poſitum in hominis poteſtate: quia præter intentionem cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare*. Quid clarius? Notandum vero S. D. *habitualem* intentionem pro *virtuali* hic accipere; nondum enim ipſius ætate excogitata fuerat a Theologis diſtinctio triplicis intentionis: ſed tunc intentio ſolummodo in actualem, & habitualem ſejungebatur: *habitualis* autem nomine Theologi illorum temporum eam intelligebant, quam modo nos *virtualem* nuncupamus; proinde ipſe quoque D. Thomas de habituali intentione loquitur in eumdem modum, ut patet apertiſſime ex ejus doctrina: aſſerit namque quod *ſi in ipſo exercitio actus cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum*, quod nos de virtuali intentione dicimus. Legatur Em. Cardinalis Cajetanus in *Com. ſuper eumdem articulum*.

Cæterum cum virtualis intentio ab actuali (quæ forte melius *formalis* & *reflexa* diceretur) ſecernitur, communis potius loquendi modus, quam veritas ipſa ſpectatur, ut appoſite animadvertunt nonnulli. Quandoquidem & quæ virtualis vocitatur actualis eſt; immo ipſiſſima intentio a principio actionis elicita actu perſeverans in ſe, ſed ſine actuali advertentia, & reflexione agen-

Digitized by Google

agentis ad ipſam; nam alioquin aliquam ejus, quod ſit, tenuem, ſubobſcuram, confuſam, & imperceptibilem cogitationem ſuperſtitem eſſe in eo, qui ex virtuali intentione operatur, inde colligunt graviſſimi Doctores, quod, ceſſante prorſus omni cogitatione, vix poteſt intelligi, perſeverare aliquam in voluntate, & in potentiis ab ea motis determinationem, vel impetum ad opus antea ſuſceptum.

Denique intentio habitualis ſatis non eſt ad peragendum valide Sacramentum, ut poſtremo adfirmavimus. Etenim juxta Chriſti inſtitutionem ad Sacramentum perficiendum requiritur in Miniſtris actio humana & deliberata, quæ ab habituali ſolummodo intentione non præſtatur, cum hujus motione & virtute illa minime edatur; quippe intentio, quæ tum in ſe, tum quoad motus aliquando excitatos omnino præteriit, licet contraria voluntate ſublata non fuerit, nihil influit in opus quod poſtea efficitur, & ad illud humano modo perpetrandum æque ſe habet, ac ſi nunquam emiſſa fuiſſet.

Intentio quoque interpretativa (& hoc opportune addam) ad conficiendum valide Sacramentum idonea non eſt, multoque minus ad id ſufficit, quam habitualis. Nam intentio interpretativa, prout communiter Theologi explicant, eſt quæ nec actualiter adeſt, nec unquam revera extitit in operante, ſed quæ tantum præſto foret ſi ejus objectum menti occurreret, & hæc illud voluntati proponeret: unde non eſt proprie intentio, ſed diſpoſitio dumtaxat voluntatis ad intentionem concipiendam in datis circumſtantiis. Porro intentio quæ nec actualiter adeſt, nec unquam revera extitit, ſed ſolum adeſſet, ſi ejus objectum in mentem veniret, nihil efficit, neque valet eſſe principium actionis moralis, & humanæ, qualis eſt effectio Sacramentorum.

Ex hactenus dictis ſequentia, quæ praxim ſpectant, inferas cum Petro Colet *Inſtit. Theolog. Tom. 4. cap. 2. §. 2. concl. 2.* 1. gravis peccati ſuſpectos eſſe, qui voluntarie diſtrahuntur in conficiendis Sacramentis, quia hic ſubeſt irreverentia, quæ pro levi haberi facile non poteſt. 2. eum qui formam ſine intentione inceptam cum intentione proſequitur, aut e contrario, nihil efficere, quia neceſſum eſt, ut intentio in formam totam influat. Idem eſt ſi quis abſolutionis formam, quam attente incepit, perficiat ſomno oppreſſus; qui dormiens humano modo non agit. 3. valide conſecrari hoſtias, quas quis conſecraturus in pixide ſuper corporali repoſuerit, etſi earum oblitus, pixidem non aperuerit in decurſu actionis; quia hic influit primæva intentio (niſi forte Sacerdos, ut alicujus eſt in more poſitum, intenderet conſecrare unice materiam, quam præ manibus tenet). 4. addendum putamus, non conſecrari hoſtias juxta probabiliorem ſententiam, ſi ponatur pyxis ſuper Altare a cornu Epiſtolæ, & Sacerdos non recordetur ſuper corporale illam conſtituere. Idem omnino aſſerendum, ſi particulæ deferantur ad Altare in vaſe non ſacro, ligneo, ſtanneo &c. & in ipſo remaneant, quamvis vas ſuper corporale poſitum ſit. Ratio eſt, quia particulæ extra corporale, vel in vaſe non ſacro poſitæ, nequeunt licite conſecrari ob reverentiam Sacramenti, & contrariam Eccleſiæ ordinationem; atque adeo intentio Sacerdotis non ſe extendit ad illa ſic poſitas conſecrandas; cum intentio cujuſcumque boni Sacerdotis ſit, & ſemper ſupponatur eſſe, conſecrandi dumtaxat materiam, quæ licite, & abſque peccato conſecrari poteſt; nullus quippe præſertim in tam Sancto miniſterio præſumitur velle agere illicite, ſeu peccare. 5. eos qui cum irregulares ſint, dimiſſoriiſve, aut legitimo titulo deſtituti, manuum impoſitionem recipiunt ab Epiſcopo, qui per ſe, vel miniſtros ſuos declaravit, talium ordinationem a ſe non intendi, vere tamen ordinari, ſi declaratio hæc ſit ſolum comminatoria; ſecus ſi abſoluta eſt, quia hic nulla occurreret intentio ne quidem virtualis. In dubio de intentione Epiſcopi erit is conſulendus. Quod ſi obierit, ponderanda erunt verba, quibus uſus eſt; ſi vero ex iis defuncti mens certo colligi nequit, iteranda erit ſub conditione ordinatio tamquam dubia. Cæterum ejuſmodi declarationes, de futuro intentionis defectu, quæ nullum in Pontificalibus fundamentum habent, jure improbantur a Lugo ob gravia, quæ hinc exoriri poſſunt dubia: De hoc poſtremo late diſſerit S. P. Ben. XIV. tum *de Synodo Diœceſ. Lib. 7. cap. 26. E. R.* 1748 Parm. vero 1760. *Lib. 8. cap.* 9. tum *de Sacroſancto Sacrificio Miſſæ Lib. 3. c.* 10. probatque quod aſſerit Lugo, præſtare omnino, ut Epiſcopus abſtineat ab illa generali proteſtatione, ſe intentionem non habere ordinandi irregulares, cenſuris innodatos, carentes legitimo patrimonio, aut Beneficio, vel litteris dimiſſorialibus

pro-

Digitized by Google

proprii Ordinarii &c., cum proteſtatio hujuſmodi innumeris ſcrupulis, & animi anxietatibus occaſionem præbeat.

§. II. *De requiſitis, ut licite miniſtret.*

Ut licite miniſtret debet eſſe in gratia.

I. Miniſter ſacramenta ſolemniter conficiens, ideſt agens ex officio & munere ſuo, debet eſſe immunis a reatu mortali, alioquin peccat mortaliter, Sacramentum conficiendo, & miniſtrando: eſt communis cum S. Doctore, qui 3. p. quæſt. 64. a. 6. ita probat aſſertum: quia miniſter, ex officio agens, tenetur ſe conformare agenti principali, cujus ſe exhibet miniſtrum: & aliter faciens, irrogat gravem injuriam tam præfato agenti, quam Sacramento. Miniſter autem agens in caſu neceſſitatis, ſi miniſtret non in ſtatu gratiæ, non peccat: ita S. Doctor loc. cit. ad 3. *In articulo neceſſitatis baptizando,* (Sacerdos) *non peccaret in caſu quo etiam laicus poſſet baptizare: ſic enim patet, quod non exhiberet ſe miniſtrum Eccleſiæ, ſed ſubveniret neceſſitatem patienti. Secus eſt in illis Sacramentis, quæ non ſunt tantæ neceſſitatis, ſicut Baptiſmus.* Quia in hoc caſu immunditiés miniſtri non redundat in irreverentiam Chriſti, nec Sacramenti, ſicut redundat immunditia agentis ex officio ſolemniter, & ut miniſtri Eccleſiæ. Id autem intelligitur etiam de mere miniſtrante, quamvis non conficiat Sacramentum, ut docet probabilior cum Rituali Romano Pauli V. Auctoritate edito: *Sacerdos ſi fuerit peccati mortalis ſibi conſcius, quod abſit, ad Sacramentorum adminiſtrationem non audeat accedere, niſi prius corde pœniteat; ſed ſi habeat copiam confeſſarii, & temporis, locique ratio ferat, convenit confiteri*: & cum S. Doctore in 4. diſt. 24. q. 1. a. 3. q. 5. *Quicumque cum peccato mortali aliquod ſacrum officium pertractat, non eſt dubium.... quod mortaliter peccat*: & 3. p. loc. cit. *Non eſt dubium, quin mali, ſe exhibentes miniſtros Dei; & Eccleſiæ in diſpenſatione Sacramentorum peccent,... & conſequens eſt, quod tale peccatum ex genere ſuo ſit mortale.* Unde, antequam miniſtret, ſaltem actum perfectæ contritionis eliciat: dixi ſaltem, quia Rituale docet, quod ſi copiam confeſſarii habeat, convenit confiteri. Circa Euchariſtiam dicetur ſuo loco. ☞ Confeſſionem ſacramentalem præmittendam eſſe conſecrationi, & ſumptioni Euchariſtiæ ab eo qui ſibi conſcius eſt peccati mortalis, niſi neceſſitas excuſet, & certum eſt penes omnes, & ſuo loco perſpicuum fiet, videlicet cap. 3. §. 6. Hoc idem & ab eo præſtandum qui Euchariſtiam dumtaxat adminiſtrare debet, vel aliud Sacramentum conficere, ſi habeat copiam confeſſarii, & non urgeat neceſſitas extreme indigenti ſuccurrendi, adeoque non ſufficere, ſi ſolum actum eliciat perfectæ contritionis, ſentiunt non pauci. Plura ad id evincendum adferunt ipſi argumenta. Hoc unum ſolummodo, ut brevitati conſulamus, oculis ſubiicimus. Neceſſe eſt, ut unuſquiſque in rebus, quæ ad ſalutem animæ ſpectant, certa & obvia, quæ in promptu habet, incertis & dubiis præponat; & niſi hoc modo ſe gerat, in comperto eſt apud omnes ſeſe peccati reum conſtituere; ut patet ex Auguſtini auctoritate, quam affert Petrus Colet, *tract. de Sacram. in Gen. cap. 4. art. 2. poſt. concl. 2.* Porro facilius, & obvium recuperandæ gratiæ medium eſt ſacramentalis confeſſio; incertum vero, & arduum medium contritionis perfectæ: *Quis ignorat*, ait Catechiſmus Concilii Tridentini 2. *Parte, cap.* 5. §. 36. *illam*, nempe contritionem, qua peccata delentur, *adeo vehementem, acrem, & intenſam eſſe oportere, ut doloris acerbitas cum ſcelerum magnitudine æquari, conferrique poſſit? An quoniam pauci admodum ad hunc gradum pervenirent, fiebat etiam, ut a pauciſſimis hac via peccatorum venia ſperanda eſſet &c. Quare ... Clementiſſimus Deus*, concludit Catechiſmus, *Claves regni cæleſtis Eccleſiæ tradidit.* Neceſſum eſt igitur, ut miniſter mortali peccato inquinatus hoc certum, & obvium recuperandæ gratiæ medium amplectatur, & ſi ipſum negligat, peccabit, ſeque gravi periculo indigne conficiendi, & adminiſtrandi Sacramenta exponet, quemadmodum peccaret ille, & periculo exponeret Sacramentum irritæ adminiſtrationis, qui neglecta materia, & Forma certa quam habet in promptu, incertam, & dubiam adhiberet. Hinc idem Catechiſmus *loco citato*, §. 45. *Si quid*, ait, *ſalutis noſtræ ratio poſtulet, conſideremus, profecto quoties ... aliquam rem tractare aggredimur, cujus tractatio homini peccatis contaminato non conveniat, veluti cum Sacramenta adminiſtramus, aut percipimus, toties confeſſio prætermittenda non eſt.* Lege P. Danielem Concina *Lib. 1. de Sacramentis in*

Digitized by Google

in genere Diſſert. un. cap. 11. §. 5. *n.* 26.

Tenetur obſervare ſacras cæremonias. II. Tenetur item miniſter, ut licite miniſtret, obſervare ſacras cæremonias reſpective præſcriptas pro confectione, aut adminiſtratione Sacramenti; ita ut ſi notabiliter cum advertentia deſit, peccet mortaliter. Ita Synodus Tridentina ſeſſ. 7. can. 13. *Si quis dixerit, receptos, & approbatos Eccleſiæ ritus, in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato a miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum paſtorem mutari poſſe, anathema ſit.*

Quando peccet miniſtrando indignis? III. Si miniſter Sacramentum miniſtret peccatori publico, ſive publicitate juris, quia declarato tali per ſententiam judicis, vel per ipſius confeſſionem, vel per depoſitionem teſtium in judicio; ſive publicitate facti perpetrati in loco publico, quod majori parti innoteſcit, neque poteſt aliqua tergiverſatione celari; huic inquam, peccatori ſive publice, ſive occulte petenti ſi miniſtret, peccat lethaliter: quia contra Evangelium Matth. 7. dat ſanctum canibus, & mittit margaritas ante porcos; ſcandalum namque præbetur fideli populo, ſi hujuſmodi peccatori antequam ſufficientia det ſigna pœnitentiæ, Sacramenta adminiſtrentur. Excipe matrimonium, cujus ipſi contrahentes ſunt miniſtri. Non enim peccat contrahens cum publico peccatore, neque peccato illius cooperatur; quia in ipſo ſtat, ut ſaltem per contritionem ſe mundet: aliter multa ſequerentur inconvenientia, ſi contrahens deberet eſſe ſollicitus de juſtitia alterius contrahentis, & multæ fraudes intermiſceri poſſent: immo videmus, Eccleſiam alicubi permittere catholico, contrahere cum hæretica, & e contra. Peccatori autem occulto petenti in publico non eſt denegandum Sacramentum; quia læderetur fama ipſius cum gravi ſcandalo; dum alioquin poſſit reſipuiſſe, eo quod id in momento contingere poſſit: & alioquin præceptum juſtitiæ ſtrictius urget, quam præceptum ſolius religionis. Si demum petat occulte, denegandum eſt; quia nullum ſequitur inconveniens, & alioquin urget præceptum de non dando ſancto canibus.

Circa traditam hucuſque ab Auctore doctrinam, quæ eſt S. Thomæ 3. *p. q.* 80. *art.* 6., omniumque Theologorum, plura obſervanda occurrunt.

1. Circa peccatorem publicum, cui denegandum eſt Sacramentum ſive publice, ſive privatim petat; magna in praxi cautione, atque prudentia opus eſt, ut monet Continuator *Prælect. Theolog.* Honorati Tournely *Tract. de Sacram. in Gen. cap.* 2. *art.* 3. *ſect.* 5. Cavendum itaque *ait*, & ſummopere cavendum 1. ne pro notorio habeatur quod vel paucis cognitum ſit, vel rumoribus nixum incertis, vel ſola vulgi credulitate, aut imperitia fundatum. Idque etſi in pluribus locum habere poteſt, habet præſertim in iis quæ pertinent ad ſortilegium, magiam, & quandoque hæreſim. 2. Ubi ſentit Parochus fieri poſſe, ut ad Sacramenta accedat quis ſuſpectæ famæ, æquum eſt, ut eum amice conveniat, moneat de ipſo ſpargi multa, quæ tetri quid moribus ejus inurant, horteturque, ut ſcandali cauſas reſecet. 3. Et id curare debet, ut e ſuggeſtu, nemine tamen deſignato, contra eos inſurgat, qui & impii ſunt, & ne pro impiis habeantur accedere volunt ad Deum, *quaſi gens quæ juſtitiam fecerit*. 4. Non deferat Euchariſtiam cum periculo tumultus, & ſcandali, puta ſi notorius adulter, necdum, utpoteſt, pellicem e domo ejecerit. 5. Non habeat ut notorium in hoc vico peccatorem, qui tantum notorius ſit in alio, præſertim, ait Sylvius *quæſt.* 8. *art.* 6., ſi fama criminis non videtur eo facile perventura. 6. Ubi viderit peccatorem tergiverſatione aliqua non improbabili ideam criminis a ſe propellere, conſulat Epiſcopum, & in dubiis mandata ejus exequatur; ne, dum ſcandalo vult occurrere, ſcandalum innectat gravius, & incerta colligendo zizania certum eradicet triticum. Legatur Epiſtola Encyclica Benedicti XIV. *data die* 16. *Octobris* 1756. ad S. R. E. Cardinales, Archiepiſcopos, & Epiſcopos Regni Galliarum in noviſſimis Comitiis Cleri Gallicani congregatos.

* Idem autem S. P. *De Synodo Diœceſana Lib.* 7. *cap.* 11. *n.* 8. ſcite animadvertit, quod eorum opinio ſit reiicienda, qui aſſerunt, neminem publici peccatoris cenſura notandum, aut ab Euchariſtica menſa ſegregandum eſſe, præter eum quem Judicis ſententia talem eſſe declaraverit; cum conſtet, manifeſti quoque peccatoris nomine, ad hunc effectum, cenſeri eum, qui notorie talis eſt, quamvis nec ipſe in judicio delictum confeſſus ſit, nec ſuper eo Judex Eccleſiaſticus, aut Laicus ſententiam tulerit. Et ita intelligenda eſſe Synodorum decreta, & Ritualium præſcripta,

Digitized by Google

pta, quibus publici peccatores a Communione arceantur, ſine dubitatione cenſuit Van-Eſpen *Jur. Eccl. Univer. part.* 2. *tit.* 4. *cap.* 2. *num.* 20.

2. Circa peccatorem occultum publice petentem, cui tribuendum eſt Sacramentum, cavendum eſt, ne Miniſter Sacramenti ſimulet adminiſtrationem, ut ex una parte ejus vitet infamiam, & ex alia indignæ Sacramenti receptioni conſulat. Nunquam enim licet ſimulare Sacramenti adminiſtrationem, nullusque metus, ne quidem mortis, ſatis eſt excuſare a graviſſimo reatu ſimulatorem, ut conſtat ex hac proſcripta ab Innocentio XI. propoſitione: *Urgens metus gravis eſt juſta cauſa Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.* Quare ad vitandum quodvis malum non eſt licitum ſub mortali ſcienter miniſtrare etiam conſentienti hoſtiam non conſecratam, ut docet D. Thomas 3. *p. q.* 80. *a.* 6. *ad* 2. aiens: *Hoſtia non conſecrata nullo modo debet dari loco conſecratæ, quia Sacerdos hoc faciens, quantum in ſe eſt, facit idololatrare illos, qui credunt eſſe hoſtiam conſecratam, ſive alios præſentes, ſive etiam ipſum ſumentem, quia ut Auguſtinus dicit: Nemo carnem Chriſti manducet, niſi prius adoret: unde extra de Celebrat. Miſſ. cap. de Homine dicitur: Licet is, qui pro ſui criminis conſcientia reputat ſe indignum, peccet graviter ſi ſe ingerat irreverenter ad illud; gravius tamen videtur offendere, qui fraudulenter illud præſumpſerit ſimulare*. Idem aſſerit & *Quod*. 5. *art.* 12. ubi poſtquam ſtatuit, *quod in nullo caſu eſt faciendum, ut hoſtia non conſecrata exhibeatur* uni, vel pluribus tanquam conſecrata, ſubdit: *Debet ergo Sacerdos peccatorem occultum primo quidem monere, ut pœnitentiam agat, & ſic ad Sacramentum accedat. Quod ſi pœnitere noluerit, debet ei occulte inhibere, ne aliis communicantibus in publico ſe immiſceat; quod ſi ſe immiſcuerit, debet ei dare hoſtiam conſecratam.*

3. Demum circa peccatorem occultum Sacramentum occulte petentem cavendum eſt, ne Miniſter etiam in hoc caſu ei deneget Sacramentum, poſito quod illius indignitatem ex ſacramentali dumtaxat confeſſione cognoſcat. Siquidem quæ hac via cognoſcuntur, pro exterius ignoratis reputari debent, præſertim cum inde imminet pœnitentis confuſio. Quare ſi indignitas peccatoris eſſet ex ſola ſacramentali confeſſione prævia Sacerdoti comperta, ne quidem eum tunc, licet ſolus ſit cum ſolo, a Sacramento arcere poteſt.

Ad rem hanc D. Thomas *in* 4. *diſt.* 9. *art.* 5. *in reſp. ad* 5. *quæſt.* hæc habet: *Si Sacerdos ſciat peccatum alicujus, qui Eucharistiam petit, per confeſſionem, vel alio quolibet modo, diſtinguendum eſt: quia aut peccatum eſt occultum, aut manifeſtum. Si eſt occultum aut exigit in occulto, aut in manifeſto. Si in occulto, debet ei denegare & monere, ne in publico petat. Si autem in manifeſto, debet ei dare.* Ex quibus colligunt nonnulli juxta S. D. occulto peccatori, Euchariſtiam in occulto petenti, denegandam eam eſſe, licet Sacerdos de Communionis adminiſtratione requiſitus, requirentis peccatum ex illius confeſſione Sacramentali cognoverit. Verum 1. Ut animadvertit S. P. Benedictus XIV. *de Synodo Diœc. lib.* 7. *cap.* 11. *n.* 5. *Edit. Parm.* 1760. viget adhuc inter D. Thomæ ſectatores quæſtio, utrum id quod S. D. *loco cit.* dixerat, in poſteriore Summa cenſendus ſit confirmaſſe, non retractando, an revocaſſe, prætermittendo, ſcilicet cum 3. P. q. 80. art. 6. opportuna illius doctrinæ repetendæ occaſio ipſi præſto eſſet, nec tamen quippiam dixerit. 2. Forte nec *loco ſuperiori* D. Thomas id docuit, quod aliqui ab ipſo traditum autumant; nam ait S. D. *ſi Sacerdos ſciat peccatum alicujus, qui Eucharistiam petit, per confeſſionem; vel alio quolibet modo; ſi .... exigit in occulto ..., debet ei denegare, & monere, ne in publico petat*: atqui Sanctus ipſe Doctor in eodem 4. *diſt.* 21. *q.* 3. *art.* 1. *ſive ſup. q.* 11. *art.* 1. *ad* 3. expreſſe aſſerit, *quod in his, quæ ad ipſum* (Confeſſarium) *deferuntur in foro pœnitentiæ, debet in eodem foro, in quantum poteſt adhibere remedium;* atque adeo, ut habet ibidem immediate ante laudata verba, *non tenetur adhibere remedium, niſi eo modo, quo ad ipſum defertur*: ergo dum *cit. art.* 5. *diſt.* 9. affirmat, quod ſi peccator exigit Euchariſtiam in occulto, Sacerdos, qui ſcit illius peccatum, debet ei denegare, intelligendus eſt loqui de Sacerdote, qui ſcit ejuſmodi petentis peccatum *alio quolibet modo*, præter confeſſionem, non ſi ſciat dumtaxat *per confeſſionem*; quippe peccato per confeſſionem cognito, juxta S. D., *non tenetur adhibere remedium, niſi eo modo, quo ad ipſum defertur*, ideſt in *eodem foro pœni-*

Digitized by Google

tentiæ: non ergo etiam denegando Euchariſtiam; qui agendi modus foret omnino alius, & extra forum Sacramenti pœnitentiæ quæreretur remedium iis, quæ delata eſſet in tali foro. 3. Cæterum „ eam „ proculdubio ſententiam cautiorem, & „ magis tutam eſſe, ac merito ſequen- „ dam exiſtimamus, *inquit loco cit.* n. 6. „ S. P. Benedictus XIV., ut ſcilicet, quo- „ niam omni ratione vitare oportet ea, „ quæ Pœnitentiæ Sacramentum Fideli- „ bus odioſum reddere poſſunt, & adeo „ diſtricta eſt lex ſigilli Confeſſionis ſacra- „ mentalis, ut Confeſſarius ne cum ipſo „ quidem pœnitente extra confeſſionem „ loqui poſſit de illius delicto, quod per „ confeſſionem unice novit, niſi ipſe pœ- „ nitens expreſſam ei licentiam tribuerit; „ ut, inquam, debeat Sacerdos Euchari- „ ſtiam miniſtrare peccatori occulto, eam- „ dem in occulto petenti, quoties illius „ peccatum ex audita dumtaxat ejuſdem „ confeſſione ſacramentali cognoverit. Quod „ ſi præterea delictum illud aliunde, quam „ ex ipſa delinquentis confeſſione, com- „ pertum habeat, & propterea eidem de- „ linquenti, licet occulto, & Communio- „ nem in occulto petenti, denegandam „ hanc eſſe duxerit, non omittat eidem „ ſignificare, ſalvo ſemper notitiæ aucto- „ re, cognitum ſibi eſſe illius ſtatum alia „ ratione, quæ nihil commune habeat cum „ Sacramento Pœnitentiæ. „

§. III. *De ſubjecto Sacramentorum.*

Ut Adultus valide recipiat Sacramentum, quid requiratur?

I. EX communi, Adultus qui ſit, vel aliquando fuerit compos ſui, ut valide recipiat Sacramentum, debet habere intentionem vel formalem, vel virtualem, vel interpretativam ſuſcipiendi illud: ita docet Concil. Carthaginenſe 3. c. 34. *Ægrotantes ſi pro ſe reſpondere non poſſunt, cum voluntatis eorum teſtimonium ii qui ſunt dixerint, baptizentur.* Ratio eſt, quia ſicut ſuavis Dei Providentia nec ſalvat, nec juſtificat adultum, ſine ejus conſenſu; ita neque conſecrat per Sacramenta: cum enim ſuſceptio Sacramenti in adulto ſit actus humanus, requirit intentionem finis. Conſulto diximus de adulto, qui ſit, vel fuerit compos ſui; nam ſi fuerit ſemper impos, eadem eſt ratio de ipſo, ac de parvulis. Si autem quæras, quorum Sacramentorum capax ſit impos perpetuus; dicendum, Baptiſmi eſſe capacem valide, & licite; quia Eccleſia ſupplet intentionem: Confirmationis valide quidem, ſed non licite; ſicuti & Euchariſtiæ: Pœnitentiæ, eſſe omnino incapacem. Et ſimiliter Extremæ Unctionis, & Matrimonii: Ordinis demum Sacramentum plures dicunt valide recipere poſſe, ſed non licite.

* Intentio, quæ requiritur ad valide ſuſcipiendum Sacramentum, non debet neceſſario eſſe vel actualis, vel virtualis, ſed ſufficit habitualis & interpretativa. Quandoquidem Canones docent, valere Sacramenta collata dormientibus, amentibus, & præ ſubita infirmitate linguæ uſum, & cujuſvis alterius ſigni amittentibus, ſi appareat, eos antea Sacramenta deſideraſſe. In talibus autem dubio procul intentio actualis non adeſt; cum tunc de Sacramentis minime cogitent. Nec adeſt virtualis; non enim in eis permanet aliquis motus, vel operatio ab intentione præcedente relicta, in qua intentio præterita dici poſſit virtualiter permanere: ergo ſola adeſt habitualis intentio, nempe præterita non retractata. Quare Extrema unctio valet collata fideli præ ſubita infirmitate omnium ſenſuum uſu deſtituto. Quia, „is qui dum ſua frueretur ratione, ad mortem uſque Catholicam Fidem profeſſus eſt, cenſetur velle, ut ſibi ratione deſtituto Sacramenta in eo ſtatu neceſſaria conferantur.

Nec ex eo quod intentio habitualis non ſit ſatis in Miniſtro ad conficiendum Sacramentum colligi poteſt eamdem intentionem non ſufficere ad illud valide recipiendum. Nam Miniſter conficiens active ſe habet ſua intentione influens: at ſuſcipiens ſe habet paſſive. Plus autem requiritur ad agendum, quam patiendum. Sic Em. Gotti *tract.* 4. *de Sacram. in gen. q.* 8. *dub.* 1. *n.* 20. & 21.

Excipiuntur tamen Sacramenta Pœnitentiæ, & Matrimonii, ad quæ valide recipienda non eſt ſatis intentio habitualis, ſeu voluntas præterita non retractata. Siquidem actus pœnitentis ſunt materia proxima Pœnitentiæ; & ad valorem contractus, cujuſmodi eſt Matrimonium, requiritur conſenſus ſaltem virtualis.

* Petrus Colet *Inſtit. Theolog. Tom.* 4. *Tract. de Confirmatione cap.* 5. cenſet, confirmandos eſſe perpetuo amentes; debent enim, *inquit*, confirmari, ſi valide poſſunt, & nihil obeſt: poſſunt porro, & nihil obeſt. Contraria enim conſuetu-

do,

Digitized by Google

do, quæ in Eccleſia latina prohibitionem induxiſſe creditur quantum ad Euchariſtiam reſpectu infantium, quibus æquiparantur amentes, haud videtur eam induxiſſe quantum ad Confirmationem.

Idem ſentiendum, *ſubdit*, de amentibus, qui aliquando habuere rationis uſum, cum eadem ſit horum ratio, quæ aliorum: modo, tamen ſtatim poſt grave quidpiam peccatum non inciderint in amentiam (tunc enim carerent gratia ſanctificante, quæ neceſſaria eſt ad iſtud Sacramentum diſpoſitio;) & aliquam Sacramenti hujus ſuſcipiendi habuerint intentionem, quæ præſumi debet, ubi nulla, dum mentis eſſent ſanæ, in contrarium voluntas apparuit. Si tamen crederentur ab inſania quandoque reverſuri, differenda eſſet Confirmatio, ut majori cum decentia, & utilitate reciperetur.

Quoad Sacramentum vero Extremæ Unctionis exiſtimat *Tom.* 5. *Tract. de Extr. Unct. cap.* 3. adhibendam eſſe Unctionem amentibus, furioſis, & arreptitiis, ſi dum ſana mente erant, ſigna ſinceræ ad Deum converſionis oſtenderint; maxime ſi ante Sacramentum exoptaſſent: ſi tamen ejuſmodi homines, *ſubjungit*, nulla haberent lucida intervalla, nec poſſet ipſis Unctio adminiſtrari ſine evidenti periculo irreverentiæ, ſatius foret eo in caſu illos non inungi, cum Sacramentum hoc non ſit abſolute neceſſarium ad ſalutem.

Requiſita ad validam Sacramentorum receptionem.

II. Ad validam Sacramentorum ſuſceptionem, non requiritur fides, vel juſtitia, Sacramento Pœnitentiæ dumtaxat excepto: Ita manifeſte S. Auguſtinus lib. 3. de Baptiſmo c. 14. *Non intereſt, cum de Sacramenti integritate, & ſanctitate tractatur, quid credat, aut quali fide imbutus ſit ille, qui accipit Sacramentum: intereſt quidem plurimum ad ſalutis viam, ſed ad Sacramenti quæſtionem nihil intereſt*. Unde ſi vir nullius religionis velit baptizari, valide baptizatur, & poſt baptiſmum valide alia Sacramenta ſuſcipit, quæ invalide ſuſciperet ſine baptiſmo; quamvis omnia ſacrilege ſuſcipiat; eo quod valor eorum a nulla ſuſcipientis diſpoſitione pendeat, ſi adſit voluntas ſuſcipiendi. Hinc patet juſta exceptio Sacramenti Pœnitentiæ, quod actus pœnitentis bonos, & virtuoſos tanquam ſui partem materialem poſtulat, ut videbitur ſuo loco.

Requiſita ad licitam.

III. Ad licitam Sacramentorum receptionem illæ requiruntur conditiones, quæ a diverſa qualitate Sacramentorum poſtulantur. Nam Sacramenta vivorum exigunt ſtatum gratiæ, mortuorum autem in adulto exigunt ſaltem attritionem cum dilectione, eo quod prima conferantur animæ jam ſupernaturaliter viventi; ſecunda vero animæ a peccati morte ſuſcitandæ. Nec mirum, cum gratia ſit forma perfecta ſive ut primo collata, ſive ut aucta; forma autem perfecta ad ſui introductionem in ſubjectum, congruas poſtulat diſpoſitiones, ut videre eſt in formis naturalibus, cum quibus analogiam quandam ſervant etiam formæ ſupernaturales.

Theologi, qui cenſent præmittendam eſſe ſacramentalem confeſſionem non ſolum confectioni, & ſumtioni Euchariſtiæ, ſed & cujuſcumque Sacramenti adminiſtrationi ab eo qui ſibi lethalis criminis conſcius eſt, iiſdem argumentis ducti exiſtimant ad eamdem obſtringi quemcumque in ſtatu peccati mortalis exiſtentem, qui, aliquod vivorum Sacramentum recipere debet; atque adeo non ſufficere putant, ſi actum contritionis dumtaxat eliciat. Lege inter cæteros Petrum Colet *Inſtit. Theolog. Tom.* 4. *Tract. de Sacramentis in Genere cap.* 4. *art.* 2., & quæ notavimus §. *præcedenti poſt num.* 1.

Quando liceat petere Sacramentum ab indigno miniſtro?

IV. Petere Sacramenta a miniſtro indigno non tolerato, nedum eſt illicitum, verum invalidum etiam fieret Sacramentum; quippe quod hujuſmodi ſint miniſtri omni juriſdictione privati; exceptis, juxta communem Doctorum, Sacramentis Baptiſmi, & etiam Pœnitentiæ in caſu extremæ neceſſitatis, & in defectu alterius miniſtri, ut plures docent; de quo tamen dicetur in tract. 14. cap. 4. §. 13. Hi autem non tolerati, ſunt, juxta Concilium Conſtantienſe, nominatim excommunicati, & publici Clericorum percuſſores, quorum crimen nulla poteſt tergiverſatione celari: item degradati, ſuſpenſi, interdicti, & irregulares nominatim, & publice denunciati ut tales: quemadmodum notavit Henriquez, lib. 13. cap. 5. §. 5. Tolerati vero dicuntur illi, qui nullo dictorum impedimentorum irretiuntur; ſunt tamen in ſtatu noto culpæ lethalis; a quibus, ſi alii miniſtri non ſint, petere Sacramenta, urgente aliqua gravi neceſſitate; vel impellente aliqua notabili utilitate, non eſt illicitum, ſive parati ſint, ſive non ad Sacramenta miniſtranda; eo quod petens in talibus circumſtantiis, petit, quod ille poteſt, ſi velit, digne miniſtrare, dolendo de ſuo ſtatu; & alioquin petens habet ju-

ſtam

Digitized by Google

ſtum petendi motivum. Si autem petantur, dum non eſt aut gravis neceſſitas, aut magna utilitas, aut alii miniſtri adſint, illicita graviter eſt petitio, quia abſque juſto motivo ponitur offendiculum proximo contra præceptum charitatis.

Miniſter non toleratus, ſeu vitandus utique nequit valide conficere, & adminiſtrare Sacramenta, quæ pendent a poteſtate juriſdictionis, cum in tali ſtatu exiſtens ſit quacumque juriſdictione deſtitutus; atque proinde Sacramentum Pœnitentiæ ab ipſo adminiſtratum extra mortis articulum irritum eſt, & nullum, etiamſi illius cenſura a pœnitente ignoretur invincibiliter: unde cum id iſte noverit, ad confeſſionem repetendam tenebitur, niſi forte confeſſio facta fuiſſet in loco, ubi ex communi errore, & titulo colorato pro legitimo Miniſtro haberetur. Diximus conſulto extra *mortis articulum*; quippe Miniſtrum non toleratum poſſe in mortis articulo & Pœnitentiæ Sacramentum valide adminiſtrare, adverſus Fagnanum, alioſque ipſi adhærentes, communior ſententia docet, ut videbimus ſuo loco, nempe c. IV. §. XIII. At Miniſter non toleratus, ſeu vitandus valide conficit, ac miniſtrat Sacramenta, quæ pendent dumtaxat a poteſtate Ordinis, ſi cætera neceſſario requiſita non deſint; quia ſicuti non poteſt Ordinis charactere privari, ita neque valore actuum, qui ab eodem proficiſcuntur. *Quia conſecratio Euchariſtiæ* (ſic D. Thomas 3. *p. q.* 82. *art.* 7.) *eſt actus conſequens ordinis poteſtatem*; *illi*, *qui ſunt ab Eccleſia ſeparati per hæreſim*, *aut ſchiſma*, *vel excommunicationem*, *poſſunt quidem conſecrare Euchariſtiam*, *quæ ab eis conſecrata verum corpus & ſanguinem Chriſti continet*: *non tamen hoc recte faciunt*, *ſed peccant facientes*. Idipſum docet S. Doctor ſuppl. q. xxxviii. a. 2. de Epiſcopo hæretico, & ab Eccleſia præciſo ſacros Ordines conferente. An vero Parochus vitandus valide quoque Matrimonio aſſiſtat, peculiaris difficultas eſt, quam alibi ad examen vocabimus, & diſcutiemus. Interim ſolummodo animadvertimus Miniſtrum non toleratum ſemper mortaliter delinquere conficiendo & adminiſtrando Sacramenta extra caſum neceſſitatis. Lege Contin. *Prælect. Theolog.* Honorati Tournely *Tract. de Cenſuris P.* 2. *cap.* 1. *Sect.* 3. & hoc etiam Auctor docet expreſſe infra tract. XV. cap. II. §. II. n. III.

✠ Quod de Sacramentorum validitate dictum eſt, extendi ſolet etiam ad Sacramentalia; quia Sacramentalia pertinent ad poteſtatem Ordinis, non ad Juriſdictionem: unde communis eſt opinio, conſecrationes, & benedictiones, quas introduxit Eccleſia, ab excommunicato denuntiato valide fieri.

Obſervandum ulterius eſt, ab excommunicato vitando, etiam notorio hæretico licitum eſſe 1. in mortis articulo baptiſmum petere & accipere, ſi catholicus deſit, ut docet D. Thomas in 4. diſtinct. 1. qu. 2. a. 2. qu. 5. dicens: *Si malus miniſter ſit præciſus ab Eccleſia, tunc peccat ab eo recipiens Sacramentum, niſi in neceſſitate, in qua poſſet etiam a Pagano, vel Judæo ſuſcipere*. Idipſum aperte multo ante D. Auguſtinus *Lib.* 1. *de Baptiſ. contra Donatiſtas cap.* 11. aſſeruit. Et hujus rei ratio aliunde peti nequit, quam ex ſumma Baptiſmi ad ſalutem neceſſitate, cui ut facilius conſuli poſſet, ejuſdem Sacramenti valide impertiendi ad quemcumque hominum Chriſtus Dominus facultatem extendit. 2. poſſe inſuper Pœnitentiæ Sacramentum in caſu extremæ neceſſitatis, ideſt in mortis extremo periculo a Sacerdote non tolerato, ſuſpenſo, degradato, & etiam hæretico licite poſtulari, atque ſuſcipi ab eo, qui lethalibus peccatis gravatum ſe agnoſcit, nec præſto habet approbatum Miniſtrum, Theologi plures ſentiunt, tum quod divino tunc urgenti confeſſionis præcepto omnes loco cedant Eccleſiæ prohibitiones, & interdicta, tum quod ſine ejuſdem Sacramenti reipſa ſuſcepti remedio moriturus magno diſcrimini ſuam æternam ſalutem exponeret; etſi namque per actum contritionis cum voto confeſſionis poſſit Dei gratiam recuperare, attamen, cum perfectam concipere contritionem homini peccatori, & fortaſſis in peccatis inveterato non adeo ſit in promptu, de ejus veracitate incertus, magnis jactaretur angoribus, ſi abſolutionem Sacramentalem tunc temporis obtinere non poſſet. Quare, inquiunt, cuilibet Sacerdoti a quibuslibet peccatis abſolvendi facultas in mortis articulo ab Eccleſia, & fortaſſis a Chriſto conceſſa eſt; quod colligunt ex Concilii Tridentini verbis *Seſſ.* 14. *c.* 7. Sed de hoc, ut innuimus, fuſius alibi. 3. præterea nonnulli opinantur Theologi poſſe & Euchariſtiam, & Extremam unctionem, & generatim aliud vivorum Sacramentum per ſe non neceſſarium ad ſalutem a vitando Miniſtro licite ſuſcipi eo

caſu,

Digitized by Google

caſu, quo peccator Chriſtianus morti proximus abſolutionem Sacramentalem accipere nequeat, ut illorum ope poſſit per accidens juſtificari, ſi forte perfecta contritione caruerit; immo quidam de Euchariſtia id affirmat, etiamſi alias obtenta fuerit abſolutio, propter Divinum præceptum de illa ſumenda in articulo mortis prævalens humanis Eccleſiæ legibus, & diſpoſitionibus.

Verum cautiores Theologi nonniſi duos primos caſus admittunt, in quibus extrema ſpiritualis neceſſitas indubitantius apparet, & libentius primum de Baptiſmo, quam ſecundum de Pœnitentia, maxime ſi ab hæretico homine abſolutio petenda ſit; nam vix ſine ſcandalo id fieri poteſt, & periculo perverſionis fidelium, conciliandique damnatis ſectis, atque erroribus perniciosam auctoritatem. Immo nec Baptiſmum poſtulari, & ſuſcipi poſſe ab adulto, quando ex hoc prudenter timetur ſcandalum, & Eccleſiæ damnum, exiſtimant. „ Si ex ſuſceptione Sacramenti ab hæretico, vel ſchiſmatico, ait Em. Gotti „ *Quæſt.* 7. *Dub.* 8. §. 1. *n.* 8. præberetur „ occaſio non temere credendi per talem „ ſumptionem approbari hæreſim, aut ſchiſma; aut Miniſtris hæreticis hac ratione „ prævideretur concilianda auctoritas, & „ plures Catholici ad eos defecturi eſſent; „ non liceret adulto, etiam in periculo „ vitæ conſtituto, ab ipſo petere, aut ſuſcipere Sacramenta; quia alia via, Baptiſmi voto, & contritione de peccatis, „ poſſet conſulere ſaluti ſuæ. Et potius „ quam cum fraternæ ſalutis diſpendio, „ & Eccleſiæ, Sacramentum ab hæretico „ ſuſcipere, deberet celebre imitari S. „ Hermenegildi factum; ad quem cum „ Pater Arianus per Epiſcopum Arianum „ Euchariſtiam miſiſſet, potius martyrium „ ſubire voluit, quam ſacrilegæ Communionis particeps fieri; ne tali actu apud „ populum appareret, eum cum Arianis „ ſentire. Si vero baptizandus eſſet infans „ in vitæ diſcrimine poſitus, nec alius „ præter hæreticum adeſſet, qui Baptiſmi ritum noſſet, illum tali Miniſtro baptizandum offerre oporteret; nullius enim „ offenſionis & ſcandali in hypotheſi occaſio præberetur. “ Vide etiam Sylvium *in* 3. *p. q.* 64. *art.* 6. *concl.* 3., & Continuat. *Prælect. Theol.* Honorati Tournely *Tract. de Sacram. in Gen. cap.* 2. §. 3.

Notandum demum cum eodem, *loco citato*, neceſſitatem, ob quam licitum eſt petere Sacramenta a malis Miniſtris toleratis, pro conditione eorumdem, aliquando graviorem, aliquando minus gravem eſſe debere. Nam, cæteris paribus, inquit, minor requiritur cauſa, ut a Parocho, quam ut ab extraneo Sacerdote; minor ut ab extraneo expoſito, quam ut a parato tantum poſtulentur Sacramenta. In hac enim, & in aliis ejuſdem ſpeciei materiis, eo quiſque ſecurius declinat a peccato, quo & plus juris habet ad petendum id quod petit, & minus alium exponit. Porro multo plus quiſque juris habet, ut ſibi miniſtrentur Sacramenta a proprio, quam ab alieno Sacerdote. Minori quoque obiicitur periculo qui expoſitus eſt, quam qui tantum paratus ſit &c.

Dixi, *cæteris paribus*. Minus enim peccare videretur qui ab extraneo Sacerdote expoſito, tantumque ebrioſo Euchariſtiam peteret, quam qui ab inceſtuoſo Parocho &c. Conſule ipſum *loco relato*, ubi materiam hanc fuſo calamo verſat, luculenterque declarat.

* APPENDICULA
DE SACRAMENTALIBUS.

De Sacramentalibus in hac Appendicula paucis differere operæ pretium exiſtimamus, ut nihil deſit eorum quæ ad plenam Tironis Theologi inſtructionem valeant conferre. Itaque 1. illorum naturam exponemus. 2. numerum indicabimus. 3. tandem efficaciam aperiemus. Sit igitur.

I. Sacramentalia ſunt res ad cultum Dei religioſo ritu ab Eccleſia ordinatæ, & ex communi fidelium perſuaſione ad hominum ſanctificationem ſpecialiter inſervientes. Per *res* hic etiam actus intelliguntur. Sacramentalia autem appellantur vel ex eo quod ſoleant adhiberi ad Sacramenta conficienda, aut miniſtranda; vel ex eo quod aliquo modo æmulentur indolem, & virtutem Sacramentorum.

II. Sex communiter recenſentur Sacramentalia, ad quæ cætera reducuntur. Ea vero comprehenduntur & exprimuntur ſequenti verſiculo.

Orans, Tinctus, Edens, Confeſſus, Dans, Benedicens.

Singula hæc verba ſunt ſeorſum explicanda. *Orans* denotat Orationem Dominicam, ad quam revocant nonnulli preces in Eccleſiis ſolemniter conſecratis fuſas. De Oratione Dominica videatur *cap. de Quotidianis, de Pœnit. diſt.* 3. *Tinctus* ſignificat

ficat Aquæ Benedictæ ſumptionem, vel receptionem tempore aſperſionis; de qua legatur *cap. Aquam de Conſecrat. diſt.* 4. Huc reducitur Unctio Cæremonialis in Regem, & ſimiles Unctiones; item impoſitio Cineris Benedicti. *Edens* oſtendit devotam Panis Benedicti, qui a Veteribus *Eulogia* dictus eſt, manducationem. *Confeſſus* deſignat confeſſionem, quæ publice fit Feria V. in Cœna Domini, vel eam quæ fit in principio Miſſæ, atque ad Primam, & Completorium. Huc reducitur tunſio pectoris, qua manifeſtatur interior animi dolor. *Dans* portendit eleemoſynæ elargitionem, ad quam alia miſericordiæ Opera tum corporalia, tum ſpiritualia reducuntur. Huc reducitur etiam jejunium religioſe ſuſceptum. *Benedicens* demum exprimit Benedictionem Epiſcopi, vel Abbatis conſecrati, ſolemni ritu, ac ſigno crucis populo datam, prout explicat Gloſſa in *Prooemio Sexti Decret. verſ. Benedictionem*. Conſule Reiffenſtuel *Theol. Moral. tract.* 3. *diſt.* 2. *q.* 3. *a num.* 34. *ad* 39.

Ex his vero aliqua, ut obſervat VVigandt *tract.* 13. *exam.* 2. *n.* 25. ſpecialem habent conſecrationem, ſeu benedictionem Eccleſiæ ad noſtram ſanctificationem, v. g. aqua benedicta, benedictio Epiſcopalis: alia non habent, ut tunſio pectoris, &c.

III. Supereſt denique, ut Sacramentalium efficaciam patefaciamus. Sane nonnulla ex ipſis non ſolum ad meram populi inſtructionem per ſpiritualium rerum magis ſenſibilem, & expreſſam ſignificationem, aut ad ſolam Sacramentorum inducendam reverentiam decora, & religioſa eorumdem adminiſtratione, aut unice ad excitandam pietatem & devotionem fidelium; qui ſunt fines generales omnium Sacrorum rituum; verum etiam ad quoſdam determinatos effectus ab Eccleſia ordinantur; eaque majori vi pollent, quæ quamdam habent conſecrationem, ut præcit. VVigandt advertit. Quanta in ſigno Crucis ad terrendos, fugandoſque dæmones virtus eluceat deſcribit egregie S. Athanaſius *Lib. de Incarn.* idque alii etiam Patres præſtant, & innumera facta demonſtrant. Præter dæmonum cohibitionem, adjudicantur Sacramentalibus plures etiam corporales utilitates, ut morborum depulſio, procellarum ſedatio, agrorum fertilitas, aliaque id genus. Legatur P. Renatus Hyacinthus Drouven *de Re Sacram. tom.* 1. *lib.* 1. *quæſt.* 8. *q.* 12.

Non eouſque tamen ſeſe extendit Sacramentalium virtus, ut illorum applicatione obtineatur Sacramentorum effectus, ſcilicet gratia; quemadmodum conceptis verbis tradit D. Thomas 3. *p. q.* 65. *art.* 1. *ad* 6. aiens: *Quod aqua benedicta, & aliæ conſecrationes non dicuntur Sacramenta; quia non perducunt ad Sacramenti effectum, qui eſt gratiæ conſecutio: ſed ſunt diſpoſitiones quædam ad Sacramenta, vel removendo prohibens, ſicut aqua benedicta ordinatur contra inſidias dæmonum, & contra peccata venialia; vel etiam idoneitatem quamdam faciendo ad Sacramenti perfectionem, & perceptionem, ſicut conſecrantur altare, & vaſa propter reverentiam Euchariſtiæ.*

Quo vero pacto per Sacramentalia, & præſertim per aquæ benedictæ uſum venialia peccata dimittantur, difficultas eſt, quæ Doctores in varias opiniones diſtraxit. Nobis magis arridet, veriorque apparet ſententia, quæ ſtatuit per uſum Sacramentalium immediate non auferri peccata venialia, cum hæc immediate tolli neutiquam poſſint quoad culpæ reatum, niſi per aliquam formam eis repugnantem, nempe per pœnitentiam, ut minimum virtualem; ſed ſolum mediate remitti, quatenus videlicet auxilia divina ad venialium deteſtationem, & diſplicentiam ſaltem virtualem moventia, conciliant. Hoc quoque clare docere videtur Angelicus Doctor 3. *p. q.* 87. *art.* 3. *in corp.* ubi hæc habet: *Triplici ratione aliqua cauſant remiſſionem venialium peccatorum. Uno modo inquantum in eis infunditur gratia; quia per infuſionem gratiæ tolluntur venialia peccata, ut ſupra dictum eſt. Et hoc modo per Euchariſtiam, & Extremam Unctionem, & univerſaliter per omnia Sacramenta novæ legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. Secundo inquantum ſunt cum aliquo motu deteſtationis peccatorum. Et hoc modo confeſſio generalis, tunſio pectoris, & oratio Dominica operantur ad remiſſionem venialium peccatorum; nam in oratione Dominica petimus: Dimitte nobis debita noſtra. Tertio modo inquantum ſunt cum aliquo motu reverentiæ in Deum, & ad res divinas. Et hoc modo benedictio Epiſcopalis, aſperſio aquæ benedictæ, quælibet ſacramentalis unctio, oratio in Eccleſia dedicata, & ſi aliqua alia ſunt hujuſmodi, operantur ad remiſſionem venialium pec-*

Digitized by Google

peccatorum. Et *in reſp. ad* 1. ait: *quod omnia iſta* (ideſt Sacramentalia) *cauſant remiſſionem peccatorum venialium, in quantum inclinant animum ad motum pœnitentiæ, qui eſt deteſtatio peccatorum vel implicite, vel explicite*. Et *ad* 3. aſſerit *quod per prædicta tolluntur peccata venialia .... virtute caritatis, cujus motus per prædicta excitatur*. Igitur juxta mentem S. Doctoris Sacramentalia valent dumtaxat ad remiſſionem peccatorum venialium *inquantum ſunt cum aliquo motu deteſtationis peccatorum, vel cum aliquo motu reverentiæ in Deum, & ad res divinas; inquantum inclinant animam ad motum pœnitentiæ*, inquantum excitant *motum caritatis* &c. Igitur non immediate, ſed mediate ſolummodo peccata venialia dimittunt, quatenus nimirum, ut aſſeruimus, divina nobis conciliant auxilia ad præfatos motus concipiendos, quibus implicite, vel explicite, formaliter, vel virtualiter venialia deteſtamur.

Hæc autem divina auxilia ad deteſtationem venialium voluntatem moventia nobis per Sacramentalia minime comparantur *ex opere operato*, ut quidam autumant; quoniam Sacramentalium effectus, non eſt infallibilis, ut fatentur omnes, cum nullum in aliqua Dei promiſſione, quæ nuſpiam occurrit, habeat fundamentum. Igitur probabilius illorum effectus in Eccleſiæ orationes refunditur, quæ ſua ſanctitate, & meritorum copia, impetrat iis, qui Sacramentalibus utuntur, auxilia opportuna ad venialia deteſtanda. Porro hæc vis impetratoria opus operantis involvit. Perperam itaque Lutherani in Auguſtana Confeſſione, & alibi paſſim, Catholicos redarguunt, quaſi doceant hominem per ejuſmodi ritus promereri juſtificationem. Legantur Sylvius *in* 3. *p. q.* 87. *art.* 3. Em. Gotti *tom.* 3. *tract.* 9. *q.* 3. *dub.* 2. §. 2. *num.* 6. nec non laudati VVigandt & Drouven *locis citatis*. Hic *ibidem* agit etiam lato calamo de *Cæremoniis Sacramentorum*.

TRACTATUS XIV.

DE SACRAMENTIS IN PARTICULARI.

CAPUT PRIMUM.

De Sacramento Baptiſmi.

§. I. *De Notione, Inſtitutione, & Neceſſitate Baptiſmi.*

I. BAptiſmus ex S. Doctore 3. p. qu. 66. art. 1., *eſt ablutio corporis exterior, facta ſub forma præſcripta verborum*. Ablutio exterior ſub præſcripta verborum forma eſt Sacramentum tantum, quia dumtaxat ſignificat, & non ſignificatur: Character eſt res & Sacramentum ſimul; res, *quia ſignificatur per ablutionem* &c. Sacramentum, *quia ſignificat interiorem juſtificationem*, ait S. Doctor. Gratia vero regenerativa, qua juſtificamur, eſt res tantum. Notio Baptiſmi.

II. Baptiſmum inſtitutum fuiſſe a Chriſto, jam definitum perſpeximus in tractatu præcedenti cap. 1. §. 1. num. 4. inſtituit autem illum ante Paſſionem, ut refert S. Joannes cap. 3. *Poſt hæc venit Jeſus, & Diſcipuli ejus in Judæam, & ibi morabatur cum eis, & baptizabat*; & quidem baptizabat baptiſmo ſuo, & non baptiſmo Joannis Baptiſtæ; quia ſequitur Joannes Evangeliſta eodem cap. 3. *Facta eſt quæſtio ex diſcipulis Joannis ... & venerunt ad Joannem, & dixerunt: Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem ... ecce hic baptizat*. Nullum autem æmulationis motivum diſcipuli Joannis ſumpſiſſent, ſi Chriſtus baptiſmo Joannis baptizaſſet; immo in Joannis decus reſultaſſet, ut patet: igitur baptizavit Jeſus baptiſmo ſuo, quod contigit ante paſſionem. Inſtituit autem baptiſmum ſuum, quando a Joanne in Jordane fuit baptizatus, ut fert communis Theologorum cum S. Doctore loc. cit. a. 2., ſequente plures Patres. Inſtitutio Baptiſmi.

III. Lex Baptiſmi cœpit poſt Chriſti reſurrectionem; nam tunc dumtaxat Apoſtolis impoſuit Matth. ultimo; *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, &c. Quando autem inceperit Obligatio Baptiſmi.

Digitized by Google

perit obligare homines, incerta eſt epocha: Concil. Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 4. loquens de Juſtificatione, quæ eſt translatio de ſtatu peccati ad Juſtitiam, dicit quod *hæc translatio, poſt Evangelium promulgatum, ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri poteſt*: igitur cœpit poſt Evangelium ſufficienter promulgatum: hæc promulgatio autem profecto verificari non poteſt ſtatim poſt mortem Chriſti; & ideo non ſtatim poſt mortem Chriſti lex Baptiſmi obligavit, ut contendit Vaſquez. Veroſimilius apparet eveniſſe die Pentecoſtes. ut docet Bellarminus cum aliis: verum etiam hoc parit difficultatem, cum legatur Actorum 10. Paulum circumcidiſſe Timotheum: idcirco alii contendunt cœpiſſe trigeſimo a morte Chriſti anno, quando a Romano exercitu urbs Jeruſalem fuit everſa: ſed & hoc abſonum, nimiſque protractum videtur.

Neceſſitas Baptiſmi.

IV. Illud certum eſt, Sacramentum Baptiſmi eſſe omnibus neceſſarium ſive in re, ſive in voto, ut audivimus a Concilio, & quidem neceſſitate medii ad ſalutem aſſequendam; neceſſitas autem medii ſignificat, quod niſi tale medium ponatur, finis nullo modo obtineri poſſit; aliquando ex connexione neceſſaria inter medium, & finem, qualis eſt inter gratiam, & gloriam; aliquando ex beneplacito ſupremi Domini ita ſtatuentis: & hujuſmodi eſt connexio inter baptiſmum, & ſalutem: quia videlicet ita ſtatuit ſuprema Chriſti auctoritas, ut nemo conſequatur gloriam, niſi Baptiſmo expietur vel in re, vel in voto, ita ut nulla ignorantia ſuffragari poſſit, tametſi por hypotheſim eſſet inculpabilis. Ita expreſſe declaravit Chriſtus Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei*: unde laudata Synodus Tridentina ſeſſ. 7. can. 5. *Si quis dixerit Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt non neceſſarium ad ſalutem, anathema ſit*. Et ita ſemper tenuit concors Patrum Traditio, etiam pro parvulis, ut probatur a Theologia dogmatum.

Sufficit in Adulto Baptiſmi votum, ſeu Baptiſmus Flaminis.

V. Sicut itaque pro parvulis neceſſaria eſt ad ſalutem receptio reipſa talis ſeu realis Baptiſmi, ita pro adultis, in defectu realis baptiſmatis, neceſſarium eſt ſaltem votum, ſeu efficax deſiderium ejuſdem, ut indicavimus ex Concilio ſupra relato n. 3. & hoc votum, ſeu efficax deſiderium baptiſmi vocitari ſolet baptiſmus Flaminis. Conſiſtit autem hoc Baptiſmi votum, ut loquitur S. Thomas loc. ſupracit. art. 11. *In quantum alicujus cor per Spiritum Sanctum movetur ad credendum, & diligendum Deum, & pœnitendum de peccatis*: & ita ſemper tenuit Antiquitas, cujus luculentiſſimus teſtis eſt S. Auguſtinus in lib. 4. de unico baptiſmo parvulorum cap. 12., alias de baptiſmo contra Donatiſtas cap. 22. *Invenio non tantum paſſionem pro nomine Chriſti, id quod baptiſmo deerat, poſſe ſupplere, ſed etiam fidem, converſionemque cordis, ſi forte ad celebrandum myſterium baptiſmi in anguſtiis temporum ſuccurri non poteſt*. Adultus igitur, cui deeſſet, qui miniſtrare poſſet Baptiſmum, inſtructus de fide Chriſti, toto corde credat, & perfecta contritione pœniteat: & ſi advertit, etiam Baptiſmum expreſſe deſideret, & aſſequetur ſalutem Baptiſmo Flaminis.

Baptiſmus Sanguinis.

VI. Suppleri poteſt item Baptiſmus aquæ, ſeu fluminis, per Baptiſmum Sanguinis, ſeu per Martyrium in odium fidei ſuſceptum. Ita Patrum Traditio ex verbis Chriſti Matth. 10. *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*: & cap. 16. *Qui dederit animam ſuam propter me, inveniet & eam.* An autem Baptiſmus ſanguinis juſtificationem conferat ex ipſo opere operato, ſeu ex vi ſua, vel ex opere operantis, ſeu juxta gradum diſpoſitionis martyrium ſubeuntis, pro qua parte acriter pugnat Dominicus Soto in 3. ſent. diſt. 3. q. unica, art. 11., Theologis ſcholæ reſolvendum relinquimus. Nobis ſufficiat audire S. Doctorem 3. p. q. 87. art. 1. *Paſſio pro Chriſto ſuſcepta obtinet vim baptiſmi, & purgat ab omni culpa veniali, & mortali, niſi actualiter voluntatem peccato inveniat inhærentem*.

Animadvertere operæ pretium exiſtimamus, Martyrium ſupplere vicem Baptiſmi non ſolum in adultis, ſed etiam in parvulis, quod ſaltem clare non exprimit Auctor. Sic unanimi conſenſu cenſent Theologi cum D. Thoma 2. 2. q. 124. art. 1. ad 1., ubi de Innocentibus ſermonem habens, hæc profert: *Dicendum quod quidam dixerunt, quod innocentibus acceleratus eſt miraculoſe liberi arbitrii uſus, ita quod etiam voluntarie martyrium paſſi ſunt, ſed quia hoc per auctoritatem Scripturæ non comprobatur, ideo melius dicendum eſt, quod martyrii gloriam, quam in aliis propria voluntas meretur, illi parvuli occiſi per Dei gratiam ſunt aſſe-*

Digitized by Google

aſſecuti. Nam effuſio ſanguinis propter Chriſtum vicem gerit baptiſmatis. Unde ſicut in pueris baptizatis per gratiam baptiſmalem meritum Chriſti operatur ad gloriam obtinendam, ita & in occiſis propter Chriſtum meritum martyrii operatur ad palmam martyrii conſequendam.

Dilatio Baptiſmi Parvulorum quando gravis? VII. Cum igitur tam magna ſit Baptiſmi neceſſitas, peccabunt profecto Genitores, & Tutores parvulorum, ſi quam primum moraliter poſſunt, non procurent illos Baptiſmate expiari: ita Communis: eamque docet expreſſe Catechiſmus Concilii part. 2. de Sacram. Baptiſmi num. 34. *Cum pueris infantibus nulla alia via ſalutis comparandæ, niſi eis Baptiſmus præbeatur, relicta ſit, facile intelligitur, quam gravi culpa illi ſe obſtringant, qui eos Sacramenti gratia diutius, quam neceſſitas poſtulet, carere patiantur; cum præſertim propter ætatis imbecillitatem infinita pene vitæ pericula impendeant*. Hinc probabilior cum Soto loc. cit. art. 3. & aliis cenſet, quod dilatio uſque ad octavum diem ſit mortalis, ob rationem a Catechiſmo indicatam: & Natalis Alexander in ſua eruditiſſima Morali plura affert Galliarum Concilia idem confirmantia.

✠ Natis infantibus Baptiſmum conferri quamprimum debere, graviterque peccare, qui diu illum differunt extra omnem dubitationis aleam verſatur. Varia autem Eccleſiarum diſciplina fuit in ſtatuendo temporis ſpatio, quo infantes ad Baptiſmum ſuſcipiendum deferri debeant, ut animadvertit S. P. Benedictus XIV. *Inſtit.* 98. *n.* 3. Romæ promulgatum eſt edictum anno 1723. quo tres ſolum dies ad rem peragendam decernuntur. Idem in Gallia ſervatur inſtitutum, ut videre eſt apud Franciſcum Genettum *tom.* 3. *Theol. Moral. pag.* 78. Diem nonum in ſuis Conciliis S. Carolus Borromæus conſtituit; eamque ſententiam plures aliæ Synodi ſequuntur. Legatur laudatus S. P. Benedictus, qui alia *ibidem* ad rem hanc ſpectantia ob oculos ponit; quique, ut patefacit *n.* 8. dum erat Archiepiſcopus Bononienſis opinioni adhæſit Cardinalis Boncompagni, qui ſanxit nefas eſſe ultra nonum diem Baptiſmum infantibus conferri.

Quando mortalis etiam in adultis? VIII. Adultis quamvis ſapienter ab Eccleſia aliquandiu differatur Baptiſma, non licet tamen illis differre quantum ipſis libuerit: Unde ſi ultra tempus ab Eccleſia præfinitum ſine cauſa differant, juxta fere communem cum Cajetano in comment. ſuper art. 3. q. 66., & Victoria q. 33. peccant lethaliter: quia in re graviſſima non eſt recedendum ſine cauſa ab Eccleſiæ conſuetudine, quæ eſt, ut poſt quadraginta dierum inſtructionem, private adultis conferatur baptiſma, ſervatis ſolemnitatibus ad duorum Paſchatum vigilias.

§. II. *De Baptiſmi materia tum remota, tum proxima.*

I. MAteriam remotam Sacramenti Baptiſmi eſſe aquam naturalem, jam ex Chriſti verbis ſupra relatis norunt Catholici omnes: egregias autem congruentias, cur Chriſtus hanc materiam ſelegerit, videre potes in S. Doctore 3. p. q. 66. art. 3. Propterea, quamvis alteretur colore, limo &c., remanet ſemper materia valida, quouſque perſeverat ſpecies aquæ: peccaret tamen graviter contra reverentiam Sacramento debitam, qui potens habere aquam mundam, uteretur limoſa &c. Quando autem in caſu neceſſitatis uteretur quis aqua, dubitans an ſpeciem ſuam perdiderit, deberet adminiſtrare Sacramentum ſub conditione: ſi eſt materia idonea, ego te baptizo &c. Aqua naturalis eſt materia idonea.

II. Hinc, ex communi, glacies, nix, grando, gelu non ſunt materia idonea, quia non ſunt aqua, qua quis ablui poſſit: aliter autem eſſet dicendum ſi reſoluta redirent in aquam ablutioni aptam. Multo minus quæcumque aliæ aquæ artificiales, roſacea, citrina &c., neque humores ex arboribus defluentes, neque lacrymæ, quia hujuſmodi non ſunt aqua naturalis. Nota tamen, ex communi, quod in caſu neceſſitatis extremæ, & in defectu aquæ naturalis, adhiberi poſſent hujuſmodi ſub conditione *ſi ſit materia ſufficiens*, ad ſuccurrendum proximo extreme ſpiritualiter indigenti. An glacies, nix &c.

* Animadvertendum occurrit, quod qui domi in caſu neceſſitatis Baptiſmum adminiſtrant, curare debent, ut aqua benedicta utantur; quia id decentius eſt, magiſque praxi Eccleſiæ conſonum. In Baptiſmo autem ſolemni aqua debet eſſe chriſmate permixta, eodemque anno in pervigilio Paſcæ, aut Pentecoſtes benedicta.

Num vero gravis ſit obligatio, præfatam aquam in ſolemni Baptiſmo adhibendi, diſſenſio eſt inter Theologos. Nonnulli autumant in ejus omiſſione venialem dumtaxat culpam perpetrari; quia, ajunt, talis benedictio nec ad eſſentiam aut integri-

tegritatem Sacramenti ſpectat, nec grave aliquod myſterium repræſentant. Alii lethale peccatum committi exiſtimat, quod & nobis probabilius apparet. 1. quia aqua chriſmate delibuta expreſſius ſignificat unctionem Spiritus Sancti. 2. quia Eccleſiæ ſolemnitas in conſecrando chriſmate, ejuſque in eodem aſſervando cura, gravem patefacere obligationem videntur. 3. quia gravis criminis reus judicari ſolet ſeu Epiſcopus qui per ſingulos annos in Cœna Domini chriſma non conficit, ſeu Parochus qui non recenti, ſed anni præcedentis chriſmate, quod poſt Paſcha comburere debuerat, utitur, ut *ex antiquo can.* 18. *de conſecrat. diſt.* 3. colligit Pontas *V. Bapt. caſ.* 6. Quanto igitur delinquet gravius qui nec novo, nec antiquo chriſmate uti voluerit? Legatur S. Carolus Borrom. *in ſuis Inſtruct.*

Quantitas aquæ requiſita. III. Tanta vero requiritur aquæ quantitas, ut verificari poſſit quod perſona proprie & ſimpliciter ſit abluta; quia verificari debent verba formæ; ego te baptizo, ideſt abluo. In caſu itaque ſolius neceſſitatis, & deficientiæ aquæ abundantioris, etiam minima aqua poſſet quis uti, proferendo formam ſub conditione, ſi ſit materia idonea &c., periculo deinde ſubmoto, ſi ſic baptizandus viveret, iterum eſſet ſub conditione baptizandus, dicendo, ſi non fuiſti baptizatus, ego te baptizo &c.

Materia proxima Baptiſmi, & quomodo facienda ablutio? IV. Cum materia proxima Sacramenti illa ſit, qua applicatur materia remota, idcirco materia proxima baptiſmi eſt ablutio: *hæc autem ablutio fieri poteſt non ſolum per modum immerſionis, ſed etiam per modum aſperſionis, vel effuſionis: & ideo quamvis tutius ſit baptizare per modum immerſionis, quia habet hoc communior uſus* (illorum temporum) *poteſt tamen fieri baptiſmus per modum aſperſionis, vel effuſionis* (ut modo fit) ait S. Thom. loc. cit. art. 7. cum communi.

Quomodo abluendus qui baptizatur? V. Certum eſt, infantes in uteris maternis valide baptizari non poſſe, eo quod non abluatur corpus infantis, ſed matris, ut notavit S. Doctor loc. cit. ex S. Auguſtino. Si autem obſtetrix manum deferentem aquam in utero matris intromitteret, & infans ablueretur, videtur quod eſſet validum baptiſma juxta multos: ſi tamen dubitaret quam corporis ejus partem abluiſſet; egreſſus ex utero, iterum baptizandus eſſet ſub conditione, ut infra conſtabit ex S. Doctore.

De his omnibus diſſerit S. P. Benedictus XIV. *de Synodo Diœceſ. Lib.* 7. *c.* 5., & præſertim *nu.* 2. celebrem expendit ſuo calamo controverſiam, *an reſerato materni uteri oſtio, quod puerperii initio contingit, valide baptizetur infans, cujus corpuſculum, etſi nulla ſui parte in lucem prodierit, aqua nihilominus ſaltem per ſiphunculum tingi poteſt?* Et relatis variis, quæ circa hanc difficultatem vigent inter Theologos opinionibus, expoſitiſque argumentis, queis unaquæque illarum fidit, ſic tandem concludit contra Gualdum, Epiſcopos hortantem *cap.* 12. *ſui Opuſculi* hac de re conſcripti, ut parvulos intra matris uterum adhuc occluſos, cum in vitæ diſcrimine verſantur, & obſtetricis manu tractari queunt, omnino baptizari præcipiant, atque edicant; ſic, inquam, adverſus ipſum concludit, „ Verum quoniam „ ipſemet fatetur ultimum controverſiæ „ judicium a Sede Apoſtolica eſſe profe- „ rendum, tutius erit, ut Epiſcopus il- „ lud expectet, nec quidquam interim ſuis „ conſtitutionibus inſerat, quo implexæ „ hujus quæſtionis deciſionem ſibi arrogaſ- „ ſe videatur. Ad Parochos vero pertine- „ bit obſtetrices inſtruere; ut cum caſus „ evenerit, in quo Infantem, nulla adhuc „ ſui parte editum, mox deceſſurum pru- „ denter timeant, illum baptizent ſub „ conditione, ſub qua pariter erit iterum „ baptizandus, ſi periculum evadat, & fo- „ ras prodeat, quemadmodum, poſt alios, „ faciendum monet Tournely in ſuis „ *Prælect. de Sacram. Baptiſ. q.* 3. *Part.* 3.

Cæterum animadvertere lubet, ſententiam, quam graviſſimi Doctores propugnant, & in quam etiam Auctor propendet, nempe quod valide baptizetur infans e matris utero nondum egreſſus, ſi ad ejus corpus aqua quomodocumque pertingat, menti D. Thomæ contrariam non eſſe. Docet quidem S. D. 3. p. q. 68. ar. 11. nullo modo infantes in maternis uteris exiſtentes baptizari. Verum, ut ex ejus verbis clare liquet, ideo hoc aſſerit, quia infantes intra matris uterum latitantes ſalutari aqua immediate luſtrari non poſſe ſupponit; ex quo liquido apparet oppoſitum ab Angelico ſtatui, cum infantium corpora poſſunt aliquo modo immediate ablui.

VI. Infans involutus in pelle ſecundina, juxta probabiliorem Soti, & aliorum, invalide baptizatur; quia non abluitur corpus infantis. Si tamen conſtaret pellem illam ita eſſe poroſam, ut aqua attingeret corpus, ſicut ſi eſſet involutus in ſubtili linteo, baptizaretur valide, ſed extra nec- In qua parte corporis eſt abluendus?

Digitized by Google

ceſſitatem, ſemper illicite; tum propter ſecuritatem, tum propter conſuetudinem Eccleſiæ: qui tamen baptizaretur in præfata pelle ob neceſſitatem mortis imminentis, ſi evaderet, iterum eſſet ſub conditione baptizandus. Invalide baptizaretur, ſi ſolum aut in capillis quis ablueretur, aut in digito, aut in pede, ut tenet communior cum S. Antonino 3. part. tit. 14. c. 13. num. 1., quia non dicitur ablutus homo, ſi dumtaxat in dictis partibus abluatur. In neceſſitate tamen, ob auctoritatem Vaſquez, & aliorum illi adhærentium, poſſet ſub conditione baptizari, dicendo, ſi valere poteſt, ego te baptizo &c. Baptizandus itaque eſt abluendus, in capite, vel ſi non poſſit in capite, quia mors immineret, in pectore, vel ſcapulis, quia hoc modo ſecundum communem ſenſum intelligitur homo ablutus. S. Thomas tamen loc. cit. ad 4. ita limitat hanc doctrinam: *Quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita conſiſtit, ſicut in capite; videtur quibuſdam, quod propter dubium, quacumque alia parte corporis abluta, puer poſt perfectam nativitatem* (vel poſtquam periculo ſubtractus eſt) *ſit baptizandus ſub hac forma; ſi non es baptizatus, ego te baptizo, &c.*

Caſus reſolvitur. VII. Hinc validus eſſet baptiſmus ea immerſione, qua ſuffocaretur baptizandus, puta projiciendo illum in puteum, vel flumen, & projiciens diceret, ego te baptizo &c. quia extarent omnia requiſita ad valorem, ut patet: quæ projectio eſt ſemper illicita mortaliter, etiamſi nullus alius ſuppeteret modus baptizandi illum, ut tenet probabilior cum Suarez q. 68., quia actio illa eſt mala ab intrinſeco, de ſe afferens mortem infanti illi; non ſunt autem facienda mala, ut eveniant bona. Secus dicendum, ſi infanti alioquin probabiliter morituro, timeretur ex ablutione baptiſmatis, quod regulariter miniſtratur, acceleratio mortis; quia in hoc caſu revera tantum per accidens, & præter intentionem mors ſequeretur; eo magis quod modicæ aquæ tepidæ ſuperinfuſio vix credi poteſt mortem acceleratura.

* Duplex a nonnullis diſtinguitur ablutio occiſiva: alia, quæ quamvis abluto mortem inferat, attamen cenſetur ablutio; ut ſi quis, ait Petrus Colet *Inſtit. Theolog. tom.* 4. *tract. de Bapt. cap.* 3. *art.* 2. puerum abluat aqua ferventi, aut venenata: alia, quæ ratione circumſtantiarum moraliter exiſtimatur diverſa ab eo quod ſapientes per ablutionem intelligunt, ut ſi quis infantem conjiciat in puteum, unde extrahi non poſſit. Non quæritur, an utraque, vel alterutra abluendi ratio licita ſit, cum liquido conſtet, utrique annexum eſſe homicidii crimen, quod nunquam eſt perpetrandum; ſed quæritur num valida ſit, ſeu ſufficiat ad valorem Baptiſmi. Autumant Doctores ablutionem priori modo occiſivam ſufficere ad valorem Baptiſmi: ablutionem vero, quæ ſecundo modo occiſiva eſt, non ſufficere, ſentiunt non pauci. Id ſaltem incertum putat Sylvius *in* 3. *part. q.* 66. *art.* 7. En ejus verba: " Ceterum, ſi
,, quis ſponte projiceret puerum in flu-
,, men, aut puteum; & volens eum ba-
,, ptizare, proferret formam, incertum
,, eſt, an eſſet baptiſmus; partim ob di-
,, verſitatem ſententiarum . . . . partim,
,, quia talis ex modo agendi non videtur
,, proprie infantem velle abluere, vel in-
,, tingere, imo nec immergere: & ideo
,, talis ſi ſuperviveret eſſet ut minimum
,, baptizandus ſub conditione. Si autem
,, non ſupervivat, ſacra ſepultura donan-
,, dus eſt, quia probabiliter dici poteſt
,, eſſe baptizatus, quandoquidem projiciens
,, ponatur voluiſſe eum baptizare. Addunt
,, autem Gabriel, Paludanus, Richardus,
,, fore baptiſmum, ſi puer mittatur in
,, aquam per calathum, vel quid ſimile;
,, quia non eſt neceſſe, ut baptizans tan-
,, gat aquam, modo illa per ipſum adhi-
,, bita tangat baptizatum. "

VIII. Qui non habens modum alium baptizandi puerum jam morientem, niſi illum ſubmittendo aquæ labenti de tecto, vel alio loco defluenti, vere illum baptizaret, ſi formam proferret, ut docet communior; quia vere infans verificatur ablutus a ſubmittente illum aquæ defluenti. Ut enim quis dicatur vere ablutus ab alio, ſufficit, ut ex vi actionis ejuſdem aqua applicetur corpori. Non baptizaret autem puerum, qui verba proferret, dum ab altero vel projiceretur in flumen, vel alio modo ablueretur, ut patet, quia non verificarentur verba formæ. Caſus alter.

§. III. *De forma Baptiſmi.*

I. JAm liquet apud omnes, formam Sacramenti Baptiſmi in Eccleſia latina eſſe hanc: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen*: Ubi ſtatim nota neque ly *ego*, neque ly *Amen*, Forma Baptiſmi.

eſſe de neceſſitate formæ; qui tamen illas advertenter omitteret, peccaret, quia in re gravi ageret contra conſuetudinem Eccleſiæ. Dixi in Eccleſia Latina; quia alio modo profertur ab Eccleſia Græca, quin differat quoad ſubſtantiam: unuſquiſque tamen tenetur ſub gravi ſe conformare ſuæ Eccleſiæ. Hinc quæcunque mutatio advertenter facta in verbis formæ, quamvis ſenſum non corrumpens, eſt mortalis, quia eſſet voluntaria diſcrepantia a conſuetudine Eccleſiæ in re graviſſima, qualis eſt Sacramentorum effectio.

Quænam mutationes corrumpant ſenſum formæ?

II. Ut aliquas mutationes irritum reddentes Sacramentum indicemus, de quibus poſſet eſſe contentio; primo, ſi duo ſimul eumdem baptizent dicentes: *Nos te baptizamus in nomine* &c. ſumendo ly *nos* collective, & non ſingulariter, aut ſolius gravitatis gratia æquivalenter ad ly *ego*; invalide baptizarent, ait S. Doctor q. 66. a. 5. ad 4. *Quia quod dicitur nos, non eſt idem quod ego, & ego; ſed ego & tu; & ſic mutaretur forma*. E contra ſi diceret baptizans baptizando, *ego vos baptizo* &c. ſumpto ly *vos* in ſingulari urbanitatis gratia, valide baptizaret. Nullum eſſet Baptiſma collatum in *nominibus Patris* &c.; quia tolleretur identitas eſſentiæ, & virtutis Divinæ; ſicuti ſi diceretur *in nomine Trinitatis, vel Genitoris, Geniti, & Spirati*; quia ait S. Thomas loc. cit. art. 6. *Chriſtus inſtituit Sacramentum Baptiſmi dari cum invocatione Trinitatis: & ideo quidquid deſit ad plenam invocationem Trinitatis, tollit integritatem baptiſmi*; & art. 5. ad 7. *In forma baptiſmi aſſumuntur illa nomina, quibus communius conſueverunt nominari Perſonæ in illa lingua; nec in aliis nominibus perficitur Sacramentum*.

* Libet hic integram doctrinam adiicere, quam habet D. Thomas *art.* 5. ab Auctore proxime cit. *in reſp. ad* 4. *Dicendum*, ait, *quod plures ſimul non poſſunt unum baptizare, quia actus multiplicatur ſecundum multiplicationem agentium, ſi perfecte ab unoquoque agatur. Et ſic ſi convenirent duo, quorum unus eſſet mutus, qui non poſſet proferre verba, & alius carens manibus, qui non poſſet exercere actum, non poſſent ambo ſimul baptizare, uno dicente verba, & alio exercente actum. Poſſunt autem (ſi neceſſitas exigit) plures ſimul baptizari, quia nullus eorum reciperet niſi unum baptiſmum. Sed tunc oportebit dicere: Ego baptizo vos. Nec erit mutatio formæ, quia vos nihil aliud eſt quam te, & te. Quod autem dicitur, nos, non eſt idem dicere ego & ego, ſed ego, & tu, & ſic jam mutaretur forma. Similiter autem mutaretur, ſi diceretur: ego baptizo me. Et ideo nullus poteſt baptizare ſeipſum: propter quod & Chriſtus a Joanne voluit baptizari; ut dicitur extra de baptiſmo & ejus effectu c. debitum*. Sic S. D.

Mutatio idiomatis in forma.

III. Sola mutatio idiomatis in proferenda forma, palam eſt relinquere intactum ejus valorem; immo aliquando laudabiliter fit, ne erretur ab ignorante latinum idioma: puta cum fœmina in neceſſitate baptizat.

Interruptio formæ

IV. Si proferens formam, illam interrumpat, *& ſit tanta interruptio verborum, quod intercipiatur intentio pronunciantis, tollitur ſenſus Sacramenti, & per conſequens veritas ejus: non autem tollitur, quando eſt parva interruptio, quæ intentionem proferentis, & intellectum verborum non aufert*, ait S. Doctor q. 60. a. 8. ad. 3. Propterea ſi quis dicat: Ego *te bap*, & interpoſitis aliquibus verbis, ſubjungat *tizo in nomine* &c., invalide baptizat, quia non ſubſiſtit ſignificatio. E contra ſi quis diceret: *ego te baptizo*, deinde vocaret aliquem, & poſtea ſequeretur, *in nomine Patris* &c., valide baptizaret, quia non tolleretur intellectus verborum: peccaret tamen graviter, niſi ex magna neceſſitate id ageret. Ex his ſolve conſimilia.

Simultas prolationis & ablutionis.

V. Talis tandem eſſe debet ſimultas prolationis formæ cum ablutione, quod ſaltem forma incipiatur, antequam finiatur ablutio, vel inchoetur ablutio, antequam forma finiatur; quia niſi conjungantur ſaltem hoc modo, non videtur fieri vera ſignificatio formæ, ut illam conſideranti conſtabit.

§. IV. *De Miniſtro Baptiſmi*.

Quis ſit Baptiſmi miniſter ſolemnitatis? Quis miniſter ex commiſſione?

I. MIniſter ſolemnitatis, ille videlicet, cui ex vi miniſterii ſui convenit baptizare ſolemniter, adhibitis nempe cæremoniis, quæ in Eccleſia adhiberi ſolent, eſt Sacerdos: ita docemur a Concil. Florentino in Decreto Eugenii: *Miniſter hujus Sacramenti eſt Sacerdos, cui ex officio convenit baptizare*. Miniſter ex commiſſione, ille ſcilicet, cui quamvis ex vi ſui officii baptizare ſolemniter non conveniat, eſt tamen idoneus, ut hæc functio ſolemnis ipſi demandetur, eſt Diaconus: ita ex Pontificali: *Diaconum oportet miniſtrare ad altare, baptizare, & prædicare*:

& ex

& ex epiſtola Gelaſii I. Pontificis ad Epiſcopos Lucaniæ: *Diaconos conſtituimus propriam obſervare menſuram, abſque Epiſcopo, & Presbytero baptizare* (ſolemniter) *non audeant*. Miniſter demum neceſſitatis, ille ſcilicet, qui neceſſitate ita poſtulante, ne baptizandus ſine baptiſmo decedat, eſt quilibet rationis compos, ſciens requiſita ad valorem baptiſmi; qui poteſt ſine ſolemnitate baptizare: ita ex Patrum conſtanti Traditione. Unde a Catechiſmo p. 2. de Baptiſmo c. 2. n. 24., inter miniſtros neceſſitatis recenſentur: *omnes etiam de populo, ſive mares, ſive fœminæ, quamcumque illi ſectam profiteantur. Nam* (ſubdit idem Catechiſmus) *& Judæis quoque, Infidelibus, & Hæreticis, cum neceſſitas cogit, hoc munus permiſſum eſt; ſi tamen id efficere propoſitum eis fuerit, quod Eccleſia Catholica in eo adminiſtrationis genere efficit. Hæc autem multa veterum Patrum, & Conciliorum decreta confirmarunt &c.*

Quis miniſter neceſſitatis?

II. Ut autem miniſter neceſſitatis licite id munus obeat; debet illud implere extra Eccleſiam, & in ſolo neceſſitatis caſu, aliter peccaret lethaliter, ut docet communis cum S. Doctore q. 67. a. 3. ad 1., quia ageret contra conſuetudinem Eccleſiæ, & fraudaretur Sacramentum reverentia ſibi debita.

Quid in miniſtro neceſſitatis, ut licite miniſtret?

III. Hic autem ordo eſt ſervandus a Miniſtris ſolemnitatis, quod ſimplex Sacerdos non poteſt Baptiſmum adminiſtrare ſine licentia Parochi, vel Epiſcopi; & ſine licentia miniſtrans, peccat culpa mortali: quemadmodum mortaliter peccat Parochus ille, qui ſubditum alterius Parochi baptizat, ſine iſtius licentia: quia cum ad unumquemque Paſtorem pertineat cura ſui ovilis, nequit quis in tale ovile admitti, ſine illius licentia: admittitur autem quis in ovile Chriſti per baptiſmum.

Quis ordo ſervandus in miniſtris ſolemnitatis?

IV. Miniſtri neceſſitatis debent hunc ordinem ſervare, ut mulier, præſente viro; laicus, præſente Clerico; Clericus, præſente Diacono, vel Subdiacono; Clerici quicumque, præſente Sacerdote, baptizare non præſumant in neceſſitate: non tamen invertendo hunc ordinem æqualiter peccant; ſed dumtaxat eſt gravis inverſio, quando laicus præſente Sacerdote, vel Diacono baptizare præſumit; quia Sacerdos eſt ordinarius hujus Sacramenti miniſter; & Diaconus habet ad illud ſaltem jus remotum.

Qualis ordo eſt ſervandus inter miniſtros neceſſitatis?

☞ P. Paulus Gabriel Antoine *Tract. de Baptiſmo q. 8. reſp. 3.* breviter ac dilucide ordinem ſervandum exponit inter eos qui in caſu neceſſitatis valent Sacramentum Baptiſmi miniſtrare: In caſu, *inquit*, neceſſitatis quilibet tenetur baptizare; nam quiſque tenetur lege caritatis ſubvenire proximo neceſſitatem patienti, niſi alius adſit qui poſſit, & velit ſubvenire. Tunc tamen ſi plures adſint, præferri debet Diacono Sacerdos, ille Subdiacono, hic inferioribus clericis, clericus laico, vir fœminæ, fidelis non baptizato, non excommunicatus excommunicato; nam reverentia Sacramento debita exigit, ut digniores præferantur, per ſe loquendo. Quare mortale eſt, ſi ſine cauſa juſta non præferatur Sacerdos non Sacerdoti, fidelis non baptizato, non excommunicatus excommunicato, Diaconus non Diacono. Nam tunc fit gravis irreverentia in Sacramentum. Inverſio autem ordinis quoad alios, juxta multos eſt ſolum venialis, quia irreverentia non cenſetur gravis.

Dixi, *per ſe loquendo*; quia per accidens poteſt hic ordo inverti. Nam ex Rituali Romano mulier præferri debet viro vel ratione majoris peritiæ ad baptizandum, vel ratione honeſtatis ac pudoris, ut ſi infans ob periculum vitæ imminens ſit baptizandus antequam totaliter ex utero prodierit. *Quapropter curare debet Parochus, ut præſertim obſtetrices rectum baptizandi ritum probe teneant ac ſervent*, ait Rituale Romanum. Et hæ ad id graviter tenentur ex caritate, & officio, ideoque ex juſtitia propter pericula ſæpe contingentia partus. Porro Pater & Mater prohibentur propriam prolem baptizare, niſi in articulo mortis, & deficiente alio.

V. Sacerdos ſolemniter baptizans ſine ſupradicta licentia, non incurrit irregularitatem, ut docet Sotus in 4. diſt. 4. q. 1. a. 3. concl. 3. & alii poſt ipſum: quia non invenitur hæc in jure ſtatuta. Eam tamen incurrit Clericus non Sacerdos, ſi ſolemniter baptizet: ita in cap. 1. de Clericis non ordinat. minor.; quam non incurrit, ſi non ſolemniter baptizet, quamvis ſine neceſſitate, & licentia; quia in dicto jure hic caſus non exprimitur. Eamdem etiam incurreret laicus, ſi ſolemniter baptizare auderet, ut tenet communis cum Soto loc. cit.

Incurritur ne aliqua pœna a baptizantibus ſine licentia?

VI. Regulares ex jure canonico in cap. *placuit* 16. q. 1. prohibentur ſolemniter baptizare: tamen de licentia Epiſcopi, vel Parochi, & proprii Superioris id poſſunt:

Quid de Regularibus?

D 2 ex

ex capite *Diaconus* diſt. 39., ut docet Rodericus Tom. 1. q. 31. a. 1.

Plures ſimul baptizare.

VII. Quod unus miniſter eadem actione plures ſimul baptizet ſine neceſſitate, plures dicunt eſſe lethale: eo quod agatur contra conſuetudinem Eccleſiæ in re gravi, qualis eſt modus miniſtrandi Sacramenta.

Errans in perſona putans eſſe unam cum ſit altera.

VIII. Qui putat baptizare filium Petri, cum ſit filius Pauli, vel femellam, cum ſit maſculus, juxta Sotum in 4. d. 1. q. 5. a. 8., Sylveſtrum verbo Baptiſmus cap. 3. q. 16., alioſque contra Hoſtienſem & alios, valide baptizat: quia hujuſmodi error eſt dumtaxat materialis, & ſpeculativus: actualiter namque, & practice applicat, & dirigit ſuam intentionem ad hanc præſentem perſonam. Excipe, niſi baptizans hac inſuetâ limitatione, non ſine peccato gravi, uteretur: intendo hunc baptizare dummodo ſit filius Petri, vel maſculus &c.; tunc enim patet, quod intentio non ſe extenderet niſi ad illum.

Quid requiritur ut licite miniſtret?

IX. Miniſter ſolemnitatis, etiam in neceſſitate, ſolemniter tamen baptizans, tenetur eſſe in ſtatu gratiæ. Unde ſi in ſtatu culpæ lethalis ſolemniter miniſtret, lethaliter peccat, ut docet fere communis cum S. Doctore 3. p. q. 64. a. 6. quia, ut jam alibi indicavimus, ſolemniter miniſtrans agit ex vi officii ſui, tanquam miniſter conſecratus, ut miniſter Eccleſiæ; & propterea tenetur ſancte miniſtrare Sacramentum. Si autem in neceſſitate non ſolemniter miniſtret, quamvis ſit Sacerdos, & etiam excommunicatione irretitus, non peccat mortaliter, ut plures cum S. Doctore ſuſtinent, ita docente loc. cit. & etiam alibi allato, ſimulque rationem afferente: *In articulo neceſſitatis non peccaret baptizando in casu, in quo etiam poſſet laicus baptizare: ſic enim patet, quod non exhibet ſe miniſtrum Eccleſiæ, ſed ſubvenit neceſſitatem patienti: ſecus autem in aliis Sacramentis, quæ non ſunt tantæ neceſſitatis, ſicut Baptiſmus.*

Quinam teneantur ſcire requiſita ad Baptiſmum?

X. Ex hactenus dictis deducas, Parochum teneri ſub mortali ſcire requiſita ad Baptiſmum valide miniſtrandum, materiam videlicet, formam & intentionem; nec non Sacerdotem, ſicuti etiam Diaconum, & etiam obſtetrices; cum duo primi ſint, talis Sacramenti miniſtri ordinarii, ſervato ordine ſuperius dicto: Diaconus vero, quia eſt miniſter ex commiſſione: Obſtetrices autem ob frequentem, quam habere poſſunt, occaſionem, illud miniſtrandi infantibus periclitantibus.

§. V. *De Ritu Patrini, & effectibus Compaternitatis.*

Quid ſit Patrinus & quando neceſſarius?

I. PAtrinus, qui eſt quidam comminiſter in Baptiſmo ſolemni, ſignificat ſponſorem ſpondentem, ſe de baptizato paternam curam habiturum, & ſe pro eodem fidejubere, reſpondendo pro infante Sacerdoti interroganti. Congruentiam hujus ritus aſſignat S. Thomas 3. p. q. 67. eamque ex ipſo affert Catechiſmus part. 2. de Sacram. Baptiſ. cap. 2. n. 26. In ſolemni igitur adminiſtratione Baptiſmi nequit omitti Patrinus, abſque culpa mortali; ita obligante Eccleſiæ ritu in re gravi. Secus in privata adminiſtratione; tum quia nullum extat in jure præceptum; tum quia adeſt Patrinus, quando in Eccleſia ſolemnitates ſupplentur.

* Placet oculis ſubiicere congruentiam, quam Angelicus aſſignat *quæſt.* ab Auctore *cit. ar. 7. in c.* ad oſtendendum optimo jure factum eſſe, ut ad Baptiſmum præter Sacramenti Miniſtros, Patrinus etiam & ſuſceptor adjungeretur. *Dicendum*, inquit, *quod ſpiritualis regeneratio, quæ fit per baptiſmum, aſſimilatur quodammodo generationi carnali: unde dicitur primæ Petri ſecundo: ſicut modo geniti infantes rationabiles, & ſine dolo lac concupiſcite. In generatione autem carnali parvulus nuper natus indiget nutrice & pædagogo. Unde & in ſpirituali generatione baptiſmi requiritur aliquis, qui fungatur vice nutricis, & pædagogi, informando, & inſtruendo eum quaſi novitium in fide, de his, quæ pertinent ad fidem, & vitam chriſtianam; ad quod Prælati Eccleſiæ vacare non poſſunt circa animarum curam populi occupati; parvuli enim & novitii indigent ſpeciali cura præter communem. Et ideo requiritur quod aliquis recipiat baptizatum de ſacro fonte, quaſi in ſuam inſtructionem, & tutelam. Et hoc eſt quod Dionyſius ult. cap. Cœleſt. Hierar. Divinis noſtris Ducibus (ideſt Apoſtolis) ad mentem venit, & viſum eſt ſuſcipere infantes ſecundum iſtum ſanctum modum, quod naturales pueri, parentes traderent puerum cuidam docto in divinis pædagogo, & reliquum ſub ipſo puer ageret, ſicut ſub divino patre, & ſalvationis ſanctæ ſuſceptore.* Legatur idem S. D. *& in reſp. ad 2.*

Quot debent eſſe Patrini

II. Patrinus vel debet eſſe unus tantum ſive vir, ſive fœmina fuerit, vel ad ſummum

rum duo, nimirum mas, & fœmina, ita ut lethaliter delinquatur, ſi ambo ſint mares, vel fœminæ; ſic ſtatuente Synodo Tridentina ſeſſ. 24. cap. 2. *Statuit Sancta Synodus, ut unus tantum, aut una, ſive vir, ſive mulier, juxta ſacrorum Canonum inſtituta, vel ad ſummum unus, & una baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant... Parochus antequam ad baptiſmum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, ſciſcitetur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de Sacro Fonte ſuſcipiant, & eum, vel eos tantum ad illum ſuſcipiendum admittat.* Idemque obſervandum eſt, quamvis alterius nomine ſuſcipiatur baptizandus, ob eamdem rationem. Procurandum autem eſt, quando duo eliguntur, ne ſint conjuges, ita jubentibus pluribus Conciliis Provincialibus, Mediolanenſi primo ſub Sancto Carolo, Pariſienſi, Rothomagenſi, Aquenſi, Burdigalenſi, & aliis Gallicanis relatis a Natali Alexandro in hoc tractatu: quorum auctoritas ſatis declarat, id eſſe inconveniens etiam extra illas diœceſes, in quibus obligatio procul dubio eſt gravis. Dixi procurandum; quia in jure nullum extat præceptum omnes Eccleſias afficiens.

Quinam ſint eligibiles in Patrinos? III. Infidelis non baptizatus illicite, & invalide eligitur in Patrinum; quia non baptizati non ſubduntur legibus Eccleſiæ. Hæreticus vero baptiſmate expiatus valide eligitur, ſed illicite mortaliter: quia quamvis ſit Eccleſiæ ſubditus per ſuſceptum baptiſmum, præcipuo paternitatis muneri ſatisfacere non valet, quod eſt inſtruere baptizatum in rebus fidei. Eligibilis in patrinum debet eſſe confirmatus, ut docet probabilior cum S. Antonino; idemque ſanxit S. Carolus Borromæus in ſua inſtructione baptiſmi, & colligitur ex Rituali Romano. Quia autem non vidi apud Auctores hanc conditionem urgeri, putarem, quod illam omittere non excedat veniale, niſi forte jura ſpecialia diœceſum id jubeant. Quilibet ergo Catholicus uſu rationis pollens eligi poteſt, quamvis convenientius ſit, ut adultior eligatur, qui habilior ſit ad munera Patrini obeunda, caſu quo neceſſitas eveniat. Si tamen in aliqua diœceſi ætas aliqua præſcripta fuiſſet, omnino parendum eſſet.

* Sicut Hæreticus a Catholico in Patrinum aſſumi non poteſt, ut *num præced.* docet Auctor: ita nec Catholicus in hæreticorum Baptiſmo vices Patrini gerere debet. Neque enim æquum eſt, ut Eccleſiæ filii Pſeudominiſtris, ejuſdem Eccleſiæ hoſtibus, Proſelytos offerant, ait Petrus Colet *Inſtit. Theol. tom. 4. tract. de Bapt. cap. 5. q. 3.*

An Monachi, & Regulares? IV. Ex capite *non licet* diſt. 4. de conſecrat. interdicitur Monachis ſuſcipere infantes de baptiſmo: *Non licet Abbati, vel Monacho de baptiſmo ſuſcipere filios.* Unde Sotus in 4. d. 4. q. unica a. 5. docet eos peccare mortaliter. Regularibus autem non Monachis quidam cum Sanchez lib. 2. diſp. 60. n. 21. id licere negant: alii cum Ægidio q. 67. art. 7. affirmant. Videtur idem motivum æque militare pro utriſque: multo magis quia plura Concilia particularia id Regularibus vetaverunt: Et S. Carolus Barromæus in inſtructione Baptiſmi hoc idem nedum Regularibus, verum etiam Clericis prohibuit. Itaque ſaltem ſine ſuorum Superiorum licentia hoc munus obire non debent: & Superiores non niſi ex urgentiſſima cauſa concedere prudenter poſſunt; puta ob inſtantiam alicujus Principis, vel Nobilis ſpeciali nota fulgentis, ubi hoc non eſt interdictum.

✠ Moniales quoque nequeunt eſſe Commatres etiam per Procuratorem. *Sac. Congreg. Conc. in Mediol.* 3. *Octob.* 1677. ubi id prohibuit pro omnibus Regularibus. Videatur P. Lucius Ferraris verb. *Moniales* art. 6. n. 70., & verb. *Baptiſmus art. 7. a n. 41. ad 47.*

Effectus Compaternitatis. V. Duo ſunt effectus Compaternitatis: primus explicatur a Catechiſmo p. 2. de Baptiſmo num. 28. *Debet a ſe ſuſceptos admonere, ut caſtitatem cuſtodiant, juſtitiam diligant, charitatem teneant, & ante omnia Symbolum, & orationem Dominicam eos doceat: Decalogum etiam, & quæ ſint prima rudimenta religionis Chriſtianæ.* Quando autem ad hanc ſollicitudinem ſub gravi teneantur, docet S. Thomas quæſt. 67. art. 8. *Obligatur ad habendam curam de ipſo ſuſcepto, ſi neceſſitas immineret, ſicut eo tempore, & loco, in quo baptizati inter infideles nutriuntur. Sed ubi nutriuntur inter Chriſtianos, ſatis poſſunt ab hac cura excuſari, præſumendo quod a ſuis parentibus diligenter inſtruantur. Si tamen quocumque modo ſentirent contrarium, tenerentur ſecundum ſuum modum, ſaluti ſpiritualium filiorum curam impendere.* Secundus effectus compaternitatis eſt cognatio ſpi-

ſpiritualis, ſeu affinitas ſpiritualis, quæ impedit matrimonium contrahendum, & jam contracti uſum tollit; quæque ex Concilio Tridentino ſeſſ. 24. capit. 2. de Reformatione Matrimonii, oritur inter patrinos & ipſum baptizatum; inter patrinos & baptizati genitores; inter baptizantem & baptizatum, baptizatique genitores. Hinc ſi aliquod carnale peccatum inter dictas perſonas perpetretur, præter ſpeciem luxuriæ, gravatur etiam ſpecie ſacrilegii, etiamſi perpetretur inter maſculos.

Quid quando plures quam duo baptizatum tangunt?

VI. Quando nulli Patrini fuerint aut a Parentibus baptizandi, aut a Parocho deſtinati, & plures duobus baptizandum ſimul illicite tangunt, omnes præfatam cognationem contrahere, docet probabilior cum Barboſa 2. p. de poteſtate Epiſcopi, Allegatione 30., n. 11., qui etiam refert ita reſpondiſſe Sacram Congregationem; ſi vero Patrini illi non ſimul, ſed ſucceſſive baptizandum tangant, non omnes, ſed ille, qui primus, vel ille, & illa qui primo tetigerunt, cognationem contrahent: ita Rebellus in appendice ad lib. 4. de ſponſalibus ſect. 4., n. 95., referens ita reſpondiſſe Sacram Congregationem. Ratio primæ partis eſt, quia cum Concilium nihil de hoc caſu definierit, tanquam prætermiſſus debet ad jura antiqua revocari: ſcilicet ad Caput fin. de Cognat. Spirit. in 6., quod jus omnes tangentes cenſet eſſe Patrinos. Hinc inferas, ad contrahendam cognationem requiri Patrinos tangere baptizandum, quia & alia jura, & Concilium Tridentinum loc. cit. utuntur hac expreſſione: *quod ſi aliqui præter deſignatos baptizatum tetigerint* &c.; quæ expreſſio non verificatur de ſolo tactu morali, ut patet, ſed de phyſico. Non eſt autem neceſſe, quod reſpondeat interrogationibus a baptizante factis, ut docet fere communis cum Soto, & Sylveſtro, eo quod hæ reſponſiones non requirantur ad contrahendam cognationem, ad quam ſufficit ſolus tactus infantis.

Quid quando ſuſcipit per Procuratorem?

VII. Quando ſuſcipiens baptizatum, ſuſcipit per procuratorem, probabilius videtur non Procuratorem, ſed Principalem contrahere cognationem; quia qui per alium facit, per ſeipſum facere videtur: & quamvis ipſe principalis phyſice non tangat, tangit tamen loco ejus ipſe Procurator: & ita declaraſſe Sacram Congregationem indicat Barboſa de offic. Parochi cap. 18. n. 15. Si enim nemo illorum cognationem contraheret, ut aliqui docent, ſequeretur, quod Eccleſia in baptiſmo ſolemni permitteret non adeſſe patrinum: cum enim ſæpiſſime eveniat ſuſceptio per procuratorem, ſæpiſſime permitteret carentiam Patrini, quod procul dubio non eſt dicendum; igitur aliquis eorum eſt Patrinus; at non Procurator, qui non agit nomine proprio, neque intendit ipſe ſuſcipere: Ergo principalis erit Patrinus, & cognationem contrahet.

Quid de Patrino in baptiſmo privato?

VIII. Quamvis autem in baptiſmo privato non requiratur Patrinus, ſi tamen aliquis in eo baptiſmo patrini munus obeat, probabilius videtur cum Soto, Navarro, Suarez, Sylvio, & aliis, quod contrahat cognationem; quia ſequeretur illum non eſſe vere Patrinum: ſi igitur eſt vere Patrinus, contrahit effectum compaternitatis, qui eſt cognatio. His non obſtantibus, P. Lucius Ferraris in noviſſima ſua Bibliotheca Canonica, verbo Baptiſmus, Art. 7. num. 20. affirmat, oppoſitum fuiſſe Reſponſum a Sac. Congregatione Concilii, videlicet tenentem baptizatum in Baptiſmo nullam contrahere cognationem, quam tamen contrahit baptizans.

Quid de genitore prolem baptizante in neceſſitate?

IX. Quando aliquis Genitorum, in neceſſitate infantis morientis, baptizat illum, non contrahit cognationem cum altero conjuge: quia ita docemur ex capite *ad limina* 30., q. 1.: Si vero alii adſint, qui talem neceſſitatem ſupplere queant, & nihilominus ipſi velint baptizare, probabilius videtur, quod illam contrahant; quia vere non baptizant in neceſſitate, cum habeant in promptu, qui baptizare poſſunt. Quando autem pater baptizat in dicta neceſſitate filium ex concubina ſuſceptum, contrahit cognationem cum eadem, ex communi; quia Canon excipit ſolos conjuges.

Quid de eo, qui ſuſcipit in ſolis ſolemnitatibus baptiſmi, & qui levat filium Petri per errorem, dum eſt invitatus pro filio Pauli?

X. Suſcipiens in ſolis ſolemnitatibus illum, qui in neceſſitate baptizatus fuit Baptiſmo privato, non contrahit cognationem: ita declaravit ſacra Congregatio Concilii, 13. Julii 1624., relata a laudato P. Ferraris loc. cit. n. 22. Qui per errorem levat filium Petri, invitatus pro filio Pauli, niſi expreſſe levare non intendat, niſi filium Pauli, videtur contrahere cognationem cum Petro, ejuſque uxore &c., quia reapſe vult eſſe patrinus illius, quem actu levat de ſacro fonte.

§. VI.

Digitized by Google

§. VI. *De Subjecto Baptiſmi, ſecundum varios ſtatus conſiderato.*

Subjectum baptiſmi capax.

I. CErtum eſt apud Catholicos, omnem hominem ſive puerum, ſive adultum, ſive marem, ſive fœminam, eſſe ſubjectum Baptiſmi capax: ita docemur a Chriſto jubente Apoſtolis, ut baptizent *omnes gentes*: ita ſemper tenuit Eccleſia, Traditione edocta: idque fuſe probatur a Theologia dogmatum. An autem infantes infidelium non baptizatorum ſint invitis eorum parentibus baptizandi? Reſpondetur, quod ſi gaudeant uſu rationis, & ipſi baptizari velint, poſſunt, juxta omnes, invitis eorum parentibus baptizari: ſi autem nondum rationis uſum attigerint, longe communior, & probabilior eſt opinio S. Thomæ 3. p. quæſt. 68., art. 10., & alibi, non poſſe licite, invitis parentibus baptizari: quia ait S. Doctor, *ſecundum jus naturale ſunt ſub cura parentum, quamdiu ipſi ſibi providere non poſſunt... & ideo contra juſtitiam naturalem eſſet, ſi tales pueri invitis parentibus baptizarentur; ſicut etiam ſi aliquis habens uſum rationis baptizaretur invitus: eſſet etiam periculoſum, taliter filios infidelium baptizare, quia de facili ad infidelitatem redirent, propter naturalem affectum ad parentes. Et ideo non habet hoc Eccleſiæ conſuetudo, quod filii infidelium, invitis parentibus, baptizentur.*

Quid de filiis infidelium non baptizatorum?

Animadverſio notanda.

II. Animadvertendum eſt, (& ſic ſubvertitur præcipuum adverſæ opinionis fundamentum) mandatum ſupremi Domini poſſe dupliciter accipi; primo, taliter, ut impleatur, ſalvo tamen jure dominii inferiorum dominorum: ſecundo, ut impleatur, quamvis jura inferiorum dominorum violanda ſint. Chriſtus univerſorum Dominus potuiſſet condere legem de Baptiſmo, ut impleretur, nulla habita ratione juris cujuſcumque inferioris: at ita non inſtituit ſuam legem, ſed voluit ita impleri, ut non violarentur jura naturalia inferiorum. Id patet exemplo adulti, quod ab omnibus admittitur, qui non poteſt baptizari, niſi ipſe velit; quia jus naturale concedit, ne, qui de ſe ipſo diſponere poteſt, compellatur vi, legem Chriſti acceptare: Ex quo patet, Chriſtum noluiſſe, ut ſua lex impleatur cum violatione jurium naturalium ſuorum ſubditorum: Cum itaque filii rationis impotes jure naturali ſint in poteſtate parentum infidelium, non poterunt baptizari, ipſis invitis; quia violaretur jus naturale eorumdem. Etenim deberent ab eorum cura tolli, ne prævaricandi periculo, cum injuria gravi Religionis, relinquerentur expoſiti.

Quid! quando dubitatur, an puer uſu rationis gaudeat?

III. Hinc quando dubitatur, an puer uſu rationis gaudeat, non eſt baptizandus, ut docet probabilior cum S. Antonino; quia in materia juſtitiæ, in caſu dubii, melior eſt conditio poſſidentis; in tali autem dubio parentes ſunt certi poſſeſſores naturalis juris, quod habent ſuper talem filium; igitur in caſu dubii non ſunt expoliandi ſuo jure, ſuaque poſſeſſione. Id autem intelligas, niſi filius ille eſſet jam in vitæ extremo conſtitutus; quia tunc baptizari poteſt.

Quid de filiis judæorum & infidelium mancipiorum?

IV. Infantes præfatorum infidelium, & Judæorum, qui ſunt ſubditi tantum politice Principibus chriſtianis, non poſſunt licite, invitis parentibus, baptizari; ita probabilior cum S. Doctore loc. citat. ad 2. *Dicendum, quod judæi ſunt ſervi Principum ſervitute civili, quæ non excludit ordinem juris naturalis, vel dominii.* Nam vel deberent a parentibus eripi, quod eſt, ut diximus, contra jus naturale; vel relinqui ſub poteſtate eorum, quod eſſet injurioſum religioni, ob evidens periculum apoſtaſiæ eorum; & hoc eſt contra jus naturale tuendæ religionis. Quando autem dicti infideles ſunt vere mancipia; probabilius videtur cum Suarez, poſſe a dominis, invitis eorum parentibus, baptiſmo donari, dummodo ita elongentur a parentibus, ut omne ſubmoveatur periculum ſubverſionis; quia cum poſſint a dominis filii illi vendi, & donari, multo magis baptizari, & Eccleſiæ conſignari, ſi ſint impotes rationis. Si enim ea gaudeant, eorum conſenſus eſt explorandus. Quamobrem ſi quis vel contra conſcientiam, vel bona fide præfatos filios, invitis parentibus, baptiſmo traderet, teneretur ab eorum cura illos eripere; quia in concurſu vel juris violati parentum, vel religionis certo moraliter violandæ per apoſtaſiam, prævalet præceptum naturale religionis non violandæ.

Quid ſi alteruter parentum aſſentiatur?

V. Poſſe præfatos infantes baptizari, docet Theologorum communis, quando alteruter parentum infidelium aſſentitur; quia conſenſus unius illorum eſt favorabilis, tum puero, tum Religioni; ideo præferri debet diſſenſui alterius, nulla habita ratione, an diſſentiens ſit pater. In hoc tamen magna eſt utendum pruden-

Digitized by Google

tia, & cautione; nempe ut ſpes moraliter certa affulgeat, puerum poſt baptiſmum poſſe chriſtiana diſciplina educari, nec ſubſit periculum ullum ſeductionis in apoſtaſiam.

Sapientiſſimus Pontifex Benedictus XIV. in Epiſtola data die 28. Februarii 1747. ad Archiepiſcopum Tarſenſem Urbis Viceſgerentem, quæ incipit *Poſtremo menſe*, plures caſus ad hanc materiam ſpectantes reſolvit, regulaſque, quæ in certis quibuſdam ambiguis eventibus ſervandæ ſunt, præſcripſit. Epiſtolam in duas partes diſtribuendam duxit, in quarum prima *de Hebræorum infantium*; in ſecunda *de Adultorum baptiſmate* diſſerit. Primæ partis præcipua capita ſunt hæc. 1. Hebræorum filii liberi arbitrii uſum non habentes, invitis parentibus baptizari non debent. 2 Hebræorum tamen filii infantes baptizari poſſunt, ſi in extremo mortis diſcrimine conſtituti inveniantur. Item ſi crudelem in modum a parentibus deſerantur, nempe, ſi in loco publico ſoli derelicti, abjecti, atque omni cura & ſpe deſtituti offendantur. 4. Judæorum infantes parentibus orbi, ſed ſub tutela degentes, ſine tutoris aſſenſu licite baptizari nullo modo poſſunt. 4. Baptizandi ſunt Hebræorum infantes, a Patre qui chriſtianæ militiæ nomen dedit ad baptiſmum oblati, etiam invita Matre; & etiam ſi a Matre ad Chriſti fidem converſa offerantur ſine Patris conſenſu. Item ſi ab Avo paterno Chriſtiano facto, in cujus poteſtate ſunt, offerantur ad baptiſmum, quamvis, mortuo jam Patre, Mater Hebræa repugnet; immo non ſolum ſi Mater, ſed etiam ſi Pater diſſentiat, & quamvis ambo pariter proteſtentur, ſeſe filii baptiſmati non aſſentiri. 5. Judæorum infantes oblati a Parentibus, qui ſemel dixerunt ſe catholicam fidem amplecti velle, etiamſi Parentes a propoſito recedant, ſunt baptizandi. Qui autem infantiam exceſſerint non cogendi, ſed retinendi ſunt ad tempus longe a parentum conſuetudine, donec inſtructi, de ſuo ſtatu deliberent. 6. Baptiſmus conferri non debet infidelium filiis, qui a parentibus offeruntur, non ut originalis culpa ex eorum anima deleatur, ſed ut a malignis ſpiritibus, vel morbo aliquo liberentur. Quod intellige, ubi infans in parentum infidelium poteſtatem rediturus, & in eorum infidelitate educandus fore dignoſcatur; ſed ſi perverſionis periculum abſit, tunc habita potius ratione intentionis Eccleſiæ, quam voluntatis parentum infidelium, ex ſententia S. Auguſtini baptizandus eſt. 7. Baptiſmus infantibus collatus ſine conſenſu parentum, quamvis illicitus, validus tamen cenſendus eſt ex ſententia S. Auguſtini, & ex pluribus Congregationis S. Officii Decretis. 8. Infidelium filii, qui neque a Parentibus, neque ab illis qui in eos jus habeant ad baptiſmum offeruntur, ſed ab aliquo nullam habente auctoritatem, & quorum præterea caſus non comprehenduntur ſub ea diſpoſitione, quæ ſinit baptiſmum conferri, etiamſi majorum conſenſus deſit, baptizari non debent, ſed ad illos remitti, quorum in poteſtate ac fide ſunt legitime conſtituti. Quod ſi jam Sacramento initiati eſſent, aut detinendi ſunt, aut ab Hebræis parentibus recuperandi tradendique Chriſtifidelibus, ut ab illis pie, ſancteque informentur; & ſi poſtquam adoleverint, ſuo ipſi infortunio catholicam fidem deſererent, & Hebræorum ritibus adhærerent, contra eoſdem legibus utendum eſſet, ut contra Hæreticos, juxta Decretalem Bonifacii VIII. in cap. *contra de Hæreticis in* 6. 9. Hebræi infantes, ſi valide baptizati fuerint invitis parentibus, eis reſtituendi non ſunt, etiamſi ſpondeant ſe eos Chriſtianis reddituros, cum ad convenientem ætatem pervenerint, nihilque illis contra fidem catholicam tradituros. 10. unius teſtimonium ſufficit ad probandum infidelium infantes aquis ſalutaribus fuiſſe rite luſtratos; quod tamen intelligendum eſt, dummodo teſti aut mari, aut fœminæ fides adhiberi prudenter poſſit, aut idem ſi teſtatur qui baptizavit; hic ſiquidem ſeipſum, aſſerens, Baptiſma Hebræo infantulo miniſtraſſe, non rem modo ab ſe geſtam, ſed etiam pœna digniſſimam ſuo teſtimonio comprobaret.

In ſecunda vero parte Epiſtolæ, in qua de *baptiſmate Hebræorum adultorum, ac ratione pollentium* ſermonem habet; hæc ſancita deprehenduntur. 1. Hebræus ſponte baptiſmum expetens, non infans, ſed ſui compos cenſendus eſt, & quodammodo adultus, dum ſeptennium complevit, regulariter loquendo. *Regulariter*, inquit, nam oportet Præſidem Eccleſiaſticum etiam atque etiam conſiderare, quiſnam ſit Baptiſmi petitor, cum poſſit contingere, ut is etiam non completo ſeptennio ſufficienti ſit præditus ratione: ideoque baptizandus, invitis licet, reluctantibuſque parentibus, ut ſapienter diſſerit Sotus *in 4. diſt.*

Digitized by Google

4. *diſt.* 5. *qu. unic. art.* 10. *dub.* 2. 2. ſi de perfecto rationis uſu dubitetur, monet Sacramentum eſſe differendum, ſed hunc qui poſtulat retinendum, ac ſic interea informandum, ut idoneus evadat, baptiſmati poſtmodum ſuſcipiendo. 3. ſi quis Hebræorum, expleto jam ſeptennio, catholicam Religionem amplecti cupiat, aut ſi non dubia, ſed certa ſignificatio detur, Hebræum aliquem prædictæ ætatis baptiſmum petere, in hoc caſu tum Index, qui hoc admonet, eſt retinendus, tum Sacramenti petitor ex Hebræorum vico evocandus, chriſtianiſque tradendus eſt, ut interrogetur, qua potiſſimum de cauſa velit ab Hebræorum inſtitutionibus ad Chriſti cultum accedere; diligenter demum inſtrui debet. Hac autem adhibita diligentia, ſi forte incapax inveniretur, iterum abſque dubio Judæis tradendus eſſet. 4. Si contingat, ut Hebræorum aliquis ætate adultus baptiſmum cupiat, is quidem eſt retinendus, aut e vico evocandus, dum ejus optimam voluntatem quiſpiam fide dignus atteſtatur. Magna hic vero diligentia opus eſt, experientia edocente, Hebræas ſeu mulieres, ſeu puellas frequenter ad baptiſmum confugere non Religionis, ſed Matrimonii cauſa, quod nimirum Chriſtianum aliquem depereant: mares autem chriſtianæ fidei deſiderium affectare, quod matrimonii jam contracti laqueos declinare cupiunt; & uxorem Hebræam relinquere, aut quod ære alieno gravati ſunt, ac ſolvendo impares. 5. ſi quis adultus ad ſalutis fontem acceſſerit voluntate animatus accipiendi non quodcumque lavacrum, ſed unice Eccleſiæ proprium, ac peculiare, baptiſmum eſſe validum dubitari non poteſt. 6. ſi quis baptiſmum accipiens præſenti voluntate careat, quam alias tamen habuerit, talis ſuſcipiendæ lotionis, qualis in Eccleſia frequentatur, tunc examinare oportet, utrum voluntas antecedens nunquam deinceps retractata, adhuc moraliter perſeveret. Nam ubi nulla præceſſerit retractatio, & moraliter perdurare intentio videatur, eſt certe validum Sacramentum. 7. Baptiſmum ſi quis neutra voluntate ſuſceperit, ideſt neque volens, neque nolens, non erit valide baptizatus. 8. Si Baptiſmus violenter, atque animo palam contrario ſuſcipiatur, tunc adultus ſic baptizatus caute & ſerio eſt examinandus; nec facile credendum illi, ubi reſponderit ſe baptizatum non libere, ſed invite, etiamſi cum juramento deponat, niſi hoc idem comprobent adjuncta plurima, & circumſtantiæ antecedentes, concomitantes, & ſubſequentes, & eæ quidem momenti ſint ineluctabilis, & inconcuſſi. Quod ſi ex dictis, clariſſime conſtet, nullam prorſus habuiſſe voluntatem, aut intentionem recipiendi baptiſmum, tunc hortandus eſt, ut rite id faciat, quod jam irrito fecit, & ſuſcipiat abſolute, ac libere Sacramentum, & ſi adhuc obſtinate repugnet, eſt remittendus. Si autem res in dubio ſit, nec intelligi poſſit, an defuerit intentio, an ſufficiens fuerit necne, adultus tum detinendus; baptizanduſque ſub conditione. Demum quotieſcumque aliqua ex parte de collato baptiſmate dubitatur aut in facto, aut in jure, Hebræus jam luſtratus non remitti, ſed retineri debet, & baptizari ſub conditione; & ſic baptizatus tenetur omnino fidem catholicam obſervare, eorum inſtar, qui minis, & terrore adducti, ſuſcipiendo baptiſmati aſſenſum libere præbuerunt. 9. Si denuncient, Hebræum ſerio petiiſſe Baptiſmum aut duo teſtes ſingulares, aut unus tantummodo, ſed fide dignus, & omnem citra dubitationem idoneus, & multo magis ſi adminiculis ſuffultus; tunc habito teſtium, vel teſtis examine, non oportet, Hebræum ad catechumenos ducere, ſed Judex catholicus, qui Romæ eſt Viceſgerens pro tempore, ejus voluntatem extra vicum, vel domi ſuæ, vel in Templo aliquo ſemel, atque iterum, aut etiam pluries explorabit, ut Hebræi conſilio clare perſpecto, & cognito, eum tuto jubeat aut ad vicum remitti, aut catechumenis recenſeri. 10. tandem quando retineri debeant Hebrææ mulieres a maritis, aut ſponſis Chriſti legem amplexis ad baptiſmum oblatæ fuſe oſtendit §. 58. *& ſeq.* & præcipue aſſerit, quod quotieſcumque ſponſus Hebræus Chriſtianæ Religioni nomen dare ſtatuerit, & Evangelio ſponſam offerat, prudenter ac diligenter interrogetur, quomodo ſponſalia probentur. Et argumenta ſponſalibus comprobandis idonea erunt, ſi tanti eſſe ponderis, & momenti videbuntur, ut contracta inter Catholicos ſponſalia iiſdem rationibus evinci aperte, ac tuto valeant. Et ſi probationes tales fuerint, e vico ſeu *Ghetto* evocanda erit mulier, & ſemel atque iterum, aut quamdiu opportunum judicabitur, ejus voluntas in Eccleſia aliqua,

aut

Digitized by Google

aut alibi exploranda, ac demum, aut innata in pervicacia atque errore relinquenda, ſi reſipiſcere nolit, aut inter catechumenos retinenda eſt, ut inſtruatur, ſi converſionis certa ſpes aliqua oboriatur. Cum autem ſponſus, aut alius fide dignus talia argumenta proferat, quibus plane conſtet, ſponſalia vere contracta fuiſſe, & apud ipſos Hebræos valida atque obligatoria, tunc illico inter Catechumenos collocanda eſt mulier, ubi tamdiu verſabitur quamdiu neceſſe erit, dummodo quadraginta dierum ſpatium non ſuperetur. Lege integram Epiſtolam, quæ habetur *Tom.* 2. *Bullarii* ipſius Benedicti XIV. *num.* 28. in qua alia multa ſcitu digniſſima ſumma ab eo more ſuo eruditione pertractata reperies.

Attendenda eſt etiam alia ejuſdem Summi Pontificis Epiſtola data die 15. *Decembris 1751. ad R. P. Petrum Hieronymum Guglielmi Congregationis S. Officii Aſſeſſorem*, in qua *Aviæ Neophytæ aſſeritur jus efferendi ad Baptiſmum infantes Judæos ex Filio præmortuo Nepotes. Extat Tom.* 3. *ejuſdem Bullarii n.* 54.

Quid de filiis hæreticorum? VI. Filii infidelium baptizatorum, nempe hæreticorum, per ſe loquendo, poſſunt invitis parentibus baptizari; quia cum naſcantur ex genitoribus per ſuſceptum baptiſmum Eccleſiæ ſubjectis, propterea poteſt Eccleſia eos compellere, ad ſibi tradendos proprios filios parvulos baptizandos. Neque ullum violatur jus naturale; quia cum eorum genitores jus illud violarint, ſe ſubducendo a ſubjectione Eccleſiæ, poteſt ipſa, auctoritate ſibi a Chriſto relicta, talem compenſationem exigere. Dixi per ſe loquendo, quia plerumque id poteſt eſſe illicitum, ob periculum ſubverſionis filii ad profitendos errores paternos: unde eſſent a poteſtate parentum eripiendi: quod tamen Eccleſia agere non conſuevit.

Diſpoſitiones requiſitæ in adulto baptizando valide. VII. Ut Adultus valide recipiat baptiſmum, certum eſt, requiri in eo voluntatem illius recipiendi, quia intentio eſt unum ex requiſitis in ſuſcipiente Sacramentum: cujus veritatis elegantem aſſignat S. Doctor congruentiam 3. p. q. 68. ar. 7. Si autem illius voluntas minuatur a timore gravi eidem incuſſo, quo adactus ſuſcipiat Sacramentum, valide ſuſcipit, ſi intentionem ſuſcipiendi, licet metu extortam, habuerit: ita ex Innocentio III. cap. *Majores* extra *de Baptiſmo*. Ratio patet: quia, ut vidimus ſuo loco, metus quantumvis gravis, niſi hominem extra ſenſum rapiat, quamvis valde minuat voluntarium, non tamen penitus tollit. Nefas tamen graviſſimum eſt, hujuſmodi metum incutere, ut docent communiter SS. Patres. Valide autem baptizatur adultus baptizari volens, quamvis nullum actum fidei elicuerit; quia dum adſunt tria illa neceſſario requiſita, fit validum Sacramentum: illicitum tamen.

Diſpoſitiones in adulto requiſitæ ad licitam baptiſmi receptionem. VIII. Ut adultus licite ſuſcipiat baptiſmum, debet habere fidem Dei Auctoris Gratiæ, & Remuneratoris Gloriæ, Trinitatis, Incarnationis, & eorum articulorum, quos Eccleſia catechumenos docere conſuevit; quod ex Scripturæ factis oſtendit Catechiſmus p. 2. de Baptiſmo cap. 2., nu. 37. . . *Præſertim illi abluendi ſunt, qui jam fidei myſteria plene perceperint; quod quidem Philippum, & Apoſtolorum Principem feciſſe ſatis conſtat, cum alter Candacis Reginæ Eunuchum, alter Cornelium, nulla interpoſita mora, ſed ſtatim ut ſe fidem amplecti profeſſi ſunt, baptizavit*. In caſu autem neceſſitatis adulti morituri, cui non vacat omnia illa diſcere; ſufficiet fides Dei Remuneratoris, Trinitatis, & Incarnationis, quippe quod hæc myſteria oſtendimus neceſſaria neceſſitate medii in tract. 4., cap. 1., §. 2. Requiritur inſuper actus pœnitentiæ vitæ præteritæ, ut oſtendit S. Petrus Actorum 2., dum converſis ad fidem prædicatione ſua, dixit: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum*. Hic pœnitentiæ actus, quamvis laudabile ſit, ut ſit contritionis perfectæ, ſufficiet tamen etiam attritionis: ita clare S. Doctor in 4., d. 6., q. 1., art. 3., ad 5.: *Ad hoc ut homo ſe præparet ad gratiam in baptiſmo percipiendam, præexigitur fides, ſed non charitas: quia ſufficit attritio præcedens, etſi non ſit contritio*. Cum enim hoc Sacramentum fuerit inſtitutum ad regenerandam animam in vitam ſupernaturalem, nempe ad eam ſanctificandam, & propterea dicatur Sacramentum mortuorum; idcirco ex inſtitutione ſua non poſtulat animam per contritionem juſtificatam. Debet autem Attritio baptiſmo præmittenda eſſe conjuncta alicui amori imperfecto ſaltem benevolentiæ erga Deum: Nam Synodus Tridentina ſeſſ. 6., cap. 6., docens modum præparationis ab adulto accedente ad baptiſmum, obſervandum, aperte dicit: *Ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem eriguntur, fidentes*

Deum

Digitized by Google

Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt per eam pœnitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet: denique dum proponunt ſuſcipere Baptiſmum, inchoare novam vitam, ſervare divina mandata.

Quid de amentibus ſeu furioſis? IX. De amentibus, ſeu furioſis ita diſſerit S. Thomas 3. p. quæſt. 68. art. 12., *Circa amentes & furioſos eſt diſtinguendum. Quidam enim ſunt a nativitate tales, nulla habentes lucida intervalla, in quibus etiam nullus rationis uſus apparet; & de talibus, quantum ad baptiſmi ſuſceptionem, videtur idem judicandum eſſe, ac de pueris,* (quibus datur.) *Alii vero ſunt amentes, qui ex ſana mente, quam habuerunt prius, in amentiam inciderunt; & tales ſunt judicandi ſecundum voluntatem, quam habuerunt, dum ſanæ mentis exiſterent: & ideo ſi tunc in eis apparuit voluntas ſuſcipiendi baptiſmum, debet eis exhiberi in furia, & amentia conſtitutis, etiamſi tunc actu contradicant. Alioquin ſi nulla apparuit in eis voluntas ſuſcipiendi baptiſmum, dum ſanæ mentis eſſent, non ſunt baptizandi. Quidam vero ſunt, qui etſi a nativitate fuerint furioſi, vel amentes, habent tamen aliqua lucida intervalla, in quibus recta ratione uti poſſunt. Unde ſi tunc baptizari voluerint, baptizari poſſunt etiam in amentia conſtituti; & debet tunc eis Sacramentum conferri, ſi periculum timeatur: alioquin melius eſt, ut tempus expectetur, in quo ſunt ſanæ mentis, ut devotius ſuſcipiant Sacramentum. Si autem tempore lucidi intervalli non appareat in eis voluntas ſuſcipiendi baptiſmum, baptizari non debent in amentia conſtituti. Quidam vero ſunt, qui etſi omnino non ſanæ mentis exiſtant, in tantum tamen ratione utuntur, quod poſſunt de ſua ſalute cogitare, & intelligere Sacramenti virtutem; & de talibus idem eſt judicium, ſicut de iis, qui ſanæ mentis exiſtunt, qui baptizantur volentes, non autem inviti.* Quando autem dubitatur, an amens ante amentiam baptiſmum petierit, communis docet, eſſe ſub conditione baptizandum; quia & conſulitur illius ſaluti, & præcavetur injuria Sacramenti. Si autem certum eſſet, quod poſt deſideratum baptiſmum, quis in mortale aliquod lapſus fuiſſet, puta in concubinatum, & in eo ſtatu amentia correptus fuiſſet, non eſſet baptizandus; cum Sacramentum non ſit adminiſtrandum certe indiſpoſito.

Quando Monſtra ſint baptizanda? X. Circa Monſtra dicendum, quod monſtrum ex fœmina rationali, & maſculo bruto, proculdubio non ſit baptizandum. Idque innuitur a Concilio Tridentino ſeſſ. 5. can. 5. quo docemur, peccatum originale *per propagationem ex Adamo transfuſum*: & ſeſſ. 6. cap. 3., dicit, *quod homines non naſcerentur injuſti, niſi ex ſemine Adæ eſſent propagati*: atqui fœtus conceptus ex bruto, non eſt ex ſemine Adæ, ſeu ex maſculo ab Adamo deſcendente; igitur &c. Si vero naſcatur ex maſculo homine, & fœmina bruto, ſi tali corporis ſtructura edatur in lucem, ut dubitari poſſet, habere organa ſufficientia ad functiones animæ rationalis, poteſt baptizari ſub conditione de capacitate ejuſdem, ob rationem alibi etiam traditam. Denique circa monſtra humana nata ex utroque generante rationali, audiendum propono Sanctum Carolum Borromæum, qui videtur tranſcripſiſſe doctrinam S. Thomæ ex Quodlibetis in ſua inſtructione Baptiſmi, ubi hæc habet: *Si quando monſtrum humanum Baptiſmo offertur, videndum eſt, antequam baptizetur, an una perſona ſit, an vero duæ: tum maſculus, an fœmina: ſique, re perſpecta, dubium eſt an ſint duo, utpote quia duo capita non habent, nec pectora bene diſtincta, unus intentione certa ſimpliciter baptizetur, alter vere, ſeu alii ſub conditione: ſi non es baptizatus, ego &c. Si vero quia duo capita, pectora duo, aut corpora etiam diſtincta in monſtro apparent, homines duos eſſe perſpicuum eſt, ſinguli ſimpliciter baptizentur; quod ſi mortis periculum in mora erit, numero plurali baptizentur: ego vos &c. . . . Si autem una perſona eſt, utpote unum tantum caput habens, tanquam unus baptizetur, etiamſi alia membra plura geminatave habeat. At vero monſtrum, quod hominis ſpeciem non præſefert, non baptizetur; niſi primum Epiſcopus conſulatur, de cujus etiam conſilio agetur, quod ſupra de monſtro humano dictum eſt, ſi tempus dabitur; ſi autem dubitetur an ſit homo, baptizari debet ſub conditione: ſi tu es homo &c.*

✠ Non eſt baptizanda carnea maſſa, quæ nullam præſeferat organorum diſpoſitionem. Et vero Rituale Pauli V. prohibet, ne fœtus ante vitalis motus ſigna ba-

Digitized by Google

baptizetur. Neque id mirum, quum ubique receptum ſit, non ante infundi animam corpori, quam illud certa organorum diſpoſitione informatum fuerit.

Quid agendum circa expoſitos?

XI. Circa infantes expoſitos, qui abſque ſchedula teſtante fuiſſe baptiſmo expiatos inveniuntur, procul dubio ſunt baptizandi. Quando vero inveniuntur cum ſchedula teſtante, adhuc probabilius videtur, eos eſſe ſub conditione baptizandos, præcipue in locis, ubi mixti Chriſtianis commorantur Judæi: quia ſchedula illa, cujus auctor ignoratur, non eſt ſufficiens & prudens teſtimonium in re adeo gravi, tantæque conſequentiæ. Et Pater Leander de Baptiſmo diſp. 3. q. 44. teſtatur, ſe accepiſſe a Gubernatore magni hoſpitalis expoſitorum Toletanæ civitatis, quod omnes infantes, quamvis ſchedula muniti, baptizantur ſub conditione, idemque jubent varia Concilia Provincialia.

Quid circa baptizatos ab obſtetricibus?

XII. Qui in neceſſitate baptizantur ab obſtetricibus, non ſunt iterum baptizandi ſub conditione, niſi ſubſit rationabile motivum, erratum fuiſſe in adminiſtratione: quia ipſæ tenentur ſcire neceſſario requiſita. Quando autem adminiſtratum fuit ab alia perſona, præſertim fœmina, antequam Parochus ſtatuat iterum baptizare, exploret, quomodo ſe geſſerit fœmina illa, ne ſine prudenti motivo iterum ſub conditione baptizet.

§. VII. *De effectibus Baptiſmi.*

I. PRimus baptiſmi effectus eſt omnium omnino peccatorum ipſum antecedentium remiſſio, quæ remiſſio fit per infuſionem gratiæ ſanctificantis, & ſupernaturaliter regenerantis: ita a fide docemur; deduciturque ex pluribus Scripturæ teſtimoniis, quæ afferuntur a Theologia dogmatum una cum concordi SS. Patrum Traditione. Illud autem hic monendum cum Angelico Doctore 3. p. q. 69. a. 8., quod parvulis conceditur gratia in gradu æquali, *cum æqualiter ſe habeant ad baptiſmum:* adultis vero præter gradum gratiæ parvulis quoque communem, conceditur etiam gradus major gratiæ, ſervata proportione ad diſpoſitionis gradum, quo ad baptiſmum accedunt; quin *per propriam fidem* illud ſuſcipiunt. Alter baptiſmi effectus eſt Character in anima impreſſus, & indelebilis, ut dictum fuit tract. 13. c. 1. §. 5. quo baptizatus conſtituitur inter oves Chriſti, & aggregatur veræ Eccleſiæ, cujus evadit ſubditus, redditurque habilis ad alia Sacramenta valide ſuſcipienda, & ad exercenda opera Chriſtianorum propria, Fidei, Spei, & Charitatis, aliarumque virtutum. Quæ omnia docemur a Traditione. Tertius demum effectus eſt remiſſio coram Deo omnium pœnarum peccatis omnibus ante ſuſceptum baptiſmum commiſſis debitarum: ita fide docemur a Traditione. Sufficiat unum audire S. Auguſtinum: *Si* (poſt Baptiſmum) *continuo conſequatur ex hac vita migratio, non erit omnino, quod obnoxium hominem teneat, ſolutis omnibus, quæ tenebant.*

CAPUT II.

DE

SACRAMENTO

CONFIRMATIONIS.

§. I. *De Notione, & Materia cum remota, tum proxima Confirmationis.*

I. SAcramentum Confirmationis eſt unctio exterior Chriſmatis ab Epiſcopo conſecrati, manu ejuſdem Epiſcopi in fronte, facta in modum crucis, ſub præſcripta verborum forma; cujus explicationem ex dicendis haurire facile poteris. Confirmationem eſſe Sacramentum novæ legis de fide definitum fuiſſe a Synodo Tridentina ſeſſ. 7., can. 1. tradidimus tract. 13., cap. 1., §. 1. num. 4. Quod deducitur ex Scriptura, præcipue Actorum 8., & ex conſtanti, & perpetua Traditione; ac proinde a Chriſto fuiſſe inſtitutum, ſimiliter definivit eadem Synodus loco & Can. cit. cum definierit *omnia novæ Legis Sacramenta fuiſſe a Jeſu Chriſto inſtituta.* Confirmatio Sacramentum.

II. Ejus materia remota eſt Chriſma, ut omnes tenent cum S. Thoma 3. p. q. 72., art. 2.; & ut plerique docent, neceſſitate Sacramenti, oleo olivarum admiſcendum eſt balſamum; idque deducitur ex Patribus, appellantibus nomine chriſmatis hujus Sacramenti materiam. Et propterea Eugenius IV. in ſuo decreto, Concilio Florentino adjuncto: *Secundum Sacramentum eſt Confirmatio, cujus materia eſt Chriſma confectum ex oleo, & balſamo per Epiſcopum benedicto.* Et S. Thomas loc. cit. *Oleum competit materiæ hujus* Ejus materia remota.

Sacra-

Digitized by Google

Sacramenti, admiſcetur autem balſamum propter fragrantiam odoris, quæ redundet in alios; unde Apoſtolus dicit: Chriſti bonus odor ſumus. Hoc Chriſma debet eſſe conſecratum, ut indicavit Eugenius, & docuit S. Thomas loc. cit. art. 3.; *& ideo tam chriſma, quam oleum ſanctum infirmorum prius benedicuntur, quam adhibeantur ad uſum ſacramenti.* Et quidem ab Epiſcopo, ut clare S. Gregorius Magnus in illud Cant. 1. *Botrus Cypri in vineis Engaddi: in Engaddi balſamum gignitur, quo oleo Pontificali benedictione Chriſma conficitur.* Manuum Epiſcopi impoſitio ſpectat ad materiam hujus Sacramenti; quia id habetur Act. 8.: *tunc imponebant manus ſuper illos* (baptizatos) *& accipiebant Spiritum Sanctum.* Et ideo multi Patrum appellarunt Chriſmationem nomine manus impoſitionis. Proinde Innocentius 3. extra de Conſecratione: *Sacramentum Confirmationis, chriſmando renatos, ſoli debent Epiſcopi per manus impoſitionem conferre*: & extra de Sac. Unctione: *Per frontis Chriſmationem manus impoſitio deſignatur.*

Chriſma conſecratum eſſe debere in comperto eſt apud omnes. Diſſidium vero adhuc viget inter Theologos, an conſecratio iſthæc neceſſaria ſit neceſſitate Sacramenti, vel neceſſitate præcepti dumtaxat. Plures, præſertim Juveninus, Cardinalis Gotti, Drouven, & Tournely neceſſariam ſolummodo eam exiſtimant neceſſitate præcepti. Alii magis communiter oppoſitum ſuſtinent, illamque etiam neceſſariam eſſe neceſſitate Sacramenti affirmant. Et huic ſententiæ ut probabiliori, & ad quam accedere videtur D. Thomas 3. p. q. 72. art. 3., adhærendum putamus. Nemo autem eſt qui dubitet chriſmatis conſecrationem annumeratam ſemper fuiſse inter propria, & præcipua munera Epiſcopalis Ordinis, & jure ordinario ad ſolos Epiſcopos pertinere. Num vero Summus Pontifex poſſit ſimplici Sacerdoti committere poteſtatem chriſma conſecrandi, infra patebit.

Materia proxima Confirmationis & uſus ejuſdem.

III. Materia proxima cum ſit uſus materiæ remotæ, in Confirmatione eſt unctio chriſmatis in fronte baptizati; & quia hac unctione imponitur chriſmando Epiſcopi manus, idcirco manus impoſitio pertinere videtur ad materiam proximam, quæ a ſolo Epiſcopo fieri debet, in modum crucis, digito pollice manus dexteræ Epiſcopi. S. Innocentius I. in Epiſtola ad Decentium cap. 3., *Frontem chriſmate ſignare ſoli debetur Epiſcopo*; & quidem ſigno crucis; cum ex Tertull. lib. 1. de Reſurrect. cap. 8. *non perficiantur Sacramenta chriſtianorum, niſi ſigno crucis*: & ex S. Auguſt. tract. 118. in Joan. *quod ſignum* (crucis) *niſi adhibeatur frontibus credentium. . . . nihil rite perficitur.* Quod autem crux fiat digito pollice manus dexteræ, non eſt de neceſſitate Sacramenti; ſed de neceſſitate præcepti gravis.

* In Confirmatione quandoque immutatur nomen illius, qui illam recipit, nempe *ſi turpe, ridiculumve ſit, neque plane conveniens homini Chriſtiano*, ut ait Concil. Mediol. V. Poteſt etiam ad Confirmandi votum, mutari pium alioqui nomen, vel aliud alii addi, *dum tamen*, inquit Synodus Carnotenſis *anno* 1525., *fraus & dolus abſint.*

§. II. *De Forma Sacramenti Confirmationis, & effectibus ejuſdem.*

Forma hujus Sacramenti.

I. FOrma hujus Sacramenti in Eccleſia latina his verbis comprehenditur: *N. ſigno te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: Egregiam hujus formæ explicationem, & congruentiam videſis in S. Doctore loc. cit. art. 4. Alia eſt Græcorum forma, valida quoque & ipſa. Hinc confirmatur, Chriſtum reliquiſse Eccleſiæ illam determinandam, & talem, qua ſufficienter denotentur effectus hujus Sacramenti. Si autem vel Epiſcopus Græcus uteretur forma latinorum, vel latinus forma Græcorum, invalide miniſtraret; quia Eccleſia catholica pro iſtis approbavit latinam, & pro illis græcam, cum ſint admodum diverſæ: Græca enim in his ſolis verbis conſiſtit: *Signaculum donationis Spiritus Sancti.*

* Lethaliter dubio procul peccaret tam Epiſcopus Græcus, qui uteretur forma, quæ adhibetur in Eccleſia Latina, quam Epiſcopus Latinus, qui uteretur forma, quæ adhibetur in Eccleſia Græca in adminiſtrando Confirmationis Sacramento; quippe ſub gravi tenetur quiſque Eccleſiæ ſuæ ritum ſervare, maxime in efficiendis Sacramentis. Cenſemus tamen, contra ac aſſerit Auctor, quod validum conficeret Sacramentum tum Epiſcopus Græcus, qui uteretur forma Latinorum, cum Epiſcopus Latinus qui uteretur forma Græcorum; neque enim ullum ſubſtantiale diſcrimen inter utriuſque Eccleſiæ formas, ſicut

ſicut

Digitized by Google

ſicut Auctor exiſtimat, intercedit. *Manifeſtum eſt* (ſic poſt relatum integrum ritum in adminiſtranda Confirmatione tam Eccleſiæ Latinæ ex Pontificali Romano, ex Sacramentario S. Gregorii, & ex Ordine Romano, quam Eccleſiæ Græcæ ex Goario in Euchologio *pag.* 355. ait Honoratus Tournely *de Sacramento Confirmationis Art.* 4.) *ex iſto utriuſque Eccleſiæ ritu adminiſtrandi Sacramentum Confirmationis, eamdem prorſus eſſe quoad ſenſum utrobique Confirmationis formam: hoc unum diſcrimen eſt, quod apud Latinos Oratio immediate juncta ſit cum impoſitione, ſeu extenſione manuum; apud Græcos vero nulla legatur manuum impoſitio ſeparata, & ſejuncta ab unctione.*

Effectus Confirmationis. II. Effectus hujus Sacramenti ſunt, Gratiæ habitualis augmentum per ſe, ſeu gratia ſecunda; per accidens autem, ut alibi explicavimus tract. 13. cap. 1. §. 4., Gratia prima; ſupernaturaliter corroborativa, conferens jus ad auxilia divina, quoties opus fuerit, ad fidem profitendam, ſive coram tyranno, ſive contra oblòquentes. Alter effectus eſt character, ut definivit Tridentinum ſeſs. 6. can. 9.; & ideo eſt Sacramentum initerabile. Tertius effectus eſt Cognatio ſpiritualis eo modo, quo explicavimus in Cap. de Baptiſmo §. 5. nu. 5., Nam etiam in hoc Sacramento requiritur Patrinus, & quidem unus dumtaxat, quia Concilium permittens, ut in baptiſmo ſint ad ſummum duo, unus, & una: loquens de patrino hujus Sacramenti loquitur ſolum in ſingulari *tenentem*. *Non refert autem, utrum maſculus vel fœmina teneat*, ait S. Doctor art. 10. ad 3. quamvis decentiſſimum ſit, ut mas marem, & fœmina fœminam teneat, & confirmandum tangat. A quo munere prohibentur Monachi, & Regulares, ut dictum fuit loco citato; nam in capite *Monachi* de conſecratione diſt. 4. dicitur: *Monachi ſibi compatres, commatreſve non faciunt*. Tandem nota quod Patrinus hic debet eſse alius a Patrino Baptiſmi, niſi neceſſitas aliter fieri compellat, ut colligitur ex capite non plures, & ex capite in *catechiſmo* de conſecratione diſt. 4., & eſt communis opinio.

* Duo hic animadvertere non inutile erit. 1. S. Carolum a Patrini munere eum excludere, qui 14. ætatis annum nondum attigit; quia necdum communiter Magiſtri loco eſse poteſt, cum raro quis ea ætate ſatis eruditus ſit. 2. Patrinum ſub gravi debere eſse confirmatum, ut patet ex his verbis *cap.* 102. *de Conſecrat. diſt.* 4. *In Baptiſmate, vel in Chriſmate non poteſt alium ſuſcipere in filiolum ipſe, qui non eſt baptizatus, vel confirmatus.*

Hinc colligere pronum eſt cum Sanchez *diſp.* 60. *num.* 20. non confirmatum, qui puerum ſuſcipit in Confirmatione, ſpiritualem non contrahere cognationem cum eodem puero, ejuſque parentibus, quippe in relatis verbis non magis vere Patrinus in Confirmatione declaratur qui non eſt confirmatus, quam in Baptiſmate qui necdum eſt baptizatus. Legatur Continuator *Prælect. Theolog.* Honorati Tournely tum *tom.* 2. *tract. de Diſpenſ. in ſpec. p.* 1. *cap.* 4. *art.* 2. tum *tom.* 5. *tract. de Confirm. cap.* 9. §. 2.

§. III. *De confirmationis Miniſtro.*

I. JAm ex dictis ſatis liquet, Miniſtrum ordinarium hujus Sacramenti eſse Epiſcopum: ita audivimus declaratum a S. Innocentio 1. ad Decentium c. 3. *Frontem oleo, & chriſmate ſignare, ſolis debetur Epiſcopis*: & ante ipſum S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos: *Hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem ... ut baptizatus non niſi per manus Epiſcopi accipiat Spiritum Sanctum*. Et longe ante ipſum S. Cyprianus Ep. 73.: *qui in Eccleſia baptizantur, Præpoſitis Eccleſiæ offerantur ... ut ſignaculo dominico conſummentur*. Et ſimiliter alibi. Unde Concil. Trident. ſeſs. 7. de Confirmatione can. 3. de fide definivit. *Si quis dixerit, ſanctæ Confirmationis ordinarium Miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem Sacerdotem, anathema ſit*. Appoſite autem dixit Concilium Ordinarium Miniſtrum, ut locum relinqueret illi diſputationi, quæ inter Theologos Scholæ æſtuanti animo controvertitur, an Pontifex poſſit ex graviſſima cauſa diſpenſare cum ſimplici Sacerdote, ut ſit hujus Sacramenti extraordinarius miniſter ex commiſſione. Et profecto probabilior videtur affirmativa; quia ex facto inſigni S. Gregorii Magni deducitur, qui lib. 3., ep. 26. ad Januarium ſcribit: *Pervenit ad nos, quoſdam ſcandalizatos fuiſſe, quod Presbyteros chriſmate ungere eos, qui baptizati ſunt, prohibuimus: & nos quidem ſecundum uſum veterem Eccleſiæ noſtræ fecimus. Sed ſi omnino hac de cauſa aliqui contriſtantur, ubi Epiſcopi deſunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos chriſmate ungere valeant, concedimus.* Miniſter hujus Sacramenti.

Quod

Digitized by Google

Quod factum ita approbavit S. Thom. 3. p. q. 71. art. 11., ad 1... *Ex hac plenitudine poteſtatis conceſſit B. Gregorius Papa, quod ſimplices Sacerdotes hoc Sacramentum conferrent, quamdiu ſcandalum tolleretur*. Proinde Eugenius IV. in Concilio Florentino; *Legitur tamen aliquando per Sedis Apoſtolicæ diſpenſationem, ex rationabili, & urgenti admodum cauſa, ſimplicem Sacerdotem, chriſmate per Epiſcopum confecto, hoc adminiſtraſſe Confirmationis Sacramentum*. Hæc ex meſſe aliena delibaſſe ſufficiat.

Sententia, quam poſt D. Thomam in 4. *diſt. 7. quæſt. 3., & 3. p. quæſt. 72. art. 11.* amplexati ſunt graviores Theologi, quamque Auctor, ut probabiliorem propugnat, nempe ex ſpeciali delegatione Romani Pontificis poſſe ſimplicem Sacerdotem, ſaltem chriſmate ab Epiſcopo jam conſecrato, Sacramentum Confirmationis adminiſtrare, etſi neque a Concilio Florentino, neque a Tridentino fuerit definita, attamen, ut ſcite animadvertit S. P. Benedictus XIV. *de Synodo Diœceſana Lib. 7. cap. 7.* non videtur poſſe amplius in controverſiam, & dubitationem revocari. Id fuſo calamo oſtendit ipſe ex multis Summorum Pontificum diplomatibus, in quibus confirmandi facultas ſimplicibus Presbyteris conceſſa eſt; hiſce relatis ſic concludit; *n. 7.* „ Quare „ non videtur hodie fas eſſe, poteſtatem, „ de qua olim diſceptabatur, Summo Pon„ tifici abjudicare. Quoniam, ut ait Ve„ racrux *in Specul. part. 2. art. 27. De* „ *Pontificis poteſtate, poſtquam diſpenſa„ vit, dubitare, inſtar ſacrilegii eſt.* „ *Eſſet enim Chriſto quaſi exprobrare quod* „ *non ſatis Eccleſiæ ſuæ providiſſet*; & „ magis ad rem Sotus *diſt. 7. quæſt. unic.* „ *art. 21.*: *Non eſt dubitandum, quin* „ *ſimplex Sacerdos ex commiſſione Papæ* „ *poſſit Sacramentum Confirmationis exhi„ bere. Et qui de hoc jam modo hæſita„ ret, Eccleſiaſticis ſanctionibus adver„ ſaretur. Etenim quamvis hæc conclu„ ſio ex ſacris Litteris non plane colli„ gatur, ſufficere tamen debet Orthodo„ xis, quod Gregorius* (addimus Nos, & „ alii Pontifices) *illam fecerit diſpenſa„ tionem* ".

Conſulto autem dictum fuit 1. *ex ſpeciali delegatione Romani Pontificis*; quippe ſolus Summus Pontifex, non vero Epiſcopus valet ſimplici Sacerdoti poteſtatem adminiſtrandi Sacramentum Confirmationis impartiri, ut docet D. Thomas 3. *p. quæſt. 72. art. 2.*, & communiter Theologi ſentiunt contra Chriſtianum Lupum, Thomaſſinum, Van-eſpen, Juveninum, Vanroy, alioſque. *Ceterum quidquid ſit*, ait laudatus S. P. Benedictus XIV. *cap. 8. n. 7. de hac perdifficili, & valde implexa controverſia, omnibus in confeſſo eſt, irritam nunc fore confirmationem a ſimplici Presbytero Latino ex ſola Epiſcopi delegatione collatam; quia Sedes Apoſtolica id juris ſibi unice reſervavit; quam quidem reſervationem non tantum a conſuetudine in tota Eccleſia Latina jamdiu recepta tacite inductam arbitramur, ſicuti opinantur Juveninus, & Tournely, ſed jam ante nonum ſeculum expreſſe factam colligimus ex Flodardo Lib. 3. Hiſt. Eccl. Remen. cap. 17. &c.*

Conſulto dictum fuit. 2. *ſaltem chriſmate ab Epiſcopo conſecrato*; ſiquidem magna inter Doctores exardeſcit diſceptatio, an ab Apoſtolica Sede committi facultas poſſit ſimplici Sacerdoti chriſma benedicendi, quæ jure ordinario ad ſolos Epiſcopos ſpectat. Probabiliorem cenſemus ſententiam affirmantem, quam adverſus non paucos propugnant Sirmondus, Sotus, Cajetanus, Tournely, Vittaſſius, Cardinalis Gotti, aliique, quorum longum catalogum contexuit Vericellus *de Apoſtol. Miſſ. quæſt. 13. ſect. 1. & duobus ſeqq.* Et ſane: Si Summus Pontifex ſuprema ſua auctoritate poteſt ſimplici Sacerdoti munus demandare miniſtrandi Sacramentum Confirmationis, de ſe cæteroquin annexum Ordini Epiſcopali, eo magis poterit facultatem eidem elargiri præparandi ejuſdem Sacramenti materiam. Nec deſunt ejuſmodi conceſſæ facultatis exempla. Nam. VVadingus *Annal. Minor. Tom. 9. ad annum* 1444. teſtatur Eugenium IV. conceſſiſſe P. Fabiano de Bacchia Ord. Minor. ad Indos proficiſcenti non ſolum facultatem chriſmate conſignandi Fideles, ſed etiam ipſum chriſma conſecrandi. Alios quoque eamdem facultatem ab aliis Summis Pontificibus accepiſſe Mabillonius renunciat *Tom. 2. part. 2. Muſei Italici* ex Epiſtola Joannis Diaconi ad Senarium *num. 8. part.* 73. Verum præcitatus pluries Summus Pontifex Benedictus XIV. poſt relata præfata exempla *cap. 8. num. 2.* erudite more ſuo tradit inſuetum eſſe, hac prærogativa Epiſcopalis Ordinis propria, inferiorem Presbyterum inſignire, *atque ut plurimum non aliter conſueviſſe a Summis Pontificibus ſimplices Sacerdotes inſigniri*

do-

Digitized by Google

poteſtate adminiſtrandi Sacramentum Confirmationis, niſi ſub expreſſa conditione adhibendi chriſma non a ſe, ſed ab Epiſcopo conſecratum.

Quid requiritur ut licite confirmet? Et varii caſus reſolvuntur.

II. Ut licite Epiſcopus confirmet, debet eſſe in ſtatu gratiæ, quia, ut ſæpe diximus, miniſter Sacramenti ex officio gravem injuriam infert Sacramento, illud in ſtatu lethali miniſtrando. Debet quoque ſub mortali uti chriſmate confecto illo anno, ut tenet communis; quia ageret contra præceptum Eccleſiæ in re gravi. Peccaret item graviter, ut docent omnes, ſi diutius, aut rarius differret hoc Sacramentum miniſtrare, quam patiatur amplitudo ſuæ Diœceſis; quia eſſet infidelis diſpenſator, & in re adeo gravi, qualis eſt Sacramentorum adminiſtratio, paſtor ſomnolentus. Item peccat graviter, ſi Confirmationem miniſtret in aliena diœceſi; quia inobediens gravi præcepto Tridentini ſeſſ. 6., de reform. c. 5., addita etiam declaratione Sac. Congregationis. Non autem peccat graviter, ſi ſubditum alienæ diœceſis in ſua confirmet; quia jam uſus invaluit, ut Epiſcopi confirment quoſcumque confirmandos ad ſe accedentes. Si tamen Epiſcopi finitimi ſe declaraſſent, non velle; abſtinendum eſſet, ut patet; quia in tantum non peccat, eo quod prudenter putat, non recedere a conſuetudine jam obtinente. Non peccat graviter, ſi adminiſtret non jejunus, vel non confirmatus; vel extra Eccleſiam, ſed in Sacello; immo quoad hoc tertium neque venialiter, ſi aliqua cauſa ſubſit rationabilis; quia de ſingulis iſtis nullum invenitur præceptum obſtringens ſub gravi. Eſt tamen valde dedecens, ſi non confirmatus confirmet. Non debet, ſub gravi, confirmare, niſi adſit Patrinus qui confirmandum tangat, quia ita præcipitur ab Eccleſia.

Qui Clericali Tonſura initiari volunt, obſtringuntur jure ſaltem Eccleſiaſtico, præmittere Confirmationem. Quippe hoc tanquam rem magni momenti, quovis ſeculo Eccleſia præcepit iis, qui clericalem ſtatum aſſumpturi erant. Conſtat id 1. ex Cornelio, qui *in ſua epiſtola* ad Fabium Antiochenum exprobrat Novatiano, quod ſignaculo chriſmatis minime percepto, ſacrum ordinem ſuſcepiſſet. Conſtat 2. ex Conciliio Nicæno I. quod *can.* 8. ſtatuit Novatianos ab hæreſi converſos admittendos ad Ordines cum manuum impoſitione, confirmatoria, ut creditur, quam in ſua ſecta neglexerant. Conſtat 3. ex Tridentina Synodo; quæ *Seſſ.* 23. *cap.* 4. *de Reform.* vetus præceptum innovavit his verbis. *Prima tonſura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non receperunt:* Ratio etiam hoc idem evincit. Etenim cum Ordo clericalis ſtatus ſit perfectionis, nonniſi perfectos admittit; atque adeo gratia Confirmationis præmunitos. Hinc Chriſtus Dominus ad Apoſtolos, in quibus omnes ſaltem Clerici intelliguntur: *ſedete in Civitate*, inquit Lucæ 24. *quoadusque induamini virtute ex alto*. Hoc autem præceptum ſub gravi obligare cenſent graviores Theologi, & etiam benigniores, ideoque peccaret mortaliter qui ſcienter, etiam ſecluſo contemptu, prætermiſſo hoc Sacramento, ſuſciperet Tonſuram, & Ordines. Vide quæ habet Auctor *Cap. V. de Ordine* §. 11. num. 111. Quapropter Epiſcopus non confirmatus, ut nemo non videt, in continuo foret ſtatu peccati mortalis, atque proinde peccaret etiam ſemper mortaliter adminiſtrando in tali ſtatu Sacramentum Confirmationis.

* Quamvis, ut ſupra aſſeruimus, non confirmatus, qui puerum in Confirmatione ſuſcipit, ſpiritualem non contrahat cognationem cum eodem puero, ejuſque parentibus: attamen ſi Epiſcopus non confirmatus Confirmationem conferret, veram contraheret affinitatem; quia verum conficeret Sacramentum. Lege Continuat. Tournely *loc. cit.*

§. IV. *De Confirmationis Subjecto.*

Qua ætate confirmandus ſit fidelis?

I. Quamvis primis Eccleſiæ ſæculis conſuetudo viguerit, baptizatis ſtatim conferendi Sacramentum Confirmationis, quamquam eſſent infantes; nihilominus, temporis decurſu, & perſecutionibus chriſtianorum jam conquieſcentibus, hanc diſciplinam Eccleſia ipſa temperavit; & cenſuit, ut loquitur Catechiſmus p. 2. de Confir. num. 17.: *Minus expedire hoc fieri antequam pueri uſum rationis habuerint.; quare ſi duodecimus annus expectandus non videtur, uſque ad ſeptimum certe hoc Sacramentum differre maxime convenit.* Primis namque temporibus eo fine ſtatim conferebatur poſt baptiſmum, ut ſi etiam pueri a tyrannis compellerentur, ut ſæpe accidit, fidem abnegare, illam conſtanter profiteri valerent. *Et exinde eſt*, ait S. Thomas 3. p. q. 72., art. 8., *quod multi in puerili ætate propter robur Spiritus Sancti perceptum, uſque ad ſanguinem forti-*

riter certaverunt pro Chriſto. Cum autem temporis decurſu perſecutio primo deferbuerit, & deinde ceſſaverit; congruum viſum fuit, ut in ea ætate illud reciperent, qua diſcernere poſſent, quid reciperent, & ſe recepiſſe recordarentur.

An amentibus, & moribundis? II. Circa perpetuo amentes, probabilior apparet opinio Soti, quod non ſit eis hoc Sacramentum adminiſtrandum; eo quod, ut videbimus, nec ſit neceſſarium, nec conſulatur reverentiæ ejuſdem. Moribundis autem poteſt licite adminiſtrari, ſed conſulendus erit Parochus, an expediat, ne tumultus apud idiotas excitetur. Amentibus vero, quibus lucida intervalla identidem eveniunt, poterit licite, & laudabiliter adminiſtrari.

* Vide quæ circa amentes addidimus *tract.* 13. *cap.* 2. §. 3. *n.* 1.

Quæ diſpoſitiones requirantur ad valide, & licite ſuſcipiendam Confirmationem? III. Ut valide ſuſcipiatur Confirmatio, jam liquet ex dictis, quod illam ſuſcipiens debet eſſe baptizatus baptiſmo fluminis. Ut autem licite, debet eſſe in ſtatu gratiæ; quo ſi careat, debet ſaltem per contritionem perfectam diſponi, quamvis conſultiſſimum ſit præmittere confeſſionem, ſi fieri poſſit; eo quod cum conferat, ex inſtitutione, gratiam corroborativam ſupernaturaliter, non eſt capax corroborationis ſupernaturalis, qui non vivit vita ſupernaturali gratiæ, ut indicat S. Doctor in art. 6.

An omittens confirmari peccet lethaliter? IV. Qui prætermittit confirmari, ait S. Thomas 3. p. q. 72., a. 8., ad 4., explicans doctrinam Hugonis Victorini, periculoſe agit, *non quia damnaretur, niſi forte propter contemptum; ſed quia detrimentum perfectionis pateretur*. Non igitur peccat lethaliter, niſi omittat ex contemptu. Idemque docet Catechiſmus p. 2., cap. 3. de Sacr. Conf. n. 15. 16. *Illud in primis docendum eſt, hoc Sacramentum ejuſmodi neceſſitatem non habere, ut ſine eo ſalvus quis eſſe non poſſit; quamquam vero neceſſarium non eſt, a nemine tamen prætermitti debet, ſed potius maxime cavendum eſt, ne .... aliqua negligentia committatur*. Eſſent potius accuſandi lethalis culpæ Genitores, qui non curant, prolem ſuam tanto adjutorio, ad eam in fide firmandam, communire; cum etiam id pertineat ad ſtrictam obligationem, qua afficiuntur, prolem in catholicis inſtitutionibus erudiendi, eamdemque in chriſtiana pietate educandi, ut provide docet Natalis Alexander. Si enim peccant Genitores illi, qui filios non hortantur ad ſæpius, quam ſemel in anno confitendum, & ad ſæpius, quam in Paſchate communicandum, quamvis proles ad id non teneatur: cur non peccabunt, omittendo eamdem corroborare tanto Sacramento?

Convenit penes omnes Sacramentum Confirmationis non eſſe neceſſarium neceſſitate medii, cum ſine eo poſſit homo æternam conſequi beatitudinem. Num vero neceſſarium ſit neceſſitate præcepti non ſine aliquo æſtu inter Doctores controvertitur. Plures, quibus & Auctor ſubſcripſit, partem negantem propugnant. Alii graviſſimi Doctores ex adverſo partem ajentem ſuſtinent, atque horum non pauci ſententiam hanc conſentaneam eſſe menti D. Thomæ oſtendunt. Hi igitur pluribus argumentis innixi ſentiunt hoc Sacramentum neceſſarium eſſe in re, vel in voto neceſſitate præcepti tum Divini, tum Eccleſiaſtici. Subdunt autem, præceptum Divinum, illud ſuſcipiendi, maxime obligare vel tempore perſecutionis contra fidem, vel quando inſtant graves circa Religionem tentationes, vel in præſenti mortis periculo. Præceptum vero Eccleſiaſticum obſtringere cum baptizatus pervenit ad annos diſcretionis, & eo præſertim tempore, quo præſens eſt, ac paratus Epiſcopus illud adminiſtrare, nullamque baptizatus habet legitimam cauſam differendi illius perceptionem. Hinc colligunt, non ſolum graviter peccare Genitores, Parochos, Patrinos, Tutores, qui nihil moliuntur, ut commiſſam ſibi juventutem ad ſummum hoc Chriſti donum diſponant, ſed & illos gravis peccati reos eſſe exiſtimant, qui, cum Epiſcopi copiam habeant, ne quidem paſſum decurrunt, ut ab eo confirmentur. Et hoc peccatum, inquiunt, iteratur, quoties eadem recurrit occaſio. *Etſi*, ait S. Antoninus 3. p. Sum. tit. 14. cap. 14. §. 1. *numquam occurrat confeſſio perſecutionis, tenetur homo ſemel in vita confirmari; & ſi poſſit, & negligat, licet Sacramentum aliter non contemnat, peccat mortaliter, & damnatur moriens, niſi tunc confirmetur, vel niſi pœniteat, & confiteatur de hoc quod in ſanitate potuit & neglexit*. Legeſis Natal. Alex. *cap.* 4. *prop.* 4., Juveninum *q.* 8. *concl.* 2. Contenſonum *Lib.* 9. *p.* 1. *diſt.* 4. *cap.* 2. *ſpecul.* 2. Cardinalem Gotti *q.* 3. *dub.* 4. §. 1. Ludovicum Habert *cap.* 9., Nicolaum l' Hermenier *Tom.* 1. *de Sacram. Confirm.* Tournely *de Sacramento Confirm. qu.* 2. *art.* 2., ejus Continuat. *Tract. de Sacram. Confirm. cap.* 8., Drouven *de Re Sacram. Lib.* 3 *c.* 2., Laurentium Berti *Lib.* 32. *c.* 8., alioſque, quos brevitatis gratia præterimus.

Digitized by Google

CAPUT III.

DE AUGUSTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

§. I. *De Euchariſtiæ Notione.*

Euchariſtia eſt Sacramentum.

I. EUchariſtiam eſſe novæ legis Sacramentum, fide docemur ex definitione Concil. Trid. Seſſion. 7., can. 1., illam Sacramentorum albo connumerantis: cum conſtet, fuiſſe a Chriſto inſtitutam in cœna: eſſe ſignum ſenſibile; & in ipſius digno uſu promiſſam conferre gratiam, ut ex fuſius dicendis clare conſtabit. Memineris eorum, quæ cap. 1. §. 1. n. 111. diximus, & diſtinguas quid in Sacramentis ſit Sacramentum tantum, res tantum, res & Sacramentum ſimul, & hæc eadem applices huic Sacramento: in quo Sacramentum tantum ſunt ſpecies conſecratæ, quia ſignificant dumtaxat, quin ſignificentur ab alio: res tantum eſt gratia habitualis nutrimentum afferens ſpirituale, de qua ſuo loco; quia ſignificatur dumtaxat, & non ſignificat: res, & Sacramentum ſimul ſunt Corpus, & Sanguis Chriſti ſub ſpeciebus contenta; quia & ſignificantur a ſpeciebus, & ſignificant ſimul gratiam illam, quæ nutrimentum affert ſpirituale. Sacramentum igitur Euchariſtiæ, ut merum Sacramentum eſt, conſiſtit in ſpeciebus conſecratis, continentibus vere, & realiter, & ſubſtantialiter ipſum Chriſtum Deum hominem, quia Sacramentum, ut tale, illud eſt, quod ſolummodo ſignificat; hujuſmodi autem ſunt ſpecies conſecratæ, quæ ſignificant gratiam recipiendam a ſumentibus illas: dixi continentibus Chriſtum; quia ut præfatam gratiam ſignificent conferendam ſuimet uſu, debent neceſſario continere Chriſtum, ſine quo nihil cauſarent, neque eſſent ſigna practica effectiva rei ſignificatæ, nempe gratiæ. Cum igitur ſint ſigna completa gratiæ, quatenus continent Chriſtum, neceſſario relationem quamdam ſervant etiam ad conſecrationem, qua mediante gratiam illam conferunt. Idcirco appoſite dixit Catechiſmus de Euchar. num. 8. *Diligenter obſervandum eſt, multa in hoc myſterio eſſe, quibus aliquando Sacramenti nomen ſacri ſcriptores tribuerunt: interdum enim & conſecratio, & perceptio, frequenter vero & ipſum Domini corpus, & ſanguis ... verum hæc omnia minus proprie dici ſacramenta, perſpicuum eſt. Ipſæ autem ſpecies panis & vini, veram, & abſolutam hujus nominis rationem habent.*

In quo conſiſtat Sacramentum Euchariſtiæ?

II. Cum itaque hoc Sacramentum, qua tale, conſiſtat in ſpeciebus conſecratis, ut Chriſtum realiter continentibus, ſervato ordine ad conſecrationem, ut ponentem Chriſtum ſub ipſis; & ad ſumptionem, ut conditionem neceſſariam ad efficientiam gratiæ; optime deducitur, Sacramentum Euchariſtiæ conſiſtere in re permanente, ad differentiam aliorum Sacramentorum, quæ conſiſtunt in mero uſu, & applicatione formæ ad materiam, & earumdem ad ſubjectum, quibus ceſſantibus, ceſſat Sacramentum: Non ita in Euchariſtia, quæ verum perſeverat Sacramentum, verumque ſignum gratiæ conferendæ in ſui uſu, etiamſi uſu non ſumatur. Quandoquidem etiam in pixide incluſum; cum contineat in ſe veraciter Chriſtum; eſt ſignum gratiæ conferendæ, quando ſumetur.

Unitas ſpecifica ejuſdem.

III. Cum autem certum ſit apud omnes Theologos, Sacramenta inter ſe invicem ſpecie diſtingui, & unumquodque ſua unitate ſpecifica gaudere; docemur ab Angelico 3. p. q. 73., a. 2., unitatem ſpecificam hujus ſacramenti eſſe petendam ex unitate finis, unius videlicet integræ refectionis ſpiritualis: *Hoc Sacramentum ordinatur ad ſpiritualem refectionem, quæ corporali conformatur. Ad corporalem autem refectionem duo requiruntur, ſcilicet cibus, qui eſt alimentum ſiccum; & potus, qui eſt alimentum humidum, & ideo etiam ad integritatem hujus Sacramenti duo concurrunt, ſcilicet ſpiritualis cibus, & potus, ſecundum illud Joan. 6. caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus: Ergo hoc ſacramentum multa quidem eſt materialiter, ſed unum formaliter.*

* Obſervandum eſt, ita ex panis & vini ſpeciebus unicum Euchariſtiæ Sacramentum conflari, ut quamvis formalis ratio Sacramenti in eiſdem, etiam ſeorſim ſumptis, tota ſit quoad eſſentiam, non tamen tota ſit quoad integritatem & perfectionem. In primis quod formalis ratio Sacramenti in qualibet ſpecie etiam ſeorſim ſumpta tota ſit quoad eſſentiam, liquido conſtat ex Concilio Tridentino, quod *Seſſ.* 21. *cap.* 3. ſic docet: *Inſuper declarat (Sancta Synodus) quamvis Redemptor noſter ....*

in

Digitized by Google

in ſuprema illa Cœna hoc Sacramentum in duabus ſpeciebus inſtituerit, & Apoſtolis tradiderit, tamen fatendum eſſe etiam ſub altera tantum ſpecie totum atque integrum Chriſtum, verum Sacramentum ſumi, ac propterea quod ad fructum attinet, nulla gratia neceſſaria ad ſalutem eos defraudari, qui unam ſpeciem ſolam accipiunt. Itaque tam ſub ſpeciebus panis, quam ſub ſpeciebus vini totus atque integer Chriſtus continetur, & utraque ſpecies etiam alimentum ſpirituale & gratiam enutrientem repræſentat, & in ſui ſumtione ſuppeditat; atque adeo unaquæque dubio procul totam Euchariſtiæ ſervat eſſentiam. Quod vero in qualibet ſpecie ſeorſim ſumta non ſit tota ratio Sacramenti quoad integritatem, & perfectionem pariter exploratum videtur. Quippe neque in ſpeciebus panis, neque in ſpeciebus vini ſeorſim ſpectatis integra illa & completa reperitur ſignificatio, quæ in eiſdem ſimul acceptis elucet: *Spiritualis nutritio* (ait D. Thomas *in 4. diſt. 6. q. 1. art. 1. q. 2. ad 2.*) *quæ fit per gratiam, non ſignificatur perfecte per panis tantum, neque per vini ſumptionem; ſed per utramque ſimul; quia ſolum in utraque ſpecie analogia corporalis refectionis completur, quæ non in ſolo cibo vel potu, ſed in utroque ſita eſt.* Compertum eſt igitur, ſpecies panis & vini in Euchariſtia ſe habere veluti partes heterogeneas, & diviſas nedum quoad phyſicam qualitatem, ſed etiam quoad munus ſignificandi, in quarum conjunctione ita unum integrum Sacramentum reſultat, ut in ſingulis ſeorſim eſſentia quidem, & veritas Sacramenti retineatur, non tamen omnis ſua ſervetur integritas. Quare Tridentina Synodus *loco citato* totum quidem atque integrum Chriſtum ſub altera tantum ſpecie contineri definivit, & addidit inſuper ſub unica ſpecie verum Sacramentum ſumi, ſed integrum Sacramentum percipi, minime pronunciavit.

Ejuſdem unitas numerica. IV. Hinc deducitur etiam ejuſdem ſacramenti unitas numerica, nempe ex quo capite unum Sacramentum Euchariſtiæ diſtinguatur numero ab altero, videlicet ex unitate, & pluralitate refectionum. Cum enim inſtitutum ſit per modum convivii, & unitas numerica convivii, nec deſumatur ex unitate ciborum, eo quod in eodem convivio videamus plura fercula apponi; neque ab actione illud præparante, cum plures actiones non raro etiam interruptæ exigantur ad illud præparandum: ſed ſumatur ab alimentis ad eamdem refectionem ordinatis: ita ſimiliter unitas numerica hujus ſacramenti neque a continuatione phyſica ſpecierum, neque ab unitate conſecrationum, ſed ab unitate refectionis deſumenda erit, ut docent communiter D. Thomæ diſcipuli, eidem adhærentes.

* Sacramentum Euchariſtiæ non eſſe idem numero in tota Eccleſia, ſed dari plura Euchariſtiæ Sacramenta numerice diſtincta, ac ſubinde non omnes ſpecies conſecratas eſſe idem numero Sacramentum Euchariſtiæ, communis eſt Doctorum aſſertio contra Suarezium, Cardinalem de Lugo, Arauxo, quibus favet Averſa. At undenam repetenda ſit unitas, vel diſtinctio numerica ejuſdem Sacramenti, magna reperitur inter illos diſſenſio. Minime nobis arridet ſententia Bellarmini, cui Auctor adhæſit *num. præced.* videlicet quod Sacramentum Euchariſtiæ ſit unum, vel multiplex numero ex unitate vel pluralitate refectionum. Quippe cum Euchariſtia ante refectionem, ſeu ſumtionem ſit Sacramentum, ante refectionem quoque ſeu ſumtionem debet habere unitatem, vel diſtinctionem numericam; nam quidquid reipſa exiſtit, unum, vel multiplex actu eſſe oportet, independenter ab eo, ſine quo exiſtere poteſt. Inſuper, ſpecies conſecratæ a diverſis Sacerdotibus, diverſis in locis, diverſis item temporibus nonne ſunt Sacramenta numero diſtincta? Nullus profecto ibit inficias. Et tamen quid vetat, has omnes ſpecies in unico vaſe collectas ab eadem perſona continenter abſumi? Non igitur ex unitate, vel pluralitate refectionis, ſeu ſumptionis unitatem vel diſtinctionem numericam accipit Euchariſtia. Hac itaque rejecta ſententia, & miſſis etiam brevitatis gratia aliorum Theologorum placitis, quæ pariter a veritate prorſus aliena nobis apparent, amplectendam cenſemus ut probabiliorem, & veriſimiliorem opinionem, quam plures tum intra, cum extra Scholam D. Thomæ ſuſtinent atque propugnant; nempe, unitatem, vel diſtinctionem numericam Sacramenti Euchariſtiæ deſumi ex continuatione, vel diſcontinuatione phyſica ſpecierum; atque ideo ſpeciem v. g. panis phyſice continuam eſſe actu unum numero Sacramentum, ſpecies autem phyſice diſcontinuas eſſe actu plura numero Sacramenta. Aſſertionem hanc inter ceteros ita clare explicant P. P. Salmanticenſes Scholaſtici

tract. 23. *diſp.* 2. *dub.* 4. §. 1. *n.* 58. *Dicimus*, ajunt, *eſſe actu unum, & eſſe actu plura &c.* ob generalem rationem, quæ in eis, quæ ſunt unum per continuationem, intervenit; dependet namque illorum unitas, vel multitudo ex continuatione, vel diviſione: unde quia illud quod eſt actu continuum, poteſt dividi, eſt unum in actu, & plura in potentia reducenda ad actum per diviſionem; & e converſo, quia illa quæ ſunt actu diviſa, poſſunt uniri, ſunt plura in actu, & unum in potentia reducenda ad actum per continuationem. Sic aqua exiſtens in uno vaſe eſt actu una numero: ſi vero dividatur in duo vaſa, eſt, actu plura numero. Et ſimiliter aquæ exiſtentes in duobus vaſis ſunt actu multa numero: ſi autem collocentur in eodem vaſe, ſunt actu eadem numero aqua. Idemque generaliter contingit in homogeneis, quæ habent unitatem per continuationem, ut facile conſideranti conſtabit. Ad hunc igitur modum intelligimus, aſſerimuſque unitatem, & pluralitatem numericam Sacramenti Euchariſtiæ. Unde ſpecies panis continua eſt unum numero Sacramentum in actu: ſed ſi dividatur in duas, vel tres partes, tot erunt Sacramenta in actu numero diſtincta. Et e contra ſpecies vini exiſtentes in diverſis calicibus ſunt plura numero Sacramenta in actu; ſed ſi collocentur, & continuentur in eodem calice, fiunt unum numero Sacramentum in actu. (Quæ continuatio partium prius diviſarum locum forte non habet in ſpeciebus panis, quæ ita de facili continuari nequeunt: ac ſi continuarentur, idem de illis deberet intelligi.) Unde in ſumma idem affirmamus, *inquiunt*, de unitate, vel diſtinctione numerica Sacramenti Euchariſtiæ in eſſe Sacramenti, quod dicitur de unitate vel multitudine numerica ſpecierum phyſice ſumptarum; atque ideo tot eſſe numero Sacramenta Euchariſtiæ, quot ſunt ſpecies ſacramentales phyſice diſcontinuæ. Sic expoſitam aſſertionem pluribus argumentis evincunt præfati P. P. Salmanticenſes. Nos ad prolixitatem vitandam, ſequens dumtaxat ita paucis exhibemus. Euchariſtiæ Sacramentum in recto ſolas, ut & Auctor aſſerit *n.* 2., ſpecies conſecratas importat, ſeu in ſpeciebus conſecratis conſiſtit: ergo penes harum unitatem, vel numerum, unum, aut multiplex eſſe debet; cum palam ſit, ipſas ſpecies ex phyſicæ ſuæ continuitatis ſimplicitate, aut diviſione unitatem, aut multiplicationem nanciſci. Legeſis præcitatos Theologos, qui plura & in ſolutionibus objectorum ad rem hanc pertinentia docent ſcitu digna; neque enim operæ pretium exiſtimamus in his diutius immorari, cum parum, aut nihil ad inſtitutum noſtrum conducant.

§. II. *De Materia remota conficiendi Corporis Chriſti.*

I. Ex communi catholicorum, materia remota conficiendi Corporis Chriſti eſt panis triticeus. Ita docemur ab Evangelio, Chriſtum panem ſumſiſſe, & in eo conſecraſſe. Nomine autem panis, ſine alio addito, intelligitur panis, quo communiter veſcuntur homines, qui eſt, triticeus: quando enim panem, qui triticeus non ſit, ſignificare volunt, non dicunt panem abſolute, ſed cum addito; *puta panem hordeaceum, ſiligineum &c.. Et idcirco S. Thomas q. 74., a. 1.: *Sicut enim aqua aſſumitur in Sacramento Baptiſmi ad uſum ſpiritualis ablutionis, quia corporalis ablutio communiter fit in aqua, ita panis & vinum, quibus communius reficiuntur homines, aſſumuntur in hoc Sacramento:** & opportuniſſime Catechiſmus de Euchariſtia n. 12. *Communi enim loquendi conſuetudine, cum panis abſolute dicitur, panem ex tritico intelligi, ſatis conſtat.* Materia Corporis eſt Panis triticeus.

* Animadvertendum occurrit, quod panis (idem & de vino dicendum) proprie loquendo non vocatur ſimpliciter Euchariſtiæ materia, ſed materia, ex qua conficitur Euchariſtia; neque enim ex illo tanquam parte immanente, & intrinſeca Sacramentum ipſum componitur, imo in hujus confectione ille ſecundum ſuam ſubſtantiam deſtruitur, ſeu tranſmutatur, & ſolum ſecundum externam, & ſenſibilem ſpeciem perſeverat. Dicitur tamen panis materia Euchariſtiæ, quatenus indiſpenſabiliter prærequiritur, & conſecrationi Miniſtri ſubeſſe debet, ut ex illa fiat Sacramentum; ac propterea a nonnullis ſicuti etiam ab Auctore, materia remota appellatur, ſed in ſenſu longe diverſo ab eo, quo in aliis Sacramentis remota materia nuncupatur res illa ſenſibilis, quæ in ipſorum adminiſtratione, applicatur; niſi forte ex Sacramento Pœnitentiæ ſumatur exemplum, in quo peccata, quæ Eccleſiæ clavibus ſubjiciuntur utique abolenda, & deſtruenda, non retinenda, ejus remota materia vocitantur.

II. Nor

Sive azymus, ſive fermentatus.

II. Non refert autem pro valore, ſit ne azymus, vel fermentatus: ita docemur a Concilio Florentino in Decreto fidei: *Item in azymo, ſive fermentato pane triticeo Corpus Chriſti veraciter confici, ſacerdoteſque in altero ipſum Domini corpus conficere debere, unumquemque ſcilicet juxta ſuæ Eccleſiæ ſive occidentalis, ſive orientalis conſuetudinem*. Non enim panis azymus, & fermentatus ſpecie differunt, ſed ſunt ſpecie idem panis. Pluribus autem motivis tum ex Scriptura, tum ex Patribus, tum ex congruentia petitis, elegit Eccleſia occidentalis panem azymum. Quæ videnda relinquimus in Theologis ſcholæ, & dogmatum, contra Michaelem Cerularium.

Quænam materiæ ineptæ?

III. Ex dictis manifeſtum remanet, panem ex hordeo, fare, ſpelta, ſiligine confectum, eſſe materiam ineptam: quia nullum prædictorum eſt triticum, ut docet communis cum S. Doctore a. 3. ad 2., & 4. in ad Hanib. d. 11. a. 2. ad 1.; ſed neque ex amydo, quia eſt quidem triticum, ſed corruptum. Idcirco S. Thomas: *Et quia amydum eſt ex tritico corrupto, non videtur quod panis ex eo confectus, poſſit fieri Corpus Chriſti*: ita art. 3. ad 4.

* Panem ex ſiligine confectum velut ineptum ad Euchariſtiæ confectionem abſolute pronunciat Auctor *num. præced.* Verum animadvertendum eſt cum Cl. Sylvio, Em. Gotti, aliiſque, ſiliginem, bifariam accipi poſſe. 1. accipitur a Plinio *lib. 18. cap. 8. ab Iſidoro lib. 11. Etymol. cap. 3.* & ab aliis pro candidiſſimo frumenti genere, ſeu tritico ſelecto; & in hoc ſenſu ſiligo dicitur quaſi *ſelecta*. 2. ſumitur pro *ſecale*, vulgo *Segala*. Si primo modo ſiligo accipiatur, cum ſit perfectum triticum, dubio procul panis ex ea confectus poteſt ad Euchariſtiæ conſecrationem adhiberi. Si vero ſumatur ſecundo modo, ut communiter ſumi ſolet, non eſt cenſenda idonea, ut ex ea confectus panis ad Euchariſtiam conſecrandam aſſumatur; quamvis enim theorice probabile admodum ſit quod docet D. Thomas *cit. art. 3. ad. 2.* eam nempe ſpecie a tritico non differre; quoniam ex vero tritico in malis terris ſeminato progignitur; attamen in praxi confectus ex illa panis eſt a conſecratione reiiciendus, cum plures eam alterius naturæ exiſtiment, obſervantes ex prava humi diſpoſitione degenerare ſemina; & effectum in aliam ſpeciem tranſire; quippe ex tritico in malis terris ſeminato oritur etiam avena. Hoc autem ſtante dubio, quod videlicet ſiligo non ſit ejuſdem cum tritico ſpeciei, ſed diverſæ, non licet uti pane ex illa confecto ad Euchariſtiæ conſecrationem; quia cum agatur de valore Sacramenti, non eſt licitum ſequi opinionem probabilem, relicta tutiore, ut ex proſcripta ab Innocentio XI. propoſitione liquido conſtat.

Quid ſi admiſceatur alia materia?

IV. Admiſcere autem farinæ triticeæ farinam alterius ſpeciei, quamvis ſemper graviter ſit illicitum, non ſemper ineptam reddit materiam, ſi ſit in modica quantitate: unde S. Doctor loc. cit. a. 3. ad 3. *Modica permixtio non ſolvit ſpeciem, quia id quod eſt modicum, quodammodo abſumitur a plurimo: & ideo ſi ſit modica admixtio alterius frumenti ad multo majorem quantitatem tritici, poterit exinde confici panis, qui eſt materia hujus Sacramenti: ſi vero ſit magna permixtio, puta ex æquo, vel quaſi, talis permixtio ſpeciem mutat; unde panis exinde confectus non erit debita materia hujus Sacramenti.*

Quid de pane triticeo non aqua conglutinato?

V. Maſſa cruda farinæ triticeæ non eſt materia apta, quia non eſt panis uſui humano idoneus; immo neque ſi foret elixa: quia eſt quidem puls, ſed non panis naturalis. Neque ſi farina triticea eſſet conglutinata aqua non naturali, ſed aut roſacea, aut citrina &c., aut melle, lacte, butyro, ſucco ex fructibus expreſſo; quia non eſſet panis naturalis, qui debet eſſe panis triticeus, aqua naturali conglutinatus, & igne toſtus. *Admixtio aquæ ad farinam eſt de neceſſitate hujus Sacramenti, utpote conſtituens ſubſtantiam panis: ideo ſi farinæ admiſceatur aqua roſacea, vel alius liquor, quam vera aqua, non poteſt ex eo confici Sacramentum, quia non eſt verus panis*, ait S. Doctor a. 7. ad 3.

Materia Calicis.

VI. Certiſſimum eſt apud omnes, vinum de vite eſſe materiam neceſſario requiſitam ad conficiendum ſanguinem Chriſti; quod deducit S. Thomas loc. cit. art. 5. ex ipſius Chriſti verbis, inquiens: *De ſolo vino vitis poteſt confici hoc Sacramentum: primo quidem propter inſtitutionem Chriſti, qui in vino vitis hoc Sacramentum inſtituit, ut patet ex eo, quod ipſe dixit Matth. 26. circa inſtitutionem hujus Sacramenti: NON BIBAM AMODO DE HOC GENIMINE VITIS. Secundo, quia, ſicut dictum eſt, ad materiam Sacramentorum aſſumitur id quod* pro-

proprie, & communiter habet talem ſpeciem: proprie autem vinum dicitur, quod de vite ſumitur; alii vero liquores vinum dicuntur ſecundum quandam ſimilitudinem ad vinum vitis.

Non acetum, vel alius liquor.

VII. Hinc nulli alii aliquores ſunt materia apta; *quia illi liquores non dicuntur proprie vinum, ſed ſecundum ſimilitudinem* ait S. Doctor art. 5. ad 1. neque acetum: *quia ſicut de pane totaliter corrupto non poteſt confici hoc Sacramentum, ita de aceto: poteſt tamen confici de vino aceſcente, ſicut & de pane, qui eſt in via ad corruptionem, licet peccet conficiens.*

De aqua miſcenda.

VIII. Vino conſecrando, ſub gravi, admiſcenda eſt aqua, *non neceſſitate Sacramenti* ait S. Doctor a. 7. ſed de neceſſitate præcepti graviter obligantis: *Monet S. Synodus præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, ut aquam vino in calicem offerendo miſceant*, ait Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 7. *De aqua autem illa* calici infuſa, *eſt duplex opinio*, ait S. Doctor in 4. diſ. 11. q. 2. a. 4. q. 1. ad 2. *Quidam enim dicunt, quod aqua maneat in ſua natura, & ſolum vinum tranſubſtantietur, ... alii vero dicunt, quod aqua appoſita in vinum convertitur, & ſic totum in Sanguinem tranſubſtantiatur .... Hæc ſecunda verior apparet, & ſecundum rationem naturalem; quia modica aqua vino admixta, quod eſt magis activum, a vino corrumpitur, & in ſpeciem vini tranſit: & quantum ad ritum Sacramenti; quia ſi aqua in propria natura remaneret, ſic calix conſecratus non eſſet tantum potus ſpiritualis, ſed etiam corporalis, & ita non liceret poſt primam ſumptionem ſanguinis, iterum ſumere:* ſicut fit in die Nativitatis Chriſti. Ex hoc infert idem S. Doctor 3. p. q. 74. a. 8. *Cum illorum opinio ſit probabilior, qui dicunt aquam converti in vinum, & vinum in Sanguinem, hoc fieri non poſſet, niſi adeo modicum apponeretur de aqua, quod converteretur in vinum: & ideo ſemper tutius eſt parum de aqua apponere, & præcipue ſi vinum ſit debile: quia ſi tanta fieret appoſitio aquæ, ut ſolveretur ſpecies vini, non poſſet perfici Sacramentum.*

Motiva præcepti apponendi aquam.

IX. Motiva autem præcepti apponendi aquam hæc recenſentur ab Angelico loc. cit. ar. 6.: *primo propter inſtitutionem; probabiliter enim creditur, quod Dominus hoc Sacramentum inſtituerit in vino aqua permixto, ſecundum morem illius terræ .... Secundo, quia hoc convenit repræſentationi Dominicæ paſſionis, ... quia utrumque ex latere Chriſti profluxiſſe legitur. Tertio, quia hoc convenit ad ſignificandum effectum hujus Sacramenti, qui eſt unio populi Chriſtiani ad Chriſtum .... Quarto, quia hoc competit ad ultimum effectum hujus Sacramenti, qui eſt introitus ad vitam æternam; unde Ambroſius*, (vel Auctor coævus) *dicit in libro de Sacramentis. Redundat aqua in calicem, & ſalit in vitam æternam.* Alii addunt, quod aqua ſignificet peccata populi abſorpta a Sanguine Chriſti.

His ſequentia attexere opportunum ducimus. 1. aqua vino conſecrando admiſcenda naturalis eſſe debet, ut docet D. Thomas 3. p. q. 74. art. 7. ad 3. *Quia admixtio aquæ*, inquit, *non eſt de neceſſitate Sacramenti, non refert quantum ad Sacramenti neceſſitatem quæcumque aqua miſceatur vino ſive naturalis, ſive artificalis, ut roſacea. Quamvis quantum ad convenientiam Sacramenti peccet, qui aliam aquam miſcet niſi naturalem & veram, quia de latere Chriſti pendentis in Cruce aqua vera profluxit &c.* Peccaret igitur, & quidem lethaliter etiam juxta benigniores Theologos qui loco aquæ naturalis uteretur aliqua artificiali v. g. roſacea. Immo aliqui Doctores neque immunem a mortali exiſtimant utentem aqua naturali calida, quamvis hujuſmodi alteratio naturam ejus non deſtruat. At falſo, ut ſentiunt alii, ſi talis aqua conſulto adhibeatur ad vini congelationem impediendam; forſitan nimis dure, ſi ad ſtudioſius conſulendum ſtomachi valetudini; non immerito tandem ſed jure, ſi id fiat ad immutandum latinæ Miſſæ ritum, Græcorum conſuetudinis affectatione, qui paulo ante communionem aquam fervidam in calicem immittunt.

2. Debet eſſe modica, ut patet ex verbis D. Thomæ ab Auctore relatis n. VIII. imo modiciſſima, ut loquitur Eugenius IV. in Decreto pro Inſtructione Armenorum; & fert uſus Eccleſiæ. Et illud quidem animadvertendum eſt, hac in re peccari non poſſe per defectum, cum in confeſſo ſit apud omnes ad implendum præceptum, & ad totam ſignificationem myſticam, quamlibet guttulam ſufficere, dummodo ſatis ſit ſenſibilis; bene vero peccari poſſe per exceſſum, ſi nempe tantum aquæ infundatur, ut non poſſit dici modica reſpectu vini. Itaque aliquæ guttæ

Digitized by Google

guttæ plus minuſve infundantur, ita ut reſpectu vini modica dici aqua poſſit. Monet tamen P. Le-Brun *tom.* 1. *pag.* 309. *ſcrupulis expertem eſſe debere qui tertiam ſolum aquæ partem aſſerendo vino miſcuerit*; præſertim cum generoſo vino utitur.

3. Admixtio aquæ fieri debet ad Altare, & tempore Miſſæ; eſt enim ſacra cæremonia myſticam habens ſignificationem in ordine ad Sacrificium Euchariſtiæ conficiendum, cui populus aſſiſtit, inde ſpiritualiter enutriendus. Quare D. Thomas 3. p. q. 74. art. 8. ad 3. *ſi aqua*, inquit, *apponeretur in dolio non ſufficeret ad ſignificationem hujus Sacramenti. Sed oportet aquam vino apponi circa ipſam celebrationem Sacramenti.* Hinc peragenda præcipitur talis cæremonia ab ipſomet Celebrante in Miſſis privatis, vel a Subdiacono ei deſerviente in Miſſis ſolemnibus, aqua tamen per ipſummet Celebrantem prius benedicta. Ob eamdem etiam rationem ipſi calici, in quo conſecrandum eſt vinum, debet infundi; unde ſatis non eſt, ut aqua vino miſceatur in urceolo, ex quo vinum pro Sacrificio depromitur.

4. Miſcenda aqua eſt ante conſecrationem; imo ante calicis oblationem, adeo ut lethalis criminis reus cenſeatur, qui appoſite mixtionem differt. In Ordine Prædicatorum antiquiſſimo more, & a nobilibus Eccleſiis hauſto, ſemperque retento (de quo videndus eſt Cardinalis Bona in Rebus Liturgicis) ante ipſam privatæ Miſſæ inchoationem aqua calici infunditur. Si autem ante oblationem ob oblivionem, inadvertentiam, incuriam, aut aliam cauſam Sacerdos aquam non miſcuerit, ſic præſcribit Miſſale Romanum Tit. de Defect. *Si celebrans ante conſecrationem Calicis advertat non fuiſſe appoſitam aquam, ſtatim ponat eam... ſi id advertat poſt conſecrationem calicis, nullo modo apponat, quia non eſt de neceſſitate Sacramenti.* Et ſane poſt conſecrationem nec alium liquorem calici miſceri poſſe, clare docet D. Thomas *3. p. q. 77. art. 8.* Hoc tamen valet in ritu latino. Nam Græci præter frigidam aquam, quam ante conſecrationem ſolent vino miſcere, poſt conſecrationem paulo ante communionem aliquid aquæ non frigidæ, ut ante, ſed calidæ, imo ferventis vino Euchariſtico infundunt, *ut ſcilicet ſanguis, & aqua, quæ fluxerunt a ſancto latere Domini & Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti tempore ſalutaris paſſionis ejus vivifica eſſe conſtet, veluti ex vivifico deificato corpore vivifica*, ait Balſamon *in Reſp. ad Quæſita* Marci Patriarchæ Alexandrini.

An ex Agreſta, aut muſto fiat Sacramentum?

X. *Agreſta eſt in via generationis, & ideo non habet ſpeciem vini. Et propter hoc de ea non poteſt confici hoc Sacramentum; non tamen debent uvæ integræ huic Sacramento miſceri, quia jam eſſet ibi aliquid præter vinum. Prohibetur etiam ut muſtum ſtatim expreſſum de uva in calice offeratur: quia hoc eſt indecens propter impuritatem muſti; poteſt tamen in neceſſitate fieri.* Sic S. Doctor. loc. cit. a. 5. ad 3.

Quid de vino congelato?

XI. Vinum congelatum, ita ut nullo modo bibi poſſit, eſſe materiam ineptam Sacramento, videtur dubitari non poſſe, cum nullo modo ſit potabile; vinum autem ita congelatum, ut adhuc, quamvis aliqua difficultate, epotari poſſit, eſſe validam materiam videtur probabilius cum Soto; quia & retinet ſpeciem vini, & eſt potabile: graviter tamen illicitum eſt illo uti; immo Suarez judicat eſſe illicitum uti vino ex gelu ſoluto, ſi aliud haberi queat.

Numquam conſecrandum ſine aqua.

XII. In nullo caſu eſt licitum uti vino abſque aqua infuſa; quia nulla poteſt eſſe neceſſitas, quæ prævaleat gravitati hujus præcepti, antiquiſſimæque ſanctioni Eccleſiaſticæ.

Si complendum foret Sacrificium, & aqua haberi non poſſet, non ſolum licitum eſſet, ſed & neceſſarium uti vino abſque aqua infuſa. Nam Lex Divina, efficiendi ſacrificium perfectum, & integrum, prævalet præcepto Eccleſiaſtico de aqua vino conſecrando admiſcenda, ut compertum eſt.

Præſentia materiæ conſecrandæ.

XIII. Materia conſecranda debet ita eſſe præſens Sacerdoti ad validam conſecrationem, ut verificentur pronomina illa *hoc*, & *hic*, ut omnes fatentur. Hinc non eſt de neceſſitate Sacramenti, quod illam teneat præ manibus, quia adhuc verificaretur pronomen illud demonſtrativum. Similiter Sacerdos ad altare deferens pixidem particulis conſecrandis plenam, & clauſam, nec illam aperire advertens, & prope calicem habens, conſecrat nihilominus particulas in ea incluſas, quia verificatur pronomen demonſtrativum. Alios caſus imaginarios potius, quam veriſimiles ab auctoribus allatos conſulto prætereo.

* Vide quæ addidimus *ſupra de Sacram. in Gen. cap. 2. §. 2. poſt n. 7.*

Materia debet eſſe deſignata.

XIV. Materia conſecranda debet eſſe deſignata; ita enim denotant pronomina illa *hoc* & *hic*. Hinc nulla eſſet conſecratio illa, qua Sacerdos ex decem hoſtiis ſibi præſentibus octo ex illis, non deſignatis, dumtaxat conſecrare intenderet, ob datam rationem. Idcirco Sacerdos conſecrans materiam in pixide contentam, debet intendere totam in ea contentam conſecrare una cum fragmentis, tum ob datam rationem, tum etiam quia cum in pixidis purificatione plura remanere ſoleant fragmenta, ignoraret an omnia adorare deberet, cum neſciret, quænam eſſent ex particulis conſecratis deciſa, quænam non. Si igitur aliquando Sacerdos ex mera inadvertentia, (nam advertenter id nunquam agere debet) ponat in pixide nondum purificata, & adhuc habente quaſdam particulas conſecratas, alias particulas conſecrandas, ita ut non amplius diſtinguere valeat illas ab iſtis; tunc non videtur ſufficere, ut conſecrationem proferat ſuper totam materiam non conſecratam in pixide contentam, ut dicunt quidam recentiores, quia cum ſint admixtæ conſecratis, neque valeat illas amplius diſcernere, reapſe non verificatur pronomen *hoc:* videtur ergo quod tunc debeat proferre conſecrationem ſuper omnes illas particulas in pixide contentas; ne autem illam proferat ſuper conſecratas, conſecrationem applicet ſuper omnes illas, & ſuper ſingulas ſub conditione, ſi non ſint conſecratæ: Si autem in pixide illa non purificata extarent ſola fragmenta, & in eadem poneret particulas conſecrandas, tunc ſufficiet ut particulas dumtaxat conſecrare intendat, quippe quæ ſunt materia deſignata. Caveat itaque, ne unquam novam materiam in pixide conſecrandam ponat, niſi antea illam ab alio Sacerdote purificare faciat.

Quid circa guttulas vini calici adhærentes?

XV. Guttulæ adhærentes ſuperficiei exteriori calicis non cenſentur conſecratæ, quia ad illas non cenſetur directa intentio conſecrantis; quia peccaret ſi ita intenderet, quamvis valide conſecraret. Guttulæ autem adhærentes interiori ſuperficiei erunt conſecratæ, ſi intendat conſecrans totam materiam in calice contentam conſecrare; non erunt autem conſecratæ, ſi illius intentio dirigatur dumtaxat ad continuum illud vini in calicis fundo conſiſtens. Tandem nota, quod ſuper qualibet minima parte materiæ, quæ ſenſibilis ſit, valide conſecratio profertur, ſed illicite. Quemadmodum vel minima materię pars, dummodo ſenſibilis ſit, ac moraliter demonſtrabilis, valide poteſt conſecrari; ita etiam quæcumque materiæ quantitas quamtumvis magna panis & vini apta eſt validæ conſecrationi, dummodo tota ſit ita præſens, ut poſſit ſimpliciter demonſtrari ad ſenſum per pronomina *Hoc* & *Hic*. Ita S. Thomas *3. p. q. 74. art. 2.* Licite tamen conſecrari non poteſt, niſi ea quantitas quæ Eccleſiæ moribus, & præſcriptionibus inhærendo, præſenti Sacrificantis uſui, Fidelium, qui ad Euchariſtiam proxime acceſſuri ſunt multitudini, & Infirmorum prudenter prævisæ a Parocho neceſſitati accommoda cenſeatur. Sic enim exigit reverentia debita Chriſto, Sacramentis ejus, & mandatis Eccleſiæ. Quod ſi Sacerdos contrario modo ſe gereret, & imprudenter majorem materiæ quantitatem conſecraret quam quæ fini inſtitutionis, & uſui fidelium neceſſaria foret, ac proinde ſpecies putrefactionis periculo exponeret, dubio procul gravis ſacrilegii reus evaderet; injuriamque Sacramento inferret, præſertim, ſi antequam in ſacra pixide computreſcere incipiant, eas non abſumeret.

Una materia ſine altera licite conſecrari non poteſt.

XVI. Nunquam licitum eſt, neque humana auctoritate diſpenſari poteſt, ut una ſpecies conſecretur ſine altera; quia eſt contra præceptum divinum Chriſti, qui cum utramque ſpeciem conſecraſſet, ſubjunxit, *hoc facite in meam commemorationem*: igitur ita ſemper agendum, neque unquam pro aliquo caſu invenitur a Tridentino diſpenſatum: De quo iterum agetur, cum de Miſſæ Sacrificio diſſeremus.

Græci, & Latini ſemper conſecrent in materia ſuæ Eccleſiæ, excepto aliquo caſu.

XVII. Sacerdos Græcus celebrans in ſuis regionibus, & Eccleſiis, tenetur in fermentato conſecrare; ſicut Latinus in ſuis in azymo, & quidem ambo ſub gravi; quia aliter agentes, ut ait S. Thomas loc. cit. art. 4., *perverterent Eccleſiæ ſuæ ritum*. Hinc Honorius III. in Capite *literas* extra *de celebratione Miſſarum*, ab officio ſuſpendit, & beneficio privavit Sacerdotem Latinum, eo quod in fermentato conſecraverit: unde in quavis neceſſitate neutri licet ritum ſuæ Eccleſiæ pervertere. Si autem Sacerdos Græcus apud Latinos commoretur, & Latinus apud Græcos, poterunt ſe accommodare, ille ritui Latinorum, & hic ritui Græcorum, dummodo non habeant propriam Eccleſiam, ſicuti habeat Romæ, & Venetiis; quia tunc in ea celebrent ritu proprio. Si autem peregrinentur, & celebrent in Eccle-

ſiis

Digitized by Google

ſiis ritus non ſui, tunc dicunt Cajetanus, & Sotus, ſe accommodent ritui Eccleſiæ in qua celebrant.

Summus Pontifex Benedictus XIV. anno 1741. ſuper ritibus Græcorum Conſtitutionem edidit, quæ incipit: *Etſi paſtoralis*, in qua quidem §. 9. præcipit, ut Italo-Græci ſervent Kalendarium Gregorianum, quadrageſimale jejunium, dies feſtos, ac cætera omnia, quæ juxta ſacros Canones in Diœceſi, ubi habitant, ſervanda ſunt; at circa ritum Sacrificii, Prædeceſſorum ſuorum, ac Florentinæ Synodi legem in memoriam revocans, hæc obſervari jubet §. 6. *n.* 10. *Cum in Sacro generali Florentino Concilio præſcriptum ſit, ut unuſquiſque Sacerdos Euchariſtiam juxta Eccleſiæ ſuæ ritum ſive Latinæ, ſive Græcæ, in azimo ſeu fermentato conficere debeat; vetitumque a Summis Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, ne Latinus Sacerdos Græco ritu, aut Græcus Latino utatur, diſtrictius inhibemus, etiam ſub pœnis perpetuæ ſuſpenſionis a divinis, ne Presbyteri Græci Latino more, & Latini Græco ritu, ſub quovis licentiarum, & facultatum, Græci Latino more, & Latini Græco ritu celebrandi ab Apoſtolica Sede, vel ejus Legatis, ac etiam majori Pœnitentiario pro tempore exiſtente, obtentarum prætextu, Miſſas & alia divina officia celebrare, vel celebrari facere præſumant.* Hinc autem:

Infert. 1. P. Philippus de Carboneano *in Appendice ad Tract. de Euchariſt.* P. Antoine, errare eos qui exiſtimant teneri Latinum per Græcorum Regionem tranſeuntem Græco more celebrare, ac Græcum Latino ritu in locis Latinorum. Nam antedictæ Conſtitutiones ſunt pro Græcis, qui ſub Latinis Epiſcopis degunt; atque adeo in Latinorum locis.

Infert 2. eos etiam errare, qui aſſerunt Sacerdotem Græcum, qui perpetuum inter Latinos domicilium ſtabilierit; teneri ad celebrandum Latino ritu. Nam Eccleſia præcipit, proprium ritum ſine Apoſtolicæ Sedis diſpenſatione mutari non poſſe, jubetque etiam eos, qui in Italia ſub Latinis Epiſcopis fixum domicilium habent, proprio more Miſſas, aliaque divina officia celebrare debere.

Infert 3. errare quoque illos, qui autumant poſſe Latinum Græco more, Græcum vero Latino ritu celebrare in locis, in quibus proprii ritus Eccleſiæ non adſint, quod poſſint ſeſe loci conſuetudini accommodare. Nam Eccleſia præcipit cuique proprium ritum conſervare.

Infert 4. tandem eos optime concludere qui ſentiunt non licere Sacerdoti Latino uti fermentato in Eccleſia Græca, nec Græco in Eccleſia Latina azymo, quamvis Populus deberet diu Sacrificio carere, & æger abſque viatico decedere; tum quia utilitas communis privatorum commodis præferenda eſt; ad communem vero ſpectat utilitatem Eccleſiæ ſervare præſcriptos ritus; tum etiam quia præceptum audiendi Sacrum in diebus feſtis, & ſumendi Euchariſtiam in mortis articulo non obligat niſi quando Sacrum celebrari queat, ſervatis Legibus ac ritibus ab Eccleſia conſtitutis.

In uno dumtaxat caſu liceret Sacerdoti Latino uti fermentato; nempe cum mutilum manere deberet Sacrificium: puta ſi conſecrata in Pago utraque ſpecie, detegeretur corruptam eſſe ſpeciem panis, nec alius a fermentato poſſet haberi, *quia ſacrificii integritas*, ut ait Continuator Prælect. Theolog. Honorati Tournely *Tract. de Euchar. Part.* 1. *cap.* 3. *art.* 1. *longe prævalet circumſtantiæ accidentali; qua etiam de cauſa ſacrificium a pranſo perfici poteſt: unde non modo inſons foret, qui tunc uteretur fermentato, ſed & ſons qui non uteretur.* Idem & de Sacerdote Græco dicendum, poſſe ſcilicet uti azymo, dum non alius adeſſet panis ad perficiendum Sacrificium.

XVIII. Ex his liquet, quod cum materia proxima Sacramentorum ſit applicatio materiæ remotæ ad uſum, ita applicatio hoſtiæ ad celebrandum, & infuſio vini in calicem ſit materia proxima hujus Sacramenti. Materia Proxima.

* Hæc intelligenda ſunt de materia, ex qua conficitur hoc Sacramentum modo ſuperius expoſito; non vero de materia proxima, qua ipſum in facto eſſe intrinſece conſtituitur; hæc namque conſiſtit in ſpeciebus ſeu accidentibus panis, & vini, quæ remanent, peracta conſecratione, quibus, tanquam forma ſimul cum illis Sacramentum componens, correſpondent conſecrationis verba, quæ virtualiter permanent; nam per verba conſecrationis ſemel prolata determinatæ manent ſpecies panis, & vini ad ſignificandum, & continendum Chriſti Corpus, & Sanguinem. Et ratione hujus determinationis relictæ verba, quamvis præterita, virtualiter remanere cen-

Digitized by Google

cenſentur. Sic Auctor *Theologiæ Moralis ad uſum Seminarii Petrocorenſis tom.* 3. *lib.* 1. *tract.* 4. *de Euchariſt. cap.* 2. *quæſt.* 8.

* Poteſt contingere, quod dum Sacerdos Sacrum celebrat, defectum detegat, atque deprehendat in materia, ex qua conficienda eſt Sanctiſſima Euchariſtia. Quamobrem opus eſt, ut quo pacto in tali caſu ſe gerere debeat, ipſi compertum ſit ac exploratum. Triplici autem modo defectus in materia poſſunt occurrere, ut appoſite animadvertit S. P. Benedictus XIV. *de Sacroſancto Sacrificio Miſſæ Lib.* III. *cap.* XV. nempe vel in pane tantum, qui conſecrandus eſt, vel in vino dumtaxat, quod itidem conſecrandum eſt, vel in utroque ſimul.

Si defectus occurrat in pane tantum, puta ſi hoſtia conſecranda vel corrupta ſit, vel non ſit e frumento, quomodo ſe gerere debeat Sacerdos dum comperit defectum, Miſſalis Rubrica clare præſcribit: *Si Celebrans*, ait, *ante Conſecrationem adverterit, Hoſtiam eſſe corruptam, aut non eſſe triticeam, remota illa Hoſtia, aliam ponat, & facta oblatione ſaltem mente concepta, proſequatur ab eo loco, ubi deſivit. Si id advertit poſt Conſecrationem, etiam poſt illius Hoſtiæ ſumptionem, poſita alia, faciat oblationem, ut ſupra, & a Conſecratione incipiat, ſcilicet ab illis verbis*, Qui pridie quam pateretur, *& illam priorem ſi non ſumpſit, ſumat poſt ſumptionem Corporis, & Sanguinis, vel aliiſumendam tradat, vel alicubi reverenter conſervet. Si autem ſumpſerat, nihilominus ſumat eam, quam conſecravit, quia præceptum de perfectione Sacramenti majoris eſt ponderis, quam quod a jejunis ſumatur. Quod ſi hoc contingat poſt ſumptionem Sanguinis, apponi debet rurſus novus panis, & vinum cum aqua, & facta prius oblatione, ut ſupra, Sacerdos conſecret incipiendo ab illis verbis*, Qui pridie, *ac ſtatim ſumat utrumque, & proſequatur Miſſam, ne Sacramentum remaneat imperfectum, & ut debitus ſervetur ordo.*

Itaque in poſtremo caſu, nempe ſi deprehenſa fuerit hoſtia indebitæ materiæ poſt ſumptionem ſanguinis, ſatis non eſt ut nova Hoſtia conſecretur, ſed oportet, ut etiam conſecretur novum vinum. Quare jure meritoque laudatus S. Pontifex nu. 2. reiicit opinionem illorum, qui oppoſitum afferunt, oſtenditque nullo modo recedendum ab eo quod Rubrica præſcribit.

Si vero defectus occurrat in vino, puta ſi acetum in Calice pro vino infuſum ſit, ſeu quivis alius liquor, qui conſecrari nequeat, pariter Rubrica Miſſalis regulas obſervandas proponit: *Si quis*, inquit *n.* 6. de defectu vini, *percipiat ante conſecrationem, vel poſt conſecrationem totum vinum eſſe acetum, vel alias corruptum, idem ſervet quod ſupra, ac ſi deprehenderet non eſſe poſitum vinum, vel ſolam aquam appoſitam in Calice*. Supra vero videlicet *n.* 3. ita ſancitum reperitur. *Si Celebrans ante conſecrationem Sanguinis, quamvis poſt conſecrationem Corporis, advertat aut vinum, aut aquam, aut utrumque non eſſe in Calice, debet ſtatim apponere vinum cum aqua, & facta oblatione, ut ſupra, conſecrare, incipiendo ab illis verbis*, Simili modo. *Et n.* 4.: *Si poſt verba conſecrationis advertat vinum non fuiſſe poſitum, ſed aquam, depoſita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in Calice, & conſecret reſumendo a verbis prædictis*, Simili modo. At difficultas agitatur inter Theologos, num ſi Sacerdos id adverterit *poſt ſumptionem Corporis, vel poſt ſumptionem materiæ ineptæ*, novam Hoſtiam, novumque vinum debeat conſecrare, incipiendo ab illis verbis, *Qui pridie*; an vero ſufficiat, ſi novum vinum apponat & conſecret, incipiens ab illis verbis, *Simili modo*.

D. Thomas clare docet Sacerdotem in tali caſu non ſolum debere novum vinum conſecrare, ſed & novam Hoſtiam, ac ſi nullam materiam conſecraſſet. Cujus ratio eſt, quia ſi non eſſet ibi hoſtia conſecrata, non verificaretur repetitio verborum, & ſignorum, quorum quædam fiunt non ſolum circa ſanguinem, ſed etiam circa corpus: Integrum S. D. textum exſcripſit Auctor infra §. VI. *n.* XVI.

Verum ſentiunt plures, hanc S. Thomæ doctrinam locum habere dumtaxat, dum Sacrificium privatim offertur; quando vero Miſſa publice celebratur, amplectendam exiſtimant ſententiam, quæ ſtatuit ſatis eſſe, ſi conſecretur ſolum vinum cum aqua ſine nova hoſtia, reliquis omnibus omiſſis, quæ ante ſumptionem dici & agi ſolent, quod ita fieri poſſe arbitrantur, videlicet, ut celebrans, quaſi accepturus ablutionem accedat ad cornu Altaris, vinum & parum aquæ calici imponat, ad medium redeat & offerat, oblatione ſaltem mentali, immediate conſecret incipiens ab illis verbis: *ſimili modo* uſque ad illa: *Hæc quotieſcumque &c.* ſtatim ſumat,

ablu-

ablutionem accipiat, & finem Miſſæ proſequatur.

Id admittunt etiam duo celebres S. Thomæ diſcipuli, atque interpretes, nimirum Soto, & Sylvius. Ille enim poſtquam *in* 4. *diſt.* 24. *qu.* 1. *art.* 16. fuſo calamo exhibitam S. D. ſententiam, atque rationem propugnavit, ſtatim ſubjungit: *His tamen non obſtantibus, licet, ubi homo privatim coram uno, vel duobus celebrat, conſultius ſit S. Thomæ opinionem ſervare; tamen, ubi in publico, & præſertim coram aliquo Magnate celebraretur, ad evitandum ſcandalum, & turbationem populi, forte non eſſet abſurdum, ut Sacerdos, ſecreto fingens lotionem ſumere, vinum tunc infunderet, & conſecraret & ſumeret. Nam ſcandalum excuſaret, præſertim cum jam facta fuerint ſigna ſuper Hoſtiam, licet non legitime ſuper Calicem.* Ille vero, ſcilicet Sylvius ſic ſe ſe explicat in 3. *part. q.* 80. *art.* 8. *Si Sacerdos poſt ſumptionem aquæ advertat, calici non infuſum fuiſſe vinum, ſed aquam, tunc etiamſi hoc advertat poſt ſumptionem hujuſmodi aquæ, ſi Miſſa celebretur in loco publico, ubi plures adſint, ad evitandum ſcandalum poterit apponere vinum cum aqua, & facta oblatione, conſecrare, & ſtatim ſumere, & proſequi cætera &c. Si autem Sacerdos ſecreto celebraret, ubi nullum foret ſcandali periculum, apponenda eſſet alia Hoſtia, & vinum cum aqua, quæ primum offerri, tum conſecrari, ac deinde ſumi deberet*; additque in primo caſu Sacerdotem debere incipere ab illis verbis: *Simili modo poſtquam &c.* & proſequi uſque ad illa: *Unde & memores &c.* in ſecundo autem ab illis: *Qui pridie quam pateretur.*

Hoc quoque ex amuſſim conſonum eſt Rubricæ quæ habetur in Miſſali Romano, ac etiam in Miſſali O. P. Illa quippe eſt hiſce concepta verbis: *Si hoc advertat poſt ſumptionem Corporis, vel hujuſmodi aquæ, apponat aliam hoſtiam iterum conſecrandam, & vinum cum aqua in Calice, offerat utrumque & conſecret, & ſumat quamvis non ſit jejunus. Vel ſi Miſſa celebretur in loco publico, ubi plures adſint, ad evitandum ſcandalum, poterit apponere vinum cum aqua, & facta oblatione, ut ſupra, conſecrare, & ſtatim ſumere, ac proſequi cetera.* Tempore S. Pii V. ſola prima periodus Rubricam componebat, ſed tempore Clementis VIII., alia addita fuit juxta quod a Soto D. Thomæ doctrina expoſita fuerat. Et eſt animadvertendum per ea verba *ſtatim ſumere* ſignificari omittendas eſſe preces, quæ præſentem Hoſtiam indicant, quæque multos impulerunt, ut docerent, non ſatis eſſe vinum dumtaxat denuo apponere, ſed novam hoſtiam, novumque vinum apponi oportere. Legatur S. P. Benedictus *loco ſupra citato*, ubi difficultatem hanc fuſe verſat, ac in bono lumine collocat.

Sequentia adhuc conſideranda, ac notanda ſuperſunt. 1. Non officit quod Sacerdos non ſit jejunus, ut ex verbis D. Thomæ. & ex Rubrica Miſſalis liquido conſtat, ratio eſt, quia præceptum de integre perficiendo Sacrificio majoris eſt obligationis, quam præceptum jejunii naturalis, cum hoc ſit Eccleſiaſticum, illud vero Divinum. 2. Si is, cui hæc fortaſſis accidunt, inopinato caſu perturbatus non ſuſcipit, nec conſecrat vinum, non peccat ob id mortaliter, ut poſt Navarrum *cap.* 25. *n.* 91. aſſerit Sylvius *loco citato*. 3. Si Sacerdos propter ignorantiam, aut animi turbationem, quæ in his caſibus evenire ſolet, defectum non ſuppleverit, ſed Miſſam finierit, non debet Sacrum perficere, quia tunc non judicatur eſſe idem, ſed aliud ſacrificium. Ita Felix Poteſtas *Tom.* III. *Part.* 1. *de Sacrificio Miſſæ cap.* 11. *n.* 356. Idem poſt alios plures cenſet & P. Georgius Gobat *in Experimentali Theologia tract.* III. *Caſ.* XXIII. *ſect.* 1. *n.* 773. ajens: At vero ſi primum poſtquam rediiſti ad Sacriſtiam, certus fias fuiſſe aquam pro vino infuſam, negant rectæ Suarez, & Coninck n. 280.; itemque Tamburinus *lib.* 2. *c.* 8. §. 5. *n.* 5. eſſe tibi fas ſupplere illum defectum, eo quod eſſet omnino diſtincta actio &c. Attamen *n. ſeq.* 774. affert ſententiam Tanneri, qui *q.* 10. *n.* 110. docet ex communi quod quando defectus (ſubſtantiales) corrigi poſſunt tempore moraliter continuo, corrigendi ſunt. Porro ſtatim poſt ingreſſum in Sacriſtiam tempus eſt moraliter continuum cum priore Sacrificio; quandoquidem poteſt Sacerdos (ratione continuationis) illic ſumere reliquias ſui Sacri; & ulterius refert hoc ipſum fuiſſe practicatum Ingolſtadii.

In antiquo Miſſali Romano impreſſo Venetiis apud Juntas M. D. LVII. quod aſſervatur in magna Bibliotheca Fratrum O. P. Collegii SS. Roſarii Venetiarum *Tract. de defectibus in Miſſa occurrentibus* §. 2. *de defectu vini*, poſt ſancita quæ præſtare debet Sacerdos dum comperit defectum vi-

Digitized by Google

vini poſt ſumptionem Corporis ad perficiendum Sacrificium, hæc adjungitur obſervatio: *Cum Miſſæ celebritas terminetur benedictione Sacerdotis, ut dicetur infra: non ita judicandum eſt de defectibus Miſſæ reparandis ante benedictionem Sacerdotis; cum adhuc ſtet officium Miſſæ, & poſt benedictionem; quando jam eſt ſolutum officium Miſſæ; quia poſt benedictionem quicquid fieret magis videretur iteratio Miſſæ, quam reparatio defectus.* Videtur itaque quod ſolum ſit ſupplendus defectus antequam Miſſa finiatur, neutiquam vero poſtquam Miſſa fuerit terminata.

Si demum defectus occurrant in pane, & vino ſimul, puta ſi panis non ſit triticeus, & vinum vel non ſit ex genimine vitis, aut ſit acetum, alia via eſt ineunda, inquit S. P. Benedictus XIV. *præcit. cap. num.* 8. Nam ſi Sacerdos id advertit ante Conſecrationem, afferri ſibi jubeat materias idoneas; quæ ſi non reperiantur, Miſſam omittat; ſi vero id adverterit poſt prolata Conſecrationis verba, quia invalida eſt Conſecratio, omittat pariter Miſſam; nihil enim egit, nec quidquam propterea eſt, quod ſuppleri oporteat, ut bene obſervat Averſa *q.* 10. *Sect.* 16. §. 4. Si autem id adverterit poſt ſumptionem utriuſque materiæ invalide conſecratæ, cum jam jejunus non ſit, neque neceſſitate urgeatur ad Miſſam celebrandam, recitet ad vitandum ſcandalum, Orationes, quæ communionem conſequuntur, omiſſis iis verbis, quæ Sacramenti perceptionem ſignificant, ac facta Benedictione ad Populum, legat Evangelium S. Joannis, ut docet Quartus *ad Rubricas Miſſalis part.* 3. *ſect.* 2. *dub.* 4. Sed id quia Sacerdoti multum negotii faceſſeret, magis magiſque augeretur confuſio, conſultius eſſet Miſſam omittere, niſi forte multitudo adeſſet Miſſæ audiendæ; quo caſu poſſet ſubmiſſa voce Sacerdos preces aliquas recitare, quæ ad illam partem Miſſæ non pertinerent, & Benedictionem Populo impertiri, quæ immixta extraneis precibus, non amplius eſſet pars Miſſæ, ut recte advertit Paſqualigus *de Sacrificio Miſſæ q.* 300.

§. III. *De forma hujus Sacramenti.*

Quæ vere ſint forma conſecrationis Euchariſtiæ?

I. NEmo Theologorum ignorat, formam conſecrationis panis in his verbis eſſe poſitam: *Hoc eſt enim corpus meum*: conſecrationis vero calicis eſſe: *Hic eſt enim calix Sanguinis mei novi, & æterni teſtamenti myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatoorum.* Omnes etiam fatentur, neque in minimo apice eas licite poſſe advertenter mutari, abſque gravi piaculo. Omnes item concordant, ly *enim* non eſſe de neceſſitate Sacramenti, cum poſitum ſit ad elegantiorem conjunctionem verborum ſequentium cum verbis antecedentibus. Omnes denique affirmant, in forma panis nihil omitti, vel mutari poſſe, quin irritum reddatur Sacramentum: Non ita de forma calicis; pluribus affirmantibus, ſufficere pro valore illa verba: *Hic eſt calix Sanguinis mei*; cætera vero eſſe quidem de integritate ejuſdem formæ, non de eſſentia. Alii e contra fere omnia requirunt. Utrique vero S. Thomam in ſuas partes trahere conantur. Ut circa quæſtionem inſtituto noſtro quaſi adventitiam, noſtram proferamus opinionem: Videtur prima ſententia probabilior, tum quia S. Doctor 3. p. q. 78. art. 1., ubi aſſignat diſtinctionem inter formam hujus, & aliorum Sacramentorum, dicit: *Primo quidem; quia formæ aliorum Sacramentorum important uſum materiæ, puta baptizationem, vel conſignationem: ſed formæ hujus Sacramenti important ſolam conſecrationem materiæ, quæ in tranſubſtantiatione conſiſtit: puta cum dicitur; hoc eſt corpus meum; Hic eſt calix ſanguinis mei. Secundo quia aliæ formæ aliorum Sacramentorum proferuntur ex perſona miniſtri . . . ſed forma hujus Sacramenti profertur quaſi ex perſona ipſius Chriſti loquentis &c.* Igitur ex D. Thoma ſolis illis verbis fit tranſubſtantiatio; cum illa dumtaxat afferat, quin alia addat, aut indicet. Quando igitur in articulo tertio docet, quod omnia, nempe etiam ſequentia *novi, & æterni &c.*, ſint ſubſtantia formæ, explicari congrue poterit de ſubſtantia integrali, non de ſubſtantia eſſentiali. Ratio etiam validiſſima ſuffragatur: quia verba ſacramentalia efficiunt, quod ſignificant; cum itaque illa ſola verba ſignificent, ibi eſſe ſanguinem Chriſti, illum efficiunt. Dices, quod debent ſignificare illum effuſum, & ſeparatum a corpore. Reſpondeo, illum ita ſignificare; cum enim ex vi verborum ſub hoſtia ponatur ſolum corpus, (quamvis adſint concomitanter etiam cætera, modo corpori conjuncta) & ex vi verborum in calice ponatur ſolus Sanguis, (quamvis realiter

etiam

Digitized by Google

etiam cætera) ſignificatur ſanguis effuſus; eo enim ipſo, quod ſignificatur per verba ſeparatus a corpore, ſignificatur etiam effuſus. De hoc ſatis.

Pro mutationibus autem, quæ in verbis harum formarum evenire poſſunt, ſufficiat regula in antecedentibus tradita, nempe quod ſi non corrumpant ſenſum, validæ ſint; ſemper tamen graviter illicitæ: ſi vero corrumpant, ſint invalidæ.

Hæc utpote ſcitu digna, atque neceſſaria hic adnectere opportunum exiſtimamus.

1. Euchariſtiæ conſecratio ſolis Chriſti verbis peragitur, ſeu verbis quæ Chriſtus protulit in ejuſdem Myſterii celebratione de ſui Corporis ac Sanguinis præſentia diſcipulos alloquens, ſeu quæ illis æquivaleant. Quare reiicienda eſt opinio quorumdam recentiorum Græcorum, qui præter illa, etiam liturgicas preces, quibus divina operatio ſuper propoſita elementa invocatur, contendunt ad illorum conſecrationem ita deſiderari, ut ſine illis Sacramentum non conficiatur. Cui opinioni, quæ tempore Synodi Florentinæ inſignis error Theologis videbatur, adhæſere nonnulli Catholici viri, præſertim Ambroſius Catharinus, Chriſtophorus a Capite Fontium, & noviſſime doctiſſimus P. Touteus Monachus Benedictinus *in* 3. *Diſſert.* præmiſſa Editioni Operum S. Cyrilli Hieroſolym., & P. Brunius Oratorii Gallicani Presbyter *in Explicatione*, quam edidit *Literali*, *Hiſtorica*, *& Dogmatica precum & cæremoniarum Miſſæ* in italicam quoque linguam converſa, & Venetis typis publicata. Inſuper eadem Chriſti verba ſuam vim habent, & efficaciam, eſto canoni Miſſæ conjuncta non ſint, nec etiam ei parti, unde incipit narratio Dominicæ cœnæ per ea verba: *Qui pridie quam pateretur*. Hinc improbanda eſt tum ſententia quorumdam veterum Theologorum, qui quamvis in ſolis Chriſti Evangelicis verbis conſecrationis Euchariſtiæ formam repoſitam eſſe concederent, hanc tamen ab aliis Miſſæ precibus, & præcipue ab iis, quæ continentur in Canone, ſejuncta, non operari autumabant; cum etiam opinio Scoti, cui alii adſtipulati ſunt, qui cenſebat neceſſarium eſſe ad validam conſecrationem, ut Chriſti verba conjungantur ſaltem præcedentibus illis: *Qui pridie quam pateretur &c.*, ut a Sacerdote in Chriſti perſona pronuntiata intelligantur. Has omnes ſententias rejectat, atque refellit D. Thomas 3. *p. q.* 78. *art.* 1. ad 4. ubi hæc habet: *Dicendum quod quidam dixerunt hoc Sacramentum perfici non poſſe, prædictis verbis prolatis, & aliis prætermiſſis, quæ ſunt in Canone Miſſæ. Sed hoc patet eſſe falſum; tum ex verbis Ambroſii ſupra inductis; tum etiam quia Canon Miſſæ non eſt idem apud omnes, nec ſecundum omnia tempora; ſed diverſa ſunt a diverſis appoſita. Unde dicendum eſt, quod ſi Sacerdos ſola verba prædicta proferret cum intentione conficiendi hoc Sacramentum, perficeretur hoc Sacramentum, quia intentio faceret, ut hæc verba intelligerentur quaſi ex perſona Chriſti prolata, etiamſi verbis præcedentibus hoc non recitaretur. Graviter tamen peccaret Sacerdos ſic conficiens hoc Sacramentum, utpote ritum Eccleſiæ non ſervans.* Hucuſque S. D.. Qui plura deſiderat, conſulat Theologos fuſo calamo de his omnibus pertractantes, præſertim Em. Gotti *De forma Sacramenti Euchariſtiæ Quæſt.* 2. *Dub.* 3.

2. Conſecrationis verba a Sacerdote proferuntur non ſolum *recitative*, ſeu *hiſtorice* & *materialiter*, ut ajunt, nempe ut ab ipſo Chriſto prolata, ſed & *ſignificative* ſeu *aſſertive* & *formaliter*, nimirum cum intentione affirmandi, & efficiendi id quod ſignificant. Nam juxta *S. S.* Patres & Concilium Florentinum Sacerdos ea ex perſona Chriſti profundit, hoc eſt induens ejus perſonam, atque proinde debet per illa aſſerere, hoc eſſe corpus Chriſti, hunc eſſe ſanguinem Chriſti, ſicut Chriſtus aſſeruit in ultima cœna; ac ulterius per prolationem illorum verborum debet intendere Corpus & Sanguinem Chriſti conſecrare, & efficere; *Dicendum, eſt*, ait D. Thomas 3. *p. q.* 78. *art.* 5. *in corp.*, *quod etiam quando proferuntur a Sacerdote, ſignificative, & non tantum materialiter ſumuntur*. Et ſuper *cap.* 26. *Matth. v.* 26.: *Dicendum*, inquit, *quod recitative dicantur, & ſimul recitative, & ſignificative*. Hic ſenſus ſignificativus, & formalis adeo neceſſarius eſt ad valorem Sacramenti, & conſecrationis, ut ſi ſolus adſit, conficiatur Sacramentum, ſi vero ſolus deſit non conficiatur. Lege P. P. Salmanticenſes *Tract.* 23. *de Euchariſtia Diſp.* 9. *Dub.* 4. §. 1. & 2.

Eadem conſecrationis verba pronuntianda ſunt, ut recte monet Continuator *Prælect. Theolog.* Honorati Tournely *Tract. de Euch. P.* 1. *cap.* 4. *art.* 3. *Quæſt.* 4., diſtincte, reverenter, continua ſerie, ut

ſit

Digitized by Google

fit in ſermone humano, & modo naturali. Unde merito redarguuntur ſeu qui tanto niſu ſacra hæc verba efferunt, ut ſingulis adjungant capitis motum, & quamdam trepidationem; ſeu qui veriti ne non totum pronuntient, tanto halitu reddunt voces, ut pro *hoc*, dicant, *hocche*, *pro meum*, *meumme &c.* Nam hoc ſuperſtitioſo, & deformi conatu, ad præcavendos pronuntiationis defectus, ſeſe ridiculos præbent. At, ſubdit præcitatus Theologus, ſi ob ſcrupulum excuſari poſſunt Sacerdotes, qui in his punctis delinquunt, quo tandem pacto excuſabuntur, qui dum loquuntur nomine Chriſti, haud majorem exhibent pietatis & reverentiæ ſenſum, quam ſi profanum quid recitarent?

3. Præſtat ſingula utriuſque Formæ Sacramenti Euchariſtici verba cum D. Thoma ſigillatim exponere, & quid unumquodque illorum ſignificet patefacere 1. itaque pronomina *Hoc & Hic* non ſignificant ſubſtantiam panis & vini, neque corpus & Sanguinem Chriſti, neque ſpecies panis & vini, ſed ſubſtantiam contentam in generali ſub iſtis ſpeciebus. *Non enim faciunt hæc verba*, ait D. Thomas 3. *p. q.* 78. *ar.* 5. *quod corpus Chriſti ſit corpus Chriſti, nec quod panis ſit corpus Chriſti, ſed quod contentum ſub his ſpeciebus, quod prius erat panis, ſit corpus Chriſti. Et ideo*, ſubdit, *ſignanter non dicit Dominus, hic panis eſt corpus meum .... neque hoc corpus meum eſt corpus meum ... ſed in generali hoc eſt corpus meum, nullo nomine appoſito a parte ſubjecti: ſed ſolo pronomine quod ſignificat ſubſtantiam in communi ſine qualitate, ideſt forma determinata*. 2. verbum *eſt* proprie & ex natura ſua extremorum identitatem deſignat, nempe hanc rem præſentem eſſe Corpus Chriſti, Sanguinem Chriſti. An autem ſublato hoc verbo conſecratio perficiatur, non convenit inter Doctores. Res ſaltem valde dubia & incerta eſt, hocque ſufficit ut nunquam debeat ſubticeri. Lege Continuatorem *Prælect. Theolog.* Honorati Tournely *loco ſupra citato reſp.* 2. *ad Quæſ.* 1.. 3. Particula *Enim* in utraque forma ſignificat ſolum continuationem conſequentium cum præcedentibus, & cauſam indicat verborum Chriſti: *Accipite & manducate*; *Accipite & bibite*. perinde namque eſt ac ſi diceret: confidenter manducate, confidenter bibite, *quia* hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus. Quare omnium conſenſu non eſt de eſſentia formæ, vel neceſſitate Sacramenti, cum nihil omnino conferat ad ſignificandum effectum formæ, atque tam ab Evangeliſtis, quam ab Apoſtolo omiſſa ſit. Eſt tamen de neceſſitate præcepti, atque adeo peccaret mortaliter juxta probabiliorem ſententiam, qui voluntarie, & deliberate eam omitteret, etiam ſecluſo contemptu: quamvis enim illa particula in ſe, & abſolute quid leve ſit, in forma tamen Sacramentali quid grave, & magni momenti eſt. 4. *Corpus* ſignificat compoſitum materiale conſtans carne, oſſibus, nervis &c. non ſignificat tamen directe ſanguinem, qui cum repræſentetur ut a corpore ſeparatus per Paſſionem, nonniſi concomitanter ſub ſpecie panis ponitur. *Sanguis* vero exprimit humorem illum præcipuum in humano corpore contentum, & per venas diffuſum, nimis notum. Parvi autem refert an dicatur *ſanguis, vel Calix ſanguinis*. *Etenim cum dicitur*, ait D. Thomas 3. p. q. 78. art. 3. ad 1. *hic eſt calix ſanguinis mei, eſt locutio figurativa. Et poteſt dupliciter intelligi. Uno modo ſecundum metonymiam, qua ponitur continens pro contento, ut ſit ſenſus: hic eſt Sanguis meus contentus in calice, de quo fit hic mentio, quia ſanguis Chriſti in hoc Sacramento conſecratur inquantum eſt potus fidelium; quod non importatur in ratione ſanguinis: & ideo oportuit hoc deſignari per vas huic uſui accommodatum. Alio modo poteſt intelligi ſecundum metaphoram, prout per calicem ſimilitudinarie intelligitur paſſio Chriſti, quæ ad ſimilitudinem calicis inebriat* (*ſecundum illud Thr.* 3. replevit me amaritudinibus, inebriavit me abſinthio) *Unde & ipſe paſſionem ſuam calicem nominat Matth.* 26. dicens tranſeat a me calix iſte; *ut ſit ſenſus, hic eſt calix paſſionis meæ, de qua fit mentio in Sanguine ſeorſum a corpore conſecrato, quia ſeparatio ſanguinis a corpore fuit per paſſionem*. 5. Per *Meum, & Meus* ipſum Chriſti Corpus, ipſe ejus ſanguis deſignatur, & denotatur, totam formam conſecrationis proferri a Sacerdote in perſona Chriſti: unde nulla foret conſecratio ſi diceretur: *Hoc eſt Corpus Chriſti, Hic eſt calix divini ſanguinis*; quia tunc non Chriſti perſonam Sacerdos ſuſtineret, ſed ſuam dumtaxat. 6. ſuperſunt explicanda poſtrema verba. Illa autem explanat luculenter D. Tho. *præcitato art. in corp.* dicens: *Per verba autem ſequentia deſignatur virtus ſanguinis* ej-

Digitized by Google

effuſi in paſſione, quæ operatur in hoc Sacramento. Quæ quidem ad tria ordinatur. Primo quidem, & principaliter ad adipiſcendam æternam hæreditatem ſecundum illud Heb. 10. Habemus fiduciam in introitu Sanctorum in ſanguine Chriſti. *Et ad hoc deſignandum dicitur novi & æterni teſtamenti. Secundo ad juſtitiam gratiæ, quæ eſt per fidem ſecundum illud Roman.* 3.: Quem propoſuit Deus propitiationem, per fidem in ſanguine ejus, ut ſit ipſe juſtus, & juſtificans eum qui ex fide eſt Jeſu Chriſti. *Et quantum ad hoc ſubditur Myſterium fidei. Tertio autem ad removendum impedimenta utriuſque prædictorum, ſcilicet peccata ſecundum illud Heb.* 9. ſanguis Chriſti emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, *ideſt a peccatis. Et quantum ad hoc ſubditur: Qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Cur autem ſanguis Chriſti vocetur *novi & æterni Teſtamenti*, exponit nitide idem *S. D. in reſp. ad* 3. *Teſtamentum*, ait, *eſt dipoſitio hæreditatis, Hæreditatem autem cæleſtem diſpoſuit Deus hominibus dandam per virtutem ſanguinis Jeſu Chriſti; quia ut dicitur* Heb. 9. Ubi eſt Teſtamentum, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris. *Sanguis autem Chriſti eſt dupliciter hominibus exhibitus: primo quidem in figura, quod pertinet ad vetus Teſtamentum. Et ideo Apoſtolus ibidem concludit*: unde nec primum Teſtamentum ſine ſanguine dedicatum eſt. *Quod patet ex hoc quod ſicut dicitur Exod.* 24. Lecto omni mandato Legis a Moyſe, omnem populum aſperſit dicens: Hic eſt ſanguis Teſtamenti, quod mandavit ad vos Deus. *Secundo autem eſt exhibitus in rei veritate, quod pertinet ad novum Teſtamentum. Et hoc eſt quod Apoſtolus ibidem præmittit dicens:* Ideo novi Teſtamenti Mediator eſt Chriſtus, ut morte intercedente repromiſſionem accipiant qui vocati ſunt æternæ hæreditatis. *Dicitur ergo hic ſanguis novi Teſtamenti, quia non jam in figura, ſed in veritate exhibetur: unde ſubditur* qui pro vobis effundetur. Additur vero & *æterni*. Nam *hoc Teſtamentum*, inquit *ad* 4. *eſt novum ratione exhibitionis. Dicitur autem æternum tam ratione æternæ Dei præordinationis, quam etiam ratione æternæ hæreditatis, quæ per hoc Teſtamentum diſponitur. Ita etiam Perſona Chriſti, cujus ſanguine Teſtamentum diſponitur, eſt æterna.* Dicitur inſuper *Myſterium non quidem ad excludendam rei veritatem* (ſic in reſp. ad 5.) *ſed ad oſtendendam occultationem; quia & ipſe ſanguis Chriſti occulto modo eſt in hoc Sacramento; & ipſa paſſio Chriſti occulte fuit figurata in veteri temento.* Dicitur etiam *Myſterium fidei*, (ſubdit *in reſp. ad* 6.) *quaſi fidei objectum; quia quod ſanguis Chriſti ſecundum veritatem ſit in hoc Sacramento, ſola fide tenetur; ipſa etiam Chriſti paſſio per fidem juſtificat.* Dicitur ulterius: *Qui pro vobis & pro multis effundetur, quia ſanguis paſſionis Chriſti*, (ait *in reſp. ad* 8.) *non ſolum habet efficaciam in Judæis electis, quibus exhibitus eſt ſanguis veteris teſtamenti; ſed etiam in Gentilibus: nec ſolum in Sacerdotibus, qui hoc conficiunt Sacramentum, vel aliis, qui ſumunt, ſed etiam in illis, pro quibus offertur. Et ideo ſignanter dicit, pro vobis Judæis, & pro multis, ſcilicet Gentilibus; vel pro vobis manducantibus, & pro multis, pro quibus offertur.* Dicitur tandem *in remiſſionem peccatorum*, quia, ut ex ſuperius dictis compertum eſt, unus ex effectibus, quos virtus ſanguinis Chriſti in paſſione effuſi operatur, eſt removere impedimenta ad conſecutionem tum gratiæ, cum gloriæ, nimirum peccata.

Quare autem potius in forma conſecrationis ſanguinis fiat mentio de paſſione Chriſti, & ejus fructu, quam in forma conſecrationis corporis, declarat idem D. Thomas *in reſp. ad* 2. ajens: *Dicendum quod ſanguis ſeorſum conſecratus expreſſe paſſionem Chriſti repræſentet; & ideo potius in conſecratione ſanguinis fit mentio de effectu paſſionis, quam in conſecratione corporis quod eſt paſſionis ſubjectum. Quod etiam deſignatur in hoc quod Dominus dicit: quod pro vobis tradetur, quaſi diceret quod pro vobis paſſioni ſubiicietur.* Idem repetit in *reſp. ad* 7. *& q.* 76. *art.* 2. *ad* 1.

Quæres, quomodo ſe gerere debeat Sacerdos, qui non recordatur ſe protuliſſe conſecrationis verba?

R. Si Sacerdos non meminerit ſe verba conſecrationis protuliſſe, quando alias fecit quod in ſe eſt, non proterea perturbari debet, ſed ſacrum proſequi, atque perficere. Sic perſpicue D. Thomas 3. *p. q.* 83. *art.* 6. *ad* 5. *Dicendum*, ait, *quod licet Sacerdos non recolat ſe dixiſſe aliqua eorum, quæ dicere debuit; non tamen*

Digitized by Google

men debet ex hoc mente perturbari: non enim qui multa dicit, recolit omnium quæ dixit, niſi forte aliquid in dicendo apprehenderit ſub ratione jam dicti; ſic enim aliquid efficitur memorabile. Unde ſi aliquis attente cogitet id quod dicit, non tamen cogitet ſe dicere illud, non multum poſtea recolit ſe dixiſſe. Sic enim fit aliquid objectum memoriæ inquantum accipitur ſub ratione præteriti, ſicut dicitur in Lib. de Memoria. Si tamen, ſubjungit, *Sacerdoti probabiliter conſtet, ſe aliquid omiſiſſe, ſi quidem non ſunt de neceſſitate Sacramenti, non exiſtimo quod propter hoc debeat reſumere, immutando ordinem Sacrificii, ſed debet ulterius procedere. Si vero certificetur, ſe omiſiſſe aliquid eorum, quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti, ſcilicet formas conſecrationis, cum forma conſecrationis ſit de neceſſitate Sacramenti, ſicut & materia, idem videtur faciendum quod dictum eſt in defectu materiæ, ut ſcilicet reſumatur a forma conſecrationis, & cætera per ordinem reiterentur, ne mutetur ordo Sacrificii.* Ex his verbis S. Thomæ patet, ait P. Martinus VVigandt *Tract. 15. Exam. 7. num. 96.* „ ad reſumendum in Miſſa non ſufficere „ quemlibet ſcrupulum, ſed, ne ſcrupulis „ locus detur, requiri certitudinem; multi enim Sacerdotes vexantur talibus retrogradis cogitationibus dubitantes, vel „ ſe angentes, an dixerint quæ erant dicenda. Quæ cogitationes & anxietates „ ſunt ſpernendæ. "

§. IV. *De admirabili efficacia verborum conſecrationis.*

Canones Tridentini. I. EXpono tibi doctrinam Fidei, præſenti inſtituto noſtro correſpondentem, ad hoc mirandum Sacramentum ſpectantem, referendo canones Sacroſanctæ Synodi Tridentinæ ſeſſ. 13.

Canon Primus.

Si quis negaverit, in Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento contineri vere, realiter, & ſubſtantialiter Corpus, & Sanguinem una cum anima, & Divinitate D. N. Jeſu Chriſti, ac proinde totum Chriſtum; ſed dixerit tantummodo eſſe in hoc ut in ſigno, vel figura, aut virtute, anathema ſit.

Canon Secundus.

Si quis dixerit, in Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento remanere ſubſtantiam panis, & vini, una cum Corpore, & Sanguine D. N. Jeſu Chriſti, negaveritque mirabilem illam & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ panis ..., & vini .., quam quidem converſionem Eccleſia aptiſſime Tranſubſtantiationem appellat, anathema ſit.

Canon Tertius.

Si quis negaverit, in venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſub unaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri, anathema ſit.

Canon Quartus.

Si qui dixerit, peracta conſecratione, in admirabili Euchariſtiæ Sacramento non eſſe Corpus, & Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſed tantum in uſu, dum ſumitur, non autem ante, vel poſt; & in hoſtiis ſeu particulis conſecratis, quæ poſt communionem reſervantur, vel ſuperſunt, non remanere verum Corpus Domini, anathema ſit.

Canon Quintus alibi aſſeretur in §. 7. n. 1.

Canon Sextus.

Si quis dixerit, in Sancto Euchariſtiæ Sacramento Chriſtum Unigenitum Dei Filium non eſſe cultu Latriæ, etiam externo, adorandum, atque ideo nec feſtiva peculiari celebritate venerandum; neque in proceſſionibus ſecundum laudabilem, & univerſalem Eccleſiæ Sanctæ ritum, & conſuetudinem ſolemniter circumgeſtandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum; & ejus adoratores eſſe idololatras, anathema ſit.

Canon Septimus.

Si quis dixerit, non licere Sacram Euchariſtiam in Sacrario reſervari, ſed ſtatim poſt conſecrationem adſtantibus neceſſario diſtribuendam, aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur, anathema ſit.

Ca-

Digitized by Google

Canon Octavus.

Si quis dixerit, Chriſtum in Euchariſtia exhibitum ſpiritualiter tantum manducari, & non etiam Sacramentaliter, ac realiter, anathema ſit.

Canon Nonus.

Si quis negaverit, omnes, & ſingulos Chriſti fideles utriuſque ſexus, cum ad annos diſcretionis pervenerint, teneri ſingulis annis, ſaltem in Paſchate, ad communicandum juxta præceptum Sanctæ Matris Eccleſiæ, anathema ſit.

Canon Decimus.

Si quis dixerit, non licere Sacerdoti celebranti ſeipſum communicare, anathema ſit.

Canon undecimus, & ultimus alibi afferetur in §. 6. num. 1.

Nobis hæc omnia de fide eſſe tenenda ſcire ſatis eſt: quorum probatio Theologiæ dogmatum curæ relinquimus.

Notanda circa relatos Canones.

II. Circa primum canonem diſtinguas oportet, quid ſub ſpeciebus ponatur ex vi verborum, quidve per concomitantiam, aut connexionem. Ex vi verborum, ponitur ſub ſpecie panis ſolum corpus, cum per verba illud dumtaxat ſignificetur: ac proinde ſi in triduo mortis Chriſti Apoſtoli, jam in cœna conſtituti Sacerdotes, conſecraſſent, reapſe ſub ſpecie panis ſolum Chriſti corpus cum Divinitate, abſque ſanguine, & anima extitiſſet; quia in eo triduo vere corpus erat ſine ſanguine, & anima; poſtquam autem reſurrexit non amplius moriturus, cum habeat inſeparabiliter conjuncta corpori animam, & ſanguinem; propterea conſecratio, ponendo ex vi verborum ſub ſpecie panis ſolum corpus, ponit concomitanter, & connexiva conjunctione vere, realiter, & ſubſtantialiter etiam animam, & ſanguinem una cum divinitate, quæ ſemper unita fuit his Chriſti partibus. Et idem dicas de verbis conſecrationis calicis reſpective. Circa ſecundum canonem, audiſti totam omnino ſubſtantiam materiarum tranſire in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti; non tamen idcirco putes illas anihilari; eo quia quod anihilatur non tranſit in aliud, ſed tranſit in nihilum, quod non poteſt dici de materiebus illis, quæ quamvis nihil ſui relinquant, non tamen tranſeunt in nihilum, cum tranſeant in corpus, & ſanguinem Domini.

✠ Circa Canonem Tertium ad examen vocant Theologi, num ante ſeparationem Hoſtiæ conſecratæ totum Chriſti Corpus ſit in tota Hoſtia, & totum in qualibet parte? Affirmantem ſententiam propugnat S. Th. 3. *p. q.* 76. *a.* 6.

§. V. *De Miniſtro Sacramenti Euchariſtiæ ſecundum diverſa tempora.*

I. Certum eſt apud omnes Catholicos, ſolum Sacerdotem eſſe miniſtrum Euchariſtiæ conficiendæ; quandoquidem Chriſtus ſolis Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus dixiſſe legitur: *hoc facite in meam commemorationem*: & ita ſemper hæc verba intellexit Eccleſia: Unde in primo Generali Concilio, poſt Apoſtolica, quod fuit Nicænum primum in Can. 18., qui eſt ex genuinis, dicitur: *Ne Diaconi Euchariſtiam Presbyteris porrigant, nec in medio Presbyterorum ſedeant; quia nec regula, nec conſuetudo tradidit, ut ab iis, qui poteſtatem non habent offerendi, illi, qui offerunt Chriſti corpus, accipiant.* Si igitur Diaconi præſupponuntur non habere hanc facultatem, multo minus cæteri quicunque alii. Miniſter conficiendi Euchariſtiam.

II. Miniſter ordinarius diſtribuendi Euchariſtiam eſt ſolus Sacerdos: ita docemur a Tridentino ſeſſ. 23. cap. 1. *Hoc autem ab eodem Domino Salvatore noſtro inſtitutum eſſe, atque ab Apoſtolis, eorumdemque ſucceſſoribus in Sacerdotio poteſtatem traditam conſecrandi, offerendi, & miniſtrandi corpus, & ſanguinem ejus . . . Sacræ literæ oſtendunt, & Catholicæ Eccleſiæ Traditio ſemper docuit.* Miniſter vero extraordinarius eſt Diaconus, commiſſione ab Epiſcopo, vel Presbytero prius accepta. Ita docemur a Concilio Carthaginenſi 4., cui interfuit etiam S. Auguſtinus, in cujus canone 38. hæc habentur: *Ut Diaconus præſente Presbytero, Euchariſticum Corpus Chriſti populo, ſi neceſſitas urgeat, juſſus eroget.* Unde S. Thomas poſt allatas egregias congruentias de Miniſtro ordinario 3. p. q. 82. art. 3. ait: *Diaconus quaſi propinquus ordini Sacerdotali aliquid participat de ejus officio, ut ſcilicet diſpenſet ſanguinem; non autem corpus, niſi in neceſſitate, ju-* Miniſter diſtribuendi Euchariſtiam.

bente Epiſcopo, vel Presbytero. Hinc deducas, olim, quando utraque ſpecies ſumebatur, Diaconum facilius deſtinatum miniſtrum miniſtrandi ſanguinis, quæ facilitas non indulgebatur reſpectu corporis: *quia*, ſequitur Angelicus, *Sanguis Chriſti continetur in vaſe: unde non oportet, quod tangatur a diſpenſante, ſicut tangitur corpus Chriſti*.

Sacerdos an poſſit ſibi extra Sacrificium miniſtrare? III. Sacerdos, ſi alius Miniſter non adſit, poteſt communicare ſeipſum, nedum in caſu neceſſitatis, ſed etiam ex devotione, dum deeſt ipſi ſerviens Miſſæ, & alioquin ardenter appetat ſe communicare; poterit ex ciborio Sacram pixidem extrahere, & inde ſumere ſanctam particulam, obſervando, quantum fieri poterit, cultum cæremonialem, & occulte id agendo, ad omnem præcavendam ſimplicium admirationem: ita fere communis cum Suarez diſp. 72., ſect. 3. Quia ita agendo, omne prævenitur inconveniens, & alioquin non eſt neceſſe, quod diſtribuens ſit alius a ſumente, ut patet in celebratione. Non ita agere poteſt Diaconus, niſi forte in ſola neceſſitate, quia jura poſtulant in Diacono *cauſam neceſſitatis*, ut aliis miniſtret; igitur a fortiori ut miniſtret ſibi. Profecto vehemens ardor requiritur, ut Sacerdos ita ſecum agat.

Non ita Diaconus.

Quænam juriſdictio requiratur in diſtribuente? IV. Præter poteſtatem ordinis, requiritur in miniſtro diſtribuente etiam poteſtas juriſdictionis, ideſt licentia proprii paſtoris, quia talis actus eſt juriſdictionalis, utpote paſcendi oves: Sufficit autem licentia præſumpta, ſive ſufficit, quod diſtribuens judicet, Paſtorem non abnuere; quemadmodum conſuetudo obtinens jam manifeſtat; Communione Paſchali, & ea, quæ in articulo mortis facienda eſt, dumtaxat exceptis.

Quid de Regularibus? V. Hinc Regulares non ſibi uſurpant hujuſmodi juriſdictionem, Euchariſtiam miniſtrantes in ſuis Eccleſiis quibuſcumque fidelibus, etiam inconſulto Parocho: Etenim agunt abſque ullius injuria, ex vi privilegiorum ſuorum, quæ late referuntur a Suarez tom. 4. de Religione, tract. 10., lib. 9., cap. 3., num. 5., & ab aliis poſt ipſum. Excipitur tamen eis dies Paſchatis, ſeu Dominicæ Reſurrectionis; quæ prohibitio intelligitur de communione Paſchali ad ſatisfaciendum præcepto, ita ut poſſint quolibet die temporis Paſchalis communionem miniſtrare, dummodo ea communione, ſine Parochi licentia obtenta, ſumens non ſatisfaciat præcepto, ut communiter Auctores interpretantur verba illa, quibus dies Paſchatis excipitur: ita idem Suarez cum loc. cit. tract. 10., lib. 6., cap. 3. num. 7. tum de Euchar. diſp. 72., ſect. 1. Ratio eſt, quia finis prohibitionis eo collimat, ut Parochi certiores reddantur de obedientia ſuarum ovium. Poſſunt præterea Regulares, vi ſuorum privilegiorum, miniſtrare communionem Paſchalem ad ſatisfaciendum præcepto ſæcularibus, qui in eorum conventibus, ut commenſales commorantur, & ſub eorum obedientia degunt, ad inſerviendum illis &c., quemadmodum docet communis, cum Bonacina diſp. 4., q. 7., punct. 2. num. 10.; & quamvis aliqui id verum aſſerant etiam de famulis pernoctantibus extra clauſtra, id tamen non admittimus: eo quod non ſint vere *familiares*, & *commenſales*, ut privilegia requirunt, quæ ſunt Sixti V. Bulla ad Ordinem noſtrum directa, quæ eſt trigeſima tertia; & ſimiliter loquuntur Clemens IV. Innoc. VI. Sixtus IV. & Leo X. Item Regularibus licet præfatis ſæcularibus ſecum commorantibus miniſtrare Viaticum, ut videre eſt apud Lezanam tom. 5. in mari magno Prædicatorum §. 11., num. 23. & in aliis caſibus videndis in Bulla *Pretioſus* Benedicti XIII., Ordini noſtro conceſſa.

* Videtur a veritate prorſus aliena ſententia Suarezii *cit. diſp.* 72. *ſect.* 2. aliorumque, quos refert, & ſequitur P. Daniel Concina *Theolog. Chriſt. tom.* 5. *lib.* 4. *diſſert.* 2. *cap.* 3. *num.* 8. quibus & Auctor adſtipulatus eſt, nempe quod prohibitio facta Regularibus in Conſtitutionibus Pontificiis, ne in die Sancto Paſchæ, ſeu Dominicæ Reſurrectionis Sæcularibus valeant Euchariſtiam miniſtrare, intelligi debeat non abſolute, ſed duntaxat de communione Paſchali ad ſatisfaciendum præcepto, ita ut quoties fideles vel ante diem Reſurrectionis hoc præceptum executioni mandaverint, vel habeant animum intra quidenam paſchalem in propria Parochia illud implendi, poſſint, ubicumque voluerint, etiam in Eccleſia Regulari ad Sacram Menſam devotionis titulo accedere in die Reſurrectionis Dominicæ; & eadem die queant Regulares ipſi Euchariſtiam miniſtrare. Videtur, inquam, a veritate prorſus aliena hæc ſententia. Quippe pluries oppoſitum declaravit Sacra Congregatio Concilii, ut teſtatur S. P. Benedictus XIV. *de Synod. Diœc. lib.* 9. *cap.* 16. *num.* 3. Duo præſertim affert ipſe Decreta,

creta, quorum primum prodiit in cauſa *Burdigalen.* 9. Julii 1644., iterumque confirmatum fuit in una *Senonen.* 11. Julii 1650.; alterum emanavit in cauſa *Mechlinien.* anno 1682. In his, aliiſque conſtanter cenſuit Sacra Congregatio die Solemnitatis Paſchatis, abſolute prohiberi Regulares, ne Euchariſtiam in ſuis Eccleſiis porrigant ſecularibus, etiamſi iſti jam antea annuæ Communionis præceptum in propria Parochia impleverint; quamvis impediri non poſſint, quominus illam diſtribuant aliis diebus, modo ſeculares, Euchariſtico pane in eorum Eccleſiis refecti, non ſe ſolutos arbitrentur ab obligatione illum percipiendi a proprio Sacerdote. Abſolute igitur in Bullis Pontificiis vetitum eſt Regularibus in die Sancto Paſchæ ſeculares Sacra communione reficere; atque adeo omnino a vero abludit interpretatio, quam exhibent præfati Doctores. Contraria tamen praxis & conſuetudo ſaltem pluribus in Locis invaluit, ac etiam nunc viget: unde Henricus a S. Ignatio *tom.* 3. *lib.* 4. *cap.* 58. *num.* 155. cenſet declarationem Sacræ Congregationis, quam affert VViggers *quæſt.* 80. *art.* 31. *dub. unic.* non eſſe in Belgio uſu receptam. Ex hoc igitur capite, nempe ex conſuetudine poſſunt modo Regulares etiam in ipſa Dominica Reſurrectionis Euchariſtiam ſecularibus miniſtrare, dummodo hi alia die intra quindenam eam ſumant in propria Parœcia ad præceptum implendum.

Em. Cardinalis Lambertinus poſtea S. P. Benedictus XIV. clarius exponit conditiones requiſitas, ut Regulares vi ſuorum Privilegiorum poſſint communionem Paſchalem miniſtrare iis, qui propriis Monaſteriis vel Conventibus inſerviunt, adeout ii Parochiam adire minime teneantur. „ Deprehendimus etiam, *inquit Inſtit.* „ 55. *num.* 7. in controverſiam revocari, „ an ſeculares, qui Monialibus, aut Re- „ gularibus inſerviunt, ad Parochiam pro „ ſumenda Paſchali Communione ſe con- „ ferre debeant, an vero in Eccleſiis ip- „ ſorum Regularium, aut Monialium præ- „ cepto ſatisfacere judicentur. Pro quo „ Tridentinum Concilium tres neceſſarias „ conditiones enumerat Seſſ. 24. cap. 11. „ de Reformat, ut nempe *actu inſerviant*, „ *intra eorum ſepta, ac Domos reſideant*, „ *ac ſub eorum obedientia vivant*. Quare „ Parochiam adire debet in Paſchate, qui „ aliqua ex iis conditionibus careat, li- „ cet in æde verſetur, quæ pertineat „ ad Monaſterium, eique conjungatur, ip- „ ſiuſque circuitu per muros exteriores „ includatur: Quippe per *Domum* Mona- „ ſteria, per *ſepta* vero Clauſtra a Tri- „ dentina Synodo intelliguntur. Quod „ Scriptores unanimes affirmant. Idque, „ *ſubdit num.* 8., Sacræ Concilii Congre- „ gationis pluribus ſententiis comprobatur, „ quarum nos ipſi exemplaria cognovimus. „ Cum autem ejuſdem Congregationis Se- „ cretarii munere fungeremur die 22. „ Novembris an. 1721. propoſitum fuit: „ *An famuli, & famulæ Monialium ſe-* „ *culares degentes in manſionibus ſuis in* „ *Atriis Monaſteriorum muro circumval-* „ *latis, & quæ ſint contigua Monaſte-* „ *riis, & habent portam, quæ clauditur, teneantur recipere Sacramentum* „ *Euchariſtiæ tempore Paſchali a Paro-* „ *chis, in quorum Parochiis Monaſte-* „ *rium, & manſiones ſitæ ſunt?* Die 19. „ Septembris ann. 1722. reſponſum fuit: „ *affirmative, & amplius*: quo vocabulo „ *Amplius* Cardinales omnes fuiſſe una- „ nimes declaratur, nullamque in poſte- „ rum de eadem re ſatis clara quæſtionem „ habendam. “

Porro en quæ habet S. P. Benedictus XIII. in Bulla *Pretioſus* ab Auctore citata, §. XXXII. ejuſdem Bullæ: *Famulis vero commorantibus in obſequiis Ordinis Prædicatorum, ut Fratres ejuſdem quævis Sacramenta etiam in Paſchate, & mortis articulo miniſtrare, eorumque cadavera, cum obierint in ipſorum cœmeteriis ſepelire, inconſulto prorſus, ac etiam renuente Parocho concedimus, & elargimur juxta Litteras Innocentii IV., Alexandri IV., Gregorii XI., Nicolai V., & Innocentii VIII.*

* Addendum cenſemus, quod Superiores Regulares, & non Parochi debent exquirere a ſuis familiaribus, & continuis commenſalibus, eiſque actu inſervientibus, an præcepto Paſchalis Communionis ſatisfecerint. Sic Sacra Congregatio Concilii ex Bullario Ordinis Prædicatorum *tom.* 7. *p.* 322. *Conſtit.* 69.

An, & quomodo adminiſtranda tempore peſtis?

VI. Tempore peſtis, doctiſſimi Navarrus cap. 24. num. 30., & Suarez diſp. 72., ſect. 3., quos alii plures ſequuntur, rationabilius docent, teneri eum, qui animarum curam gerit, miniſtrare hoc Sacramentum infirmis peſte ictis, etiam cum ſuæ vitæ periculo; quia ex vi muneris ſui tenetur nedum in extrema neceſſitate

 ſpi-

ſpirituali, in qua omnes tenentur, verum etiam in gravi ſuarum ovium præſto iis eſſe; nemo autem non videt, quam validum auxilium Viaticum afferat iis, qui in gravi neceſſitate mortis ſunt conſtituti. Nec prodeſt quidquam dicere, quod ſuppleri poteſt ſumptio illa per votum efficax, ſeu per communionem ſpiritualem; quia reſpectu inimicorum ſpiritualium, in extremis illis animæ noſtræ inſidiantium, realis præſentia Chriſti ab ægrotante ſumpti, de ſe validum eſt ſubſidium ad eoſdem fugandos. Si tamen vera ſit declaratio Gregorii XIII. a P. Diana part. 5. tract. 3., reſol. 53. allata, quæ non reprobat oppoſitum; neque nos repugnare audemus. Poteſt autem in dicto caſu adminiſtrari Euchariſtia in cochleari argenteo, vel alio decenti inſtrumento, quin ulla interveniat irreverentia Sacramento, ut docet Gavantus in Enchridio Epiſcop. verbo peſtis. Neque eſt neceſſe ut deferatur cum lumine, aliiſque cæremonialibus, ſi haberi non poſſint.

* De Euchariſtia adminiſtranda peſte infectis vide plura apud S. P. Benedictum XIV. *de Synod. Diœceſ. lib. 13. cap. 19. n. 20. & ſeqq.*

Miniſtrans debet eſſe in gratia.

VII. Miniſter Euchariſtiæ tenetur ſub mortali eſſe in gratia dum miniſtrat, ut docet probabilior cum Suarez diſp. 19., ſect. 3., & diſp. 72, ſect. 4. quia eſt miniſter ad id conſecratus, & agens ex officio, ut miniſter Eccleſiæ: unde ſi ſit in ſtatu lethali, ſaltem per actum contritionis conetur ſe mundare: aliter tot peccata committet, non quot perſonas communicat, ſed quot refectiones, ſeu diſtributiones multiplicat; quia quamvis in eadem diſtributione pluribus perſonis miniſtret, perſeverat unica moraliter refectio: ſicut dicitur unum prandium, quamvis plures ſimul diſcumbant; & jam vidimus in anteadictis, diſtingui numero Sacramentum Euchariſtiæ ex diſtinctione refectionum. Neque eſt par ratio de miniſtrante plures Abſolutiones Sacramentales pluribus perſonis in eadem ſeſſione; quia abſolvens toties multiplicat Sacramentum, quoties abſolvit, unde cum conficiat revera plura Sacramenta, revera toties peccat, ſi indigne miniſtret: Diſtribuens autem non conficit Sacramentum, ſed confectum diſpenſat, & ideo multiplicabit peccata juxta multiplicitatem diſpenſationum. Hinc deducas, mortaliter peccare Diaconum, qui ſolemniter Euchariſtiam in vaſe incluſam de uno loco ad alium transfert, vel Sacerdoti tradit, ſi id agat in ſtatu culpæ lethalis; quia quamvis hæc non ſit Sacramenti adminiſtratio, eſt tamen ſuimet Ordinis ſacri functio ex officio.

* Ex iis, quæ ſuperius §. 1. *num.* 4. attexuimus colligere in promptu eſt, Sacerdotem tot numero diſtincta Sacramenta miniſtrare, quot ſunt perſonæ, quibus Sacram porrigit Euchariſtiam. Oſtendimus namque unitatem, vel diſtinctionem numericam Euchariſtici Sacramenti ex phyſica ſpecierum conſecratarum penes quantitatis ſive extenſionis continuitatem unitate, vel multitudine reſultare. Hinc ſentiunt non pauci, Sacerdotem Euchariſtiam miniſtrantem in ſtatu peccati mortalis, tot mortalia committere, quot perſonis etiam continuate illam diſtribuit; quia, inquit P. Antoine *tract. de Sacr. in Gen. cap. 2. in reſp. ad Q.* 6. tot ſunt objecta totalia, & tot ſunt indignæ diſtributiones completæ, & numero dictinctæ. Hoc idem docet & *tract. de peccat. cap. 2. in reſp. ad Q. 7. n.* 3. Nihilominus alii oppoſitum ſuſtinent, aſſeruntque Sacerdotem, qui lethali noxa inquinatus Euchariſtiam pluribus continuate adminiſtrat, nonniſi unicum perpetrare crimen; etenim licet re ipſa plura numero diſtincta Sacramenta in tali caſu adminiſtret; attamen cum ſine morali interruptione illa porrigat, unicam moraliter actionem exercet, qua gravem rei ſacræ irrogat irreverentiam. Verum ad praxim quod attinet, perinde eſt ſive prima, ſive ſecunda adoptetur ſententia; quandoquidem qui ſecundam propugnant, ut animadvertit Continuator Tournely *tract. de Sacram. in Gen. cap. 2. art. 1. ſect. 2. punct. 1. §. 2.* fatentur indignam quamlibet diſtributionem ultra primam, eſſe circumſtantiam notabiliter aggravantem, utpote quæ ſolitarie ſumpta ad grave peccatum ſufficiat: unde cum oporteat confiteri circumſtantias notabiliter aggravantes, neceſſum eſt etiam juxta ipſos, ut in confeſſione exprimatur vel numerus eorum, quibus facta eſt diſtributio, vel tempus circiter diſtributionis. Si tamen Sacerdos plures uni hoſtias ſimul daret, unius ſolum peccati reus fieret, quia una tantum eſſet diſtributio. Ceterum quia Miniſter ſic affectus eſſe ſolet, ut omnibus, quotquot accedunt, Sacram Synaxim præbeat, hujus diſpoſitionis, quæ ſufficit ad peccatum, mentio facienda eſſet in pœnitentiæ tribunali, niſi hæc a

Con-

Digitized by Google

Confeſſario ſupponeretur. Legatur etiam S. P. Benedictus XIV. *de Sacroſancto Sacrificio Miſſæ Lib. 3. cap. 19. num. 3.*

Ornatus miniſtrantis, & alii ritus.

VIII. Sacerdos miniſtrans ſine ſuperpelliceo, & ſtola peccat mortaliter, ut docent communiter cum Turrecremata in cap. *Eccleſiaſtica* diſtinct. 24., num. 5. Quia præceptum de hujuſmodi ritu eſt grave: excipe adminiſtrationes occultas, quæ fiunt a Miſſionariis in regionibus hæreticorum. Similiter grave eſſet, non præmittere adminiſtrationi, quæ ex conſuetudine & ritu Eccleſiæ præmitti conſueverunt, nempe confeſſionem, miſereatur &c. & accenſionem luminis: Deducitur ex capite *ſane* de celebrat. Miſſar. Immo relinquere advertenter per diem, vel integra nocte ſine lumine Euchariſtiam tabernaculo incluſam, eſſet lethale, ut plures cum Diana p. 9., tract. 6. reſol. 34. docent: quia eſt omiſſio gravis circa præceptum de re gravi, deduciturque ex pœnis, quas Ordinarii infligere ſolent, hanc omiſſionem punientes ſuſpenſione &c.

✠ S. R. C. ſemel & iterum examini ſubjecit, an liceret in Miſſis Defunctorum Fidelibus ſacram communionem miniſtrare; & quidem in ſecundo examine an. 1711. inhibitum fuit, ne vulgaretur Decretum editum an. 1701. quo vetitum fuerat, ne cuiquam adſtantium in Miſſis Defunctorum Euchariſtia præberetur, ut refert S. P. Benedictus XIV. *De Sacroſancto Miſſæ Sacrificio lib. 3. cap. 18. n. 10.* Verum eadem S. C. *die 2. Sept. 1741.* omnem circa hanc difficultatem de medio ſuſtulit controverſiam ſuo Decreto hiſce verbis expreſſo: *In Miſſis Defunctorum, quæ in paramentis nigris celebrantur, non miniſtretur euchariſtia per modum Sacramenti, ſcilicet cum particulis præconſecratis, extrahendo Pyxidem a cuſtodia; poteſt tamen miniſtrari per modum Sacrificii, prout eſt, quando Fidelibus præbetur communio cum particulis intra eamdem Miſſam conſecratis.*

Obligatio miniſtrandi, qua tenetur miniſter ex Officio.

IX. Miniſter ex Officio, nempe Parochus tenetur ſub gravi vel per ſe, vel per alium miniſtrare ſuis ſubditis Euchariſtiam tempore Paſchali, ut patet; item quoties ſubditi rationabiliter petunt, ut docet communis cum Suarez diſp. 72., ſect. 3., quia miniſtrare tenetur ovibus ſuis nedum neceſſaria ſimpliciter ad ſalutem, ſed etiam admodum utilia, inter quæ eſt uſus pius Euchariſtiæ, maxime quando ab ipſis rationabiliter petitur, ideſt temporibus congruis, & ea frequentia, quæ ſtatum eorum decet. Item etiam infirmis diuturna infirmitate detentis, qui aliquoties infra annum ex devotione communicare optant; quia iſti rationabilius præ aliis petunt; quippe qui ſpirituali corroboratione ſpecialiter indigeant.

De miniſtrando, vel denegando indigne petenti diximus in tract. 13., cap. 2., §. 3. num. 4.

§. VI. *De Subjecto Euchariſtiam ſuſcipiente.*

Diſpoſitio neceſſario in ſuſcipiente requiſita.

I. AD dignam Euchariſtiæ ſumtionem requiritur, ut ſuſcipiens ſibi non ſit conſcius de peccato mortali non confeſſo, ſed prudenter ſperet, ſe eſſe in ſtatu gratiæ. Ita docemur ab Evangelio, a D. Paulo, & ab univerſorum Patrum conſenſu. Idcirco Synodus Tridentina in ſeſſ. 13., can. 11. ita definivit de fide: *Si quis dixerit, ſolam fidem eſſe ſufficientem præparationem ad ſumendum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum, anathema ſit.* Et adeo neceſſarium cenſuit ſtatum gratiæ, ut in eodem canone definierit proſequendo: *Et ne tantum Sacramentum indigne, atque ideo in mortem, & condemnationem ſumatur, ſtatuit, atque declarat ipſa Sancta Synodus, illis, quos ſcientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia confeſſoris, neceſſario præmittendam eſſe confeſſionem ſacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter aſſerere, ſeu etiam publice diſputando defendere præſumpſerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat.* Ille itaque qui conſcientiam habet peccati mortalis non confeſſi, aut de eo prudenter dubitat, juxta communiorem & in praxi tenendam, tenetur antequam Euchariſtiam ſumat, præmittere confeſſionem Sacramentalem; quia etiam in dubio poſſidet auctoritas præcepti Sanctæ Synodi, quæ cum certa ſit de ſua auctoritate, non debet ſe reus dubius committere periculo agendi contra eamdem. Item juſſit eadem Synodus in cap. 7. dictæ ſeſſionis: *Quod ſi neceſſitate urgente, Sacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit, quam primum confiteatur.*

Quænam neceſſitas excuſet a præmittenda confeſſione?

II. Neceſſitatem autem urgentem tunc occurrere communiter Theologi cenſent, quando non poteſt Sacerdos prætermittere celebrationem abſque notabili ſcandalo, vel gravi

gravi infamia; tunc enim cenſetur Mater Eccleſia indulgere, ut, præmiſſa contritione perfecta, celebret. Nomine autem ſcandali non ſignificatur levis quædam admiratio quam ſuſtinere deberet; ſed ſignificatur quando præberetur occaſio detrahendi, temere judicandi, vel proximum infamandi: ſicut neque nomine infamiæ intelligitur quæcumque levis nota, vel ſuſpicio: ſed qualis prudenter creditur nocere notabiliter famæ Sacerdotis. His addimus cum communi apud Bonacinam diſp. 4., q. 7., punct. 1. Parochum, ad communicandum infirmum, aut ne populus die feſtivo Miſſa privetur, ſi careat Confeſſario, poſſe contritum celebrare: quia etiam in iis caſibus videtur adeſſe urgens neceſſitas. Secus dicendum, ſi debeat celebrare ratione Capellaniæ, eleemoſinæ ad vitam ſuſtentandam, aut ad ſatisfaciendum præcepto de Miſſa in die feſto, aut ad ſatisfaciendum præcepto Paſchalis communionis; quia in his caſibus adeſſe non videtur ex Bonacina, & aliis loco citato, gravis neceſſitas: Nam in primo caſu per alium ſupplere poteſt: in ſecundo poteſt ſibi aliunde providere: in tertio præceptum divinum (ut plurimi volunt præmittendi confeſſionem ante ſumtionem Euchariſtiæ, ſicut etiam innuitur a Concilio) prævalet præcepto Paſchalis communionis, cui obtemperabit quamprimum poterit.

Etiam Laici tenentur præmittere confeſſionem excepta neceſſitate urgente.

III. Præceptum de præmittenda confeſſione æqualiter afficit etiam laicos mortali certo, aut dubio obnoxios, ut tenet communis, cum eadem ſint motiva præcepti. Nihilominus etiam ipſi poterunt urgente neceſſitate, ſine confeſſione, contriti accedere, ſi aut infamia gravis, aut ſcandalum notabile, aut aliud grave malum prudenter timeatur.

Caſus incidens reſolvitur.

IV. Sacerdos ex neceſſitate celebraturus, & habens peccata mortalia non reſervata cum aliis mortalibus reſervatis, ſi non habeat confeſſarium gaudentem facultate in reſervata, ſed dumtaxat habentem facultatem in non reſervata, dicit Sotus in 4. diſt. 5., q. 17. a. 5. cum multis, quod teneatur nihilominus confeſſionem facere, & directe abſolvetur a non reſervatis: quia tenetur obedire Concilio in eo, quod poteſt. Si tamen non haberet cum reſervatis niſi venialia, non videtur, juxta Suarez diſp. 66., ſect. 3., & alios, obſtrictus præmittere confeſſionem venialium, cum non ſit obligatio fatendi venialia; unde ſufficeret ut contritus celebraret.

Tres ſunt circa hanc difficultatem inter Theologos opiniones. Prima eorum eſt, qui putant, confitenda eſſe Confeſſario communi cætera præter reſervatum peccata, quæ dum directe abſolventur, reſervatum abſolvetur indirecte. Secunda docet tunc confitendum eſſe peccatum reſervatum cum aliis ſive venialibus, ſive mortalibus, vel nondum remiſſis, ſi quibuſdam forte gravatur pœnitens; vel jam remiſſis, ſi alia non habeat; ut ſic abſolvatur, directe quidem a non reſervatis, indirecte vero a reſervatis, niſi, ajunt aliqui, hæc annexam habeant cenſuram. Tertia demum vult, ut pœnitens eo in caſu ſe gerat perinde ac qui Confeſſarii copiam non habet; proinde ut acrem contritionis actum præmittat, & abſque confeſſione celebret.

Prima opinio, cui Alexander adhæſit, quæque Majori, & Soto probabilis viſa eſt, communiter reiicitur a Theologis, & dubio procul eſt contra mentem D. Thomæ, qui in Suppl. q. 9. art. 2. ad 4. aſſerit quod, *ſi Sacerdos non poſſit de omnibus abſolvere, tamen tenetur pœnitens ei omnia confiteri, ut quantitatem totius culpæ cognoſcat &c.*

Secunda placuit Suarezio aliiſque pluribus quos ſecutus eſt Fromageu *caſ. 2. n. 4. p.* 495.

* Hi has præſertim afferunt rationes. 1. quia cum quilibet ſibi peccati mortalis conſcius teneatur confeſſionem præmittere Communioni, credibile non eſt, Eccleſiam ſic inſtituiſſe reſervationem, ut tunc a peccatis abſolvi nequeat, directe quidem a non reſervatis, & indirecte a reſervatis, malleque eum cum incerta contritione non confeſſum celebrare, quam confeſſionem Communioni præmittere. 2. quia ad valorem Sacramenti neceſſe non eſt, ut Confeſſor juriſdictionem habeat in omnia peccata mortalia, quibus reipſa ligatus eſt pœnitens; cum conſtet, eum qui non reſervata quædam confeſſus eſt, & reſervatum aliquod ex inculpata oblivione reticuit, ab omnibus valide abſolvi; cum nemo propter invincibilem ignorantiam reprobari poſſit.

Tertiam demum amplexati ſunt Sylvius *in Supplementum* q. 20. art. 2., *Ethicæ Amoris* Auctor *Lib.* 5. *n.* 2730., Pontas V. *caſ. reſerv. n.* 21. & Collator Andeg. *Tom.* 1. *pag.* 356. Et huic etiam Auctor ſubſcripſit tum in prima, cum in tertia Editione, ut videre eſt infra, nempe Cap. IV. §. IV. n. XI. Præcipua autem hujuſce opinionis momenta in medium adfert

Contin.

Digitized by Google

Contin. *Prælect. Theolog. Honorati Tournely Tract. de Pœnit. Part. 2. cap. 8. Sect. 6. n. 570. & ſeqq.*

* Et hæc ſunt. 1. quia ſi poſſet pœnitens cuipiam pro reſervatis non approbato, propter gravem aliquam celebrandi, vel communicandi neceſſitatem confiteri, ei etiam qui nullatenus approbatus erit, in eodem caſu poterit confiteri. Quidni enim pia mater Eccleſia in uno non ſecus ac in alio caſu juriſdictionem conferre dicatur? Profecto ubi de ſola præſumptione agetur, quæ quiſque pro priori caſu afferet, hæc alius pro poſteriori merito ſibi afferre videbitur. Atqui tamen poſtrema hæc præſumptio citra grave periculum admitti non poteſt.

2. Generatim decernit Synodus Tridentina *Seſſ. 14. cap. 7. nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam juriſdictionem non habet*; quod quidem quantum ad reſervatos caſus attinet, *non tantum in externa politia, ſed etiam coram Deo* vim habere declarat. Atqui Sacerdos in præſenti caſu nullam etiam ſubdelegatam juriſdictionem habet. Non ab homine; cum ſupponamus nihil hoc in puncto a Superioribus fuiſſe conſtitutum. Non a jure; cum jus, Tridentinum ſcilicet, quo nullum in iſta materia clarius habetur, ſolum a generali regula caſum mortis excipiendo, ceteros caſus omnes in eadem regula incluſiſſe cenſeri debeat.

En, *ſubdit*, præcipua hujuſce opinionis momenta, quæ præcedentis ſententiæ rationes adæquant, vel excedunt. Prima enim, quæ e pia Eccleſiæ voluntate deducitur, non magis pro præſenti caſu probat, quam pro ſimilibus prope innumeris, in quibus nativa quadam commiſeratione id factum eſſe velimus, quod nec Chriſtus, nec Eccleſia factum voluerunt. Secunda vero evincit quidem, in hoc noſtro caſu abſolute fieri potuiſſe, quod in caſu oblivionis inculpatæ factum eſt: at non probat id reipſa factum eſſe. Et ſic utrumque opinionis fundamentum ſatis convellitur, ut ea tranquillo animo teneri vix poſſit. Legatur etiam *Inſtit. Th. tom. 5. tract. de Pœnit. cap. 9. §. 5. Q. 3.* ubi aſſerit optandum eſſe, ut Superiores in eo caſu reſervationem ſuſpendant; cum id poſſint, neque hinc periclitetur diſciplina. Et revera non paucos Epiſcopos ita ſe gerere poſtea refert.

V. Quando igitur Sacerdos in neceſſitate celebrat contritus, non præmiſſa confeſſione, tenetur ex mandato Concilii quamprimum confiteri. Et circa hoc Alexander VII. duas theſes reprobavit 38., & 39. In quarum prima dicebatur: *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, eſt conſilium, & non præceptum*. Et in ſecunda: *Illa particula quamprimum intelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur*. Dicto igitur præcepto tenetur obedire, non, data opportunitate; ſed ſtatim finita Miſſa, ſi moraliter poſſit, tenetur adire Confeſſarium; hæc enim videtur eſſe mens Sacri Concilii: quamprimum ergo moraliter poteſt, confeſſarium quærat, & confeſſionem faciat. Dicto præcepto quamprimum confitendi non videntur obſtricti laici communicantes contriti in neceſſitate, non præmiſſa confeſſione, ut docet Suarez loc. cit. ſect. 7.; quia Concilium loquitur de ſolis Sacerdotibus; non igitur ſunt gravandi laici præcepto gravi in lege poſito, dum in lege non ſunt comprehenſi; cum facillime legiſlator, ſi voluiſſet, eos comprehendere potuiſſet. Conſulendi tamen ſunt, ut & ipſi quoque in reverentiam Sacramenti id perficiant. *Celebrans abſque confeſſione præmiſſi ad quid teneatur,*

✠ Probabilior videtur ſententia, quæ ſuſtinet præfatum Tridentini præceptum quamprimum confitendi obligare etiam laicos, qui in neceſſitate ſolum contriti communicant, non præmiſſa ſacramentali confeſſione; quippe eadem fere ratio viget reſpectu laici, & Sacerdotis, quamvis ſolus Sacerdos a Tridentino exprimatur. Neque alicujus momenti eſt quod ajunt nonnulli, videlicet non debere in odioſis fieri extenſionem propter paritatem rationis; odioſa namque cenſenda non ſunt quæ reverentium promovent erga auguſtiſſimum Sacramentum. Hæc ſane ſententia, ſalvo meliori judicio, ad praxim deducenda eſt, eamque poſt Doctores plures ſequendam proponit Auctor in alio ſuo Opere italice exarato, cui titulus: *Il Catechiſta in Pulpito p. 2. ſerm. 37.* quod modo etiam in latinam vertitur linguam. Legatur & P. Concina *tom. 8. lib. 3. diſſert. 1. cap. 11. §. 1. n. 4.*

VI. Sacerdos indigne celebrans, videtur non perpetrare duo peccata, unum conſecrando, alterum ſumendo, ſed unum dumtaxat, quamquam gravius; quia eſt una numero actio, integrata duabus, a divina in- *Indigne celebrans quot peccata committit?*

inſtitutione conjunctis. Pro judicio autem confeſſarii parum refert; cum vel ſit unum peccatum longe gravius æquivalens duobus, vel ſint duo æquivalentia uni longe graviori; totumque explicatur a pœnitente dicente: celebravi in ſtatu culpæ lethalis. Non tamen excuſatur a mortali Sacerdos, qui poſt conſecrationem recordatur culpæ lethalis a ſe commiſſæ, ſi ante ſumtionem non eliciat actum contritionis; quia quamvis ſint actiones ſibi invicem ſubordinatæ, ſunt tamen diſtinctæ, quarum quælibet expoſcit ſubjectum in ſtatu gratiæ.

* Sunt qui autumant, & aſſeverant, Sacerdotem, qui in mortali Miſſam celebrat, triplicis mortalis malitiæ in confeſſione aperiendæ reum eſſe, nempe & indignæ confectionis, & malæ adminiſtrationis, & indignæ ſuſceptionis. Subdunt tamen, quod ſi poſt conſecrationem actum eliciat perfectæ contritionis, tum ſolum peccarit in conficiendo indigne Sacramenmento. Veruntamen Auctor unum dumtaxat peccatum perpetrare putat Sacerdotem indigne celebrantem. At pro judicio Confeſſarii, ut & ipſe optime advertit, parum refert hæc opinionum varietas; in idem enim plane recidit ſive dicamus committere unum peccatum, ſed longe gravius, tribus æquivalens: ſive tria peccata uni longe graviori æquivalentia: totumque ſatis pœnitens in confeſſione exponit, exprimendo ſe lethali crimine inquinatum Miſſam celebraſſe. Addendum vero, certum eſſe, eum, qui in die Natali Chriſti tres continenter Miſſas celebrat, tria committere peccata, ſi ſit in ſtatu peccati mortalis. Videatur S. P. Benedictus XIV. *de Sacroſancto Miſſæ Sacrificio lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 2.

Numerus peccatorum indigne ſumentis eſt declarandus.

VII. In confeſſione ſequente indignam ſumtionem Euchariſtiæ, exponendus eſt numerus peccatorum lethalium, cum quorum conſcientia quis indigne ſumpſit: quia quo major eſt illorum peccatorum numerus, eo magis notabiliter aggravat actionem ſacrilegam.

Accedere cum pluribus venialibus an ſit novum veniale?

VIII. Accedere ad Euchariſtiam cum pluribus peccatis venialibus habitualibus, videtur Suarez diſp. 66. ſect. 1. non eſſe novum peccatum veniale; quia accedere hoc modo non eſt nova poſitiva irreverentia, ſed mera omiſſio reverentiæ perfectæ: eſt autem novum veniale, accedere vel cum actuali affectu ad aliquod veniale commiſſum, vel actu perpetrando aliquod veniale; quia eſt accedere cum nova poſitiva irreverentia. Nec videtur diſſentire S. Thomas, dum 3. p. q. 79. a. 8. ait. *Peccata venialia præterita nullo modo impediunt effectum hujus Sacramenti .... peccata venialia actu exercita, non ex toto impediunt effectum hujus Sacramenti, ſed in parte.*

Quale jejunium requiratur ad Euchariſtiam?

IX. Jejunium jam a pluribus ſæculis in Eccleſia Romana requiſitum in ſuſcipiente Euchariſtiam, debet eſſe jejunium naturæ, de quo ita diſſerit S. Thom. 3. p. q. 80. a. 8., ad 5. *Eccleſia Romana diem a media nocte incipit, & ideo ſi poſt mediam noctem aliquis ſumpſerit aliquid per modum cibi, vel potus, non poteſt eodem die hoc ſumere Sacramentum: poteſt vero, ſi ante mediam noctem. Nec refert, utrum poſt cibum, vel potum ſumptum dormierit, aut digeſtus ſit, quantum ad rationem præcepti.*

Qui dubitat an comederit tranſacta hora?

Propterea qui dubitat, an hora mediæ noctis tranſierit, dum manducavit, vel bibit, tenetur abſtinere ab Euchariſtia, ut dicit communior cum Lugone diſp. 15. n. 44., Sanchez de Matrim. lib. 2. diſp. 41. n. 40., eo quod præceptum ſit in poſſeſſione ſuæ obligationis, quod non eſt exponendum periculo violationis in favorem libertatis.

Ad primum horæ ictum abſtinendum eſt

Hinc audiens primum pulſum horologii indicantis horam mediæ noctis, ſtatim tenetur abſtinere a cibo, ut dicit communior cum Sanchez loc. cit.; quia primus ictus jam ſignificat horam eſſe completam, & ictus illi incipiunt novam horam ſubſequentem, ideo enim pluribus ictibus hoc denotatur, quia unico ictu id fieri nequit.

Quando plura horologia ſucceſſive pulſant.

Quando plura horologia ſucceſſive pulſant, ſtandum eſt primo; eo quod dubitatur quodnam illorum juſte pulſaverit: ne igitur quis exponatur periculo deobediendi præcepto, ſtandum erit primo.

* Vetuſtiſſima ſane eſt, ait S. P. Benedictus XIV. *de Synodo Diœceſana lib. VI. cap. VIII. n. X.* Eccleſiæ diſciplina, quæ præcipit, neminem ad Euchariſtiam accedere poſſe, qui jejunus non ſit; nec deſunt qui ejus initia repetant ab ævo Apoſtolico, ut probat Cardinalis Bona *Rer. Liturgicar. lib.* 1. *cap.* 21. *Ut nullus poſt cibum, potumque, ſive quodlibet minimum ſumptum, Miſſam facere præſumat:* verba ſunt Decreti, quod Antero Pontifici a nonnullis tribuitur. *Ut nullus accipiat Sacrificium poſt cibum, aut poſt aliquam parviſſimam refectionem, niſi pro Viatico:* verba ſunt alterius Decreti, quod ſub Eutychiani Pontificis nomine ab *Ivo-*

no

næ recitatur *part. 2. cap. 45.* Verum, *ſubdit:* haud ignoramus, ejuſmodi decreta apocryphis accenſeri. Quidquid vero ſit de genuino illorum auctore, nemo tamen, qui ſapiat, inficiabitur, jam tum ab antiquiſſima ætate invaluiſſe conſuetudinem miniſtrandi jejunis Euchariſtiam, eſto definitum originis tempus adhuc ſit incompertum.

✠ D. Thomas *loc. ſupra cit.* nempe 3. *p. q.* 80. *a* 8. jejunii hujuſce ab Eccleſia præcepti cauſas aſſignat, quas ipſiſſimis ejus verbis hic ſubiicere non inutile erit: *Propter Eccleſiæ prohibitionem*, inquit, *impeditur aliquis a ſumtione hujus Sacramenti poſt cibum, & potum aſſumptum, triplici ratione. Primo quidem, ſicut Auguſtinus dicit, in honorem hujus Sacramenti, ut ſcilicet in os hominis intret nondum aliquo cibo vel potu infectum. Secundo propter ſignificationem, ut ſcilicet detur intelligi, quod Chriſtus, qui eſt res hujus Sacramenti, & caritas ejus debet prius fundari in cordibus noſtris, ſecundum illud Matthæi 6. Quærite primum regnum Dei. Tertio propter periculum vomitus, & ebrietatis, quæ quandoque contingunt ex hoc, quod homines inordinate cibis utuntur; ſicut Apoſtolus dicit. 1. ad Cor. 11. Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt.*

Quid nomine cibi vel potus ſignificetur?

X. Nomine autem cibi aut potus intelliguntur etiam medicamenta cujuſcunque generis, necnon quæcunque alia, quæ cibi nomen non merentur; puta papyrus, calx, carbones, oſſicula fructuum, & quodvis aliud, quod ore ſumatur, & trajiciatur in ſtomachum; quia non dicitur quod cibus tantum frangat, ſed quidquid ſumitur ad modum cibi, nempe per os aſſumendo, & illud deglutiendo, quamvis cibus non ſit. Immo, experientia teſte, compertum eſt, aliquando fœminas ſive fœtantes, ſive paſſionibus hiſtericis vexatas, nutriri cineribus, calce, carbonibus &c.; alioquin nedum nutritioni ineptis, verum & adverſantibus: unde S. Thomas 3. p. q. 80. a. 8. ad 4. *Non refert, utrum aliquid hujuſmodi nutriat aut per ſe, aut cum aliis; dummodo ſumatur per modum cibi, vel potus.* Non ita dicendum de ſaliva, de ſanguine, vel alio humore ex capite defluente, & ad modum ſalivæ deglutito. Circa fruſtula, quæ dentibus adhærent ex reſiduo ciborum ſumtorum; ita loquitur S. Thomas in 4. d. 8. q. 1. art. 4. q. 2. ad 3. *quæ interius geruntur ſine exterioris cibi ſumtione, non videntur ſolvere jejunium naturæ, nec impedire Euchariſtiæ perceptionem, ſicut deglutio ſalivæ: & ſimiliter videtur de his, quæ intra dentes remanent, & etiam de eructationibus.* In tertia autem parte ſummæ, poſtremo ſuæ mentis fœtu, q. 80. a. 8. ad 4., videtur cum quadam limitatione loqui, dum dicit: *Reliquiæ tamen cibi remanentis in ore, ſi caſualiter deglutiantur, non impediunt ſumtionem hujus Sacramenti*: ubi ly *ſi caſualiter*, videtur ſignificare reſtricte, nempe ad caſualem fruſtulorum illorum deglutionem, proinde videtur excludi deglutio fruſtulorum advertenter facta.

Non eſt audiendus Henricus a S. Ignatio, qui *Lib. 4. de Sanctiſs. Euch. Sacram. cap. 55. num. 712.*, ut violetur naturale jejunium tria ſequentia requirit, nempe 1. ut ſumatur aliquid cibi, vel potus. 2. ut cibus, vel potus exterius ingeratur ori. 3. ut ſumatur per actionem vitalem, quæ ſit commeſtio, vel potatio, ita ut glutiatur, & ab ore in ſtomachum traiiciatur: unde ſi cibus, vel potus, *ſubdit*, in ſtomachum meum non traiiceretur vitaliter a me, ſed ab alio per fiſtulam, non obſtaret jejunio meo: Quia nihil quidem comediſſem, nec bibiſſem. Non eſt inquam audiendus, dum ſic ſentit. Nam ex prima conditione ab ipſo requiſita ſequitur non violari jejunium naturale per ſumtionem cuiuſcumque rei, dummodo non habeat rationem cibi & potus, quamvis alterari, & digeri poſſit, imo valeat etiam nutrire, contra communem Theologorum ſententiam, qui aſſerunt frangi jejunium naturale per cartam, per filum ex lino, per fœnum, & paleam, per pulverem medicinalem ex oſſibus, & lapidibus contritis, per ceram, per terram, quam interdum prægnantes ſumere ſolent, per cretam, quam mulierculæ quædam edunt, ut albeſcant &c. A veritate quoque eſt alienum, quod ipſe tertio loco promit, videlicet jejunium non frangi per id quod quis invitus deglutierit; etenim *quis pro jejuno habeat*, ait Contin. *Prælect. Theolog. Honorati Tournely Tract. de Euch. P. 1. cap. 4. art. 2.* poſt Cardinalem de Lugo *Diſp. 15. num. 35.*, *hominem, cujus, etſi reluctantis, ſtomachum ampla vini lagena ingreſſa fuerit?*

Sunt tamen qui cenſent ea non frangere jejunium naturæ, quæ a ſtomacho nec alterari, nec digeri poſſunt ſecundum ullam ſui partem, ut oſſicula fructuum, plum-

plumbum, aurum, lapillus, fruſtum ligni &c., quia hæc non habent rationem cibi, vel potus, vel medicinæ.

Verum ſententia, quam Auctor amplectitur, atque propugnat, nimirum quod violet jejunium naturale quidquid ſumitur ad modum cibi, ſcilicet per os aſſumendo, & illud deglutiendo, quamvis cibus non ſit, & per ſe non nutriat, magis conſona apparet menti D. Thomæ, ut compertum eſt ex verbis ipſius *num. præced.* relatis. Lege Franciſcum Sylvium ſuper citatum articulum S. D., ubi ſic ſeſe exprimit: „ Jejunium naturæ eſt omnimoda abſtinentia cibi, potus, & medicinæ. Neque refer utrum id, quod ſumitur nutriat, vel non nutriat, ſed videndum an ab exteriori imponatur ori, & vitali actione deglutiatur, ſeu in ſtomachum trajiciatur; hoc enim eſt quod per modum cibi, potus, aut medicinæ ſumitur, & ſolvit jejunium naturæ „. Lege etiam Didacum Nugno in eumdem locum, P. P. Salmanticenſes *Tract. de Sacram. Euch. cap. 7. punct. 4. n. 70. Em. Gotti Tract. de Euch. Quæſt. 4. Dub. 5. §. 1.*

Inquirunt autem Theologi, an aliquod temporis ſpatium interfluere debeat Euchariſtiam inter, & cibum, ſeu num communicantes aliqua temporis mora a cibo & potu poſt ſumtionem Euchariſtiæ abſtinere debeant, ſicut abſtinere debent ante ſumtionem. Et ad rem hanc hæc docet D. Thomas 3. *p. q.* 80. *art.* 8. *ad* 6.: *Dicendum*, ait, *quod maxima devotio requiritur in ſumtione hujus Sacramenti, quia tunc percipitur Sacramenti effectus, quæ quidem devotio magis impeditur per præcedentia, quam per ſequentia: & ideo magis eſt inſtitutum, quod homines jejunent ante ſumtionem hujus Sacramenti, quam poſt. Debet tamen eſſe aliqua mora inter ſumtionem hujus Sacramenti & reliquos cibos. Unde & in Miſſa, oratio gratiarum actionis poſt communionem dicitur, & communicantes etiam ſuas privatas orationes dicunt. Secundum tamen antiquos canones ſtatutum fuit a Papa Clemente, ut habetur de conſecrat. diſt. 2. Si mane Dominica portio editur, uſque ad ſextam jejunent Miniſtri, qui eam ſumpſerunt; & ſi tertia, vel quarta hora acceperint, jejunent uſque ad veſperum. Antiquitus enim rarius Miſſarum ſolemnia celebrabantur, & cum majori præparatione: nunc autem, quia oportet frequentius ſacra myſteria celebrare, non poſſet de facili obſervari, & ideo per contrariam conſuetudinem eſt abrogatum.* Quamvis igitur nullum modo hac de re extet præceptum, nullumque aliqua lege intervallum præſcriptum; attamen *debet*, ut cenſet S. D. *eſſe aliqua mora inter ſumtionem hujus Sacramenti, & reliquos cibos*, ut magis conſervetur ſpiritualis devotio, & erga Sacramentum reverentia; immo maxime decens eſt, ut unuſquiſque (niſi aliter neceſſitas expoſcat) a cibo & potu prorſus abſtineat, donec ſpecies conſumtæ ſint, quod in Sacerdote intra quadrantem fieri exiſtimant nonnulli; alii vero animadvertunt citius a valido, quam a debili ſtomacho alterari, & conſumi; referuntque infirmum quemdam poſt mediam horam integras ſpecies rejeciſſe. Lege P. P. Salmanticenſes *Tract. 4. de Sacr. Euch. cap. 7. punct. 4. n. 73.*

Diſputant inſuper, an licitum ſit expuere ſtatim poſt ſumtam Euchariſtiam? Negant plures, pluresque affirmant. Unanimiter vero ſentiunt, maxime decens eſſe, ut communicantes in reverentiam tanti Sacramenti per aliquod temporis ſpatium ſputum coerceant, præſertim ſi ſputum ex pectore profluat; quia id plus habet periculi & indecentiæ. Quod ſi aliud neceſſitas poſtulet, in loco mundo ſpuere debent.

Quid dicendum de Tabaco?

XI. Circa Tabacum P. Giribaldus tr. 4. de Euchariſtia Cap. 10. dub. 2. ex profeſſo diſſerit, an jejunium ſolvat, dum in pulvere per nares ſumitur, & defluens in ſtomachum cum ſaliva trajicitur: & reſolvit negative contra Lezanam, & quoſdam alios; rationemque in eo conſtituit; quia non ſumitur ad modum cibi, vel potus, quæ ſumuntur organo oris, & non narium; unde ſi aliquid ex eo in ſtomachum tranſeat, id evenit per modum vel ſalivæ, vel reſpirationis. Idemque a fortiori reſolvit de fumo tabaci, & idem de tabaco dentibus manſo: de hoc tamen, cum facile ſit, ut aliquid de ſucco tabaci deglutiatur, videtur poſſe non levis inſurgere difficultas, cui jam animadverto occurſum iri, dicendo, quod ſuccus ille ſalivæ immiſceatur; &, ſi forte deglutiatur, ad modum ſalivæ deglutiatur. Perpende, & reſolve; nam plane non ſuadeor.

Jure meritoque aſſerit Auctor ſe non plane ſuaderi reſponſione illorum, qui autumant ſuccum Tabaci dentibus manſi ad eliciendum ex ore aquam, jejunium non ſolvere, eo quia ſuccus ille ſalivæ immiſcea-

Digitized by Google

miſceatur, & ſi forte deglutiatur, ad modum ſalivæ deglutiatur; nam ſi hæc ratio vim haberet, ſequeretur neque ſaccarum, negue glyccyrizam, vel quid ſimile, quod ſenſim in ore liqueſcit, jejunium naturale violare, ſi ſimul cum ſaliva in ſtomachum decidat; quod tamen a veritate eſt prorſus alienum; quia quod ſic liqueſcit, non deglutitur per modum ſalivæ, ſed cenſetur id quod principalius traiicitur. Hoc idem & de ſucco Tabaci aſſerendum: Lege P. Leonardum Vanroy c. 8.

S. Pontifex Benedictus XIV. tum *de Sacroſ. Miſſæ Sacrif. Append.* 9. *n.* 3., *tum de Synodo Diœc. lib.* 11. *cap.* 13. *nu.* 3. hac difficultate de Tabaci ſucco in medio relicta, ſermonem inſtituit, & agit de Tabaci fumo, & ejuſdem pulvere per nares attracto. Exiſtimat autem, nequaquam hodie expedire, ut illius uſus ſub cenſurarum pœna interdicatur. Etenim quamquam olim, *inquit*, quamdam præſeferret turpitudinem, atque indecentiam, propter quam Innocentius X., & Innocentius XI. excommunicatione perculerunt quotquot Tabacum ſumere auderent intra Vaticanam Baſilicam, atque Urbanus VIII. ſub eadem pœna idem antea fieri vetuerat intra Eccleſias Diœceſis Hiſpalenſis; hodie tamen cum a communi conſuetudine ſit uſus iſtiuſmodi adeo cohoneſtatus, ut nulli prorſus ſcandalum præbeat, aut admirationem cauſet, quod bene perpendit Lazarus Benedictus Miglioruccius *Inſtit. Juris Canon. Tom.* 2. *pag.* 187. nimium profecto ſeverum ſe præberet Epiſcopus, ſi Mexicanæ, aliarumque ſimilium Synodorum veſtigiis inſiſtens, aut omnibus ante ſacræ Euchariſtiæ perceptionem, aut ſolis Sacerdotibus ante Miſſæ celebrationem Tabacum interdiceret, adjecta præſertim in tranſgreſſores cenſurarum pœna. Quapropter cum Nos in minoribus conſtituti Sacræ Congregationi Concilii Secretarii munus obiremus, ſemper Epiſcopis Auctores fuimus, ut ejuſmodi conſtitutionem jam aliquando formatam, a ſuis Synodis ſubtraherent, ne nimii rigoris notam incurrerent, aditumque aperirent ſubditorum querelis ad Sacram Congregationem Concilii deferendis; quod multo magis iis conſulendum ducimus poſtquam S. M. Benedictus XIII. exploratum habens, a Tabaci uſu omnem nunc abeſſe inhoneſtatem atque indecentiam, illum ſumere permiſit intra Vaticanam Baſilicam.

Exceptio Viatici.

XII. Eximitur ab obligatione jejunii naturalis infirmus, *qui brevi credatur moriturus*, ut loquitur Rituale Romanum, dum ſumit Euchariſtiam per modum Viatici; poſito quod non poſſit, abſque ſui præjudicio, abſtinere vel a cibo, vel a medicinalibus ſibi miniſtrandis. Dixi poſito quod non poſſit &c., ut non approbem opinionem aliquorum dicentium, quod abſolute diſpenſetur a jejunio, etiam ſi abſque ullo ſuo incommodo poſſit abſtinere: Ratio enim ſatis clara videtur, quod ſi poſſit abſque ullo omnino incommodo jejunium ſervare, non diſpenſetur, eo quod nullum adſit motivum juſtæ diſpenſationis; quæ nulla eſt, quando omnino irrationabilis eſt. Et hic reprehendendus occurrit vulgaris error plurium, qui infirmo, Viatico refecturo, data opera aliquid ore ſumendum porrigunt: erronee putantes, id neceſſarium eſſe communioni per modum Viatici factæ; cum, ut dixi, ſola neceſſitas alicujus incommodi vitandi a tanto præcepto licite infirmum eximat.

Inſania popularis.

Pluries Viaticum recipi poteſt in eadem infirmitate.

XIII. Durante eadem infirmitate, eodemque morbi periculo perſeverante, poteſt iterum infirmus, etiam non jejunus, communicare, ut dicit fere communis, & pia conſuetudo declarat. Quantum vero intervallum exigatur inter unam communionem, & alteram, varium eſt doctorum judicium. Nimium profecto eſt, aſſignatum a Navarro conſil. 41. lib. 5. de pœnit. Alii cum Suarez loc. cit. requirunt octo, vel decem dies: alii cum Poſſevino ſex dies: alii cum Diana tres dies. Putarem duo eſſe perpendenda; primum, ne nimis proxima repetitio admirationem, & oblocutionem excitet, & ideo conſuetudo locorum, a piis, & doctis obſervata, poterit eſſe regula tenenda: Secundum, ne pietati, devotionique decumbentis damnum ſpirituale afferatur. Cæterum abſolute loquendo, & præciſis circumſtantiis, quæ emergere poſſunt, putarem a ſententia Suarez non eſſe recedendum.

* S. P. Benedictus XIV. *De Synodo Diæceſana Lib.* VII. *cap.* XII. poſteaquam ſtatuit *num.* IV. quod Epiſcopus abſque formidine ſe aliqua involvendi controverſia, & poteſt, & interdum debet conſtituere, ne Parochi renuant ſanctiſſimam Euchariſtiam iterato deferre ad ægrotos, qui, etiam perſeverante eodem morbi periculo, illam ſæpius, per modum Viatici, cum naturale jejunium ſervare nequeant, percipere cupiunt; *num.* V. hæc ſubdit: Aliqua dumtaxat diſſenſio eſt in præfiniendo

Digitized by Google

do temporis ſpatio, quod debeat intercedere, ut, intra eamdem infirmitatem, poſſit iterum non jejuno dari Euchariſtia. Aliqui enim, cum Navarro, multum temporis interfluere debere exiſtimant inter unam & alteram Communionem; quam indefinitam Navarri aſſertionem, de ſpatio triginta dierum explicat Villalobos *in Summar. 1. part. tract. 7. dub.* 38. Alii cum Suarez *diſp.* 68. *ſect.* 5. decem aut octo dies expoſcunt. Alii cum Ludovico a S. Joanne in Summa Hiſpano ſermone edita *tom.* 1. *quæſt.* 7. *art.* 10. *difficul.* 4. *de Sacram Euch.* poſt elapſos tres dies iterari concedunt. Alii demum cum Layman *Lib.* 5. *Summ. tract.* 4. *cap.* 6. *quæſt.* 6. *n.* 20. etiam in ſequenti die illud repeti permittunt, ſi videatur inſtare mortis periculum, & ægrotus, qui, cum ſanus eſſet frequenter conſueverat Euchariſticum panem deguſtare, eo denuo nutriri & roborari cupiat. Abſtrahat igitur Epiſcopus ab hiſce quæſtionibus: ſolumque Parochis inſinuet, poſſe & debere ſanctiſſimum Viaticum in eadem infirmitate iterum & tertio adminiſtrari, præſertim, ſi ipſimet ægrotantes iterum cœleſtem illum panem eſuriant; & ſi velit, pœnam etiam in Parochos decernat, qui, poſt plurimum temporis, Euchariſtiam ad eumdem infirmum, eam devote efflagitantem, falſis quibuſdam, & emendicatis prætextibus, denuo deferre obſtinate detrectant.

* Quæres, num ſi quis per longum tempus tali infirmitate laboret, ut nequeat jejunium naturæ ſervare, poſſit aliquando etiam non jejunus Euchariſtiam percipere, ſi non urgeat mortis periculum?

Reſp. Honoratus Tournely *de Sacramento Euchariſtiæ quæſt.* 5. *art.* 111. *de Diſpoſitionibus in recipiente Euchariſtiam prærequiſitis ex parte corporis Quær.* 1. hæc habet: „ Reſp. 1. licitum eſſe infir„ mis, ſi urgeat mortis periculum, etiam „ in viaticum dare Euchariſtiam: ſi vero „ tantum non ſit periculum, nonniſi jeju„ nis dandam eſſe, niſi forte talis fuerit „ infirmitas, ut jejunium ferre non poſ„ ſint „. Quibus poſtremis verbis innuere videtur poſſe etiam extra mortis periculum a non jejuno quandoque Euchariſtiam percipi, ſi nempe talis ſit ejus infirmitas, ut jejunium ſervare non valeat.

Verum propoſitam difficultatem ex profeſſo ad examen vocat Joannes Pontas *Tom.* 1. *V. Communio Caſ. VIII.* Sic caſum ob oculos ponit ipſe: „ Euphemia, „ *inquit*, puella inſigni pietate conſpicua „ jam dudum prorſus inſolita infirmitate „ laborat; ſingulis ferme diebus animi de„ fectionibus ſic oppugnata, ut in ultimis „ eſſe videatur, quas quidem devitare ne„ quit, niſi paululum aquæ, ubi incipiunt, „ ſorbendo. Quocirca, cum hæc ei poſt „ mediam noctem infirmitas adveniat, hoc „ ipſi neceſſarium eſt remedium, quo ſum„ pto divinis poteſt per diem intereſſe Offi„ ciis. Qua de re quæritur, utrum ob „ hanc neceſſariam aquæ ſorbitionem a Com„ munione arceri debeat, quandoquidem, „ ſi rigoroſe pro ea Eccleſiaſticum ſerve„ tur præceptum de jejunio ante Com„ munionem, annos etiam integros ſine „ Communione eam tranſigere eſſet ne„ ceſſe: quod ejuſdem Eccleſiæ alteri „ præcepto foret oppoſitum, quo videli„ cet annua Communio ſingulis fidelibus „ jubetur, cum aliunde aqua non ſit nu„ tritiva? „

Reſp. Admiſſa veritate hujus facti, quod tamen omnino inſolitum videtur, ac vix fide dignum ob ea, quæ adfert inclytus Theologus, cui exeunte ſæculo elapſo propoſita eſt hæc difficultas, obſervat citatus Pontas cum eodem, præceptum Eccleſiæ de Communione „ ante ſumptionem cibi, „ aut potus eſſe legem Apoſtolicam, ipſi „ Eccleſiæ coævam, & a Spiritu Sancto „ inſtitutam ad cultum adorandi Sacra„ menti Corporis, & Sanguinis Chriſti. „ *Liquido apparet* (inquit S. Auguſtinus „ ſcribens ad Januarium Epiſt. 54. alias „ 118. n. 7. & 8. in Can. *Liquido* 54. de „ conſecrat. diſt. 2.) *quando primum ac„ ceperunt diſcipuli Corpus, & Sangui„ nem Domini, non eos accepiſſe jeju„ nos. Numquid tamen propterea calum„ niandum eſt univerſæ Eccleſiæ quod a „ jejunis ſemper accipitur? ex hoc enim „ placuit Spiritui Sancto, ut in honorem „ tanti Sacramenti, in os Chriſtiani prius „ Dominicum Corpus intraret quam cæte„ ri cibi. Nam ideo per univerſum Or„ bem mos iſte ſervatur*; tum ſubjungit „ Sanctus Doctor: *& ideo non præcepit, „ quo deinceps ordine ſumeretur, ut A„ poſtolis, per quos Eccleſias diſpoſiturus „ erat, ſervaret hunc locum. Nam, ſi „ hoc ille monuiſſet, ut poſt cibos alios „ ſemper ſumeretur; credo quod eum „ morem nemo variaſſet.* Atqui Paſtor ſpe„ cialis non debet diſpenſare a Lege uni„ verſim in Eccleſia recepta 1. cum ſem„ per viguit. 2. Cum Apoſtolos habet in-

Digitized by Google

„ inſtitutores. 3. Cum ideo ſtatuta eſt, ut „ major Chriſto redderetur honor. Unde „ ab hac lege nunquam diſpenſavit Eccle„ ſia, eamque uti inviolabilem ſemper ha„ buit. „

Deinde relatis caſibus, in quibus poteſt quis licite communicare non jejunus, non quidem ex diſpenſatione Eccleſiaſtica, ſed ex præcepto divino, procedit ad dirimendam difficultatem, & ex prædicto Eccleſiæ præcepto colligit. „ Euphemiam ad „ ſacram Communionem non eſſe admit„ tendam, etiam Paſchali tempore, niſi „ de vita periclitaretur, cum ceſſet eſſe „ jejuna poſt hauſtas aquæ guttulas, ſeu „ *per modum cibi*, ſeu *per modum medi„ cinæ*, neque iis ſumptis ad ſacram Com„ munionem accedere queat, niſi Univer„ ſalis Eccleſiæ præceptum infringendo, „ cum ad eam ex præcepto divino non te„ neatur, ut tempore morbi. Suam ergo „ *ait*, infirmitatem conſideret Euphe„ mia, quaſi probationem divinam humi„ litatiſque propriæ exercitium, cum ita „ volente Deo, divini non poſſit eſſe par„ ticeps per aliquod tempus corporis Chri„ ſti: ac ſperare debet, pietati ac fer„ vori ſuum fore præmium a ſuprema bo„ nitate Chriſti, qui eundem gratiis ſuis „ in ſe producet effectum, ac ſi præſens „ ipſe adeſſet.

„ Hæc deciſio, *ſubdit*, perfecte confor„ mis eſt doctrinæ S. Thomæ 3. *p. q.* 80. „ *art.* 8. qui hactenus dicta probat ex alla„ to S. Auguſtini teſtimonio, aliiſque ra„ tionibus plurimis, quæ legi poſſunt in „ reſponſionibus ad ſex objectiones, quas „ ipſe ſibi propoſuerat, ad elucidandam „ rem iſtam, firmiuſque diſciplinam hanc „ ſtabiliendam. S. Thomam ſequitur S. An„ toninus, 3. *part. tit.* 13. *c.* 6. §. 8. fultus „ Canone ſeptimi Concilii Toletani, atque „ auctoritate multorum antiquorum Theo„ logorum, & Canoniſtarum, quales ſunt „ Paludanus, Hoſtienſis, &, ut omnem „ tollat ambigendi locum Sanctus hic Ar„ chiepiſcopus addit: *& intelligitur hoc,* „ *quod ſit jejunus jejunio naturæ, quo* „ *dicitur jejunus, qui poſt mediam no„ ctem nihil ſumpſit adhuc cibi & po„ tus: & non ſufficit quod ſit jejunus je„ junio Eccleſiæ*. Doctrinam S. Thomæ „ ad verbum ſequitur Sylvius ejus Com„ mentator. “

✠ Contrariam ſententiam, quam innuere dumtaxat videtur præcitatus Tournely, apertiſſime docuit, & audacter, omni ſecluſa dubitatione, ſuſtinuit P. Benjamin Elbel *tom.* 3. *conf.* 14. *caſu* 2. hac ductus ratione, quia, inquit, non eſt veriſimile, quod Eccleſia ceu pia Mater, hoc ſuo præcepto (ſcilicet de communione cum jejunio naturali ſumenda) voluerit comprehendere tales infirmos, qui vel nunquam vel certe raro admodum poſſent communicare non jejuni. Verum ob hanc rationem deſerenda non eſt ſententia, quam celebriores Theologi, ut vidimus, validiſſimis, ineluctabilibuſque fulti argumentis, amplectuntur, atque propugnant; quippe nullam omnino eidem vim ineſſe ad perſuadendum, immo ipſam ſua corruere levitate cordatus quiſque ſerio aliquantiſper eam expendens, nullo negotio perſpiciet. Et in primis mirandum ſane eſt, quod memoratus Theologus ex mera veriſimili conjectura ad arbitrium a ſe conficta certam velit elicere reſolutionem, & ut indubiam ſuam opinionem proponere, ac venditare. Deinde quo, amabo, fundamento nixus aſſerit ipſe, non eſſe veriſimile, quod Eccleſia ceu pia Mater hoc ſuo præcepto voluerit comprehendere tales infirmos &c. Profecto prorſus nullo. Quinimo ſi præceptum Eccleſiæ rite, attenteque perpendatur, compertum apparet, exploratumque, voluiſſe Eccleſiam iſtos eodem comprehendere. Cum enim Eccleſia ab hoc præcepto ſolos infirmos exemerit qui brevi credantur morituri, dum ſumunt Euchariſtiam per modum viatici, poſito quod nequeant abſque præjudicio abſtinere vel a cibo, vel a medicinalibus ſibi miniſtrandis; legitima plane conſecutione infertur cæteros omnes voluiſſe eodem præcepto devincire; ſiquidem ſi infirmos ab Elbel deſcriptos noluiſſet ſuo præcepto obnoxios, expreſſe profecto id declaraſſet, ſicuti expreſſe declaravit infirmos, morti proximos, ad illud ſervandum minime teneri, ac proinde poſſe non jejunos Euchariſtiam percipere per modum viatici. Opinio itaque Elbel eſt omni penitus fundamento deſtituta; atque adeo jure meritoque a præſtantioribus Theologis ceu prorſus improbabilis reiicitur, & oppoſita ſententia utpote veritati conſona tenenda, ac in praxi ſequenda adſtruitur.

Non poteſt non jejunus celebrare ad communicandum infirmum.

XIV. Sacerdos non jejunus non poteſt celebrare ad communicandum moriturum, quamvis nec extent particulæ conſecratæ, neque alius celebrans. Ita cum S. Antonino, Sylveſtro, Soto citatis a Leandro diſp. 5. qu. 20. plures alii; quia in re,

quæ

quæ non eſt tantæ neceſſitatis, utpote ſupplebilis per votum, non tenemur proximo ſuccurrere, quoties violandum ſit præceptum grave Eccleſiaſticum, & agatur de reverentia tanto ſacramento debita: cum ut dixi, poſſit moriturus ſibi ſubvenire per votum efficax ejuſdem Sacramenti ſuſcipiendi.

Caſus incidentes reſolvuntur.

XV. Sacerdos non jejunus, qui inadvertenter ad altare acceſſit, & poſt conſecrationem recordatur, ſe non eſſe jejunum; doleat de inadvertentia ſua, ſed tenetur perficere ſacrificium: quia hujuſmodi perfectio eſt de jure Divino. Si vero id animadvertat ante conſecrationem, & poſſit abſque infamia, vel ſcandalo a proſequendo deſiſtere, ad id tenetur; Si vero aliquod horum prudenter timeatur, debet proſequi; quia præceptum poſitivum non obligat cum tanto gravamine: ita communis S. Thomæ 3. p. q. 83., art. 6. ad 2.

Quid, ſi Sacerdos ſumpſerit aquam, quam loco vini conſecravit?

XVI. Si Sacerdos poſt ſumptam hoſtiam, ſumendo calicem advertat, vel eſſe aquam, vel acetum, vel quodpiam ineptum conſecrationi, ut ait Angelicus loco citato ad 4. *Aliam hoſtiam apponere debet, iterum conſecrandam ſimul cum ſanguine: quod ideo dico, quia, ſi diceret ſola verba conſecrationis ſanguinis, non ſervaretur debitus ordo conſecrandi, & ſicut dicitur in prædicto canone Concilii Tolètani* (primo, vel ſecundo) *perfecta videri non poſſunt ſacrificia, niſi perfecto ordine compleantur. Si vero inciperet a conſecratione ſanguinis, & repeteret omnia verba conſequentia, non competeret, niſi adeſſet hoſtia conſecrata, cum in verbis illis occurrant quædam dicenda, & facienda, non ſolum circa ſanguinem, ſed etiam circa corpus; & debet in fine iterum ſumere hoſtiam conſecratam, & ſanguinem, non obſtante etiam ſi prius ſumpſerit aquam, quæ erat in calice: quia præceptum de perfectione, vel de perceptione hujus ſacramenti majoris eſt ponderis, quam præceptum, quod hoc ſacramentum a jejunis ſumatur.*

Sacrificium in quo Sacerdos poſt conſecrationem repente moritur debet perfici etiam a non jejuno, ſi alius jejunus non inveniatur.

XVII. Sacerdos, qui poſt Sacramenti ſumptionem, & ſumptam ablutionem calicis advertit extare fragmentum in corporali, vel patena, quod judicat eſſe ſui ſacrificii, juxta Bonacinam quæſt. 6. punct. 2. num. 14. poteſt illud ſumere, quia pertinet ad integritatem ſuæ actionis, & Sacrificii. In caſu autem quo ſacerdos celebrans poſt conſecrationem morte repentina corripiatur, nec alius inveniatur jejunus, qui complere poſſit ſacrificium illud, poterit etiam aliquis ſacerdos non jejunus perficere; quia perfectio ſacrificii eſt de jure Divino; quod prævalet præcepto Eccleſiaſtico de celebrando a jejunis: debet itaque perfici ſacrificium illud.

Circa id, quod *num. præced.* in primis aſſerit Auctor, hæc habentur in Rubricis Miſſalis *de Defectibus tit.* 7. num. 2. *Si deprehendat Sacerdos etiam poſt ablutionem reliquias relictas conſecratas, eas ſumat, ſive parvæ ſint, ſive magnæ; quia ad idem Sacrificium ſpectant. Si vero relicta ſit hoſtia integra conſecrata, eam in Tabernaculo cum aliis reponat, vel ſequenti Sacerdoti reliquat.* Itaque non peccat qui Sacramenti reliquias ſumit poſt ablutionem epotam, ſed imo peccat venialiter, utpote Eccleſiæ legem tranſgrediens, qui eas citra rationabilem cauſam non ſumit. Neque deerit ibi lethale peccatum, ſubdit Continuator *Prælect. Theolog.* Honorati Tournely *Tract. de Euch. P.* 1. *c.* 6. *art.* 2. ſi omiſſio hæc fiat cum gravi Sacramenti irreverentia, ut fieri facillime poteſt, cum celebratur in Altaribus, ubi non aſſervatur in Tabernaculo Euchariſtia. Non ſolum autem reliquias parvas, ſed & magnas ſumere valet, ut liquido conſtat ex verbis relatis; quod enim ſentiunt nonnulli melius eſſe, ſi fieri commode poteſt, ut in pixide, aut aliter reſerventur, poſtea a Sacerdote jejuno ſumendæ, nec uſui Eccleſiæ, nec Sacerdotum praxi, nec Rubricæ, quæ generatim & indiſtincte loquitur, admodum congruit. Has vero ſuperſtites reliquias ſive parvas, ſive magnas ſumere poteſt Sacerdos uſquedum ab Altari non diſceſſerit, etiamſi forte diu ibi fuerit moratus ad Euchariſtiæ diſpenſationem: immo & ab Altari in Sacriſtiam regreſſus, maxime nondum poſitis ſacris veſtibus, ſi facile recondi nequeant in pixide ac Tabernaculo.

Non eſt vero idem ſentiendum, ut ex eadem Rubrica patet, de integra Hoſtia, ac de fragmentis. Quare graviter peccaret Sacerdos, ſi poſt ablutionem, integram formulam ſumeret; niſi id ad vitandam irreverentiam neceſſe foret; puta quia vel non adeſt Tabernaculum, vel deeſt Sacerdos qui Sacrum peracturus ſit.

Alia agitatur a Theologis difficultas, an reliquiæ, quæ non in eodem, ſed in præcedenti Sacrificio fuerint conſecratæ ſumi valeant poſt ablutionem. Et ad hanc quod ſpe-

Digitized by Google

ſpectat, diſſenſio eſt inter ipſos. Nobis magis arridet ſententia negans, quæ hac innititur ratione. Non licet juxta Rubricam relatam Sacerdoti non jejuno reliquias ſui Sacrificii ſumere, niſi quia *ad idem ſacrificium ſpectant*, & ad eandem refectionem moraliter pertinent. Porro alterius Sacrificii fragmenta ad ſacrificium ſubſequens minime ſpectant: ac proinde a non jejuno ſumi nequeunt. Quocirca vel intra pixidem in Tabernaculo, vel intra Calicem ſuperpoſita palla, aut] patena ſervari debent, aut, ut abſumantur, alteri Sacerdoti mox celebraturo tradenda. Quod ſi deſit Tabernaculum, aut nullus proxime ſit in eodem loco celebraturus, tunc ad vitandam irreverentiam concedunt, ut ſumantur a non jejuno, idque maxime, ſi de levioribus fragmentis, quæ facilius evaneſcunt, ſermo ſit.

Qualiter dandum ſit Amentibus, & Energumenis?

XVIII. Amentibus, qui totaliter carent uſu rationis, *& qui ſic a nativitate permanſerunt* ait Angelicus 3. p. q. 80. a 9. non eſt dandum hoc ſacramentum; *quia in eis nullo modo præceſſit hujus ſacramenti devotio*. Si vero non ſemper caruerint uſu rationis; *tunc ſi prius, quando erant compotes ſuæ mentis, apparuit in eis devotio hujus Sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc Sacramentum exhiberi, niſi forte timeatur periculum vomitus, vel expuitionis; unde in Concilio Carthaginenſi 4. cap. 76. legitur: „ Is qui „ in infirmitate pœnitentiam petit, ſi caſu dum ad eum ſacerdos invitatus venit oppreſſus infirmitate obmutuerit, „ vel in phrœneſim converſus fuerit: dent „ teſtimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam; & ſi continuo creditur moriturus, reconcilietur per manuum impoſitionem, & infundatur ori „ ejus Euchariſtia.* " Si autem ita ſint amentes, *ut tamen debilem uſum rationis habeant, non eſt eis hoc Sacramentum denegandum, quia poſſunt aliquam devotionem hujus Sacramenti habere*. Et ad ſecundum loquens de energumenis, ait: *De Energumentis eſt eadem ratio, quæ de Amentibus; unde Caſſianus dicit: eis, qui ab immundis vexantur ſpiritibus communionem Sacroſanctam a ſenioribus noſtris nunquam meminimus interdictam*: Submoto periculo alicujus irreverentiæ.

* Communio reis morti deſtinatis propter aliquod perpetratum ſcelus in aliquibus locis negatur, in aliis conceditur eam poſtulantibus, dummodo pœnitentiam ſuorum peccatorum præſeferant, eaque non indigni exiſtimentur ab iis, quorum eſt de ea re judicare. In Galliis, & in Hiſpaniis,* ait Juveninus *de Euchariſt. diſſert.* 4. *q.* 6. *cap.* 4. *concl.* 3. Euchariſtica Communio reis ultimo ſupplicio damnatis etiam debite confeſſis denegatur. Plures affert ipſe rationes ad hanc diſciplinam tuendam ac inſuper, unde originem traxerit ſuam, manifeſtat. Hoc idem refert Habertus de Euchariſt. *cap.* 28. *q.* 3. Quin, *ſubdit*, eiſdem apud nos ante annum 1396. ſacramentalis abſolutio denegabatur; quem morem tamen abrogavit Carolus VI. anno 1396. Laudabilior certe videtur Germanorum, & Italicorum praxis, qui reis extremo ſupplicio afficiendis, ſi ſint apte diſpoſiti, Euchariſtiam impertiuntur. Unde Dominicus Soto etſi Hiſpanus reiicit, reprobatque conſuetudinem illam, quæ ſuo tempore adhuc in Hiſpania vigebat, commendatque Germanorum & Italicorum praxim reficiendi ſacro Viatico ſontes ultimo ſupplicio plectendos; quippe, ajebat *in* 4. *diſtinct.* 12. *q.* 1. *art.* 2., nulla apparet cauſa, cur iſti rei, ſi ſint vere pœnitentes, tanto beneficio priventur. Idem ſentit & Joannes Molanus in *Quodlib.* edito poſt *tract. de. Picturis & Imaginibus Sacris*. Hoc argumentum fuſe verſat S. P. Benedictus XIV. in Tract. *de Sacroſancto Sacrificio Miſſæ lib.* 3. *cap.* 20. *num.* 6. Ibi indicat in primis varias locorum conſuetudines; deinde eam ſequendam inſinuat, quæ in unoquoque loco reſpective obtinere dignoſcitur; ac tandem innuere non omittit, chriſtianæ pietati magis conforme eſſe, ut vivifici Sacramenti participatio iis etiam, qui ob grave delictum ſententia capitali damnati ſunt, petentibus, & alioquin recte diſpoſitis non denegetur. *Lib. autem* 7. *de Synod. Diœceſ. cap.* 11. *num.* 3. merito addit, Epiſcoporum partes eſſe hanc diſciplinam in ſuis Diœceſibus invehendam curare, ut delinquentibus ultimo ſupplicio afficiendis, Euchariſtia præbeatur, idque in Synodalibus Conſtitutionibus inſerere; auctore nimirum immortalis memoriæ Pontifice S. Pio V. qui in Epiſtola ad Archiepiſcopum Roſſanenſem ſuum in Hiſpaniis Nuncium, quam videre licet inter collectas a Franciſco Goubau *lib.* 2. *num.* 2. id ipſum ab eo cum Catholico Rege agendum, eique ſuadendum mandat. Quodque earum Regionum Judices prohibere ſolebant, ne graviorum criminum reis capite damnatis Communio miniſtra-

niſtraretur, id aperte improbat ſequentibus verbis. *Id nos* (Sacramentum nempe Euchariſtiæ) *minime eſſe denegandum cenſemus, cum christianæ caritati magis conveniat, eos ad reſiſtendum tali tempore fortius diabolicis tentationibus Sacra Communione muniri, ut perituro corpore, ſaluti animæ, quantum fieri poteſt, ſubveniatur*.

Obſervandum vero 1. eſt, poſſe reum tunc temporis communicare per modum Viatici, proinde non jejunum, ut docent Lugo *diſ.* 15. *ſect.* 3. *num.* 72. & Quarti *part.* 3. *tit.* 9. *ſect.* 1. *dub.* 6. *cauſ.* 3. Exiſtimant tamen nonnulli e re eſſe, ut Judex executionem differat, ut poſſit ſons jejunus accedere ad Synaxim, niſi obſtet quid, ne dilatio hæc concedatur. An autem Judex obligetur ad differendam mortem delinquentis, ut jejunus communicare valeat, ſub examen inducitur. Certum eſt, ait Cardinalis de Lugo *loc. cit.* non teneri ad hoc Judicem, quando commode non poteſt executio ſententiæ differri, & multo minus, quando reus ex induſtria violavit jejunium, ut ita vitam protraheret; cogeretur enim Judex diu differre ea occaſione, & daretur anſa reis impediendi rectum juſtitiæ ordinem. Addit *n. ſeq.* 73. ſe non invenire obligationem in Judice differendi executionem ſententiæ, ea de cauſa, ut jejunus communicet qui interficiendus eſt. Nam licet ex caritate debeat non impedire, ſi commode poſſit, quod Sacramenta ſuſcipiat, non tamen debet impedire, quod in eis ſuſcipiendis utatur diſpenſatione, & facultate, qua in caſu neceſſitatis uti poteſt. Debet itaque reus (ſic tandem poſt plura concludit ipſe ſervare jejunium, ut communicet jejunus; eo tamen jejunio violato, non video in Judice, ſecluſo ſcandalo, obligationem differendi ſupplicium, ut reus communicet jejunus.

Obſervandum 2. valde conveniens eſſe quod præſcriptum fuit a Concilio Mexicano an. 1585. *lib.* 3. *tit.* 17. §. 4., videlicet dandam eſſe Sanctiſſimam Euchariſtiam iis, qui ob grave delictum ultimo ſupplicio damnati ſunt, uno ante decreti lethalis executionem die, prout etiam *multis locis piæ, & laudatæ conſuetudinis eſt*, ut loquitur Concilium Mediolanenſe V. an. 1576. *p.* 1. *cap.* 9. Neque enim decet, ut Corpus Sanguine Chriſti quaſi madidum ignominioſe tractetur. At hinc majorem in Gallia reis conferendæ Euchariſtiæ difficultatem exurgere ob Regiam ſanctionem *tit.* 29. *num.* 21. animadvertit Tournely *tract. de Euchariſt. cap.* 6. *art.* 1. *prope finem*. Saltem Communionem inter, & mortem ſufficiens temporis ſpatium, quo ſpecies Euchariſticæ conſumantur, intercedere debet, ut in Mechilinenſi quadam Synodo an. 1617. ſtatutum fuit.

§. VII. *De Euchariſtiæ digne ſumptæ Effectibus.*

I. De fide eſt vel præcipuum Euchariſtiæ effectum, vel unicum non eſſe remiſſionem mortalium: ita Synodus Tridentina ſeſſ. 13. can. 5. *Si quis dixerit vel præcipuum fructum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, eſſe remiſſionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, anathema ſit*. Id definivit contra Lutherum, qui idcirco nullam ad ſumendam Euchariſtiam requirebat diſpoſitionem: per accidens autem aliquando talem remiſſionem cauſat, modo explicato in tractat. 13. §. 4. num. 2. idque aperte docet S. Thom. quæſt. 79. art. 3. *Poteſt hoc Sacramentum operari remiſſionem peccati . . . etiam perceptum ab eo, qui eſt in peccato mortali, cujus conſcientiam, & affectum non habet; forte enim primo non fuit ſufficienter contritus, ſed devote, & reverenter accedens, conſequetur per hoc Sacramentum gratiam caritatis, quæ contritionem perficiet, & remiſſionem peccati*. Vide tradita loco citato. Remiſſio mortalis non eſt effectus per ſe Euchariſtiæ; ſed per accidens.

II. Primus Euchariſtiæ effectus eſt collatio augmenti gratiæ ſanctificantis, quod Angelicus probat loc. cit. art. 1. ex quatuor capitibus: *Primo, & principaliter ex eo, quod in hoc Sacramento continetur, quod eſt Chriſtus, qui ſicut in mundum viſibiliter veniens, contulit mundo vitam gratiæ . . . ita in hominem Sacramentaliter veniens, vitam gratiæ operatur ... Secundo ex eo, quod per hoc Sacramentum repræſentatur, quod eſt paſſio Chriſti; & ideo effectus, quem paſſio Chriſti fecit in mundo, hoc Sacramentum facit in homine ... Tertio ex modo, quo traditur hoc Sacramentum, quod traditur per modum cibi, & potus; & ideo omnem effectum, quem cibus & potus materialis facit, quantum ad vitam corporalem, quod ſcilicet ſuſtentat, auget, reparat, & delectat, hoc totum facit hoc Sacramentum, quantum ad vitam ſpiritualem... Quarto ex ſpeciebus in quibus traditur hoc Sacramentum, ... quæ ad unum aliquid* Primus Effectus Euchariſtiæ.

Digitized by Google

quid rediguntur ex multis .... & eſt Sacramentum pietatis, ſignum unitatis, & vinculum caritatis: & quia Chriſtus, & ejus paſſio eſt cauſa gratiæ & ſpiritualis refectio, & caritas ſine gratia eſſe non poteſt: ex omnibus præmiſſis manifeſtum eſt, quod hoc Sacramentum gratiam confert. Eſt autem gratia ſpiritualiter nutriens, & corroborans, per analogiam ad cibum materialem, qui corroborat, & nutrit. Neque dicas, hanc gratiæ prærogativam convenire gratiæ Sacramenti Confirmationis: ingenioſe namque reſpondet Angelicus loco citato q. 72. art. 9. ad 2. *Principium fortitudinis eſt in corde, ſed ſignum apparet in fronte: unde dicitur Ezechiel.* 3. ECCE DEDI FRONTEM TUAM DURIOREM FRONTIBUS EORUM: *& ideo Sacramentum Euchariſtiæ, quo homo in ſe ipſo confirmatur, pertinet ad cor: ſecundum illud Pſalmi* 103. *panis cor hominis confirmet: ſed ad Sacramentum Confirmationis requiritur ſignum fortitudinis ad alios; & ideo exhibetur in fronte.* Gratia itaque Confirmationis corroborat in ordine ad alios: Gratia vero Euchariſtiæ corroborat in ordine ad ſe, ut Anima proficiat in via Dei.

Secundus Euchariſtiæ effectus.

III. Secundus Euchariſtiæ effectus eſt Amatoria cum Chriſto Unio, quemadmodum innuit egregius Auctor Sermonis de Cœna Domini inter opera S. Cypriani: *noſtra, & ipſius conjunctio nec miſcet perſonas, neque unit ſubſtantias, ſed affectus conſociat, & confœderat voluntates.*

Tertius Euchariſtiæ effectus.

IV. Tertius effectus eſt refectio quædam ſpiritualis dulcedinis, *Qua*, inquit Angelicus loc. cit. a. 1. ad 2., *anima ſpiritualiter reficitur, per hoc, quod anima ſpiritualiter delectatur, & quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis Divinæ.* Quem effectum non experiuntur illi, qui palatum cordis madidum tenent delectationibus terrenorum, unde opportune S. Bernardus, vel alius gravis Scriptor ſerm. 6. de Aſcenſione: *Errat omnino, ſi quis cœleſtem illam dulcedinem huic cineri, divinum illud balſamum huic veneno, chariſmata illa ſpiritus miſceri poſſe hujuſmodi illecebris arbitratur.*

Quartus Euchariſtiæ effectus.

V. Quartus Euchariſtiæ effectus eſt remiſſio peccatorum venialium, quæ ex duplici capite eidem adſcribitur ab Angelico loc. cit. a. 4. *In hoc ſacramento duo conſiderari poſſunt, ſcilicet ipſum Sacramentum, & res Sacramenti: & ex utroque apparet, quod habet virtutem ad remiſſionem venialium peccatorum; nam hoc Sacramentum ſumitur ſub ſpecie cibi nutrientis: nutrimentum autem cibi eſt corpori neceſſarium ad reſtaurandum id, quod quotidie deperditur per actionem caloris naturalis: Spiritualiter autem quotidie deperditur aliquod in nobis ex calore concupiſcentiæ per peccata venialia; quæ diminuunt fervorem charitatis; & ideo competit huic Sacramento, ut remittat peccata venialia: unde Ambroſius* (vel alius ſcriptor coævus) *lib.* 5. *de Sacramentis cap.* 4. *dicit quod „ iſte panis „ quotidianus ſumitur in remedium quo„ tidianæ infirmitatis. “ Res autem hujus Sacramenti eſt charitas non ſolum quantum ad habitum, ſed etiam quantum ad actum, qui excitatur in hoc Sacramento per quod peccata venialia ſolvuntur.*

Quintus Euchariſtiæ effectus.

VI. Quintus effectus eſt præſervatio a peccatis mortalibus; qui effectus ita explicatur a S. D. loc. cit. ar. 6. *Peccatum eſt quædam ſpiritualis mors animæ: unde hoc modo præſervatur aliquis a peccato futuro, quo præſervatur corpus a morte futura: quod quidem fit dupliciter; uno modo in quantum natura hominis interius roboratur contra interiora corruptiva, & ſic præſervatur a morte per cibum, & medicinam: alio modo per hoc, quod munitur contra exteriores impugnationes: & ſic præſervatur per arma, quibus munitur corpus. Utroque autem modo hoc Sacramentum præſervat a peccato; nam primum quidem per hoc, quod Chriſto conjungit per gratiam, roborat ſpiritualem vitam hominis tamquam ſpiritualis cibus, & ſpiritualis medicina ſecundum illud Pſalmi* 103. *„ Panis cor hominis confir„ met “.... alio modo inquantum eſt quoddam ſignum paſſionis Chriſti, per quam victi ſunt dæmones, repellit omnem dæmonum impugnationem, unde dicit Chryſoſtomus homil.* 45. *in Joan. ut Leones flammam ſpirantes, ſic ab illa menſa diſcedimus, terribiles effecti diabolo.*

Sextus Euchariſtiæ effectus.

VII. Sextus effectus eſt remiſſio pœnæ peccatis debitæ vel in toto, vel in parte, juxta gradum fervoris, quo ſumitur hoc Sacramentum: quomodo autem id eveniat, ita explicat S. Th. loc. cit. art. 5. *Si Euchariſtia conſideretur ut Sacramentum, habet effectum* (remittendi pœnam temporalem) *dupliciter: uno modo directe ex vi ſacramenti: alio modo quaſi ex quadam*

dam concomitantia .... Ex vi quidem Sacramenti directe habet illum effectum, ad quem eſt inſtitutum: non eſt autem inſtitutum ad ſatisfaciendum, ſed ad ſpiritualiter nutriendum, per unionem ad Chriſtum, & ad membra ejus, ſicut & nutrimentum unitur nutrito: ſed quia hæc unio fit per charitatem, ex cujus fervore aliquis conſequitur remiſſionem non ſolum culpæ, ſed etiam pœnæ; inde eſt, quod ex conſequenti per quamdam concomitantiam ad principalem effectum, homo conſequitur remiſſionem pœnæ, non quidem totius, ſed ſecundum modum ſuæ devotionis, & fervoris.

Quo tempore præfati effectus conceduntur?

VIII. Præfati effectus conceduntur digne ſuſcipienti Euchariſtiam, cum primo verificatur ſacramentum fuiſſe aſſumptum: & manducatum, ſeu in ſtomachum trajectum: Qui dicendi modus eſt verbis Chriſti conformior, ſpondentis effectus iſtos illis, *qui manducant ſuam carnem*; manducare autem non eſt in ore tenere, aut mandere cibum, ſed illud in ſtomachum trajicere, & deglutire: Tunc igitur producitur gratia hujus Sacramenti correſpondens tam operi operato, quam diſpoſitionibus a ſuſcipiente præmiſſis. Ex opere autem operantis eo magis creſcit, quo magis, uſquedum perſeverant ſpecies conſecratæ in ſtomacho, qui illas ſuſcipit, prorumpit in Actus fidei, ſpei, dilectionis, gratiarum actionis, oblationis, ſanctorum deſideriorum, piorumque affectuum erga Chriſtum; & quo hi actus ferventiores ſunt, eo gratia augetur ex opere operantis.

Ex eo quod Euchariſtia gratiam habitualem producat in ipſa manducatione duo colligit Ludovicus Habert *cap.* 19. *q.* 6. obſervatione digna. 1. eum qui ſacras ſpecies in ore detineret, aut expueret, nullum ex Sacramento fructum percepturum. 2. vanam eſſe obſervationem, quam Inquiſitores fidei damnarunt in Hiſpania, ſi grandiores formulæ ſumantur, vel major vini copia infundatur in calicem; ut, ſpecibus diutius in ſtomacho permanentibus, uberior gratia producatur.

Quæres 1. num peccata mortalia, quorum quis conſcientiam non habet, Euchariſtiæ fructui obicem ponant?

Reſp. D. Thomas 3. *p. q.* 80. *art.* 4. *ad* 5. *Dicendum quod hoc quod non habet aliquis conſcientiam ſui peccati, poteſt contingere dupliciter. Uno modo per culpam ſuam, vel quia per ignorantiam juris quæ non excuſat, reputat non eſſe peccatum quod eſt peccatum; puta ſi aliquis fornicator reputaret ſimplicem fornicationem non eſſe peccatum mortale; vel quia negligens eſt in examinatione ſui ipſius; contra id quod Apoſtolus dicit*, 1. *Cor.* 11.: Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. *Et ſic nihilominus peccat, peccator ſumens corpus Chriſti, licet non habeat conſcientiam peccati, quia ipſa ignorantia eſt ei peccatum. Alio modo poteſt contingere ſine culpa ipſius, puta cum doluit de peccato, ſed non eſt ſufficienter contritus; & in tali caſu non peccat ſumendo corpus Chriſti; quia homo per certitudinem ſcire non poteſt, utrum ſit vere contritus; ſufficit enim ſi in ſe ſigna contritionis inveniat, puta ſi doleat de præteritis, & proponat cavere de futuris. Si vero ignorat hoc, quod fecit, eſſe actum peccati propter ignorantiam facti, quæ excuſat (puta ſi acceſſit ad non ſuam, quam credebat eſſe ſuam) non eſt ex hoc dicendus peccator. Similiter etiam ſi totaliter eſt peccatum oblitus, ſufficit ad ejus deletionem generalis contritio, ut infra dicetur. Unde jam non eſt dicendus peccator.* Et præced. quæſt. 79. art. 3. in corp. *Hoc Sacramentum*, inquit, *in eo, qui ipſum percipit in conſcientia peccati mortalis, non operatur remiſſionem peccati. Poteſt tamen hoc Sacramentum operari remiſſionem peccati dupliciter. Uno modo non perceptum actu, ſed voto, ſicut cum quis prius juſtificatur a peccato. Alio modo etiam perceptum ab eo, qui eſt in peccato mortali, cujus conſcientiam & affectum non habet. Forte enim primo non fuit ſufficienter contritus, ſed devote, & reverenter accedens conſequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remiſſionem peccati.* Perſpicua adeo hæc ſunt, ut nulla indigeant declaratione.

Quæres, 2. Quem effectum Sacramenti Euchariſtici impediant peccata venialia?

Reſp. D. Thomas *cit. q.* 79. *art.* 8. his verbis: *Dicendum quod peccata venialia dupliciter accipi poſſunt. Uno modo prout ſunt præterita* (intellige quoad actum, licet quoad reatum, & conſcientiam ſint præſentia); *alio modo prout ſunt actu exercita. Primo quidem modo peccata venialia nullo modo impediunt effectum hujus Sacramenti. Poteſt enim contingere, quod aliquis poſt multa peccata venialia commiſſa, devote accedat ad hoc Sacramentum, & plenarie hujus Sacra-*

cra-

Digitized by Google

cramenti conſequatur effectum. Secundo autem modo peccata venialia non ex toto impediunt hujus Sacramenti effectum, ſed in parte. Dictum eſt enim, quod effectus hujus Sacramenti non ſolum eſt adeptio habitualis gratiæ, vel charitatis, ſed etiam quædam actualis refectio ſpiritualis dulcedinis. Quæ quidem impeditur, ſi aliquis accedat ad hoc Sacramentum, per peccata venialia mente diſtractus. Non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ vel caritatis. Itaque juxta Angelicum peccata venialia præterita, ſeu in habitu tantum manentia ſecundum maculam, & reatum per ſe nullum hujus Sacramenti effectum impediunt; ſcilicet neque gratiæ augmentum; neque actualem caritatis fervorem, & ſpiritualem mentis oblectationem; quæ ſecundarii, & acceſſorii ejuſdem Sacramenti ſunt fructus. Actu vero exercita, ideſt quæ jam actu placent, vel actu committuntur, quamvis effectum actualis devotionis, ideſt fervorum caritatis, ſuavitatem, & dulcedinem, quæ ab hoc Sacramento hauritur, impediant; non tamen impediunt effectum habitualis gratiæ, vel caritatis ab eodem Sacramento impertitum, cum quo venialia peccata conſiſtere poſſunt. Non impediunt, inquam, ex toto; licet proculdubio eo magis attenuetur, quo per hujuſmodi peccata ſuſcipiens ad abundatiorem gratiam efficitur minus diſpoſitus.

Animadvertendum autem eſt hic ſermonem eſſe de peccatis venialibus, quæ neque directe, neque indirecte adverſantur reverentiæ Sacramenti, & nihil, aut parum impedimenti, vel facile ſuperabilis adferunt, quin attentio, & exercita devotio in eo recipiendo habeatur. Hujuſmodi ſunt leves quidam affectus ad ludum, ad ſupervacaneas recreationes, ad honores &c. a quibus ſi omnino purgatus animus requireretur ad fructuoſam communionem, certe quam maxima Chriſtianorum pars a participatione hujus Sacramenti, quod tamen in communem hominum uſum credimus inſtitutum, foret arcenda, utpote ob generalem fragilitatem tantæ puritatis expers, & ſanctimoniæ.

At quid dicendum de eo, qui ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum accedit ſine attentione, & actuali devotione?

Reſp. Defectus attentionis, & actualis, devotionis abſolute conſideratus habitualis gratiæ carentiam non adfert, ſeu gratiæ augmentum non impedit, ut compertum eſt in infantibus, & amentibus baptizatis; quibus olim Eccleſia Euchariſtiam indulgebat. Impediet quidem deguſtationem ſpiritualis illius dulcedinis, quam experiuntur, qui cum actuali attentione Sacramentum recipiunt; ſed hic, ut jam diximus, eſt effectus dumtaxat ſecundarius.

Voluntaria autem mentis evagatio in ſuſcipienda Euchariſtia, præſertim quæ potius ex negligentia excitandi ſe ad actus tanti Sacramenti ſumtioni convenientes eſt volita in cauſa, quam expreſſo mentis propoſito ſit volita in ſe, venialis culpæ non videtur tranſcendere improbitatem, ſi alioquin intentionem cum fructu illud percipiendi non auferat. Quod ſi ex induſtria, advertenter, & ſtudioſe fuerit electa gravem in Sacramentum irreverentiam, adeoque mortiferam importare a Vincentio Contenſonio, & Juvenino, aliis tamen Theologis communiter non diſtinguentibus, immo implicite diſſentientibus, exiſtimatur.

Quæres 3. An uberiorem fructum recipiat Sacerdos, qui ſub utraque ſpecie Euchariſtiam ſumit, quam Laicus, qui ſub una dumtaxat eam percipit?

Reſp. Non una eſt hac de re Theologorum omnium opinio. Probabilior, ſicut & communior nobis videtur eorum ſententia, qui exiſtimant *per ſe loquendo, & ex opere operato* uberiorem fructum non recipere Sacerdotem qui ſub utraque ſpecie Euchariſtiam ſumit, quam Laicum, qui ſub una dumtaxat eam percipit, ſi cætera paria ſupponantur. Huic aſſertioni apertiſſime favet D. Thomas 3. *p. q.* 80. *art.* 12. *ad* 5. dicendo: *Poteſt autem a populo corpus ſine ſanguine ſumi, nec exinde ſequitur aliquod detrimentum, quia Sacerdos in perſona omnium ſanguinem offert, & ſumit, & ſub utraque ſpecie totus Chriſtus continetur.* Ex quibus verbis, validiſſima eruitur ratio ad eandem aſſertionem confirmandam. Quippe tota efficacia & virtus Sacramenti Euchariſtici, a Chriſti corpore, & ſanguine in eo contentis manare non dubitatur. Cum ergo totus Chriſtus in unica tantum ſpecie ſumatur, cur non & totus ſpiritualis nutritionis effectus ab eo, qui unicam ſumit, capiatur? Clarius adhuc idem *S. D. Opuſc.* 58. *de Sacrament. Altaris cap.* 29.: *Sicut*, inquit, *ſumit Sacerdos ſanguinem Chriſti ſacramentaliter de Calice; ſic populus ſumit eum intellectualiter ſub ſpecie panis de ipſo corpore Chriſti; & eſt ei tam utilis, &*

G 2 tam

Digitized by Google

tam dulcis, ut Sacerdotibus, qui ſumunt eum ſub ſpecie vini de calice.

Diximus autem 1. ſententiam hanc *probabiliorem* eſſe, non certam, quia Concilium Tridentinum *Seſſ.* 21. *cap.* 2. id dumtaxat hac in controverſia definivit, *nulla gratia neceſſaria ad ſalutem eos defraudari qui unam ſpeciem ſolam accipiunt*; & poſt iſtud Concilium majorem utriuſque ſpeciei efficaciam propugnarunt, & propugnare pergunt, ut jam indicavimus, inſignes Theologi etiam Thomiſtæ.

Diximus 2. *per ſe loquendo*, & *ex opere operato*; etenim, „ poteſt ſub utraque „ ſpecie communicans, ait Em. Gotti *Tract.* „ 7. *quæſt.* 4. *dub.* 7. §. 3., *ex opere ope-* „ *rantis* majorem gratiam recipere ex ma- „ jori devotione: & in hoc ſenſu ad ma- „ joris gratiæ augmentum dicitur Clemens „ VI. Regi Angliæ conceſſiſſe, ut utram- „ que ſpeciem ſumeret. Neque inutilis vi- „ ni ſpecies evadit; quia licet vi illius no- „ va gratia non producatur, cum tamen „ major ſit expreſſio ejus, quod ſub ſpecie „ panis continetur, excitat majorem in „ ſumente devotionem. “

Quandonam vero Sacerdos, qui ſub utraque ſpecie communicat, Sacramenti effectum recipiat non conveniunt Doctores. Opinantur plerique, Sacerdotem effectum Sacramenti recipere in ſumtione Hoſtiæ, cum nulla ſit dilationis cauſſa; ita tamen, ut non vi ſolius Hoſtiæ, ſed vi utriuſque ſpeciei eumdem effectum obtineat. Poteſt enim, ajunt, ſpecies nondum recepta, ſed certo ſtatim recipienda, ob proximam ſuam cum alia conjunctionem, Deo ita ordinante, non quidem phyſice, ſed moraliter operari. Tunc porro ſpecies calicis cum ſumitur, nihil efficit de novo, quia effectum ſuum bis operari nequit.

Arbitrantur alii, Euchariſtiam ſub ſpecie panis non operari, niſi cum abſoluta eſt tota Euchariſtiæ ſumtio: hanc autem non cenſeri abſolutam, niſi cum utraque ſpecies ſumta eſt: unde tunc prima ſpecies cum ſecunda poſt hujus ſumtionem confert eumdem effectum, quem contuliſſet ſola, ſi ſola ſumta fuiſſet. Neutra expoſitio, inquit Continuator *Prælect. Theolog. Honorati Tournely Tract. de Euchar. p.* 1. *cap.* 7. impugnari ſolide poteſt, quia utramque viam potuit Deus eligere ad Sacramenti ſui effectum: utram vero elegerit, certo definire non poſſumus.

Quæres 1. utrum Euchariſtia proſit aliis quam ſumentibus?

Reſp. Euchariſtia, ut eſt Sacramentum *ex opere operato* non prodeſt aliis quam ſumentibus; ſeu non aliis, quam eam realiter ſumentibus, quos *ex opere operato* producit effectus, confert. Ratio manifeſta eſt. Quippe Euchariſtia prout eſt Sacramentum ſe habet ut cibus & potus, qui nonniſi ſumentibus nutritionem impertiunt: unde in Evangelio ſolis manducantibus carnem Chriſti, ſanguinemque bibentibus beneficia manſionis in Chriſto, vitæ æternæ, reſurrectioniſque promittuntur.

Diximus autem 1. ut *Sacramentum eſt*, ſiquidem Euchariſtia, prout eſt Sacrificium, poteſt etiam non ſumentibus prodeſſe, *in quantum*, ait D. Thomas 3. *p. quæſt.* 79. *art.* 7., *pro ſalute eorum offertur*.

Diximus 2. *ex opere operato*. Etenim communio *ex opere operantis* prodeſſe poteſt aliis, quam ſumentibus. Nam quælibet pia actio in caritate facta ratione communicationis, quæ eſt inter Chriſti membra, poteſt aliis prodeſſe capacibus, & conjunctis in Chriſto, accedente maxime operantis intentione, & applicatione, qua ad alios proprii operis fructum non jam meritorium, ſed impetratorium, atque ſatisfactorium transferre velit.

Hinc liquido conſtat, quid ſentiendum ſit de Communione quæ fieri ſolet a quibuſdam pietatis affectu ductis pro animabus in Purgatorio degentibus, cujus utilitatem nimium exaggeravit Thomas Hurtado *Var. Reſolut. part.* 2. *reſol.* 11., & e contrario nimium attenuare tentavit Theophilus Raynaudus in *Opuſculo* inſcripto *Error popularis de communione pro mortuis agenda*. Non prodeſt quidem illis *ex opere operato*, ſed tamen prodeſt *ex opere operantis* tum ratione ſui, ut eſt actus pietatis, tum ratione precum, quæ eamdem præcedunt, comitantur, & ſubſequuntur, ejuſque occaſione fervent magis, magiſque Deo acceptæ ſunt. Quare jure merito Sacra Cardinalium Congregatio ſub Alexandro VIII. eorum ſententiam proſcripſit, qui morem communicandi pro Defunctis carpebant, & improbabant.

§. VIII.

Digitized by Google

§. VIII. *De Eucbariſtiæ Sacrificio, ejuſdemque notione.*

Notio ſacrificii generatim

I. NOTA in primis naturam ſacrificii generatim accepti, quæ in eo conſiſtit, quod ſit oblatio exterior rei ſenſibilis, facta Deo, a legitimo miniſtro, publica auctoritate deputato, cum immutatione victimæ, ad proteſtandum illius ſuper univerſa creata ſupremum dominium. Explico ſingulas datæ definitionis partes: Dicitur Oblatio exterior, quia Sacrificium eſt publicus Dei cultus nomine totius Communitatis oblatus, idcirco debet conſiſtere in aliquo actu exteriori, Communitati fidelium innoteſcente, & eadem ratione debet eſſe oblatio rei ſenſibilis, quia ſenſibilia dumtaxat fideli populo innoteſcere poſſunt. Debet autem offerri a legitimo miniſtro publica auctoritate inſtituto, quia quamvis id non requiratur a quidditate Sacrificii, cum tamen ſacrificium offeratur nomine Communitatis, decentiſſimum eſt, ut non a quolibet, ſed ab electo miniſtro offeratur; in ſacrificio debet Victima immutari, & ſi vita gaudeat, debet mactari; eo quod offeratur Deo non utcunque, ſed ut ſupremo rerum omnium Domino, potienti plena, & abſoluta poteſtate in vitam, mortem, & exiſtentiam cunctorum entium; quæ ſicuti ex nihilo condidit, ita ad nihilum ſuo nutu redigere poteſt.

Miſſa eſt verum ſacrificium.

II. Celebratio Euchariſtiæ, quæ communiter vocitatur Miſſa (eo quod nobis a Deo Patre mittitur Filius ſub ſpeciebus, & a nobis eidem Patri remittitur per oblationem) eſt verum novæ legis Sacrificium, ut fides docet in Synodo Tridentina ſeſſ. 22. can. 1. *Si quis dixerit in Miſſa non offerri Deo verum & proprium ſacrificium; aut quod offerri, non aliud ſit, quam nobis Chriſtum ad manducandum dari, anathema ſit.* Eidem enim convenit data ſacrificii notio; eo quod ſit oblatio exterior, ut patet, rei ſenſibilis, nempe Corporis, & Sanguinis Chriſti, quæ quamvis nobis modo inſenſibilia ſint, nihilominus & ſunt ſenſibilia in ſe, & nobis ſenſibilia redduntur per ſpecies conſecratas, in quibus realiter continentur: hæc oblatio fit Deo, ut patet ex verbis Canonis; a legitimo Miniſtro ab Eccleſia conſecrato, & deſtinato, cum mactatione victimæ oblatæ, quæ eſt Chriſtus, qui ex vi verborum ſacramentaliter mactatur, quatenus, vi verborum expreſſorum, ponitur Corpus ſeparatum a ſanguine; in hoc enim conſiſtit mactatio victimæ; nam ex vi prolationis verborum, ponitur ſub ſpecie panis ſolum Corpus, & ſub ſpecie vini ſolus Sanguis: quamvis nunc, ob coniunctionem, quam habent in Chriſto jam vivente, reapſe unum ſit alteri conjunctum, quod non eveniſſet in triduo mortis Chriſti, ſi Apoſtoli conſecraſſent, quia tunc revera ſanguis erat ſeparatus a corpore, & in hoſtia extitiſſet nedum ſacramentaliter, ſed etiam realiter ſolum corpus ſine anima, & ſanguine, & in calice extitiſſet ſolus ſanguis ſine anima, & corpore; quia tunc revera Chriſtus ita erat; modo tamen tam in hoſtia, quam in Calice ſunt omnia realiter conjuncta, quia Chriſtus vivit non amplius moriturus; nihilominus ſenſibiliter, & ſacramentaliter ex vi verborum non ſignificatur in hoſtia niſi ſolum corpus, & in calice niſi ſolus ſanguis, quod ſufficit ad Sacramentalem, & per verba ſenſibilem victimæ mactationem; ad proteſtandum ſupremum Dei dominium in cuncta creata: habet igitur celebratio Euchariſtiæ in Miſſa veram ſacrificii naturam.

In conſecratione conſiſtit eſſentia hujus ſacrificii.

III. Hinc infertur cum Angelico Doctore q. 82. art. 10., quod *conſecratione hujus Sacramenti ſacrificium offertur*: & ad 1. quod *hoc ſacramentum perficitur in conſecratione materiæ, in qua ſacrificium Deo offertur*: & art. 4. ad 1. *conſecratio Euchariſtiæ eſt ſacrificium.* Conſiſtit igitur eſſentia hujus ſacrificii in Conſecratione utriuſque ſpeciei. Nam in ea actione debet conſiſtere eſſentia ſacrificii, quæ fit in perſona Chriſti offerentis principalis, & qua immolatur victima; ſola autem conſecratio fit in perſona Chriſti, ut patet ex verbis canonis: cætera enim proferuntur a ſacerdote in perſona propria; & ſola conſecratione mactatur victima, eo quod ſola conſecratione ſeparatur corpus a ſanguine, modo explicato: ergo &c.

Quomodo ſumtio ſpectet ad hoc ſacrificium?

IV. Cum autem conſecratio fiat in ordine ad ſumptionem; quandoquidem ſit ſacrificium inſtitutum ad modum convivii, ſimulque ſit holocauſtum, in quo tota conſumitur victima; idcirco ſumtio utriuſque ſpeciei eſt pars, non eſſentialis, ſed integralis principalis ejuſdem ſacrificii, & propterea Eccleſia fuit ſemper ſollicita, ut ſacrificium conſummaretur, etiamſi deſit jejunus, a non jejuno, ut diximus §. VI. numer. XVII. Hinc conſumtio victimæ poteſt dici de eſſentia hujus actio-

actionis, in quantum eſt holocauſtum; de ſola integritate autem, in quantum eſt ſacrificium.

Qualitates hujus ſacrificii. V. Hoc itaque ſacrificium ſi conſideretur in ordine ad ſuum finem, eſt Latreuticum, ſeu honorem exhibens Deo, oblatum in ipſius honorem, ad conteſtandam illius in cuncta creata ſupremam dominationem: eſt Euchariſticum, ſeu in gratiarum actionem pro beneficiis a Deo acceptis: eſt Satisfactorium, dum offertur pro peccatis commiſſis, & remiſſis; & Impetratorium pro obtinendis a Deo beneficiis, primo ſpiritualibus, deinde temporalibus. Si autem conſideretur in ordine ad fructus, & effectus, eſt Propitiatorium, dum offertur Deo pro conſequenda venia peccatorum mortalium, quatenus obtinentur auxilia ad ea deteſtanda, & relinquenda: Eſt Expiatorium, dum offertur pro remiſſione venialium animæ juſtæ: eſt Satisfactorium, dum offertur ad diminutionem pœnarum peccatis remiſſis debitarum: eſt Impetratorium pro obtinendis beneficiis cujuſcumque generis. Sed de his fructibus iterum operoſius in ſequenti Paragrapho.

Principalis offerens Chriſtus. VI. Ex hactenus dictis inferas, principalem offerentem hoc ſacrificium eſſe Chriſtum ipſum, ut fides docet in Concil. Lateranenſi cap. *Firmiter*, ubi dicitur: *Idem ipſe ſacerdos eſt ſacrificium*. Et in Tridentino ſeſſ. 22. cap. 2. *Una enim, eademque eſt hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum tunc in cruce obtulit, ſola offerendi ratione diverſa*. Proprius autem, & ſolus miniſter ejuſdem ſacrificii eſt Sacerdos, ex Chriſti inſtitutione per illa verba Apoſtolis dicta: *hoc facite in meam commemorationem*: quæ verba, perpetua Traditione, Eccleſia ſemper intellexit ſolis ſacerdotibus applicanda. Cæteri vero fideles dici poſſunt coofferentes ſacrificium, non quia illud una cum Sacerdote conficiant, ſed quia una cum illo Deo offerunt: Et quidem ſpecialiter qui illud celebrare facit; qui ſuam intentionem intentioni ſacerdoti conjungit; & qui eidem inſervit; & præſertim qui devote ſacrificio adeſt, & ſuam intentionem Eccleſiæ intentioni conjungit.

Miniſter ſolus Sacerdos

* Sancta Tridentina Synodus *Seſſ.* 22. *cap.* 6. innixa doctrinæ, quam perpetua Eccleſiæ traditio ſervavit, ſanxit Miſſas privatas, in quibus Sacerdos ſolus ſacram ſumit Euchariſtiam, veri, perfecti, & integri Sacrificii incruenti a Chriſto Domino inſtituti rationem non amittere, ideoque illicitas non eſſe exiſtimandas, ſed probandas, atque commendandas; & adverſantem novam, falſamque Lutheri ſententiam damnavit *can.* 8. his verbis: *Si quis dixerit, Miſſas, in quibus ſolus Sacerdos Sacramentaliter communicat, illicitas eſſe; ideoque abrogandas: anathema ſit*. Legatur Encyclica S. P. Benedicti XIV. ad Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, & Epiſcopos Italiæ data *die* 13. *Novembris* 1742. incip. *Certiores effecti*, in qua decernit Miſſam celebrantes non teneri Sacram Euchariſtiam omnibus petentibus infra ipſam actionem miniſtrare. Hujuſce Encyclicæ hæc eſt ſumma. 1. Statum controverſiæ exponit. 2. Miſſas, in quibus ſolus Sacerdos communicat, improbari non poſſe demonſtrat ex Concilio Tridentino. 3. Ejuſdem Concilii votum pro frequenti fidelium communione ad cujuſlibet Miſſæ celebrationem pandit. 4. Laudat morem participandi de Sacrificio Miſſæ. Quamvis, *ait*, de eodem Sacrificio participent, præter eos, quibus a Sacerdote celebrante tribuitur in ipſa Miſſa portio victimæ a ſe oblatæ, ii etiam, quibus Sacerdos Euchariſtiam reſervari ſolitam miniſtrat; non tamen idcirco aut vetuit unquam Eccleſia, aut modo vetat, ſatiſfieri ab ipſo Sacerdote pietati, & juſtæ eorum petitioni, qui Miſſæ adſtantes ad conſortium admitti poſtulant ejuſdem Sacrificii, quod & ipſi pariter offerunt ea ratione, quæ ipſos decere poteſt: immo probat, atque cupit, ne id omittatur, eoſque Sacerdotes increparet, quorum culpa, & negligentia fidelibus participatio illa denegaretur. 5. Subdit ad animarum tamen Paſtores pertinere opportunitatem temporum, & locorum pro communione Fidelium ſtatuere. 6. Hodiernam diſciplinam facillimam præſtare SS. Euchariſtiæ participationem patefacit, cui, *addit*, qui ſe aptare renuit, male ſe diſpoſitum eſſe indicat. 7. Tandem adhortationem ad animorum concordiam adjungit. Extat *Tom.* 1. *Bullarii num.* 64.

* Lubet hic etiam paucis exponere, quomodo Sacrificium Miſſæ differat a Sacrificiis veteris legis, a Sacrificio ultimæ cœnæ, & Crucis, ab Euchariſtia ut eſt Sacramentum, & a conſecratione.

Itaque 1. Sacrificium Miſſæ differt eſſentialiter a Sacrificiis veteris legis, in quatuor præſertim. 1. in re oblata, ſeu vi-

Digitized by Google

victima; quippe res oblata ſeu victima in Sacrificio Miſſæ eſt ipſe Chriſtus, totum ſe ſuaque merita Patri exhibens; in Sacrificiis autem veteris legis rei oblata ſeu victima conſtabat animantibus, aliiſque rebus, quæ ſolum Chriſtum præfigurabant. 2. in offerente; alius eſt enim modo offerens & Sacerdos, alius olim in lege. 3. in modo offerendi; quandoquidem olim erat per realem deſtructionem victimæ; in Sacrificio vero Miſſæ fit mactatio ſolum myſtica, ſeu quoad eſſe ſacramentale tantum. 4. demum in virtute & efficacia; etenim veteris legis Sacrificia conferebant dumtaxat gratias legales; nullumque alium effectum ex *opere operato* præſtabant ſicut Sacrificium Miſſæ.

2. Sacrificium Miſſæ non differt eſſentialiter ſeu a Sacrificio ultimæ Cœnæ, ſeu a Sacrificio Crucis; quoniam eadem eſt utrobique Hoſtia, idem & principalis offerens, nempe Chriſtus.

Differt tamen Sacrificium Miſſæ accidentaliter tam ab uno quam ab alio. Differt quidem a Sacrificio Cœnæ multipliciter 1. in qualitate rei oblatæ, videlicet Chriſti mortalis, & immortalis; nam Chriſtus in ultima Cœna ſe ſe ut mortalem obtulit; in Miſſa vero offert ſe quidem in ſtatu mortis, ſed ut jam non moriturum: unde Joannes in Apocalypſi *cap.* 5. *v.* 6. Agnum vidit *tamquam occiſum*, ſed tamen vere *ſtantem*. 2. in modo actionis: ſiquidem in Sacrificio ultimæ Cœnæ Chriſtus ſemetipſum immediate obtulit; in Miſſa vero miniſterio Sacerdotum ſeſe offert. 3. in effectu morali; quandoquidem Sacrificium Cœnæ meritorium fuit & ſatisfactorium; non item Sacrificium Miſſæ, in quo quidem Chriſtus propitiari poteſt, ac merita ſua applicare, non autem mereri de novo utpote extra ſtatum viæ. 4. tandem ratione ſignificationis; nam Cœnæ Sacrificium mortem Chriſti ut futuram repræſentabat, Miſſæ vero Sacrificium ut præteritam portendit. Differt etiam a Sacrificio Crucis ratione modi offerendi, ſcilicet cruenti & incruenti; etenim cruento modo ſalutis Hoſtia oblata fuit in Cruce, & modo incruento offertur in Miſſa.

3. Sacrificium Miſſæ non differt ab Euchariſtia, ut eſt Sacramentum vel penes actionem, ſeu principium, quo producuntur; quia utrumque eadem actione, nimirum conſecratione, conficitur; vel penes actionis terminum, quia idem utrobique terminus eſt, videlicet Chriſtus.

Differunt tamen eſſentialiter Sacrificium Miſſæ, & Sacramentum Euchariſtiæ; 1. quia Sacrificii eſſentia repoſita eſt in actione tranſeunte, ſacrificativa, nimirum conſecratione; & neceſſario utramque requirit ſpeciem; eſſentia vero Sacramenti Euchariſtiæ velut ejus effectus conſiſtit in re permanente, & in una ſpecie ſalvatur. 2. ratione finis; Sacrificium namque per ſe & immediate ordinatur ad debitum Deo cultum exhibendum, cum ſit actus ſupremus Latriæ; Sacramentum vero Euchariſtiæ ordinatur ad noſtram ſanctificationem. Hinc etſi Sacrificium & Sacramentum ratione rei oblatæ & contentæ omnino idem ſint; adeoque æque perfecta; attamen ratione finis perfectius eſt Sacrificium, quam Sacramentum; quia Sacrificium ad proximum nobiliorem finem ordinatur, ſcilicet, ut diximus, ad Deo debitum cultum exhibendum; Sacramentum vero ad finem minus nobilem, nempe ad hominem per gratiam ſecundam ſanctificandum.

4. Demum Sacrificium Miſſæ non differt eſſentialiter a conſecratione, ſed eſt ipſamet conſecratio, ut jam aſſeruimus, quatenus rationem immolationis, & immutationis habet modo expoſito; differt tamen integraliter, quatenus Sacrificium plures præter conſecrationem integrales ac cærimoniales partes complectitur. Legatur Sylvius *in* 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 1. *quær.* 5.

§. IX. *De valore, & effectibus ſacrificii Miſſæ.*

I. Valor Sacrificii Miſſæ ex pluribus capitibus deduci poteſt: primo ex opere operato, ideſt ex ipſamet actione ſacrificandi in vi inſtitutionis Chriſti, independenter a diſpoſitione ſacrificantis; & hic valor eſt æqualis in omni ſacrificio Miſſæ, quia æqualis eſt reſpectu omnium ſacrificiorum inſtitutio. Secundo ex opere operantis, qui profluit ex illa actione, quatenus a tali miniſtro exercetur, & hic eo major eſt, quo dignior eſt offerens. Tertio, ex ipſa re, ſeu victima oblata, & ex hoc capite eſt infinitus; cum victima oblata, quæ eſt Chriſtus Deus homo, ſit valoris infiniti. Quarto valor ſumitur pro efficacia, quam Sacrificium habet reſpectu ſui effectus, quatenus per miniſtros Explicatur valor Sacrificii Miſſæ.

Eccleſiæ Deo offertur; & hoc modo eſt valoris finiti; eo quod ſit oblatio, quæ fit a miniſtro creato finitæ virtutis & efficaciæ, & ſecundum hanc conſiderationem ſumitur in præſenti; nempe non ex infinitate victimæ oblatæ, ſed ex natura operis a Chriſto inſtituti, & procedentis a miniſtro finitæ efficacitatis ex mandato Chriſti. Si enim neque Sacrificium Crucis habuit infinitatem, quoad efficaciam; cum plurimi non ſalventur; ſed dumtaxat quoad ſufficientiam; multo minus efficaciam infinitam habebit Sacrificium ab homine oblatum; quandoquidem Sacrificium Miſſæ ex Tridentino ſeſſ. 22. cap. 1., a Chriſto relictum ſit Eccleſiæ ſponſæ, ut Sacrificii Crucis *ſalutis virtus in remiſſionem peccatorum applicaretur*. Ex quo apparet, Sacrificium Miſſæ eſſe inſtrumentum quoddam, quo mediante valor Sacrificii Crucis nobis applicatur: inſtrumentum autem non habet efficaciam majorem ſua cauſa principali: cum igitur ſacrificium Crucis non habuerit in ordine ad effectum efficaciam infinitam, neque hoc Sacrificium hac gaudebit. Et hic videtur eſſe ſenſus Eccleſiæ, approbantis multiplicationem ſacrificiorum pro eadem perſona. Exinde ſequitur, minus prodeſſe Sacrificium oblatum pro pluribus, quam ſi applicetur pro uno tantum; valor namque finitus, quo in plures partes dividitur, eo minus ab illis participatur, quam ſi totus uni dumtaxat applicetur. Hanc eſſe S. Th. mentem, elucet ex 4. ſent. diſt. 45. qu. 2. a. 4. q. 3. ad 2. *Quamvis virtus Chriſti, quæ continetur ſub ſacramento Euchariſtiæ ſit infinita, tamen determinatus eſt effectus ad quem illud Sacramentum ordinatur: unde non apparet, quod per unum Altaris Sacrificium tota pœna eorum, qui ſunt in Purgatorio expietur; ſicut etiam quod nec per unum Sacrificium, quod aliquis homo offert, liberetur a tota ſatiſfactione debita pro peccatis: unde & quandoque plures Miſſæ in ſatiſfactionem unius peccati injunguntur*.

Quid valor? quid fructus?

II. Ex dictis inferas, aliud eſſe valorem, & aliud fructum Sacrificii; valor namque eſt ipſa Sacrificii efficacia, quæ vim habet obtinendi a Deo bona cujuſcumque generis tam ipſi offerenti, quam illis, pro quibus offertur; fructus autem ſunt ipſa bona per valorem obtenta.

Explicatur fructus, qui immediate profluit ab ipſo ſacrificio.

III. Fructus Sacrificii a quocunque celebrati, ſive probo, ſive malo Sacerdote, & profluentes immediate ab ipſo ſacrificio ex opere operato ſunt duo; nempe ſatisfactorius, & impetratorius: ſatisfactorius in eo conſiſtit, quod Sacrificium ex ipſo opere operato, habet vim ſatisfaciendi pro pœnis temporalibus, ideſt non æternis, quæ debentur peccatis jam remiſſis fidelium tam vivorum, quam defunctorum; dummodo tamen viventes ſint in ſtatu gratiæ; cum enim Miſſæ Sacrificio applicetur valor Sacrificii Crucis, & Sacrificium Crucis oblatum fuerit etiam pro dictis pœnis; propterea &c. Fructus impetratorius ſimiliter immediate procedens ab ipſo Sacrificio ex opere operato in eo conſiſtit quod impetret Beneficia tam ſpiritualia, quam temporalia ad fidelium ſalutem conducentia, & hoc ob dictam rationem.

Explicantur fructus mediate tantum a ſacrificio profluentes.

IV. Fructus mediate dumtaxat a Sacrificio profluentes ex ipſo opere operato ſunt duo, nempe propitiatorius, & expiatorius. Propitiatorius in eo conſiſtit, quod obtineat auxilia gratiæ, quibus & doleamus de peccatis, & ſinceram eorumdem emendationem procuremus; ob datam rationem. Dicitur autem hæc propitiatio mediate profluere a Sacrificio; quia obtinetur immediate, non ex vi Sacrificii, ſed ex vi auxiliorum a Sacrificio immediate impetratorum. Fructus expiatorius mediate profluens a Sacrificio ex ipſo opere operato, in eo conſiſtit, quod obtineat auxilia ad nos corrigendos a venialibus per pios voluntatis affectus: & etiam hoc ob datam rationem, quia in eo applicatur Sacrificium Crucis, a quo omnia hujuſmodi proceſſerunt. Ex his etiam infertur, quod Sacrificium Miſſæ ex opere operato, & immediate nullum delet peccatum, quamvis efficax ſit ad impetranda auxilia, quibus a peccatis per contritionis actus emendemur.

Explicantur fructus per reſpectum ad participantes Sacrificium.

V. Præfati fructus ſi conſiderentur reſpective ad participantes, dividuntur in alios quatuor, nempe in Generalem, Miniſterialem, Specialem, & Specialiſſimum. Generalis percipitur a tota fidelium Catholicorum Communitate. Miniſterialis eſt ille, qui participatur ab illis, quibus a Celebrante applicatur Sacrificium, ita ut vere dicatur pro illis ſacrificium celebratum, & propterea ex ſe longe uberior, & copioſior eſt cæteris perceptis ab aliis. Specialis ille eſt, qui percipitur a pie aſſiſtentibus celebrationi &c. Specialiſſimus ille eſt, qui percipitur ab ipſo celebrante, ſi digne celebret; quippe nulli alteri eſt applicabilis.

Digitized by Google

Quæres. Num plus valeat ſacrificium a bono, quam a malo Sacerdote oblatum?

Reſp. D. Thomas 3. *p. q.* 82. *art.* 6. *in corp.* ad rem hanc hæc docet: *Dicendum*, inquit, *quod in Miſſa duo eſt conſiderare, ſcilicet ipſum Sacramentum, quod eſt principale, & orationes, quæ in Miſſa fiunt pro vivis & mortuis. Quantum ergo ad Sacramentum, non minus valet Miſſa Sacerdotis mali, quam boni, quia utrobique idem conficitur Sacramentum. Oratio etiam, quæ fit in Miſſa poteſt conſiderari dupliciter: uno modo, inquantum habet efficaciam ex devotione Sacerdotis orantis; & ſic non eſt dubium quod Miſſa melioris Sacerdotis magis eſt fructuoſa: alio modo, inquantum oratio in Miſſa profertur a Sacerdote in perſona totius Eccleſiæ, cujus Sacerdos eſt miniſter: quod quidem miniſterium etiam in peccatoribus manet, ſicut ſupra dictum eſt:* (nempe art. præced.) *unde etiam inquantum ad hoc eſt fructuoſa non ſolum oratio Sacerdotis peccatoris in Miſſa, ſed etiam omnes ejus orationes, quas facit in Eccleſiaſticis officiis, in quibus gerit perſonam Eccleſiæ, licet orationes ejus privatæ non ſint fructuoſæ, ſecundum illud Proverbiorum 28. qui declinat aures ſuas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* Ita S. D., cujus principiis inſiſtendo dicimus (ſubdit P. Renatus Hyacinthius Drouven *De Re Sacram. Tom.* 1. *Lib.* 5. *qu.* 7. *cap.* 3. *q.* 2.) Sacrificium, ſi ſpectetur quatenus Corporis, & Sanguinis Chriſti oblatio eſt, & quatenus publica eſt oratio a Sacerdote, nomine totius Eccleſiæ facta, æqualem, a quocumque miniſtro ſive bono ſive malo offeratur, habere virtutem: tum quia, ut prædiximus, non eſt opus Sacerdotis, ſed Chriſti: tum quia Eccleſia ſive per bonum, ſive per malum miniſtrum oret, nihilominus ſancta eſt in ſe, & in membris ſuis vivis, ubique orantibus; adeoque veræ hujus columbæ ſuſpiria & gemitus ſemper a Cæleſti Sponſo exaudiuntur. Quod ſi ejus reſpectus habeatur, qui offert, Miſſam boni Sacerdotis, propterea quod ad Altare majorem afferat devotionem, meliorem eſſe non dubitamus. Si enim bonum additur bono, quod ex utroque exurgit, profecto eſt melius; eoque ſenſu ab Alexandro S. P. dictum, ut legitur in Gratiani Decreto, *De Conſec. q.* 1. *cap.* 1. *Ipſi Sacerdotes pro populo interpellant, & peccata populi comedunt; quia ſuis precibus & dolent, atque conſumunt: qui quanto digniores fuerint, tanto facilius in neceſſitatibus, pro quibus clamant, exaudiuntur* .... Et a Patribus Concilii Toletani IV. *can.* 20. *Abſtineamus ergo nos Sacerdotes ab omni opere malo, ut mundi corpore, purgati mente, poſſimus ad Sacrificium Chriſti digne accedere, & Deum pro delictis omnium deprecari.*

§. X. *De Applicatione Sacrificii.*

I. APplicatio Sacrificii nil aliud eſt, quam intentio Sacerdotis, volentis applicare Sacrificium, quod eſt celebraturus, pro tali perſona, anima, familia &c., quibus applicat ſupradictum fructum miniſterialem ipſius Sacrificii. Hæc intentio debet fieri ſaltem ante conſecrationem utriuſque ſpeciei; quia, cum ex dictis conſtet, Sacrificium eſſentialiter conſiſtere in conſecratione; ut verificetur applicatio Sacrificii, debet ſaltem hujuſmodi applicatio fieri ante conſecrationem. Conſultiſſimum tamen eſt illam facere ante inchoationem Miſſæ. Hinc poſt conſecrationem eſt nulla, ut patet ex ratione allata. *Applicatio Sacrificii quando facienda?*

Neceſſariam eſſe Sacerdotis intentionem, ut Sacrificii fructus valide applicetur, ambigit nemo. De qualitate vero hujus intentionis diſputant Theologi. Sunt qui ſentiunt ad valide applicandum Sacrificii fructum, eam intentionem neceſſariam eſſe, quæ requiritur, ut aliquod Sacramentum valide conficiatur. Sic præſertim Em. Cardinalis Bona *Tract. Aſcet. de Miſſa c.* 1. §. 5. *Quapropter*, ſic concludit ipſe, *habitualis ſufficiens non eſt, actualis optima, atque laudabilis, ſed non neceſſaria; ſufficit enim virtualis, illa nimirum, quæ ab actuali proveniens, & non revocata adhuc remanet in ſua virtute.*

Eamdem ſententiam amplexatus eſt P. Daniel Concina *Lib.* 3. *de Euch. Diſſert.* 2. *de Sacrif. Miſſ. cap.* 6. §. 2. *nu.* 38., qui eam ulterius ſic exemplis explicat. „ Accepiſti, inquit, 20. eleemoſinas pro „ totidem Miſſis. Hodie celebrationem in„ cipis, deliberaſque ſingulis diebus pro „ offerente applicare uſque ad ultimum, „ etiamſi cæteris ſingulis diebus alio di„ ſtractus intentionem non renoves, pu„ to ſufficere primam; virtualiter enim „ perſeverat. Similiter Religioſi ſubditi „ applicant Sacrificium juxta intentionem „ Sacriſtæ, vel Superioris, animumque de-

libe-

„ liberatum habent ſic applicandi; quamvis interdum diſtracti renovandæ hujus intentionis obliviſcerentur, non propterea ambigere de applicatione debent. "
Verum ſic expoſita ſententia de intentione virtuali requiſita ad Miſſæ fructum applicandum, verbis dumtaxat differre videtur ab opinione illorum, qui habitualem ſufficere intentionem arbitrantur. Utcunque tamen res ſeſe habeat; quamvis habitualis intentio ad conficiendum valide Sacramentum inutilis ſit, attamen ad validam Sacrificii applicationem communius, noſtroque judicio probabilius, idonea cenſetur: quandoquidem agitur de mera applicatione fructus non ab ipſo Sacerdote producendi, ſed qui a Sacrificio productus Sacerdotis poteſtati, & voluntati permittitur diſtribuendus. At rem Sacerdotis ſic ſubjectam, aut ſubiiciendam arbitrio valide ipſe alteri in anteceſſum donare poteſt, ita ut hæc donatio ſemel facta & non amplius revocata ſortiatur effectum tempore præſtituto ſine novo conſenſu, ut ſi hodie quis alicui elargiatur, quod cras ad manus ipſius perventurum præſtolatur. Alias res eſt de conſecratione, quæ eſt effectio quædam a voluntate dependens, adeoque ſine influxu voluntatis actu, vel virtute perſeverantis non exercenda.

* Abs re non erit hic attexere doctrinam, quam tradit P. Patritius Sporer *Theolog. Sacram. part. 2. cap. 5. ſect. 3. §. 3. num.* 349. videlicet quod etiam poſt conſecrationem Hoſtiæ, ante conſecrationem Calicis adhuc Sacerdos poſſit applicare fructum Sacrificii. Ratio eſt, quia conſecratione Calicis demum perficitur Sacrificium, & tunc primum dicitur Sacerdos integre ſacrificare, & offerre Sacrificium, & conſequenter ejus fructum conferri; ergo ante iſtam Calicis conſecrationem finitam Sacerdos ſemper poterit applicare fructum; idque *ſubdit*, non tantum tunc, quando ante conſecrationem Panis nulli applicaſſet, verum etiam tunc, quando jam applicarat alteri, ea voluntate revocata, adhuc poterit applicare alicui alteri, cujus proinde erit fructus, non prioris, quia conſecratione Calicis finita primum confertur fructus. Et hinc etiam in caſu, quo unus Sacerdos ſolo Pane conſecrato ſubito deficiat, & alius Sacerdos ſupplens conſecret Sanguinem: hujus erit applicare fructum Sacrificii; quia hic ſolus eſſentialiter & complete offert ſacrificium, ejuſque fructum confert; nec tenetur ſe intentioni prioris Sacerdotis conformare, quantum eſt ex ratione Sacrificii, niſi aliunde eſſet obligatio applicandi hoc Sacrificium pro certis perſonis v. g. pro Conventu, pro Defuncto &c. Tunc enim poſterior Sacerdos tenebitur ſe conformare prioris intentioni, non ratione Sacrificii; ſed ratione alterius obligationis. Conſule tamen S. Pontificem Benedictum XIV. *de Sacroſancto Miſſæ Sacrificio lib. 3 c. 16. n. 9.* ubi, relatis variis Theologorum hac de re opinionibus, ſic ſapienter monet: *Verum Sacerdos, ſe ut omnibus expediat difficultatibus, in præparatione ad Miſſam antequam Sacris ſe veſtibus induat, ne omittat Sacrificii fructum applicare, ut bene advertit* Clericatus *de Sacrificio Miſſæ Deciſ.* 36. *n.* 17.

II. Applicatio ſub conditione de præſenti, vel præterito valet: puta ſi Petrus vivit, ſi obivit, applico &c.; quia jam habet objectum ad quod determinate dirigatur, & evadit jam abſoluta. Sub conditione autem de futuro non valet; puta ſi Petrus menſe venturo ingrediatur religionem, ſi in itinere periclitetur &c. quia deberet Deus tenere ſuſpenſum effectum Sacrificii, donec impleatur conditio quo nil abſurdius; cum Deus non revelaverit, ſe ita geſturum. Neque inſipienter recurras ad ſcientiam Dei, cui futura omnia ſunt præſentia, & manifeſta; quia ſicuti Deus de præſenti non punit aliquem propter peccata ejus certe prævisa, neque præmio donat de præſenti propter bona opera certo futura, ſed ſuo tempore quando erunt; ita neque effectus Sacramentorum, & Sacrificiorum impertitur illis, qui vel ſuſcipiunt, vel pro quibus offeruntur, propter eorum opera futura, ſed juxta diſpoſitionem, quam in præſenti habent. Et propterea teſtantur Doctores cum Gavanto, Clementem VIII., & Paulum V. condemnaſſe talem applicandi modum; & Barboſa ad ſeſſ. 22. Concilii Tridentini in principio, id reprobatum fuiſſe refert a Sacra Congregatione anno 1605. Non ſatisfacit itaque obbligationi ſuæ, qui in eventum futurum applicat.

Quid de applicatione conditionata?

III. Quid ergo dicendum, ſi celebrans offerens pro anima v. g. Petri, dicat, & niſi hæc indigeat, offero pro anima Pauli; & niſi hæc indigeat, pro anima Annæ &c.? Reſpondeo quod ſi offerat libere, & non ex ſtipendio, valide applicat, & licite: Si vero applicet ex ſtipendio, obligatur applicare juxta intentionem dantes

Caſus incidens reſolvitur.

Digitized by Google

tis ſtipendium : unde ſe expoliavit libertate applicandi cui voluerit, & ſub quacunque conditione ; quam ignorat, an ſit conformis intentioni dantis ſtipendium: & proinde injuſte agit cum onere vel reſtituendi, vel ſupplendi alio ſacrificio.

Prælaudatus Em. Cardinalis Bona *loco citato* praxim obſervandam in applicatione Miſſæ exponens, ſic mentem ſuam aperit: „ Debet autem, *inquit*, hæc intentio ipſam Sacrificii actionem comitari, & eſſe certa & determinata, nec effectum Sacrificii ſuſpenſum relinquere, quia non poteſt a futura conditione pendere. Quod ſi Sacerdos fructum Sacrificii nemini applicet, vel ille, pro quo offert, ejus capax non eſt, aut eo non indiget, manet fructus in Theſauro Eccleſiæ. Unde in tali caſu optimum fore cenſent Theologi conditionatam habere voluntatem, & alium ſubſtituere, qui eo fructu potiatur. Optimum quoque aliquibus viſum eſt, quod Sacerdos, qui pro pluribus offerre intendit, eos ſpecialiter & nominatim exprimat, non generaliter, & in confuſo, quia ſingulis minus prodeſſet; ſuum enim effectum producit ſecundum modum, quo applicatur; perfectior autem applicatio eſt, cum omnes ſingillatim nominantur. Ad ſcrupulos denique evitandos, qui circa applicationem oriri poſſunt, debet Sacerdos, rejectis incertis opinionibus, Sacrificii fructus primo & principaliter illi applicare, pro quo celebrare tenetur ratione beneficii, eleemoſinæ, promiſſionis, aut ſpecialis obligationis. *Tum ſine ejus præjudicio, & in quantum licite poteſt*, aliis item applicare poterit ſibi caritate, aut alia quavis ratione peculiariter conjunctis, ſeu commendatis, ſuam intentionem intentioni Chriſti conformando, & ſubmittendo; ſic enim poterit tuta conſcientia ex infinito & nunquam exhauriendo theſauro meritorum & ſatisfactionum Chriſti, cujus diſpenſator eſt conſtitutus, partem aliquam in plures derivare, quæ ex ſumma & ineffabili Dei miſericordia nonniſi uberrima ſperari poteſt. „

Caſus alter reſolvitur de applicante contra voluntatem Superioris.

IV. Quid iterum dicendum, ſi religioſus profeſſus applicet contra expreſſam voluntatem Superioris ſerio jubentis, ut ſacrificia applicet v. g. pro tali perſona ; & ipſe applicet pro alia ? Quod peccet contra obedientiam, jam nemo non videt, neque ullus Doctor dubitat ; an vero valeat ſacrificium juxta intentionem Sacerdotis, vel potius juxta intentionem Superioris ? mihi longe probabilius eſt, prævalere intentionem Superioris : ita Diana parte 2. tr. 12. reſolut. 72., & multi cum ipſo : ita etiam Barboſa de poteſtate Epiſcopi Allegatione 24. n. 28. Ratio in eo fundatur, quod ex voto obedientiæ remanet religioſus privatus uſu proprii arbitrii, præcipue circa ea, quæ ſunt exterioris gubernationis Conventus, & Familiæ ; ita ut invalida ſit quæcumque obligatio, vel ſolutio, contra ſeriam, & expreſſam voluntatem Superioris a religioſo facta. Diſpoſitio igitur applicationis Sacrificii, præcipue afferentis ſtipendium, a religioſo facta contra expreſſam voluntatem Superioris, eo ipſo irrita erit, quippe quod ſit uſus arbitrii, quo profeſſus caret circa hujuſmodi, ſi non ſit cum ſtipendio, & etiam contra paupertatem, ſi ſit cum ſtipendio. Quod fundamentum videtur longe firmius eo, quod adducitur a plurimis contrarie opinantibus, & dicentibus, quod poteſtas ordinis a Sacerdote recepta, non ſubjacet dominio Superioris, ita ut poſſit eadem uti tam licite, quam illicite; unde quamvis illicite agat, valide tamen applicet : Sed hoc fundamentum ruit, ob æquivocationem, cui innititur, nihilque probat ad intentum : non enim eſt quæſtio an valide conſecret, de quo nemo dubitat, ſed an valide applicet, ut obligationi contractæ ſatisfaciat. Concedo & ego, quod effectus poteſtatis ordinis nequeat per contrarium præceptum ſuſpendi, ita ut valide agat ; at applicatio ſacrificii ſatisfactoria obligationi contractæ non eſt actus poteſtatis ordinis; ſed eſt actus juris, ac dominii, præſupponens alioquin characterem Sacerdotalem: & propterea dependens a voluntate illius, cui jus competit in voluntatem ſubditi, & hic eſt Superior, cui quando injuſte repugnat voluntas ſubditi, voluntas illius prævalere debet; cum ſubditus, contra voluntatem Superioris, careat proprio arbitrio ex vivoti obedientiæ, ſicut caret facultate contrahendi valide contra voluntatem Superioris ex vi voti paupertatis: valide igitur conſecrat, ſed invalide applicat. Deduces: ergo valebit applicatio Superioris, & ſic extingueretur obligatio. Reſpondeo, quod cum debitum celebrandi miſſam pro dato ſtipendio tam in Superiore, quam in ſubdito ſit certum ; & ſatisfactio tam illius, quam illius in caſu noſtro ſit dubia, ob adverſantes opiniones gravium Doctorum :

Digitized by Google

ctorum: & alioquin ſatisfactione dubia, non extinguatur debitum certum; propterea uterque tenetur altero ſacrificio extinguere obligationem certam.

Accuratius diſpicienda eſt, ac diſcutienda iſthæc difficultas de Sacerdote ſubdito Sacrificium applicante contra rationabilem Prælati ſui, vel Sacriſtæ ab eo deputati voluntatem, & intentionem, utpote quæ in praxi poteſt occurrere. Et ut pleno in lumine conſtituatur, nitidiuſque dirimatur, in primis quæ indubia ſunt, ab eo, quod in controverſiam adducitur, ſejungenda ſunt. Itaque in comperto eſt apud omnes, Sacerdotem ſubditum illicite omnino agere; & 1. quidem lethaliter delinquere, contra obedientiam, ſi Superiori ſuo ſerio præcipienti, ut juxta propriam intentionem Miſſam celebret, obtemperare detrectet, & ſecundum proprium arbitrium Sacrificium applicet; neminem enim præterit, Religioſum vi voti obedientiæ, quod in ſua profeſſione emiſit, teneri ſub gravi ſeſe voluntati ſui Superioris ſubmittere in omnibus, in quibus ipſi ſubjacet, ſi materies ſit gravis, ſicut revera eſt gravis in caſu noſtro. 2. extra omnem dubitationis aleam verſatur, graviter peccare etiam adverſus paupertatem, quando non ſolum applicat contra præceptum Superioris, ſed & obligationem contrahit cum aliqua perſona applicandi Sacrificium pro illa, & præſertim ſi pro applicatione ſtipendium accipiat, eoque independenter a Prælato ſuo utatur; nam ex vi voti paupertatis nequit Religioſus abſque Prælati ſui licentia contractum ullum inire, nec quidquam acceptare, aut de re aliqua pro libito ſuo diſponere. 3. tandem ambigit nemo, gravis inſuper criminis reum fieri contra juſtitiam, ſi Miſſæ applicatio ei a Superiore præſcripta ex juſtitia erat alteri debita, puta ex fundatione, ex pacto, vel eleemoſina jam accepta; ſiquidem in hoc caſu violat jus quod habet alter, ut pro ſe offeratur, & eſt ſuo modo cauſa damni ipſius. Quare haud dubie obſtringitur ex juſtitia compenſare, aut aliam Miſſam applicando, ſi poſſit, aut, ſi non poſſit, Superiorem monendo, ut aliud Sacrum celebrare faciat. Hæc omnia unanimi conſenſu Doctores admittunt.

In hoc ergo tota reſidet difficultas, an Religioſus ſubditus Sacerdos non illicite modo Miſſam applicet contra voluntatem Superioris, verum etiam fruſtra & inutiliter? ſeu quæſtio eſt num, ſi Superior applicet Sacrificium ſui ſubditi, ipſique jubeat, ut celebret ſecundum ſuam intentionem, & ſubditus applicet contra voluntatem, & mandatum Superioris juxta proprium arbitrium, applicatio proſit illi, cui ex præcepto ſuperioris Sacerdos applicare deberet, an vero illi, cui ipſe Sacerdos de facto applicat?

Circa hanc difficultatem non una eſt Theologorum omnium ſententia. Non pauci a Paſqualigo citati *de Sacrific. Miſſæ q.* 183., quorum aliquos refert etiam Auctor, autumant, in tali caſu applicationem prodeſſe illi, cui Sacerdos ſubditus ex præcepto Superioris applicare deberet, non vero illi, cui ipſe Sacerdos de facto applicat. Et ad ſic ſentiendum præcipue moti ſunt argumento, quod Auctor ob oculos ponit, ob quod & ipſe eamdem opinionem amplexatus eſt.

Alii plures item a laudato Paſqualigo relati oppoſitum ſuſtinent, contenduntque in expoſito caſu applicationem non prodeſſe illi, cui Sacerdos ſubditus ex præcepto Superioris applicare deberet, ſed illi, cui ipſe Sacerdos revera applicat. Et huic ſententiæ ſubſcripſere utroque pollice celebriores, qui poſtremis temporibus floruerunt, Theologi, præſertim Em. Cardinalis Bona *Tract. Aſcet. de Sacrif. Miſ. cap.* 1. §. 5. ac etiam S. P. Benedictus XIV. *De Sacroſancto Miſſæ Sacrificio Lib.* 3. *cap.* 9. *n.* 4. Et hanc ut probabiliorem cenſemus eſſe alteri præferendam.

Hoc unum dumtaxat in medium adferimus argumentum, quod videtur eam extra diſputationis aleam, & in ultimo moralis certitudinis gradu conſtituere. Sacerdos non eſt ſolummodo Sacrificii Miniſter, ſed & diſpenſator vi ſuæ ordinationis; ipſi namque in ſacra ordinatione non tantum poteſtas confertur Sacrificium offerendi, verum etiam facultas tribuitur illud cui voluerit applicandi, ut liquido conſtat ex forma ipſa ordinationis hiſce concepta verbis: *Accipe poteſtatem offerre Sacrificium Deo, Miſſaſque celebrare tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Domini.* Et ſane ſi Sacerdoti in ſacra Ordinatione confertur poteſtas Sacrificium offerendi, tribuitur etiam dubio procul facultas illud, cui voluerit, applicandi, tum quia, ut animadvertit Paſqualigus, effectus, a quo habet eſſe, habet etiam determinationem: applicatio autem Sacrificii non eſt aliud quam determinatio oblationis, ut ſit pro hac, vel illa perſona, ac proinde debet

Digitized by Google

bet eſſe ab eo, a quo eſt oblatio; tum etiam quia applicare ſacrificium eſt exercere aliquam facultatem effectivam circa Sacrificium, ipſum determinando, atque adeo videtur concurrere ad oblationem. Ex vi igitur ſuæ ordinationis competit Sacerdoti facultas Sacrificium applicandi, & applicatio eſt actus Ordinis ab ipſo ſuſcepti. Porro poteſtas Ordinis, niſi interveniat juriſdictio, ut in pœnitentia, non pendet quoad facti valorem ab Eccleſiæ, vel cujuſcumque Superioris voluntate, etſi pendere poſſit quoad obligationem faciendi, vel non faciendi. Hic autem actus applicationis Sacrificii non requirit juriſdictionem, ſed ordinationem dumtaxat expoſcit, ut compertum eſt. Poſito igitur quod Superior applicet Sacrificium ſui ſubditi, & ſubditus contra voluntatem & intentionem Superioris illud applicet, applicatio facta a ſubdito prævalet applicationi factæ a Superiore, & proinde Sacrificium prodeſt ei, cui illud applicat ſubditus, non ei, cui illud applicat Superior, & cui ſubditus ex ipſius præcepto applicare debuiſſet.

Rem hanc illuſtrat Suarezius *de Sacram. Diſput.* 69. *Sect.* 9. exemplo Sacramentorum. Nam, *inquit*, ſi Superior præcipiat ſubdito, ut non baptizet, vel baptizet hunc, & non illum, vel ut non abſolvat, (dummodo juriſdictionem non auferat) nihilominus ſi ſubditus faciat, factum tenet, nec poteſt Superior ejus intentionem, & voluntatem irritam reddere. Idem eſt ergo in præſenti quoad voluntatem offerendi, vel applicandi Sacrificium alicui; utriuſque enim ratio eſt eadem, ſcilicet quia tunc operatur Sacerdos tanquam is, qui Chriſti vices gerit, & per poteſtatem ab eo ſibi collatam.

Non ruit hoc fundamentum, neque æquivocationi innititur, ſicuti Auctor opinatur, ſed validiſſimum eſt ad intentum, ut ipſius verbis utamur, ſeu ad aſſertionem in tuto collocandam. Utique non eſt quæſtio, an Sacerdos in tali caſu valide conſecret, de quo nemo dubitat, ſed difficultas eſt, an valide applicet? Verum, ut ex hactenus dictis perſpicuum eſt, poteſtas Sacrificium applicandi æque convenit Sacerdoti, ac poteſtas conſecrandi, cum illa non ſecus ac iſta competat ei ex vi ſuæ ordinationis, & characteris ſacerdotalis. Quemadmodum igitur in conſecrando Sacramento, & Sacrificio offerendo non pendet ab auctoritate Superioris, adeout quantumvis prohibeat ipſi Superior (vel ipſe ſummus Pontifex, etiam per ſuſpenſionem, & degradationem) ne celebret; nihilominus is vere, & valide conſecrat, & offert; ſic non pendet a Superiore in ejuſdem Sacrificii applicatione; ita ut ſi applicet illud contra voluntatem ipſius, valide applicet, & proſit illi, cui ipſe applicat, & non ei, cui illud applicat Superior. Longe profecto abeſſe a veritate videtur quod aſſerit Auctor, nimirum applicationem Sacrificii ſatisfactoriam obligationi contractæ non eſſe actum poteſtatis Ordinis, ſed eſſe actum juris ac dominii dependentem a voluntate Superioris, cui jus competit in voluntatem ſubditi. Longe, inquam, hoc abeſſe a veritate videtur. Nam exercet ſane ſubditus in hoc caſu actum juris ac dominii, qui ſibi non congruit, dum voluntati Superioris ſeſe opponit, & contra ipſius intentionem Sacrificium applicat, atque adeo illicite agit, & peccat, ut jam præmonuimus: at dum applicat Sacrificium, exercet actum Ordinis, qui, ut multoties diximus, neque Superioris, neque Eccleſiæ poteſt contraria voluntate impediri, quoniam non ut Miniſter Superioris, & Eccleſiæ, ſed ut Miniſter Chriſti, & poteſtate immediate ab ipſo accepta illum elicit. Et ut hoc magis magiſque exploratum fiat, omniſque de medio æquivocatio auferatur, obſervare lubet, ex eo, quod Superior præcipere valeat ſubdito quod applicet Sacrificium, non ſequi ipſum habere ſibi ſubordinatam voluntatem ſubditi quoad actus elicitos poteſtatis ſacerdotalis, ſed ſolummodo quoad actus imperantes eoſdem actus. Unde ſolum obſtringere poteſt voluntatem ſubditi, ut imperet ſibi actus poteſtatis ſacerdotalis juxta ſuam propriam intentionem, non autem diſponere poteſt de talibus actibus immediate, cum talis actio cum omni ſuo fructu ſubſit immediate ſoli dominio operantis.

Hinc ſubleſtum prorſus, infirmum, & imbecillum apparet argumentum ex ſubjectione, quam ſubditus ex vi voti obedientiæ debet Superiori, depromptum, cui adeo fidunt adverſæ ſententiæ Patroni, & ex iis, quæ jam tradita ſunt, contritum penitus remanet. Etenim poteſt quidem Superior ſubdito ſuo præcipere, ut Miſſam applicet ſecundum propriam intentionem, & ſubditus tenetur ei obtemperare, & ni obtemperet, haud dubie contra obedientiam peccat: ſed non poteſt ita præcipere, ut ſi ſubditus, ejus præceptum

con-

Digitized by Google

contemnens, Sacrificium contra ejus voluntatem applicet, irrita & nulla ejus applicatio reddatur, cum liquido conſtet, poteſtatem applicandi Sacrificium ei competere ratione Ordinis ſuſcepti, non ſecus ac ei convenit poteſtas conſecrandi. Ex hucuſque autem dictis:

Colligendum 1. eſt, Superiorem non poſſe applicationem Sacrificii a ſubdito factam irritam efficere contra Rodriguez *Tom.* 1. *Sum. capit.* 241. *num.* 10. Pluribus conſectarium hoc oſtendit Paſqualigus, & præſertim quia ſubditus non ſubiicitur Superiori quoad poteſtatem Sacerdotalem, nec ſecundum actum offerendi Sacrificium.

Colligendum 2. eſt, per applicationem Superioris, niſi etiam concurrat applicatio ſubditi, non extingui obligationes Miſſarum, ac proinde eſſe de novo ſupplendas. Quare conſurgit in ſubdito, ut & ſub initium admonuimus, obligatio ſub mortali manifeſtandi Superiori, quod non applicaverit Sacrificia juxta ipſius mentem, niſi forte velit, & poſſit ſupplere. Nec poteſt Superior ſequi opinionem, quod prævaleat applicatio propria contra applicationem ſubditi; ſiquidem cum obligatio ſit certa, certa etiam debet eſſe ſolutio: in tali autem caſu non ſolum non eſt certa ſolutio, ſed plane incerta; cum hæc opinio omni ſolido deſtituatur fundamento, & a veritate omnino aliena appareat.

Colligendum 3. eſt, per applicationem Sacrificii factam a ſubdito extinctam remanere obligationem, cui ipſe ſatisfacere intendit, licet diverſimode applicetur a Superiore; quia per applicationem Superioris, irrita non redditur applicatio ſubditi, ac proinde ſuum ſortitur effectum, utpote quæ provenit ab eo, qui poteſtatem habet applicandi; idque verum cenſet citatus pluries Paſqualigus, etiamſi Superior ſubditi applicationem irritam efficiat, quia opinio quod Superior nequeat ſubditi applicationem irritam efficere, probabilior eſt, & moraliter certa.

Unum adhuc animadvertendum ſupereſt cum Cardinali de Lugo *Diſp.* 19. *Sect.* 10. *n.* 217. videlicet quod quamvis poſſet Prælatus inhabilem reddere ſubditum ad applicandum Sacrificium pro alio, quam pro Petro v. g., nihilominus dici non poſſet, quod Sacrificium illud prodeſſet Petro, niſi Sacerdos poſitive pro illo offerret. Sicut licet Eccleſia poſſit reddere inhabilem aliquem ad profeſſionem emittendam in alia Religione præter iſtam; ſi tamen ipſe de facto profiteatur in alia, ejus quidem profeſſio erit irrita, non tamen acceptabitur a Deo pro illa alia Religione, in qua Eccleſia volebat, niſi ipſe etiam poſitive velit in ea profiteri. Aliud enim eſt poſſe irritam reddere ejus voluntatem, ne habeat effectum, aliud vero dirigere efficaciter illam, ut habeat effectum, quem ipſe non vult; quod quidem Superior facere non poteſt. Cum ergo oblatio Sacrificii pro aliquo ſit actio ipſius Sacerdotis, non poteſt Prælatus facere, quod ipſe de facto offerat pro Petro, ſi expreſſe non vult offerre pro Petro, ſed pro Joanne. Non poteſt ergo illa Miſſa acceptari a Deo pro eo, quem Prælatus vult, licet non acceptaretur pro illo, quem Sacerdos vult contra Prælati voluntatem.

✠ Alia graviſſima excitatur difficultas circa obligationem applicandi Miſſam ex Beneficio, ſeu Capellania. Quæritur, num ſi Fundator, qui Beneficio, vel Capellaniæ onus impoſuit celebrandi Miſſam, de applicatione ejuſdem pro anima ſua ne verbum quidem adjecerit, intelligi debeat impoſuiſſe etiam onus applicandi ſibi Miſſam.

Difficultatem hanc ad examen vocat, atque diſcutit S. P. Benedictus XIV. *De Sacroſanct. Miſſæ Sacrif. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 1. & *ſeqq.* Summatim exhibeo quæ fuſo calamo exponit ipſe. 1. præſumendum eſt Beneficii, aut Capellaniæ fundatorem applicari pro anima ſua Miſsam voluiſſe, ſi onus celebrandi impoſuit, & de Miſſæ applicatione pro anima ſua ſiluit, ſicque ſemper cenſuiſse ac reſpondiſſe Sacram Congregationem refert. 2. idem omnino aſſerendum, ſi Fundator juſſerit Beneficiatum ſeu Capellanum pro ipſo orare in Miſſa, quam celebraverit, ut eadem S. C. ſtatuit *die* 27. *Aprilis* 1700. 3. ſi Fundator juſſerit certum ſibi Miſsarum numerum applicari, de aliis vero nihil amplius dixerit, quam ut eæ celebrentur, nulla eſt obligatio has reliquas pro eo applicandi. 4. demum, ſi Fundator Capellanias aliquas inſtituiſset cum onere Miſſæ ſibi, aut ſuis defunctis applicandæ, aliam autem inſtituerit cum onere, ut Capellanus pro anima ſua oret, dicendum eſt applicari ſibi Miſsam noluiſse, ſed ſui dumtaxat commemorationem ad *Memento* fieri voluiſse, ſicuti reſpondit S. C. Concilii *die* 11. *Junii* 1700.

A P-

Digitized by Google

APPENDIX

De iis, pro quibus Miſſæ Sacrificium offerri & applicari poteſt, necne.

MIſsæ Sacrificium *offertur in Eccleſia pro vivis, & mortuis, ut omnibus proſit, quod eſt pro ſalute omnium inſtitutum*; ait D. Thomas *Opuſc.* 57. Verum paucis expendendum, num pro vivis, ac mortuis omnibus offerri poſſit, & applicari, necne, ut nihil deſit quod ſcitu neceſſarium noſcitur. Itaque de vivis primum, tum de mortuis, diſtinctis paragraphis diſſerendum.

§. I. *Pro quibus vivis valide, & licite poſſit, vel non, Miſſæ Sacrificium offerri & applicari?*

Inter vivos, qui in terris degunt, alii ſunt Fideles, viva Chriſti, & Eccleſiæ membra, utpote juſtitiæ ſervientes; alii peccatis onerati, qui tamen vinculo fidei adhuc Eccleſiæ copulati ſunt; alii qui ab ea ſunt per excommunicationem præciſi vel ob hæreſim, vel ob alia delicta; alii demum Infideles, qui per baptiſmum renati non ſunt. De ſingulis ſeorſim majori claritatis gratia dicendum. Igitur.

I. Miſſæ Sacrificium poteſt offerri pro omnibus Fidelibus baptizatis mortalem vitam degentibus, qui ſunt membra Eccleſiæ & ab ea non præciſi, ut ſancit Tridentina Synodus *Seſſ.* 22. *cap.* 2.

Hinc duo colligunt Doctores. 1. hoc Sacrificium utiliter offerri poſse pro infantibus, qui regenerationis gratiam obtinuere; etſi namque infantes ſatisfactorium Miſſæ fructum recipere nequeant, quia per lavacrum mundati a culpa & pœna, nihil juſtitiæ divinæ debent; capaces tamen ſunt effectus impetratorii, quoad animam & corpus, ut utrumque ſuo modo conſerventur: 2. inſuper pro energumenis, quia id vetitum eſſe, minime conſtat; & alias vexatio illorum non eſt culpa, ſed pœna. Unde *can.* 37. Concil. Eliber. communio ipſis danda eſſe ſtatuitur in periculo mortis. *Can.* autem 29. non ſtatuitur pro illis nullo modo eſse offerendum ſacrificium, ſed eorum nomina non eſse peculiariter ad altare recitanda, fortaſſis propter ſcandalum, quod illo tempore ſequebatur ex eo, quod palam & publice nominarentur ad Altare, præſertim cum non agatur de toto genere energumenorum, ſed de illis, qui a malo ſpiritu exagitantur ſic, ut non ſint bene ſui compotes. Ita Sylvius *in* 3. *p. q.* 83. *ar.* 1. *quær.* 9. *ad* 2.

II. Pro baptizatis adultis, qui juſtitiæ ſerviunt, ſeu qui ſunt in ſtatu gratiæ utiliter Miſsæ Sacrificium offertur tam quoad fructum impetrationis, quam quoad fructum ſatisfactionis, ut compertum eſt. Pro adultis vero baptizatis, qui in ſtatu peccati mortalis verſantur, ſi non ſint excommunicati, (nam de excommunicatis ſpeciatim poſtea ſermo erit) Sacrificium offerri poteſt, eiſque prodeſse ſecundum fructum impetrationis; eſt enim Sacrificium propitiatorium, cujus *oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit*, ait Tridentinum *ſeſſ.* 22. *cap.* 2. Fructus tamen ſatisfactionis peccatores capaces non ſunt; quippe remiſſio pœnæ temporalis (qualis fit per fructum Miſsæ ſatisfactorium) obtineri nequit, niſi prius pœna æterna peccato mortali debita, remiſsa, & in pœnam temporalem commutata ſit, atque hoc ipſo peccatum mortale remiſsum ſit per juſtificationem; adeoque homo jam juſtus, & in gratia Dei conſtitutus ſit. Ergo ejuſmodi fructus ſatisfactorius nullatenus poteſt prodeſse exiſtentibus in peccato mortali. Notandum vero quod ſi alicui propter obicem peccati mortalis non profuit fructus ſatisfactorius Miſsæ a ſe, vel pro ſe celebratæ, etiam poſtea ablato obice, non amplius profuturus ſit: quia neque Sacrificium oblatum vel pro ſe, vel pro juſto tunc nulla ſatisfactione indigente, v. g. jam jam indulgentias plenarias conſecuto, ſuſpenditur, uſque dum rurſus indiguerit, aliquo novo peccato veniali commiſso: ergo multo minus ſuſpenditur pro peccatore, uſque dum pœnituerit.

* III. Ad excommunicatos quod attinet. Conveniunt communiter Doctores, ajunt PP. Salmanticenſes *tract.* 5. *de Miſſæ Sacrificio cap.* 2. *punct.* 2. *num.* 14. peccaturum graviter Sacerdotem, ſi pro excommunicatis non toleratis, nempe nominatim denuntiatis, vel notoriis percuſſoribus Clerici, Miſſam dicat; quia hoc eſt ei prohibitum in cap. *A nobis* 2. *de ſentent. Excommunicat.*, & res eſt gravis ex genere ſuo; cum hoc diſcrimine, quod ſi velit dicere Miſſam pro hujuſmodi excommunicatis nomine Eccleſiæ non ſolum illicite, ſed etiam invalide id faciat; quia Eccle-

ſia

Digitized by Google

ſia non habet intentionem offerendi pro excommunicatis, ſed potius contrariam. Si vero offerat ut miniſter Chriſti, & ejus nomine, illicite quidem id faciat, & contra Eccleſiæ prohibitionem, ſed tamen valide; quia Eccleſiæ prohibitione non poteſt impediri, quominus Sacrificium in Chriſti perſona valide offeratur pro excommunicatis, quatenus capaces ſunt fructus impetrationis, vel etiam ſatisfactionis, ſi præter cenſuram nullum impedimentum habeant, quia modo emendati ſunt, & abſolutionem deſiderant.

Num. vero 16. contra plures ſentiunt, neque pro excommunicato tolerato poſſe licite Sacerdotem orare nomine Eccleſiæ, vel offerre, ut eſt miniſter Chriſti; quia Eccleſia omnino excludit omnes excommunicatos ab interna ſuffragiorum communicatione: unde (ſic ſubdunt *num.* 17.) non poteſt orari nomine Eccleſiæ neque offerri Miſſa pro hæreticis baptizatis, cum ſint excommunicati; poteſt tamen orari vel offerri Sacrificium pro eorum reductione uno ex his tribus modis. 1. Si Sacerdos nomine ſuo privatim offerat Sacrificium pro hæreticis, & excommunicatis, ſicut poteſt alias orationes privatas offerre pro illis, ut convertantur: maxime cum hæc oblatio ſingularis nullibi inveniatur prohibita. 2. ut Miſſa offeratur pro iis, qui incumbunt eorum converſioni, ut fructuoſe exequantur munus ſuum. 3. pro augmento Eccleſiæ in Provincia infeſta hæreſi. Sic quidem illi, qui de eadem re fuſo calamo agunt & *tract.* 10. *de Cenſur. cap.* 3. *punct.* 5. Videantur etiam quæ habet Auctor *tract.* 15. *pariter de cenſuris cap.* 2. *num.* 3. & 4.

At Sylvius *in* 3. *p. q.* 83. *art.* 1. *quær.* 9. probabile exiſtimat, ſicut publicas orationes, ita & Sacrificium licite offerri poſſe pro omnibus fidelibus, etiam excommunicatis; imo & pro hæreticis, hoc eſt pro hæreticorum, & aliorum excommunicatorum ſalute & converſione, ita tamen, ut quando fuerint de numero eorum, qui per capitulum, *Ad evitanda*, debent vitari, duo obſerventur. Prius, ut nullius ipſorum nomen publice exprimatur: adeo ut ſi rex, vel Epiſcopus eſſet nominatim denuntiatus excommunicatus, nominandus non eſſet, neque in aliis Eccleſiæ publicis precibus, ut ipſi ſic confundantur, & confuſi corrigantur. Poſterius, ut quando Sacerdos offert Sacrificium velut Miniſter Eccleſiæ pro Eccleſia, ſeu Eccleſiæ membris, non offerat illud pro Hæreticis, vel excommunicatis ſaltem illis, qui vitari debent; quia nec ipſi ſunt membra Eccleſiæ, neque licet eos facere participes illorum ſuffragiorum, quæ fiunt pro Eccleſia, ſeu ejus membris, cum ab ea ſint per excommunicationem præciſi, atque ut tales palam, ac publice cogniti.

Aſſertionem itaque poſitam cum prædictis limitationibus ut probabilem defendit præcitatus Theologus, pluribuſque argumentis evincit, & præſertim ex Apoſtolo Paulo, qui 1. *ad Tim.* 2. loquens de publicis precibus etiam illis, quæ per Sacerdotem fiunt ad Altare, vult eas fieri pro *omnibus*.

In reſp. autem ad 1. explicat quomodo poſſit pro excommunicatis Sacrificium offerri, & ait: „ Excommunicatos eſſe privatos communibus ſuffragiis Eccleſiæ, „ ideſt ſuffragiis illis, quæ ſunt communia „ toti Eccleſiæ, ſeu quæ fiunt pro membris Eccleſiæ. Unde B. Thomas *in* 4. „ *diſt.* 18. *qu.* 2. *a.* 7. *qu.* 3. *ad* 1., ſive „ *Supplem. qu.* 21. *a.* 1. *ad.* 1. *Pro ex-* „ *communicatis orari poteſt, quamvis non* „ *inter orationes, quæ pro membris Ec-* „ *leſiæ fiunt.* Et ad 2. *Suffragia*, inquit, „ *Eccleſiæ, quæ pro tota Eccleſia fiunt*, „ *eis non proſunt, nec ex perſona Ec-* „ *cleſiæ oratio pro eis inter membra Ec-* „ *ſiæ fieri poteſt*: ubi non abſolute negat „ pro eis orari poſſe ex perſona Eccleſiæ, „ ſed ſolum ſic ut orando annumerentur „ membris Eccleſiæ, quaſi eſſent ex illis. „ Hinc Sylv. verb. *Excom.* docet, orantem pro excommunicato non peccare, „ etiamſi tanquam Eccleſiæ miniſter, & „ ex ejus perſona id faciat; modo non „ oret enumerando ipſum in membris Eccleſiæ; quod fit, quando ſic orat pro eo „ in particulari, ſicut facere conſuevit pro „ aliis Fidelibus, ipſum eis enumerando, „ & nomen ejus palam exprimendo, ac „ pro eo publicas Eccleſiæ preces inſtituendo, perinde ac ſi eſſet de Eccleſia. „ Pro excommunicatis non licet etiam orare tanquam pro membris Eccleſiæ, nec „ ipſos publice in precibus nominare, vel „ pro ipſis Miſſas votivas, aut alia divina „ officia celebrare, ſicut celebrantur pro „ Fidelibus non excommunicatis. Hac etiam ratione privantur ſuffragiis Eccleſiæ, eo addito, quod non ſunt participes ſuffragiorum, quæ pro Eccleſia fiunt. „ Cum his autem bene conſiſtit, quod Sacerdos in Miſſa, aliiſque divinis Officiis,

„ præ-

Digitized by Google

„ præter eos, quos ut Eccleſiæ filios Deo „ commendat, particulariter, & ſecrete „ ſuam intentionem dirigat pro hoc, vel „ illo excommunicato, ut Deus eum ad „ ſaniorem mentem, ſanctæque Romanæ „ Eccleſiæ gremium reducere dignetur. „ Quare dicimus eſſe licitum orare pro „ excommunicatis: primo quidem in *Memento* Miſſæ, ubi Sacerdoti conceditur „ ſpecificare quos voluerit .... Deinde in „ Collectis, aliiſque precibus, quæ fiunt „ ad Altare, modo ſic intentio Sacerdotis „ ad eos, ſeu pro iis eorumve correctione dirigatur, ut non publice nominentur, neque pro ipſis ſicut pro aliis, qui „ de Eccleſia ſunt, officia iſta publica inſtituantur.“

Ad textus vero juris canonici, qui in contrarium adferuntur, conformiter ad prædicta reſpondet, quod in illis vetetur „ ne „ pro excommunicatis fiant preces publicæ, quemadmodum fieri ſolent pro Fidelibus non excommunicatis. Quamquam „ in illis, *ſubdit*, non de omnibus excommunicatis ſermo eſt; ſed de illis, qui „ erant in excommunicatione mortui, diciturque, illos, tametſi pœnitentiæ ſigna dederint, non eſſe habendos pro abſolutis, & conſequenter non eſſe pro illis (particulariter ſcilicet, ac publice) „ orandum, ſicut oratur pro non excommunicatis, pro quibus fiunt exequiæ, abſolutiones, oblationes, niſi prius abſolutionis beneficium impendatur: quia orationes, quæ pro defunctis fiunt ab Eccleſia, ſupponunt eos eſſe de Eccleſia, & „ ideo prius debent ei per abſolutionem „ reſtitui, quam ipſa pro illis oret“ Sic quidem ille. Legatur etiam ſi lubet P. F. Renatus Hyacinthus Douvren O. P. *De Re Sacrament. Tom.* 1. *Lib.* 5. *capit.* 1. §. 2.

IV. Poteſt Miſſæ Sacrificium offerri & pro infidelibus, qui per Baptiſmum renati non ſunt, & pro Paganis, Idololatris, Judæis, Turcis &c. per modum deprecationis ſeu impetrationis, ut ad veram fidem convertantur: etſi non deſint, qui aliter ſentiant. Conſtat id 1. ex iis, quæ habentur 1. *ad Tim.* 2.: *Obſecro primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus*, ubi Apoſtolus non pro Fidelibus dumtaxat orari vult, ſed (nemine excluſo) pro omnibus; & quanquam tunc Reges eſſent infideles, addit tamen: *Pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt*. Ipſum ſermonem habere de orationibus quæ fiunt in Sacrificio, plerique Patres cenſent; quin & Chryſoſtomus *Hom.* 6. in hanc Epiſtolam diſerte ait, pro Rege Gentili offerendum eſſe.

Conſtat id 2. etiam ex Patribus, præſertim Tertulliano *Lib. ad Scapulam cap.* 2., Auguſtino *Epiſt.* 107., Chryſoſtomo *Hom.* 77. *in Joannem*, aliiſque a Cl. Sylvio relatis. *Quær.* 8. „ Quamvis ergo „ (ſic concludit ipſe) in canone Miſſæ non „ oretur pro his, qui ſunt extra Eccleſiam, ut loquitur D. Thomas 3. *p. q.* „ 79. *art.* 7. *ad* 2.: olim tamen pro ſimilibus offerebatur Sacrificium ad impetrandam ſcilicet eorum converſionem. „ Ut autem nunc offeratur Eccleſia non „ vetuit; quinimmo oblationem calicis ad „ eos manifeſte extendit, cum per Sacerdotem orat: *ut pro noſtra, & totius „ Mundi ſalute cum odore ſuavitatis aſcendat.* Sed & ſacrificando rogare Deum, ut parvulos non baptizatos perducere dignetur ad gratiam baptiſmi, chriſtianæ pietati conſonum eſt.„

V. Multo magis pro catechumenis Miſſæ Sacrificium offerri poteſt; eiſque prodeſſe quoad fructum impetrationis, ut aperte tradit Auguſtinus loco paulo ante laudato: quin & quoad fructum ſatisfactionis, ſi ob fidem, contritionem, & votum baptiſmi jam juſtificati ſint, ſic enim baptiſmo flaminis jam membra Eccleſiæ aliquo modo effecti ſunt.

Quæres. Num pro beſtiis Miſſæ Sacrificium poſſit offerri?

Reſp. Pro beſtiis dubio procul nequit offerri Sacrificium directe, ut ipſis in ſe, & propter ſe proſit; bene vero indirecte, nempe quatenus directe offertur pro ipſis hominibus ad conſervanda ipſis ſua bona temporalia, inter quæ non infimum locum tenent beſtiæ, præcipue quæ utilitatem adferunt, boves, oves, equi &c.

§. II. *Pro quibus mortuis poſſit Miſſæ Sacrificium valide, & licite offerri?*

Inter mortuos alii ſunt damnati, ſeu qui in inferno æternis ſuppliciis torquentur; alii in Cœlis aperta Dei viſione fruuntur; alii demum ultricibus Purgatorii flammis detinentur ad tempus. Et hic de ſingulis ſigillatim.

I. Pro damnatis in inferno nec debet, nec poteſt offerri Miſſæ Sacrificium. Compertum eſt id tum ex cap. *Pro obeuntibus*, & duobus ſequentibus *cap.* 13. *q.* 2. tum

Digitized by Google

tum ex ratione; quippe damnati ſunt æternum a Chriſti corpore ſeparati, terribili illâ Chriſti ſententia *Matthæi* 25. *Diſcedite a me Maledicti*; ſunt incapaces remiſſionis peccatorum, cum extra viam conſtitutis nullus ſit veniæ, ac pœnitentiæ locus, & ira maneat ſuper eos; ac demum ſunt æternis a ſummo Judice ignibus addicti ex immutabili Dei decreto explicato per *Matthæum c.* 3. his verbis: *Paleas autem comburet igni inextinguibili*, & *cap.* 25. præcitato, & alibi: Quare nullo modo Miſſæ ſacrificium valet damnatis prodeſſe nec ad remiſſionem peccatorum obtinendam; nec ad condonationem pœnarum; imo neque per ipſum eorum cruciatibus levamen aliquod poteſt afferri, ut Gregorius P. *Lib.* 34. *Moral. cap.* 16. de viventium precibus dicit. Hinc Auguſtini verba, quæ habentur *Enchiridii cap.* 110. nimirum: *Quibus autem proſunt, aut ad hoc proſunt, ut ſit plena remiſſio, aut certe ut tolerabilior ſit ipſa damnatio* (ex quibus veteres nonnulli anſam arripuerunt propugnandi licitum eſſe orare pro damnatis non ut a culpa emundentur, aut a damnatione perpetua eruantur, ſed ut illorum pœnæ ac ſupplicia imminuantur, & mitigentur, quorum opinio tanquam nulla auctoritate fulta, & doctrinæ Eccleſiæ contraria ab omnibus improbatur) exponit, atque interpretatur D. Thomas *in* 4. *diſt.* 45. *q.* 2. *a.* 1. *q.* 1. hoc modo: *Damnatio in verbis illis large accipitur pro quacumque punitione, ut ſic includat & pœnam Purgatorii, quæ quandoque totaliter per ſuffragia expiatur, quandoque autem non, ſed diminuitur*. Et ſane Auguſtinus ibidem loquens de valde malis, ſeu de damnatis in inferno, aperte aſſerit, Sacrificia pro illis oblata nulla eſſe adjumenta illorum, ſed qualeſcumque dumtaxat vivorum conſolationes.

Hinc ſequitur, non eſſe offerendum Miſſæ Sacrificium pro parvulis ſine baptiſmo defunctis cum ſolo originali, quia perpetuo ſunt excluſi a Regno, ſuntque in termino damnationis æternæ quod pœnam damni.

Sequitur ulterius, non eſſe offerendum Miſſæ Sacrificium pro iis, qui omnino voluntarie, & compotes ſui ſe occidunt, ut & ſtatutum eſt in cap. *Placuit.* 23. *q.* 5. *Placuit, ne pro iis, qui violentam mortem ſibi intulerunt, ulla prorſus in oblatione commemoratio fiat*. Quod tamen plures intelligunt de commemoratione publicas, per collectam v. g. nomine Eccleſiæ facienda. Nihil enim obſtat, ajunt, quia Sacerdos in *Memento mortuorum* ex privata devotione dicat: *Domine commendo tibi etiam animam illius qui ſe nuper ſuſpendit, vel ſubmerſit, ſi forte ante mortem vere pœnituit*.

Sequitur demum, non eſſe offerendum Miſſæ Sacrificium pro Catechumenis defunctis non baptizatis, ſi ex negligentia ſua non receperunt baptiſmum; præſumuntur namque deceſſiſſe in ſtatu mortalis peccati. Si tamen caſu aliquo abſque culpa ſine baptiſmo deceſſerint, plures exiſtimant, poſſe pro illis Miſſas offerri.

II. Quantum ad Sanctos in Cœlo regnantes, certum eſt in primis apud omnes Catholicos, illis non offerri Miſſæ Sacrificium, ut calumniantur Hæretici, ſed ſoli Deo, ſicut ſoli Deo Templa, & Altaria eriguntur & conſecrantur; quippe Sacrificium eſt cultus latriæ ad proteſtationem ſupremi, quod habet Deus in res omnes creatas, dominii; qui cultus uni Deo debitus eſt. Quare cum Tridentinum Concilium *Seſſ.* 22. *can.* 5. definit, licite Miſſas celebrari in honorem Sanctorum, & fideles ita petunt, non eſt ſenſus quod Sanctis offeratur Sacrificium, ſed quod offeratur Deo in eorum honorem, ideſt in gratiarum actionem pro beneficiis ipſis a Deo collatis, ac in eorum memoriam, & ad impetrandam ipſorum interceſſionem, ut explicat idem Concilium ibidem *cap.* 3. his verbis: *Et quamvis in honorem, & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Miſſas Eccleſia celebrare conſueverit; non tamen illis Sacrificium offerri docet, ſed Deo ſoli, qui illos coronavit: unde nec Sacerdos dicere ſolet: Offero tibi Sacrificium Petre, vel Paule; ſed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat; ut ipſi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris*.

Certum eſt deinde, pro Sanctis in Cœlo regnantibus non offerri Sacrificium ut propitiatorium, in remiſſionem alicujus culpæ, vel pœnæ; cum nihil culpæ, vel pœnæ ipſis Dei viſione aperte fruentibus ſuperſit luendum; nihil enim coinquinatum intrat in regnum cœlorum.

„ Cum hoc tamen ſtat, ait Continua-
„ tor *Prælect. Theolog. Honorati Tournely*
„ *Tract. de Euchariſt. P.* 2. *cap.* 8. *art.* 2.,
„ Miſſæ Sacrificium pro ipſis etiam Beatis
„ ſatisfactorium dici; habent enim Sancti,
„ tum ex bonis, quibus cumulati fuere,

dum

„ dum degerent in terris: tum ex gloria, „ qua in cœlis fruuntur, debitum quod- „ dam omni debito majus, quod nec ipſi „ exſolvere omnino ſufficiunt; imo quod, „ ſecus ac fit in juſtitiæ debitô, ex ipſa „ ſolutione creſcit. Hoc autem per Sacri- „ ficium certo modo compenſatur ſecundum „ id *pſal.* 115. quod Chryſoſtomus inter „ cæteros Patres maxime literalis, & Ec- „ cleſia ipſa de ſacrificio noſtro interpre- „ tantur: *Quid retribuam Domino pro* „ *omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem* „ *ſalutaris accipiam.* „

Certum tandem eſt, pro Sanctis non of- ferri Sacrificium ad gratiam, & gloriam eſ- ſentialem eis impetrandam, vel augmen- tum ejus. Cum enim viatores amplius non ſint, neque peregrinentur a Domino, ſed in termino Patriæ cœleſtis ſint conſtituti, ac bravium æternæ gloriæ apprehenderint. nec gratia eorum augeri, nec major gloria eſſentialis pro ipſis a Deo poſtulari poteſt: unde non eſt cur pro eis Miſſæ Sacrificium offeratur. Legatur D. Auguſtinus *Serm.* 159., alias 17. *de verbis Apoſt. c.* 1.

An vero poſſit Miſſæ Sacrificium pro Sanctis offerri, ut eſt impetratorium glo- riæ accidentalis, non una eſt Theologo- rum omnium ſententia. Affirmant nonnul- li; quia, ajunt, Sancti poſſunt acquirere novum gaudium, & novam gloriam acci- dentalem. Et de facto illis accreſcit ex eo quod Sacrificium in eorum memoriam of- feratur Deo; per hoc enim ſignificatur il- los multum æſtimari. Hinc Eccleſia orat: *ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad ſalutem.*

Verum aliis videtur, quod hoc proprie non ſit impetrare pro Sanctis, ſed potius impetrare nobis gratiam, ut Sanctos debi- to honore proſequamur, & ut nos juvent ſuis precibus, ut modo dicebamus ex Tri- dentino: ſicut non oramus pro Deo, ut a- liquid ipſi impetremus, dum quotidie dici- mus: *Sanctificetur nomen tuum*; ſeu peti- mus gratiam, qua tum a nobis, tum ab aliis ipſe debite honoretur, & Sanctus ha- beatur. Videſis Sylvium loco pluries cita- to *quær.* 11.

Hinc ſequitur, pro parvulis poſt baptiſ- mum vita functis, qui ſtatim in Cœlum evolant, non poſſe offerri Miſſæ Sacrificium niſi ad finem *Latreuticum, & Euchariſti- cum*, & ſpecialiter ad commendandum Re- demptionis myſterium in hoc Sacrificio re- præſentatum, per quod parvuli illi ſine pro- prio merito ſalutem æternam conſequun- tur, ob idque Deo ſupremum cultum exhi- bendo, & gratias agendo: deinde etiam ad oſtendendum illos parvulos ad unitatem cor- poris myſtici Eccleſiæ pertinere. Unde non eſt dicenda pro eis Miſſa de *Requiem.*

III. Pro Fidelibus in charitate pie de- functis, & in Purgatorio detentis Miſſæ Sacrificium poteſt offerri, utiliterque offer- tur tam ut eſt ſatisfactorium, quam ut impetratorium. Sic Catholici omnes ad- verſus Heterodoxos; idque aperte colligi- tur ex Divina Scriptura 2. *Mach. cap.* 12., & ex perenni Eccleſiæ Traditione. Pa- trum teſtimonia brevitatis cauſa prætermit- timus; viderique poſſunt apud Theologos, & Controverſiſtas. Legatur D. Thomas *in Suppl. qu.* 71. *art.* 9., *& ſeqq. item in* 4. *diſt.* 45. *qu.* 2. *art.* 3. Sufficiat modo oculis ſubiicere definitionem Tridentini Concilii *Seſſ.* 22. *cap.* 2. ubi docet, Sacrificium Miſſæ *non ſolum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus, ſed pro defunctis in Chri- ſto nondum ad plenum purgatis, rite jux- ta Apoſtolorum traditionem offerri.* Rur- ſus *can.* 3.: *Si quis dixerit, Miſſæ Sa- crificium tantum eſſe laudis, & gratia- rum actionis, aut nudam commemoratio- nem ſacrificii in Cruce peracti, non au- tem propitiatorium, vel ſoli prodeſſe ſu- menti; neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus offerri debere, anathema ſit.* Tandem *Seſſ.* 25. ſancit, inter omnia ſuf- fragia, quibus juvare poſſumus animas Pur- gatorii, potiſſimum prodeſſe illis Sacrifi- cium Miſſæ.

Num autem hoc Sacrificium proſit ani- mabus exiſtentibus in Purgatorio ex infal- libili lege, & promiſſione Chriſti; diſſen- ſio eſt inter Theologos. Sententia tamen adfirmans, quam poſt plures ſuſtinent Sal- manticenſes loco ſupra citato *punct.* 3. *n.* 34. probabilior apparet; quippe ſufficien- tiſſimum occurrit fundamentum aſſerendi Chriſtum Dominum inſtituiſſe hoc Sacrifi- cium ita pro defunctis, atque pro vivis: ergo eodem modo prodeſt infallibiliter utriſ- que.

Quæres 1. an animabus in Purgatorio de- tentis magis proſit Miſſa de *Requiem*, an vero Miſſa de B. Virgine, aut alicujus Sancti ipſis applicata?

Reſp. Difficultatem hanc proponit, cla- reque dirimit D. Thomas *in Suppl. qu.* 71. *art.* 9. *ad* 5. aiens: *quod in officio Miſſæ non ſolum eſt Sacrificium, ſed etiam ſunt ibi*

ibi orationes: & ideo, ſubdit, *Miſſæ ſuffragium continet duo hæc, quæ hic* (nempe lib. de cura pro mortuis, agenda cap. 18.) *Auguſtinus enumerat, ſcilicet orationem, & Sacrificium. Ex parte ergo Sacrificii oblati Miſſa æqualiter prodeſt defuncto de quocumque dicatur: & hoc eſt præcipuum, quod fit in Miſſa: ſed ex parte orationum magis prodeſt illa, in qua ſunt orationes ad hoc determinatæ: ſed tamen iſte defectus recompenſari poteſt per majorem devotionem vel ejus, qui dicit Miſſam, vel ejus, qui jubet dici, vel iterum per interceſſionem ſancti, cujus ſuffragium in Miſſa imploratur.*

Quæres 2. num Miſsæ Sacrificium magis proficiat illi, pro quo applicatur, quam aliis?

Reſp. D. Thomas *q. relata art.* 12. in quo inquirit, *utrum ſuffragia, quæ fiunt pro uno defuncto, magis illi proſint, pro quo fiunt, quam aliis?* Duas renunciat veterum opiniones: *Dicendum, quod circa hoc fuit duplex opinio; quidam enim dixerunt quod ſuffragia pro uno aliquo facta non magis proſunt ei, pro quo fiunt, ſed eis qui ſunt magis digni. Et ponebant exemplum de candela, quæ accenditur pro aliquo divite, quæ non minus prodeſt eis, qui cum ipſo ſunt, quam ipſi diviti; & forte magis, ſi habent oculos clariores: & etiam de lectione, quæ non magis prodeſt ei, pro quo legitur, quam aliis, qui ſimul cum eo audiunt; ſed forte aliis magis, qui ſunt ſenſu capaciores. Et ſi eis obiiceretur, quod ſecundum hoc ordinatio Eccleſiæ eſſet vana, quæ pro eis ſpecialiter orationes inſtituit; dicunt quod hoc Eccleſia fecit ad excitandam devotionem fidelium, qui proniores ſunt ad facienda ſpecialia ſuffragia, quam communia, & frequentius etiam pro ſuis propinquis orant, quam pro extraneis. Alii e contra dixerunt, quod ſuffragia magis valent pro eis, pro quibus fiunt.* His relatis opinionibus ſic mentem ſuam aperit S. D. *Utraque*, inquit, *opinio ſecundum aliquid veritatem habet; valor enim ſuffragiorum penſari poteſt ex duobus; valent enim uno modo ex virtute caritatis, quæ facit omnia bona communia: & ſecundum hoc magis valent ei, qui magis caritate eſt plenus, quamvis pro eo ſpecialiter non fiant; & ſic valor ſuffragiorum attenditur magis ſecundum quamdam interiorem conſolationem, ſecundum quod unus in caritate exiſtens de bonis alterius delectatur poſt mortem, quantum ad diminutionem pœnæ; poſt mortem enim non eſt locus acquirendi gratiam, vel augendi, ad quod nobis in vita valent opera aliorum ex virtute caritatis. Alio modo valent ſuffragia ex hoc, quod per intentionem unius alteri applicantur; & ſic ſatisfactio unius alteri computatur; & hoc modo non eſt dubium, quod magis valent ei, pro quo fiunt, imo ſic ei ſoli valent; ſatisfactio enim proprie ad remiſſionem pœnæ ordinatur. Unde quantum ad dimiſſionem pœnæ præciſe valet ad ſuffragium ei, pro quo fit; & ſecundum hoc ſecunda opinio plus habet de veritate, quam prima.* Quamvis itaque ſuffragia, quæ pro uno defuncto fiunt, proſint quidem aliis quantum ad interiorem conſolationem; quia in caritate exiſtentes gaudent de diminutione pœnæ alterius, & ſecundum hoc magis valeant ei, qui magis caritate eſt plenus; quia caritas facit, ut gaudeat bonis alterius, ac ſi eſſent propria; attamen ſimpliciter magis valent ei, pro quo fiunt, & cui per intentionem celebrantis vel ſuffragantis ſpecialiter applicantur; quia ſuffragiorum valor maxime attenditur per modum ſatisfactionis: ſatisfactio autem facta pro uno liberat eum a pœna, & non alium.

Hinc qui tenetur Miſsam applicare pro uno, non poteſt eam applicare pro duobus, aut pro pluribus, quia valor ſatisfactionis, ſi dividatur pro parte in remiſſionem pœnæ unius animæ, & pro parte in remiſſionem pœnæ alterius, pro qua ſuffragium fertur, clarum eſt, quod hæc non tantum juvabitur, quantum offerens ſua intentione volebat; quia valor ſatisfactorius Miſſæ licet in ſe ex parte rei oblatæ infinitus ſit, ex parte tamen applicationis finitus eſt. Patet igitur, Miſſam applicatam pro uno quoad relaxationem pœnæ, & ſatisfactionem, magis ei prodeſse, quam aliis. Sic Em. Gotti *Tract. de Euchariſtia ut Sacrificium eſt qu.* 2. *dub.* 4. *§. n.* 19.

Animadvertendum autem quod docet D. Thomas *in reſp. ad* 3. nimirum, quod etſi divites, pro quibus multæ Miſsæ celebrantur, ſint, ad hoc quod attinet, melioris conditionis quàm pauperes, pro quibus tot ſacrificia non offeruntur, attamen pauperes melioris ſunt conditionis quantum ad regnum cœlorum; divites namque ſunt deterioris conditionis, quia in periculo majori

jori damnationis verſantur: *Dicendum* (en S. D. verba) *quod nihil prohibet, divites quantum ad aliquid eſſe melioris conditionis, quam pauperes, ſicut quantum ad expiationem pœnæ: ſed hoc quaſi nihil eſt comparatum poſſeſſioni regni cælorum, in qua pauperes melioris conditionis eſſe oſtenduntur per auctoritatem inductam*, videlicet in objecto ſibi argumento: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*. Luc. 6.

Quæres 3. Utrum uberioris ſuffragii ſit defunctis Miſſa ſolemnis, quam Miſſa privata?

Reſp. Adfirmant omnes, & non ſolum ex opere operantis, ſed etiam ex parte operis operati, ut docet Em. Gotti loco ſuperius citato *num.* 24. Et in primis quod uberioris ſuffragii ſit defunctis Miſſa ſolemnis, quam Miſsa privata ex opere operantis compertum eſt, exploratumque; ſiquidem in Miſsa ſolemni reſonat harmonicus cantus, multiplicantur Miniſtrorum actus religioſi, ac ſacræ cæremoniæ, excitaturque in offerentibus, & adſtantibus major devotio, dummodo & cantus gravis ſit, & Miniſtri ea qua par eſt modeſtia & gravitate in ſuis fungendis muneribus ſe gerant. Quod inſuper ex parte etiam operis operati ſit majoris fructus Miſſa ſolemnis pro defunctis, quam Miſsa privata, ſic oſtendit laudatus Cardinalis: Quia cum Chriſtus inſtituerit non ſolum Presbyteratum, ſed etiam alios Ordines majores, & minores ad formandam nedum Hierarchiam Eccleſiaſticam, ſed etiam ad inſerviendum ſolemni oblationi Sacrificii, credibile eſt, inſtituendo Sacrificium ſolemne, voluiſse inſtituere opus ex natura ſua majoris valoris ad ſatisfactionem. Et quidem, *ſubjungit*, ſi legatio quo majori pompa, & comitatu munera Principi ſiſtit, eo gratior Principi evadit, eumque reddit ad gratiam faciliorem; & Deus movetur magis orationibus publicis, & ſolemnibus quam privatis; ex natura operis magis movebitur a Sacrificio ſolemni, quam privato.

Hinc autem duo infert animadverſione digna. 1. obligationi celebrandi Miſsam ſolemnem pro defunctis ſatisfieri non poſse celebratione Miſſæ privatæ. 2. jure merito interdum a ſummo Pontifice indulgeri, ut pluribus Miſſis privatis alicui Eccleſiæ incumbentibus, ſatisfieri poſſit per aliquas Miſſas ſolemnes in minori numero, non alia ratione, niſi quia Miſſarum ſolemnium, & in cantu fructus major ſit, quam Miſſarum privatarum.

Attendendum hic eſt diſcrimen, quod intercedit inter Miſsam ſolemnem, & Miſſam cantatam, ſeu inter ſolemne Sacrificium Miſſæ, & illud, quod cum cantu celebratur. „ Nam ſolemnitas, ait Em.
„ Cardinalis Lambertinus poſtea S. P. Be-
„ nedictus XIV. *Inſtit.* 105. *nu.* 119. in-
„ trinſecus cum ritu implicita eſt, & in
„ pluribus Miniſtris, nempe Diacono, &
„ Subdiacono collocatur. Cantus autem
„ extrinſecus Sacrificio Miſſæ adjungitur,
„ neque modum & rationem offerendi e-
„ juſdem Sacrificii conſtituit. „ Hinc quando mandatur cantari Miſsa ſolemnis, cani debet cum aſſiſtentia Diaconi, & Subdiaconi; quando vero præſcribitur dumtaxat Miſsa cantanda, ſatis eſt, illam cantari cum aſſiſtentia ſolius Acolyti. Sic reſpondit olim Sacra Congregatio Concilii. Cum enim *in una Neapolitana celebrationis Miſſarum* prætenderetur, Patres Carmelitas non adimpleviſſe onus illis injunctum canendi quotidie unam Miſsam, quia illam cantaverant ſine aſſiſtentia Diaconi, & Subdiaconi; cauſa propoſita eſt in eadem S. Congregatione *ſub die* 28. *Auguſti* 1683., & in examen fuit revocata *ſub die* 29. *Januarii* 1684. ſic: *An Miſſa quotidie cantanda debuerit, & debeat cantari cum aſſiſtentia Diaconi, & Subdiaconi, vel ſolius Acolyti?* Eadem S. Congregatio expendens, quod onus erat unius Miſſæ cantatæ, & non Miſsæ ſolemnis, reſpondit his verbis: *Satisfactum fuiſſe, & ſatisfieri voluntati Teſtatoris, cantando Miſſas etiam ſine aſſiſtentia Diaconi, & Subdiaconi*. Legatur etiam P. Lucius Ferraris *in Suppl. l. v. Miſſa n.* 62.

Poſt hanc Appendicem *De iis, pro quibus Miſſæ Sacrificium offerri, & applicari poteſt, necne*, ſequitur §. XI. cap III. *De Auguſtiſſimo Eucbariſtiæ Sacramento*.

§. XI. *De obligatione celebrandi generatim, necnon de tempore, & loco celebrandi.*

I. *Chriſtus Apoſtolis ut conſecrarent præcepit per hæc verba, hoc facite in meam commemorationem, uti ſemper Eccleſia Catholica intellexit, & docuit*, ait Tridentina *Synodus* ſeſs. 22. c. 3. Idcirco, juxta omnes, cum Angelico 3. p. q. 82. art. 10. tenentur ſinguli Sacerdotes jure Divino ali- quan-

Obligatio celebrandi ſaltem aliquoties.

Digitized by Google

quando ſaltem Sacrificium offerre: *Quidam dixerunt, quod Sacerdos poteſt omnino a conſecratione licite abſtinere, niſi teneatur ex cura ſibi commiſſa celebrare pro populo, & ſacramenta præbere: ſed hoc irrationabiliter dicitur; quia unuſquiſque tenetur uti gratia ſibi data, cum fuerit opportunum, ſecundum illud 1. ad Cor. 6. Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Opportunitas autem Sacrificium offerendi, non ſolum attenditur per comparationem ad fideles Chriſti, quibus oportet Sacramenta miniſtrari, ſed principaliter per comparationem ad Deum, cui conſecratione hujus Sacramenti Sacrificium offertur: unde Sacerdoti, etiamſi non habeat curam animarum, non licet omnino a celebratione ceſſare, ſed ſaltem videtur quod celebrare teneatur in præcipuis feſtis, & maxime in illis diebus, in quibus fideles communicare conſueverunt*. Id autem omittere, eſt lethaliter peccare contra religionem, & cultum Deo debitum. Idcirco Concilium laudatum ſeſſ. 23. cap. 14. ait: *Curet Epiſcopus, ut Sacerdotes ſaltem diebus dominicis, & feſtis ſolemnibus; ſi autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut ſuo muneri ſatisfaciant, celebrent*.

Tempus celebrandi, aut non celebrandi.

II. Quotidie celebrandi quamvis fuerit mos antiquiſſimus, ut patet ex Epiſtola 54. S. Cypriani, *Ut Sacerdotes, qui Sacrificia Dei quotidie celebramus &c.*; nihilominus nulla eſt obligatio; niſi forte ratione Beneficii, vel Capellaniæ id poſtulantis. Poteſt tamen licite fieri, ſi nihil obſit. Die Paraſceves nemini licet publice, aut privatim celebrare ſub mortali, & hoc ex Eccleſiæ inſtitutione. Die Cœnæ Domini non eſſe vetitum celebrare, quamvis doceant plures cum Soto in 4. d. 13. quæſt. 2. & Suarez diſp. 88., & quamvis moneant ſtandum eſſe conſuetudinibus diœceſum: nihilominus ex noviſſimo decreto Clem. XI. ſub die 15. Martii 1712. id prohibetur his verbis: *Non poſſunt in feria quinta in Cœna Domini, & Sabbato Sancto celebrari Miſſæ privatæ, ſed ſolum Conventualis, juxta ritum S. Eccleſiæ, & iterata decreta Sacræ Congregationis*. Ita ex P. Merati in ſuis Obſervationibus, & Additionibus ad Gavanti commentarium tom. 1. p. 4. tit. 8. num. 8. Hinc recentiſſimus P. Lucius Ferraris Ordin. Minor. Obſerv. tom. 6. ſuæ Promptæ Bibliothecæ Canonicæ &c. verbo Miſſa art. 5. num. 8. docet, obtemperandum eſſe, non obſtante quocumque privilegio, & contraria conſuetudine, & decreto Sacr. Congregat., & Clem. XI. 20. Aprilis 1707. & ejuſdem vivæ vocis oraculo die 8. Auguſti 1713. Hæc ipſe; ultra decretum a P. Merati citatum. Itaque celebrare non audeas.

* Conſultius eſt, & Jeſu Chriſti, atque Eccleſiæ ſenſui magis congruit, ut Sacerdotes, ſi poſt debitam adhibitam diligentiam certi moraliter ſint, ſe non eſſe indignos, Miſſam quotidie celebrent. Neque facile omittenda eſt ob humilitatem, aut reverentiam, vel ob magni fervoris, & attentionis, aut majoris compunctionis, & ſenſibilis devotionis, & lacrymarum defectum. Legatur S. P. Benedictus XIV. *de Sacroſancto Miſſæ Sacrificio lib. 3. cap. 2. a num. 1. ad 4.* ubi fuſe de hoc diſſerit.

✠ Non licet nunc plures Miſſas eadem die celebrare, præterquam in Natali Domini, & in caſu neceſſitatis, cum licentia Epiſcopi, dum idem Sacerdos duas habet Parochias, ex cap. 3. *de celebrat.* & ex conſuetudine vim legis habente. Legatur S. P. Benedictus XIV. *de Sacroſ. Miſſæ Sacrific. lib. 3. cap. 4. & 5.* ubi fuſo calamo materiam hanc verſat ac diſcutit. In aliquibus tamen Locis, ut refert *num. 9. cap. 4.* in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum quilibet Sacerdos ſæcularis binas, Regularis vero ternas Miſſas celebrat. Ipſe etiam ad pias Ferdinandi V. Hiſpaniarum, & Joannis V. Luſitaniæ Regum preces, omnibus & ſingulis Sacerdotibus tam Secularibus, quam Regularibus in eorumdem Regum ditionibus commorantibus perpetuo conceſſit ut eadem die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum tres Miſſas celebrare poſſint; ita tamen ut Miſſæ ex vi novi privilegii dicendæ pro omnibus Fidelibus Defunctis, & ſine eleemoſyna quocunque prætextu, ſive etiam ſponte oblata applicandæ ſint. Inſuper permiſit, ut præfatæ tres Miſſæ etiam duabus poſt meridiem horis celebrari poſſint. Videatur *Appendix 4. ad præcit. lib. 3.* in qua hæc omnia fuſius continentur, afferenturque etiam Literæ Apoſtolicæ in forma Brevis ſuper hoc privilegio emanatæ.

Duo autem hic probe animadvertenda ſunt. 1. Quod quando Sacerdos ſive ex neceſſitate, ſive ex privilegio plures ce-

le-

Digitized by Google

lebrat Miſſas, in primis Miſſis a purificatione abſtinere debet . 2. Quod etſi quilibet Sacerdos in Feſto Nativitatis Domini juxta veterem diſciplinam, quæ etiamnum ſervatur toto Orbe Catholico, valeat tres Miſſas celebrare; attamen Fideles non tenentur tres Miſſas audire, ſed ſatisfaciunt præcepto, ſi unam tantum audiant. Neque enim conſuetudo, quæ viget inter Fideles audiendi tres Miſſas eadem die, ullam præſefert obligationem.

Hora celebrandi. III. Circa horam celebrandi, jus commune, & conſuetudo generalis præſcribunt, ne Miſſa ante Auroram finiatur, neque poſt meridiem inchoetur, & videri poteſt Rubrica Miſſalis. Nomine autem Auroræ intelligitur prima irradiatio, quæ reſpective ad diverſos menſes perſeverat vel una, & dimidia hora ante ortum ſolis. Excuſat neceſſitas pro adminiſtrando viatico, ſi deſint particulæ conſecratæ. Excuſare videtur etiam conſuetudo regionum a ſilentio Epiſcoporum approbata, in quibus hora vel prævenitur, vel protrahitur.

Tempus celebrandi eſt ab Aurora uſque ad meridiem communiter juxta Rubricam Miſſalis *de Defect.* num. x. Clemens XI., ut refert Eminent. Cardinalis Lambertinus poſtea Summus Pontifex Benedictus XIV. *Inſtitut.* 13. *numer.* 3., „ in conventu plurimorum Cardinalium ac Præſulum hanc rem ſedulo examinandam mandavit, & licet ipſis tertia pars horæ ante Auroram, & poſt meridiem permitti Sacerdotibus poſſe videretur, Pontifex tamen hanc ſententiam probandam non cenſuit, ac Decretum his verbis promulgavit: *Mandamus, ne Miſſarum Sacrificia ante Auroram celebrentur, & uſque ad meridiem ſolum protrahuntur*. Ita res ſe habuit omnino, *ſubdit ipſe numer.* 4., donec Innocentius XIII. Pontificatum obtinuit. Tandem Benedicto XIII. Pontifice iterum res in examen adducta fuit, & facultas tertiæ partis horæ, de qua paulo ante ſermonem fecimus, novo Decreto permiſſa eſt, cui pariter Edictum Clementis XII. feliciter regnantis conformatur. " Modo igitur licet Sacerdoti celebrare tertia parte horæ ante Auroram, & tertia parte horæ poſt meridiem: etiam ſecluſo ſpeciali privilegio, vel motivo.

Locus celebrandi. IV. Locus celebrandi, communiter loquendo, debet eſſe ſacer, ideſt vel conſecratus, vel benedictus ab Epiſcopo, vel auctoritate Epiſcopi, aqua per ipſum benedicta; videri poteſt Concil. Trident. ſeſſ. 22. cap. 12. Excipitur caſus publicæ neceſſitatis, ſi Eccleſia corruerit, & ne populus Sacrificio careat; necnon in bello, dum celebratur ſolis diebus feſtivis in Tentoriis ſub dio; immo etiam in litore maris, ne diu milites, aut navigantes miſſa careant; & etiam, de licentia Pontificis, in navi, mari certo moraliter tranquillo. In domibus autem ſæcularium, ex privilegio Sanctæ Sedis licet celebrare in Sacello benedicto. Miſſæ autem obligationi non ſatisfaciunt, niſi deſignati in Brevi. Regulares ex privilegiis a Tridentino non revocatis, in Oratoriis, & aliis honeſtis locis proprii Conventus licite celebrant; quandoquidem hæc loca non ſunt domus ſæcularium, neque profana, de quibus dumtaxat loquitur Concilium loc. citat. in decreto de obſervandis, & vitandis in celebratione Miſſarum.

* Utique Apoſtolico opus eſt privilegio, ut in Mari Miſſa celebrari poſſit; neque ſatis eſt privilegium Altaris mobilis, quo continetur clauſula, *in loco honeſto, ac tuto*, quæ mari non convenit, ut videre eſt apud Eminent. Cardinalem Petra *in Commentar. ad Conſtitut. Apoſtolic. tom.* 4. & Meratum ad Gavantum *tom.* 1. *par.* 1. Privilegium autem hujuſmodi non conceditur a Pontifice niſi ſub iſtis conditionibus, nempe, ut tutum navigium ſit, ac longe abſit a litore, tranquillumque ſit mare, & Celebranti adſit etiam alter vel Sacerdos, vel Diaconus, qui, ſi quis cooriretur motus, quo periculum eſſet, ne Calix everteretur, poſſit manu Calicem ab ejuſmodi periculo eripere. Videatur Indultum, quod militari Ordini Hieroſolymitano conceſſit Clemens XI. in ejus Bullario ordine undecimum, cui poſt accuratam S. Congregationis ea de re diſceptationem, recenſitæ appoſitæ ſunt conditiones. Etiam S. P. Benedictus XIV. *die* 25. *Januarii* 1742. eidem Ordini facultatem indulſit celebrari faciendi Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium ſuper Triremibus *tum tempore navigationis, quo Triremes hujuſmodi anchoratæ ſunt, in quibuſvis oris, littoribus, & portubus habitatis, & non habitatis*; ſub iiſdem tamen conditionibus, ſcilicet *dummodo celebratio Miſſæ hujuſmodi eo tempore, quo*

mare tranquillum & Cælum ſerenum reperiantur, & cum aſſiſtentia alterius Presbyteri, ſeu Diaconi, fiat; ut periculum effuſionis Sanguinis in dicta celebraoione minime adſit. Extat hoc Indultum *tom.* 1. *Bullarii* ejuſdem Pontificis *numer.* 41. *pag.* 109. *E. R.* 1746. Idemque Indultum habetur eodem tomo pagin. 162. ad Pontificias Triremes extenſum, eodem modo conceptum. Legatur etiam idem S. P. *de Sacroſancto Miſſæ Sacrificio lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 9. *& ſeqq.*

Idem S. P. Benedictus XIV., ſupplicationibus Reverendiſſimi P. F. Antonini Bremond totius Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſtri benigne indulgens, privilegium confirmavit, & innovavit, quod a pluribus Summis Pontificibus Prædeceſſoribus ſuis eidem Ordini, illiuſque Superioribus, & Fratribus conceſſum fuerat circa Oratoria ad eumdem Ordinem pertinentia: *Supplicationibus ejus nomine*, (inquit in Brevi incipiente: *Exponi Nobis nuper fecit*) *Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ut deinceps in publicis Capellis, ſeu privatis Oratoriis exiſtentibus in domibus, poſſeſſionibus, & membris ad Conventus Ordinis prædicti nunc, & pro tempore ſpectantibus, & pertinentibus, quæ ab Ordinariis locorum juxta jus viſitari, & approbari ſoleant, debeantque, licet ab illis nec viſitata, nec approbata fuerint, nihilominus ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium tam per Regulares ſive ejuſdem, ſive alterius Ordinis, quam ſæculares Presbyteros tuto celebrari poſſit, Miſſamque inibi audientes diebus feſtivis præcepto Eccleſiæ hac de re edito ſatisfacere intelligantur, abſque tamen ullo jurium Parochialium præjudicio, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Inſuper dictas Capellas publicas, & privata Oratoria a quacumque Ordinarii locorum auctoritate, ſuperioritate, & dignitate fungentis viſitatione, & ſubjectione, auctoritate, & tenore prædictis eximimus, & liberamus, ac exempta & libera eſſe decernimus, volumus, & declaramus; ea tamen lege, ut ad ejuſmodi effectum, nempe quoad viſitationem per locorum Ordinarios ſuper illarum, & illorum fabrica, ornatu, & ſupellectili ſacra faciendam, ſatis ſit, & ſufficiat, quod dicta Oratoria, Capellæ, & Altaria viſitentur & approbentur, ac viſitari & approbari debeant a Patribus Viſitatoribus dicti Ordinis, onerata ſuper his conſcientia tam dicti Antonini moderni, quam pro tempore exiſtentis ejuſdem Ordinis Magiſtri Generalis &c.* Hoc privilegium defert Auctor in ſequenti *Appendice* §. 16. *num.* 5. ad oſtendendum & Sacerdotes ſæculares poſſe in Capellis & Oratoriis privatis Regularium celebrare, & laicos item ſæculares ſatisfacere præcepto Eccleſiæ, ſi Miſſam in illis audiant diebus feſtivis.

APPEN-

Digitized by Google

APPENDIX
DE
PRIVILEGIO
AUDIENDÆ, ET CELEBRANDÆ MISSÆ IN ORATORIIS PRIVATIS.

§. I. *Præmittuntur nonnulla, & refertur Decretum Clem. XI.*

Quotuplex Oratorium?

I. ORatoria pró celebratione Miſſæ ſunt in duplici ordine; quædam dicuntur Publica, & quædam Privata: Publica illa ſunt, quæ auctoritate Epiſcopi eriguntur, & dumtaxat cultui Divino pro ſemper devòventur: habent item inter alias conditiones, indicandis in §. 7. n. 4., aditum atque ingreſſum liberum per viam publicam, nec non egreſſum ſimiliter liberum in via publica. Immo Sacra Congregatio Epiſcoporum 12. Septemb. 1719. declaravit, quod Oratoria Pùblica debeant habere januam perpetuo apertam, quæ viæ publicæ correſpondeat: ita apud Urſayam in Miſcellan. Sacroproſan. *I.* Litera O. num. 69. & iterum declaravit Sac. Congregatio Concilii 28. Julii, & 9. Septemb. 1724. Nec putarem obſtare publicitati Oratorii, quod quibuſdam horis oſtia ejuſdem claudantur; quemadmodum claudi ſolent etiam januæ Eccleſiarum. Ita ex pluribus Canonibus, ſed præcipue ex capit. *Oratorium* in 6. & ex Capite in *Oratorio* 7., diſt. 41., capite *Quidam* 10., cauſa 18., q. 2. & alibi. De his Oratoriis nihil in præſentiarum.

II. Oratoria vero Privata, de quibus in præſenti, pro Miſſis celebrandis illa ſunt, quæ intra domeſticos parietes, in cubiculo, aut alio decenti loco domus privatæ conſtituuntur, non habentia ingreſſum nec egreſſum in via publica: & conſtituuntur ex Privilegio Sedis Apoſtolicæ, ſub certis & determinatis clauſulis, atque ſub recognitione, & approbatione Ordinarii ad tempus deſtinatum.

Decretum Clement. XI.

III. Id autem, ut liquido appareat, referam Decretum Clementis Papæ XI., datum die 15. Decembris anni 1703.; in quo hæc habentur. „ Quoniam Sanctà ſancte tractanda ſunt, ac præſertim tremendum incruenti Sacrificii Myſterium, „ quod omni Religionis cultu, & veneratione peragendum eſt; propterea ſuper „ obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſarum in Sacroſanctis OEcumenicis Conciliis, ac præſertim Tridentino „ *ſub capite unico ſeſſionis* 22.; inter cætera ſtatutum eſt, ut tantum Sacrificium „ ſolummodo in Eccleſiis, aut Oratoriis divino tantum cultui dicatis celebraretur; „ præcipiendo Epiſcopis, & locorum Ordinariis, ne privatis in domibus, atque „ omnino extra Eccleſiam peragi paterentur: ac ſubinde Sacra Congregatio Eminent. & RR. S. R. E. Cardinalium ipſius Concilii executioni & interpretationi Præpoſitorum, ſæpe ſæpius, per „ opportuna Decreta, obrepentes abuſus „ eliminavit. Modernis tamen temporibus „ innotuit SS. D. Noſtro, quod nonnulli „ Epiſcopi, ſub prætextu privilegiorum, „ Capellis Epiſcopalibus competentium; & „ complures Regulares, ſub prætextu Privilegiorum, quæ ipſis a S. Sede indulta „ noſcuntur, per hujuſmodi Privilegiorum „ dilatationem, ſeu potius exceſſum, & „ abuſum, in nonnullis Diœceſibus, præſertim Regni Neapolitani, ac in ipſa „ Neapolis Civitate, ea ſibi licere putant, „ quæ permiſſa non ſunt, quinimmo prohibìta: ſiquidem nonnulli Epiſcopi etiam „ in aliena Diœceſi, & *extra domum propriæ habitationis*, in privatis laicorum „ domibus erigi faciunt Altare, ibique per „ unum, aut plures ex ſuis Capellanis vivificam Chriſti Hoſtiam immolare: Regulares vero in quibuſdam Magnatum, „ ſeu aliarum Nobilium Perſonarum privatis Oratoriis, quæ certis quandoque ex „ cauſis a Sede Apoſtolica concedi ſolent, „ celebrare audent, vel plures Miſſas, „ quam in ipſis celebrare ſit indultum, „ *vel abſque præſentia Perſonarum, quarum contemplatione gratioſa conceſſio emanavit*, vel extra debitas horas, & „ poſt meridiem; vel illis etiam diebus, „ quibus per conſtitutiones Diœceſanas celebrari prohibetur, aut in ipſiſmet Indultis Apoſtolicis excipiuntur, quominus „ in

„ in iis celebrari poſſit; aut etiam altari „ portatili uti non verentur, in Sanctarum „ ſanctionum contemptum, ac Sancti Sacrificii irreverentiam.

„ Quamobrem ad hujuſmodi abuſus eliminandos, & ad inſtaurandam venerationem tremendo miniſterio debitam, idem SS. Dominus noſter ex unanimi voto S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, inhærendo declarationibus alias hac de re editis, expreſſe declarat, Epiſcopis, & his majoribus Prælatis, etiamſi Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque ſub prætextu Privilegii clauſi in corpore juris, nec alio quocumque titulo, ullo modo *licere extra Domum propriæ habitationis*, in domibus laicis, etiam in propria Diœceſi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamſi conſenſus Diœceſani adhiberetur, erigere altare, ibique Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrare, aut celebrari facere; ac pari modo in Oratoriis privatis, quæ per Sanctam Sedem conceſſa fuerint, non licere Regularibus cujuſvis Ordini aut Inſtituti, ſeu Congregationis, etiam Societatis Jeſu, aut etiam cujuſcumque Ordinis militaris, etiam S. Joannis Hieroſolymitani, aut aliis quibuſcumque Sacerdotibus, etiamſi eſſent Epiſcopi, in iis celebrare in diebus Paſchatis Sanctiſſimæ Reſurrectionis, Pentecoſtes, Nativitatis D. N. Jeſu Chriſti, aliiſque feſtis ſolemnioribus, ac diebus in Indulto exceptis; in reliquis vero diebus prædictis Regularibus, ſeu Sacerdotibus quibuſcumque etiam Epiſcopis, in præfatis Oratoriis celebrare non licere ubi etiam unica Miſſa, quæ in indulto conceditur, celebrata fuerit, ſuper quo celebraturus teneatur diligenter inquirere, & de eo ſe optime informare: atque illa etiam in caſibus permiſſis celebrari nequeat poſt meridiem; demandando propterea ulterius, ac declarando, in omnibus hujuſmodi caſibus, Perſonas quaſcumque dictas Miſſas audientes, nullatenus Eccleſiæ præcepto ſatisfacere. Quo vero ad altare portatile, inhærendo declarationibus ſupradictis, cenſuit, licentias, ſeu privilegia conceſſa nonnullis Regularibus in „ *Capite in his, de Privil.*; & per alios Summos Pontifices aliis Regularibus communicata, utendi dicto altari portatili, in eoque celebrandi, abſque Ordinariorum licentia, in locis in quibus degunt, omnino revocata eſſe per idem Sacrum Concilium: & propterea eoſdem Regulares prohibendos, ne illis utantur, & mandandum, prout præſentis decreti tenore mandat Epiſcopis, aliiſque Ordinariis locorum, ut contra quoſcumque contravenientes, quamvis Regulares, procedant, etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati, ad pœnas præſcriptas per idem Sacrum Concilium in dicto Decreto ſeſſionis 22. uſque ad cenſuras latæ ſententiæ, tributa etiam eiſdem facultate per hoc Decretum ita procedendi, perinde ac ſi per S. Sedem ſpecialiter conceſſa fuiſſet: & ita Sanctitas ſua declarat, & ſervari mandat.

§. II. *Refertur forma Privilegii, ſeu Indulti, quod ſolet concedi.*

Forma Privilegii, ſeu Indulti, quod a S. Sede concedi conſuevit, celebrandi in Oratoriis Privatis, hæc eſt.

„ I. Dilecte Fili &c. Spirituali conſolationi tuæ, quantum cum Domino poſſumus, benigne conſulere, teque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes &c.; ſupplicationibus tuo nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Tibi; qui (ut aſſeris) nobili genere procreatus exiſtis, ut in privato domus tuæ ſolitæ habitationis in Diœceſi N. exiſtentis Oratorio, ad hoc decenter muro extructo, & ornato, ſeu extruendo & ornando, ab omnibus domeſticis uſibus libero, per Ordinarium loci prius viſitando, & approbando, ac de ipſius Ordinarii licentia, ejus arbitrio duratura, unam Miſſam pro unoquoque die, dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri conceſſa non fuerit, per quemcumque Sacerdotem ab eodem Ordinario ſæcularem, ſeu de Superiorum ſuorum licentia Regularem; ſine tamen quorumcumque jurium Parochialium præjudicio; ac Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, Nativitatis D. N. Jeſu Chriſti, aliiſque ſolemnioribus anni feſtis diebus exceptis, in tua, ac Familiæ, & hoſpitum nobilium tuorum præſentia celebrare facere libere, & licite poſſis, & valeas, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, & indulgemus; non obſtantibus &c. Volumus autem quod familiares ſervitiis tuis tempore dictæ

Traditur forma Privilegii, ſeu Indulti

„ Miſ-

„ Miſſæ actu non neceſſarii, ibidem Miſ- „ ſæ hujuſmodi intereſſentes, ab obliga- „ tione audiendi Miſſam in Eccleſia die- „ bus feſtivis de præcepto minime liberi „ cenſeantur. Datum Romæ &c.

Notandum, quod quando petitur Indultum pro nobili, qui ſit infirmus, apponi ſolet hæc clauſula.

II. „ Tibi, ut etiam diebus, ut præfer- „ tur, exceptis, ſi in illis ob infirmita- „ tem, domo egredi non poteris, in dicto „ Oratorio prædictam unicam Miſſam ce- „ lebrari facere, & illam cum una perſo- „ na ſervitiis tui neceſſaria dumtaxat præ- „ ſenti, celebrari facere libere, & licite „ poſſis, & valeas. Volumus autem quod „ alii, præter ſupradictam perſonam Miſ- „ ſæ hujuſmodi ibidem intereſſentes, ab „ obligationem audiendi Miſſam in Eccle- „ ſia diebus feſtis de præcepto minime li- „ beri cenſeantur.

§. III. *Præmittuntur nonnulla, priuſquam expendantur clauſulæ Indulti, ſeu Privilegii.*

Modi quibus conceduntur hæc Privilegia.

I. QUatuor modis concedi poſſunt hæc Indulta Oratorii Privati. Primum pro Civitate, ideſt ut erigatur Oratorium Privatum in civitate, & in omnibus locis, ſive Oppida ſint, ſive Villæ, ſive Dominia in una Diœceſi: & hoc Indultum conceditur dumtaxat Perſonis Nobilibus, exercentibus juriſdictionem temporalem in aliquo loco, qui ſpecificandus eſt: & tale indultum habet clauſulas indicatas in §. antecedente. Secundo conceditur ad illud habendum Ruri tantum, ſive in locis poſitis extra Urbem, vel Oppidum; & hoc conceditur etiam perſonis non nobilibus, & nullibi exercentibus ullam juriſdictionem temporalem. Tertio, ad illud obtinendum pro infirmis nobilibus, ſive juriſdictione fruantur, ſive non; & hoc æquiparatur primo modo dudum indicato; & valet dumtaxat pro tempore, quo Orator propter infirmitatem domi detinetur; ita ut domo exire nequeat ad Miſſam in Eccleſia audiendam, & pro tali infirmo, ut vidimus, nulla excipitur ſolemnitas; atque una ſola perſona ſuis ſervitiis neceſſaria eodem indulto gaudet: Et hoc Indultum poteſt impetrari etiam pro Conjuge, Patre, Matre, Filio, Filia, Fratre, Sorore infirmis, dummodo inſimul habitent; & in ſupplicatione exprimantur. Quarto modo obtinetur pro itinerantibus: nempe ut ſecum ferant Altare Portatile; & hoc expoſcit ſequentes conditiones, nempe quod Perſona ſit nobilis; item ut valeat dumtaxat verbi gratia iter agendo per ſolam Hiſpaniam, &c. ita ut valeat tantum in actuali itinere, & ubi deeſt commoditas Miſſarum: & tunc valet etiam pro comitibus itineris.

§. IV. *Expenditur prima Clauſula Indulti.*

Exponitur prima Clauſula de Nobilitate.

I. PRima clauſula his verbis exprimitur: *Qui, ut aſſeris, de Nobili Genere procreatus exiſtis*; & denotat veram nobilitatem. Communis ſententia docet, ſufficere nobilitatem etiam ex ſolo Patre deſcendentem: Diſputatur autem, an ſufficiat nobilitas ex ſola Matre proveniens? Cardinalis Petra ex Pignatello, & aliis, putat, eam ſufficere; eo quia nobilitas, in caſu noſtro requiſita, non ſit ſtricte & rigoroſe accipienda: cum agatur in cauſa favorabili, ut patet in verbis Indulti, in quo dicitur *Te ſpecialibus favoribus proſequi volentes*. At meo videri eſt probabilior oppoſita opinio, negans ſufficere; quæ eſt Monacelli, Quarti, poſt Sanchez & alios. Ratio mihi eſt, quia nobilitas vere & abſolute talis a Genitore dumtaxat deſcendit; & de hac intelligendum eſt Indultum: cum enim, ut omnes concedunt, ſit Privilegium contra jus commune; & privilegia contra jus commune ſint, ſecundum omnes, ſtrictiſſime interpretanda: quamvis Pontifex velit ſpeciali gratia ſavere ſupplicanti, non tamen vult eximere privilegium a communi regula juris, nempe vult quod, utpote contra jus commune, debeat ſtrictiſſime interpretari; & proinde illud verbum *nobilitatis* ſit de vera & abſoluta nobilitate intelligendum.

§. V. *Expenditur ſecunda Clauſula.*

Exponitur ſecunda Clauſula de domo Oratorii erigendi.

SEcunda clauſula Indulti his verbis exprimitur: *In privato domus tuæ ſolitæ habitationis in Diœceſi N. exiſtentis Oratorio*: propterea quæritur, an ſi Orator transferat domicilium in aliam Diœceſim, aut mutet domicilium in eadem Diœceſi, Indultum valeat? Reſpondeo cum fere communi, quod Indultum adhuc ſubſiſtat; quia ly *in Diœceſi N.* non ſe habet reſtrictive & veluti taxative, ſed dumtaxat demonſtrative, ac ſi diceretur in domo tuæ habitationis, quæ modo eſt in Diœceſi N.; quandoquidem Indultum non conce-

cedi-

Digitized by Google

ceditur ratione Diœceſis, ſed ratione Perſonæ, & eſt Perſonale; quod Perſonam comitatur, quocumque pergat.

Monitum notandum. Monent tamen opportune Doctores communiter, quod Oratorium in altera Diœceſi, aut in nova domo conſtructum, debeat viſitari, & approbari ab Ordinario, nec licitum ſit in eodem celebrare, antequam viſitetur, & approbetur ab Ordinario. Diſputant autem, an hæc nova viſitatio & approbatio neceſſario requiratur, ſi transferatur domicilium intra eamdem Diœceſim? imo ſi in eadem domo transferatur de uno cubiculo ad aliud? Probabilior eſt opinio affirmans, quam ſuſtinent Pignatellus, Quarti, & alii, contra alios; nam ratio liquet; cum enim mutetur Oratorium, etiamſi fiat novum in eadem domo, proculdubio ſubſiſtunt motiva, neceſſitatem novæ viſitationis & approbationis oſtendentia; revera namque eſt novum Oratorium, & alterum ab eo, quod viſitatum & approbatum fuit; ut igitur impleatur conditio, in Indulto poſita, & finis habeatur ejuſdem, neceſſaria erit nova viſitatio, & approbatio.

Monitum alterum. Si vero verba in Indulto poſita facerent ſenſum reſtrictivum & taxativum ad talem locum, (quem plerumque facere non ſolent) tunc, cum Privilegium non eſſet ſolum Perſonale, ſed præcipue locale; exigeretur novum Privilegium, pro erigendo novo Oratorio extra Diœceſim; alioquin non adimpleretur conditio ex principaliter intentis a legiſlatore.

De Oratorio in Civitate & Ruri. Qui habet Indultum pro erigendo Oratorio petito pro Civitate, non poteſt eodem Indulto uti pro Rure, juxta probabiliorem Diana, Quarti, la Croix, & aliorum; quia Pontifex nunquam concedit facultatem, ut Miſſa celebrari poſſit in pluribus Oratoriis reſpectu ejuſdem Indultarii; & afferunt Stylum Curiæ ita ſe gerentis; & propterea niſi in Indulto hæc conceſſio ponatur, non eſt licite præſumenda: unde qui illam deſiderat etiam pro Rure, illam poſtulet; quæ, ut notant Auctores citati, in recentioribus Indultis concedi ſolet & pro Civitate, & pro Rure. Quando tamen Miſſa celebratur Ruri, non poteſt celebrari in Civitate eadem die, ut patet.

§. VI. *Expenditur tertia clauſula.*

De qualitate Oratorii. TErtia clauſula Indulti eſt: *Decenti muro extructo, & ornato ab omnibus domeſticis uſibus libero*. Verba ſunt clara; poſtulant enim, quod Oratorium ſaltem in tribus lateribus ſit muro extructum, & qua parte eſt apertum, ut janua correſpondeat cubiculo, portam habeat, quæ, ob reverentiam, claudi poſſit: & propterea videmus hæc oratoria extra muros cubiculi eſſe extructa, & prominere eiſdem muris. Debet eſſe decenter ornatum; habens omnia requiſita ad tantum Sacrificium convenienter celebrandum. Debet eſſe liberum ab omnibus uſibus domeſticis, & tantummodo ad celebrationem, & ad offerendas Deo alias preces deſtinatum; & idcirco claudi ſolet decenti janua. Præterea ſuper ipſum non debet eſſet aliud cubiculum, in quo quis dormiat, inhabitet, &c., prout declaravit Sacra Congregatio Immunitatis 30. Septembris 1636. quam refert Monacelli tom. 4. ſupplementi ad ſecundum tomum num. 481. Non prohibetur tamen privilegiatus, ſi nolit amplius uti Privilegio, & Oratorium convertere in alios uſus domeſticos, & eodem uti ad tales uſus: quia hujuſmodi Oratoria non ſunt ſicut Eccleſiæ, nempe loca immobiliter ad Dei cultum deſtinata in perpetuum, ut obſervant Auctores; neque propterea gaudent privilegio immunitatis eccleſiaſticæ, ut declaravit Sacra Congregatio Immunitatis 9. Decembris 1631. Demum ſi Privilegiatus vellet iterum Oratorium reſtituere ad primum uſum celebrandi, erit omnino neceſſaria nova viſitatio, & approbatio Ordinarii, ut docent communiter Doctores.

§. VII. *Expenditur quarta clauſula.*

Exponitur quarta clauſula. I. QUarta clauſula ſic exprimitur: *Per Ordinarium loci prius viſitando & approbando; ac de ipſius Ordinarii licentia, ejus arbitrio duratura*. Itaque non poteſt Privilegiatus uti Oratorio, niſi prius viſitetur, & approbetur ab Ordinario: & juxta communem Doctorum, ſufficiet ut ſemel viſitetur, & approbetur ab Ordinario loci, aut ab ejus Vicario, aut altero delegato: & ſi Sedes vacaret, ſufficit viſitatio & approbatio Vicarii Capitularis juxta communem.

II. Ordinarius, inveniens omnia requiſita

Ordinarius inveniens omnia requiſita, non poteſt denegare approbationem.

ſita ad Oratorium in ſua viſitatione, non poteſt denegare ſuam approbationem; cum non poſſit ſuſpendere conceſſiones Pontificias, ſine juſta cauſa: & in caſu quod approbationem denegaret, vel, ſemel conceſſam, irrationabiliter revocaret; poſſet Privilegiatus appellare ad Archiepiſcopum, aut alium Superiorem, ut cogerent Epiſcopum ad approbationem, vel concedendam, vel non revocandam, juxta omnes. Non poteſt Epiſcopus, peracta prima viſitatione, & approbatione, iterum viſitare & approbare, niſi juſta cauſa exurgat; quia hæc Oratoria, ſecundum communem Canoniſtarum, non ſunt loca Sacra, aut Religioſa; neque ab eis exigi poteſt procuratio; vide Abbatem in capite ultimo *de cenſibus num.* 1., & Fagnanum ibidem, & Cardinalem Petra ibidem, alios citantem. Exurgente autem juſta cauſa, nempe accuſatione, denunciatione, aut publica diffamatione, quod Oratorium indecenter teneatur; poterit iterum viſitare, & videre, an id verum ſit, & an conſtet de veritate facti; & tunc debebit providere juxta neceſſitatem: ita Canoniſtæ communiter ſuper caput ultimum *de cenſibus*.

Reſolvitur dubium incidens.

III. Sciſcitaberis, an Epiſcopus concedere poſſit licentiam celebrandi in Oratoriis privatis? Reſpondeo cum communi negative, quia hæc facultas a ſolo Pontifice concedi poteſt, privative quoad omnes: & ita reſpondit Sacra Congregatio Concilii Epiſcopo Bononienſi 10. Martii 1615.; quæ etiam de mandato Pauli V., die 25. Octobris 1615. irritas declaravit omnes facultates, quoad hoc ab Epiſcopis conceſſas, & eiſdem expreſſe interdixit, ne tales facultates concedere amplius auderent. Imo in ſupralaudato Decreto Clementis XI. vidimus expreſſe prohibitum etiam Epiſcopis celebrare in Oratoriis privatis domorum.

Poteſtas Epiſcopi ſuper Oratoriis Publicis.

IV. Circa Oratoria vero Publica, in §. 1. explicata; etiamſi ſint intra areas privatæ domus, dummodo ingreſſum, & egreſſum habeant immediate in via publica, poteſt Epiſcopus concedere facultatem in eiſdem celebrandi, eademque deſtinare ad præſtandum cultum Deo per Sacrificia, aliaſque actiones religioſas; nam cum ſint vera Oratoria publica, de his nullum dubium excitatum legitur; cum Canones hanc tribuant Epiſcopo poteſtatem.

Quid de Oratoriis ruralibus domorum Nobilium?

V. At quid dicendum de Oratoriis, quæ in domibus ruralibus nobilium extruuntur quidem extra domum, & in eorum areis ſub dio, & ad modum parvulæ Eccleſiæ, quas vocant italice *Chieſette*: quarum janua, vel januæ omnes habent ingreſſum, & egreſſum, non immediate in via publica, ſed in eadem area, vulgo *Cortile*: quæ area eſt muris circumſepta, & habens portam, quæ immediate egreſſum habet in publica via; poterunt ne haberi tamquam Oratoria publica, & exinde in ipſis celebrari Miſſa, atque ſatisfieri præcepto a quibusvis in diebus feſtivis? Videretur, quod hæc Oratoria dicto modo conſtructa in areis, & muris areæ circumvallata, ad quæ non habetur ingreſsus immediate ex via publica, ſed prius intranda eſt porta areæ, & deinde ingreſsus habetur in Ædiculam, vere non ſint habenda tamquam Oratoria publica, ſed tamquam Oratoria privata; & propterea neque poſſit celebrari, tamquam in Publicis, neque ab aliis ſatisfieri præcepto. Ratio unica videretur eſse, quia deeſt illis conditio præcipua, a Sacris Canonibus requiſita pro Oratorio publico, & diſtinguens Publicum a Privato; quæ conditio in eo conſiſtit, quod Publica habeant ingreſsum & egreſsum in via communi, & publica, & non in loco clauſo, & non in area privata muris clauſa, & porta ipſam aream claudente. Nihilominus Dominus Urſaya tom. 1. parte 2., diſceptatione 23. aſſerens ſigna Oratoriorum publicorum, (quæ ſunt: Altare fixum, & ſtabile; pluralitas perſonarum Miſsæ adſtantium: Campanile & campana; celebratio plurium Miſsarum in eadem die per decennium continuata; celebratio feſtivitatis illius Sancti, cui altare eſt dicatum; & Porta correſpondens viæ publicæ) ſuſtinet num. 29. non deſinere eſse Oratoria publica, quamvis habeant portam in area, atrio, vulgo *Cortile* Palatii: & affert Decretum Sacr. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium in Oſtunenſi 20. Martii 1698., & Declarationem Sacr. Congregationis Concilii in Campſana 31. Martii 1704., & die 8. Auguſti 1705., & ulterius affert exemplum Urbis Romæ. Imo addit, non obſtare publicitati Oratorii, quod aditus in ipſum fieri debeat per ſcalas, aut per porticum, aut per viculum, aut per ædes privatorum; & n. 29. affert pro hoc etiam deciſionem Sacræ Rotæ. Ex aliis tamen declarationibus Sacr. Congregatio-

gatio-

Digitized by Google

gationis videtur requiri, quod janua areæ de die non claudatur, & pateat cunctis volentibus accedere ad Oratorium; imo quod Dominus Palatii cedat juri ſuo quoad claves januæ ædiculæ, & januæ areæ: Nam ad quoddam dubium propoſitum reſpondens Sacra Congregatio Concilii die 9. Septembris 1714. *In Savonenſi*, reſpondit: *Eccleſiam eſſe publicam, facta tamen per Senatorem Imperialem in publico inſtrumento declaratione, ſe nullum jus habere in area ſive ante Eccleſiam, nec non quod claves tam Eccleſiæ, quam areæ prædictæ retineantur a Capellano*: & in altera *Nitrienſi* die 2. Februarii 1735., quæſitum fuit ſecundo loco, *an idem Oratorium ſit publicum, ſeu potius privatum? Ad 2. reſpondit Affirmative quoad primam partem, & negative quoad ſecundam; impoſita tamen obligatione Comiti Jeſepho reſtituendi apertas fores atrii de die; & conſtituendi Capellam congrue dotatam* &c. Si igitur ita ſit; hæc profecto requirentur ad hoc, ut Oratorium publicum ſit. Vide Urſayam locis citatis; & Theſaurum Reſolutionum S. Congregatione Concilii tom. 7.

De duratione Oratorii privati.

VI. Si quæras, quantum duret Privilegium Oratorii privati? Reſpondetur cum communi, durare quouſque durat vita Perſonæ privilegiatæ, neque ullo modo tranſire ad hæredes ejuſdem; neque ad familiam, quamvis intus nominatam; quia nominatur ut quid acceſſorium; eo quod ſit Privilegium Perſonale: ita ex cap. *Privilegium de Regulis Juris in* 6., & Capit. *Quælibet de electíon.* Oppones, in Privilegio contineri hæc verba: *Ac de ipſius Ordinarii licentia, ejus arbitrio duratura.* Reſpondeo cum communi, illam clauſulam poni, non ad extendendam conceſſionem, ſed ad eamdem modificandam, nempe ut ſit duratura arbitrio Ordinarii prudentis, quouſque ex juſta cauſa revocetur: & ita intelligit Stylus Curiæ.

An duret poſt mortem concedentis?

VII. Poſt obitum Pontificis concedentis, vel Ordinarii approbantis Oratorium, perſeverat Privilegium, quin opus ſit nova conceſſione novi Pontificis, aut nova approbatione novi Ordinarii; eo quod favores non expirent morte concedentis, ut docent communiter. Interrogabis: quid ſi Pontifex concedens obeat antequam Privilegium fuiſſet ab Ordinario exequutum? Reſpondent communiter, ſubſiſtere gratiam conceſſam, atque ab Ordinario executioni mandandam, ob rationem dudum allatam; quia favores non expirant morte concedentis.

§. VIII. *Expenditur quinta clauſula.*

I. Quinta clauſula continet: *Miſſam pro unoquoque die.* Verba ſunt manifeſta, atque indicantia, nonniſi unicam Miſſam quotidie celebrari licite poſſe; & propterea jubetur celebraturo, *ut optime ſe informet, an alia Miſſa celebrata fuerit*: cum neque Epiſcopus, una jam celebrata a quovis ſacerdote, alteram ipſe celebrare poſſit: & proinde tam celebrare faciens, quam celebrans ſecundam, peccant mortaliter, juxta communem Doctorum.

* Juvat hic adiicere, quod habet S. P. Benedictus XIV. *in Epiſtola Encyclica* ad Primatem, Archiepiſcopos, & Epiſcopos Regni Poloniæ, quæ ſummatim inferius refertur ſcilicet §. 16. *poſt. nu.* 11. „ Interdum, ait Sum. P. §. 18., illi, qui „ privati Oratorii Breve habet, extraordinarium Breve conceditur, in quo eidem, valetudinis cauſa, Miſſam domi „ audire diebus etiam exceptis permittitur. Cum autem in hujuſmodi Brevibus „ de unica tantum Miſſa ſermo ſit; orta „ difficultas fuit: Num poſſint die Natalitio a Sacerdote, qui in ipſo celebrat, „ tres Miſſæ celebrari; de quo cum Nos „ eo tempore, quo Concilii ejuſdem a Secretis eramus, peculiarem diſſertationem „ conſcripſiſſemus, atque in lucem edidiſſemus, ſub die 13. *Januarii* 1725. reſolutum a Congregatione fuit, quod a „ Sacerdote tres Miſſæ celebrari poſſent, „ quemadmodum *tom.* 3. Theſaurii Reſolutionum *pag.* 109. *& ſequenti*, *& p.* „ 116. videre eſt. „ Legatur idem S. P. *& de Sacroſ. Miſſæ Sacrif. lib.* 3. *c.* 4. *n.* 2. *& ſeqq.* Itaque ſi permittatur celebratio Miſſæ in privatis Oratoriis diebus excipi ſolitis, in Nativitate Domini celebrari poterunt tres Miſſæ. Vide infra §. 16. *num.* 9.

§. IX. *Expenditur ſexta clauſula.*

An in eadem domo poſſint plura Oratoria extare?

I. Sexta clauſula hæc habet: *Dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri conceſſa non fuerit.* Quibus verbis aperte manifeſtat, in eadem domo non poſſe extare plura Oratoria; & proinde eodem Oratorio non poſſe uti v. g. duos Dominos diſtinctos, nec ſubordinatos; neque duas familias, caſu quo in

Digitized by Google

in eadem domo inveniantur duo Domini cum ſuis familiis diſtinctis: nempe ſi uterque impetret Privilegium; non valet pro ſecundo impetrante, quouſque duret primum; quia ambo inveniuntur in eadem domo, ut docet communis: valebit autem ſecundum, poſt deſitionem primi: quia non alio modo intelligitur a S. Sede conceſſum. Videri poteſt Pignatellus afferens textus juris, & Auctores tom. 6., conſultatione 98. num. 66.

II. Quod ſi v. g. duæ Familiæ eamdem domum habeant, in duas tamen partes diviſam taliter, quod quælibet familia habeat ſua cubicula & loca, ſuaſque officinas domeſticis uſibus neceſſarias, ut non raro evenit in domo habente duo ſolaria vulgo *due piani*, *due ſolai*; quamvis habeant januam communem, id nihil obſtabit, ut utraque familia gaudere poſſit privilegio Oratorii; imo etiamſi non ſit domus diviſa in duo ſolaria, & etiam quamvis habeant familiæ illæ ingreſſum communem, & atrium commune; imo etiam aulam principalem vulgo *ſala* communem: Ita Pignatellus ibidem num. 61. Etenim in domibus ita diviſis non eſt communicatio, efficiens unam familiam, cum reapſe ſint duæ Familiæ, vel plures ſeorſim degentes; unde domus dicitur quidem una materialiter, plures autem ſunt formaliter, ut ajunt.

§. X. *Expenditur ſeptima Clauſula.*

Quis Sacerdos poſſit celebrare?

I. HÆc clauſula ſic continet: *Per quemcumque Sacerdotem ab Ordinario approbatum Sæcularem; ſeu de Superiorum ſuorum licentia Regularem*. Hæc verba indicant, Sacerdotem celebraturum debere eſſe approbatum a ſuo reſpective Superiore, approbatione tacita, & generali, ſeu debere eſſe immunem a prohibitione celebrandi in dictis Oratoriis; prout communiter in Diœceſibus prohibentur Sacerdotes exteri, ad præcavenda inconvenientia, quæ orirentur, vel oriri poſſent. Et proinde ſi Sacerdos inhibitus celebraret; peccaret graviter peccato inobedientiæ, neque ſatisfaceret præcepto Miſſæ; quemadmodum peccaret celebrare faciens, nec ſatisfaceret præcepto, ſi id advertenter ageret. Ita communis. Nec requiritur ullo modo licentia Parochi; quia tali jure caret.

§. XI. *Expenditur Clauſula octava.*

Quænam actiones offendant Jus parochiale?

I. IN qua dicitur: *Sine Jurium Parochialium præjudicio*: quæ verba indicant nullam in his Oratoriis exerceri poſſe licite actionem parochialem ſine expreſſa Ordinarii, aut Parochi licentia; quæ actiones ſunt: 1. Exactio Decimarum, Oblationum, primitiarum, de jure Parocho debitarum: 2. Miniſtratio Sacramenti Euchariſtiæ tempore Paſchali: 3. Denunciare matrimonia: 4. Benedictio Puerperarum; & aliæ hujuſmodi ad Parochum pertinentes: & qui contra ageret, graviter peccaret, juxta communem.

An poſſit miniſtrari Euchariſtia?

II. Docent multi, poſſe in iis Oratoriis de licentia Parochi miniſtrari Euchariſtiam aliis temporibus, a tempore paſchali, niſi forte id vetaretur per aliquam Conſtitutionem Synodalem, vel per mandatum Epiſcopi: & quamvis aliqui dicant, non teneri Regulares in præfatis Oratorii celebrantes obedire talibus Conſtitutionibus, vel mandatis Epiſcoporum, quia facultatem accipiunt a Pontifice; nihilominus conveniunt communiter, quod obtemperare deberent; ita conſulente Sixto IV. in Bulla incipiente *Sedis Apoſtolicæ* &c. & profecto videretur abuſus Privilegii ita agere, contradicente Epiſcopo, eſſetque nimia præſumptio.

III. Nihilominus audienda ſunt verba Benedicti XIV. in ſua Conſtitutione 2. Junii, anno 1751., quæ incipit *Magno cum animi noſtri* &c. in qua §. 23. hæc habet: *Extra Paſchalem vero communionem, cum in S. Trid. Concilio ſeſſ. 22. cap. 6., quæ ſubjicimus verba, legantur: Optaret S. Synodus, ut in ſingulis Miſſis fideles adſtantes, non ſolum ſpirituali affectu, ſed Sacramentali Euchariſtiæ perceptione communicarent &c., non defuit, qui ex iiſdem verbis deduceret, quod certe & clare inde conſequatur, ut in privatis Oratoriis* (domorum ſæcularium) *quando in ipſis celebrandi Miſſam facultas eſt, diſtribui Euchariſtia poſſit, iis, qui Miſſæ præſentes adſunt; neque ad hoc præſtandum ullo particulari indulto opus ſit. Super hujuſmodi quæſtionis capite, Nos in noſtra Inſtit. 34. §. 3. diſſeruimus, inter eas, quas tum, cum Bononiæ reſideremus, Eccleſiæ illius Archiepiſcopatum gerentes, publicavimus, quas quidem inſtitutiones cum Italico ſermone edidiſſemus, poſtea Romæ latine redditæ, atque* im-

Digitized by Google

impreſſæ ſunt. Ibi autem expoſitam paulo ante opinionem retulimus: verum aliam eſſe ſubjunximus, quæ Epiſcopalem licentiam requirit, ut qui domeſticum Oratorium domi habet, dum Miſſæ in eodem intereſt, communicare poſſit. Hujuſmodi opinio, tum bono rerum ordini, tum Romanæ etiam conſuetudini, ſive praxi, nobis cohærens viſa eſt; ac proinde ordinavimus, ne in privato Oratorio recipi communio poſſet ab iis, qui in eodem Miſſæ interſunt, quam vel ſæcularis Sacerdos, vel Sacerdos Regularis celebraret, niſi vel noſtram, vel Generalis Vicarii noſtri licentiam obtinuiſſet: & in §. 24. ita proſequitur: *Neque etiam in præſens voluntas nobis, aut ratio eſt, cur ab hoc ſyſtemate recedamus.* Vide igitur, quomodo etiam ut Summus Pontifex rejiciat primam opinionem, & approbet hanc ſecundam, exigentem, pro communione facienda, & diſtribuenda in Oratoriis privatis laicorum (nam de ipſis ſolis eſt titulus Conſtitutionis) licentiam Epiſcopi, & quamvis hanc non definiat, illam tamen implicite jubet; cujus auctoritas ſubmiſſe eſt recipienda, utpote, Pontificis adeo incorrupti, atque doctrinæ procul dubio eximiæ.

An etiam Sacerdotibus ſæcularibus? IV. A fortiori igitur Sacerdotes Sæculares, ut quovis tempore in dictis Oratoriis Euchariſtiam miniſtrent, indigebunt licentia aut Ordinarii, aut Vicarii Generalis, ſaltem ſemel pro ſemper obtenta, ut notant communiter; loquendo relative ad Pontificis mentem.

§. XII. *Expenditur Clauſula nona.*

Quinam dies ſolemniores prohibeantur? IN ipſa dicitur: *Exceptis diebus Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Nativitatis Domini, nec non aliis ſolemnioribus feſtis diebus*: hæc autem alia ſolemniora, ex Decreto Sacræ Congregationis Rituum die 17. Novembris anni 1607., ſunt Epiphania, Annuntiatio, & Aſſumptio B. V. M., Feſtum SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli; nec non Feſtum S. Titularis Eccleſiæ loci; ita etiam ex Decreto Sac. Congregationis Concilii 17. Februarii, anno 1685. Hinc tam celebrans, quam celebrare faciens dictis diebus peccant graviter contra grave præceptum; ſimulque violant præceptum de audienda Miſſa, cui nec celebrans, nec audientes ſatisfaciunt.

* In relato S. C. Decreto 17. Novembris anni 1607. inter ſolemniores feſtos dies, in quibus Miſſa nequit celebrari in privatis Oratoriis, enumeratur etiam Aſcenſio D. N. J. C. atque Feſtum omnium Sanctorum. Integrum Decretum hiſce expreſſum verbis affert P. Cajetanus Maria Merati *Tom. 1. in Indice Decretorum nu. 74. In privatis Oratoriis & privilegiatis non poteſt celebrari Miſſa in feſtis ſolemnioribus, nempe in Natali Domini, Epiphania, Feria V. in Cœna Domini, Paſchate, Pentecoſte, Annuntiatione, Aſcenſione D. N. J. C. Aſſumptione B. V. M. Feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, &, omnium Sanctorum*. In Decreto autem S. C. Concilii emanato 17. *Februarii* 1685. pariter *ſupra citato* additur etiam Feſtum Sancti Titularis Eccleſiæ Loci. Hos quoque dies exceptos pronunciat & S. P. Benedictus XIV. in Epiſtola Encyclica ad Primatem, Archiepiſcopos, & Epiſcopos Regni Poloniæ data *die 2. Julii* 1751. quam Auctor §. *præced.* allegat, quamque nos ad epitomen redactam exhibemus infra, nimirum §. XVI. *poſt n. XI.*

Licet autem, ut ex allatis verbis conſtat, prohibeatur Miſſa in privatis Oratoriis diebus Paſchatis, & Pentecoſtes, attamen, ut plures animadvertunt, præſertim Paſqualigus *Tom. 1. q. 639. n. 2.* Clericatus *de Vener. Euch. Sacr. Deciſ. 8. caſ. 1. n. 46.* Cardinalis Petra *in Com. ad Conſtit. 8. Honorii 111. n. 65.*, P. Merati *in Obſervat. & Addit. ad Theſ. Sac. Rit. Gavanti Part. 1. Tit. 20. n. 2.* aliique, nomine Paſchatis, & Pentecoſtes venit tantum prima dies. Præterea adnotandum etiam eſt, *ait* P. Merati, circa Feſtum Annuntiationis B. Mariæ Virg. quod vigore prædicti Decreti intelligitur prohibita Miſſæ celebratio in Oratoriis privatis etiam eo die, ad quem transfertur Annuntiatio cum obligatione audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus; prout ſtatutum fuit in Decreto emanato 1690. 11. *Februarii*, & 11. *Martii*. Deinde, *ſubdit*, advertere debemus, quod in prædictis Oratoriis privatis neque poteſt celebrari Feria quinta in Cœna Domini, ut colligi poteſt ex Decreto emanato 1712. 15. *Martii*, & talis prohibitio intelligenda eſt etiam eo Anno, in quo in tali Feria quinta occurrit Feſtum S. Joſeph, vel Annuntiationis; licet in dictis caſibus aliquæ permittantur Miſſæ privatæ in Eccleſiis, & Oratoriis publicis: ut liquet ex Decretis emanatis 1692. 13. *Septembris*, & 1716.

12. *Se-*

Digitized by Google

12. *Septembris*. Denique neque celebrari Miſſa permittitur in prædictis Oratoriis in Sabbato Sancto, ut clare patet ex allegato Decreto emanato anno 1690. 11. *Februarii*, & 11. *Martii*. Quare a veritate eſt prorſus alienum quod cum Pignatello *conſult.* 98. *n.* 77. docet Clericatus *loco citato*, nempe non cenſeri prohibitum celebrare in Oratorio privato Feria quinta, & Sabbato Majoris hebdomadæ.

Laudatus autem Paſqualigus expendens *num.* 4. Declarationem S. Congregationis 17. *Novemb.* 1607. a Gavanto relatam circa ſolemniores dies feſtos exceptos, quam indicat Auctor *num.* 1. quæque integre in additamento exhibetur, aſſerit in primis, quod quamvis non ſit in forma authentica, attamen ſufficiens præbet fundamentum, ut poſſimus eam ſequi tanquam relatam a viro in his rebus perito. Deinde duo obſervat. 1. in his feſtis aſſignandis non eſſe habitam rationem tam ſolemnitatis quoad ritum, quam ſolemnitatis, quam fideles tenentur oſtendere ratione commemorationis beneficii, quod perceperunt, & ratione cujus mediante cultu tenentur ſe oſtendere gratos erga Deum; & proinde tenentur publice convenire ad Sacrificium, quod Deo offertur, & Eccleſiam adire ad gratias agendas. 2. obſervat, quod, ſi non admittatur prædicta declaratio, utpote non in forma authentica, ſpectat ad Ordinarium ſtatuere, quinam ſint iſti dies feſti ſolemniores, quia ſicut ipſi committitur viſitatio, & approbatio Oratorii, ita etiam videtur commiſſa declaratio horum Feſtorum: & ideo, *ſubjungit*, ſive ſequi velint dictam declarationem S. Congreg., ſive non, dum approbant Oratoria, deberent in ſcriptis declarare hos feſtos dies, ut relinquerent regulam privilegiatis, quam ſequantur.

* Præter relatam a Gavanto S. C. declarationem, quæ tamen ut authentica a pluribus aſſertur, alia poſtea ab eadem S. C., ut ex ſuperius dictis compertum eſt, emanavit, de cujus authenticia nullatenus eſt ambigendum; & inſuper habetur Epiſtola Encyclica S. P. Benedicti XIV. ſupra citata, quæ diſtincte recenſent dies, ſeu Feſta, in quibus non licet in Oratoriis privatis Miſſam celebrare. Quæ igitur in ipſis præſcribuntur, modo ſunt accurate attendenda, & obſervanda. Conſultiſſimum tamen eſt quod ſuggerit Paſqualigus, videlicet quod Ordinarii, dum approbant Oratoria, debeant in ſcriptis declarare Feſtos dies a S. C., & a S. Pontifice exceptos, ſeu in quibus Miſſa in privatis Oratoriis celebrari nequit, ut relinquant regulam privilegiatis, quam ſequantur.

Quoad Feſtum vero Patroni principalis Loci, Ordinarii Locorum optant, *ait* Gavantus, addi prædicto Feſtorum numero; cum ſit præcipui cultus in proprio loco; & meo judicio, *ſubdit*, eſſet addendum ab ipſiſmet privilegiatis abſque novo Decreto in gratiam proprii Patroni principalis. Non eſſe addendum ex obligatione exiſtimavit Tamburinus *Opuſc. de Sacrif. Miſſæ Lib.* 1. *cap.* 4. §. 4. *num.* 27. Sed neque ex convenientia cenſuit Paſqualigus *loco citato num.* 8. Clericatus vero cum aliis allegata ſuperius *Deciſ.* 8. *caſ.* 1. *num.* 46. ſervandam eſſe putavit Diœceſis conſuetudinem.

§. XIII. *Expenditur Decima Clauſula.*

I. Decima Clauſula ita habet: *In tua, & Familiæ tuæ præſentia celebrari facere*: his verbis deſignantur Perſonæ quæ comprehenduntur in Privilegio, & ſunt Pater, Mater, Uxor Indultarii, Filii, Filiæ, Nurus, Gener, Nepotes, nec non alii Agnati, & Affines, dummodo tamen habiteut cum eodem Indultario, & ſint ſui commenſales, ut tenet communis; nomine enim Familiæ veniunt ſolum Agnati, aut ad ſummum Cognati, ut obſervat Cardinalis de Luca de Jure Patronatus diſcurſu 25. num. 2. & 3. Non igitur, ſub Familiæ indicatæ nomine, veniunt Famuli & Famulæ, tum quia expreſſe in Indultum excluduntur per hæc verba: *Volumus autem, quod familiares ſervitiis tuis tempore dictæ Miſſæ actu non neceſſarii, ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia diebus feſtis de præcepto minime liberi cenſeantur*: tum etiam quia hujuſmodi Perſonæ non veniunt nomine Familiæ, ut habetur ex Sacra Rota in Romana, ſeu Bononienſi Protectoriarum 20. Aprilis 1671. §. *Clarius*, & §. *His tamen coram Albergato*.

Quorum præſentia requiratur ad licitam celebrationem?

II. Sciſcitaberis, an Miſſa licite poſſit celebrari, quamvis non ſit præſens ulla ex Perſonis, quarum intuitu fuit conceſſum Privilegium, ſed alius; v. gr. ſi fiat celebrari, dum abeſt Petrus Dominus, ad quem fuit directum Privilegium, adſit tamen v. gr. ejus Frater?

Reſpondeo, olim variam fuiſſe Docto-

rum opinionem; quam varietatem ſuſtulit Benedictus decimus quartus, occaſione ſuæ Conſtitutionis datæ 7. Januarii anni 1741. incipientis. *Cum duo nobiles* &c., etenim „ cum exorta eſſet dubitatio, an ex vi hu„ juſmodi Indulti (ab ipſo illis duobus „ nobilibus, Viro & Uxori conceſſi) li„ ceret Miſſam celebrari in privato Ora„ torio etiam ſine præſentia alterutrius ex „ dictis Conjugibus, in quos Indulti con„ ceſſio directa erat; cui quidem dubita„ tioni locum dedit opinio nonnullorum „ Doctorum pro affirmativa, & negativa „ reſpective ſententia, inter ſe certan„ tium; Sacra Congregatio Concilii, ad „ quam hujus quæſtionis reſolutio delata „ fuit, die 3. Decembris 1740. cenſuit, „ non licere: deinde vero Sanctiſſimus Do„ minus noſter, reprobata contraria Do„ ctorum ſententia, prædictam Sacræ Con„ gragationis reſolutionem nedum appro„ bavit; verum etiam præſenti decreto pu„ blice evulgando, voluit omnibus notum „ fieri, non poſſe vigore ſimilis Indulti „ celebrari Miſſam in privatis Oratoriis, „ quando eidem Miſſæ actu non interſit „ aliquis ex iis, quibus principaliter In„ dultum conceſſum eſt: Indultum vere „ principaliter conceſſum intelligi iis tan„ tum, quibus Breve dirigitur, nimirum „ Perſonis illis, quæ a tergo ejuſdem Bre„ vis proprio nomine nuncupantur; adeo „ ut ſine præſentia alicujus ex dictis Per„ ſonis, minime liceat Miſſæ Sacrificium „ peragi, etiam ſi præſens ſit aliquis ſi„ ve ex Filiis, vel ex conſanguineis, ſi„ ve ex affinibus, ſive ex familiaribus, „ ſive demum ex hoſpitibus Nobilibus in „ eodem Brevi memoratis: quippe quibus „ nil aliud per hujuſmodi Brevia conce„ ditur, quam quod unuſquiſque eorum „ (dummodo, quod attinet ad familiares, „ juxta clauſulam, in his Brevibus inſer„ tam, non ſit ex illis actu non neceſſa„ riis) aſſiſtens Miſſæ quæ celebratur in „ Oratorio privato in præſentia alicujus „ ex Perſonis a tergo brevis proprio no„ mine nuncupatis, ſatisfaciat obligationi „ audiendi Miſſam diebus feſtis de præ„ cepto. Sublata igitur & proſcripta qua„ cumque minus germana interpretatione „ hujuſmodi Brevium, & Indultorum in „ contrarium hactenus facta, Sanctitas Sua „ ita declaravit, & ſervare omnino man„ davit; diſtricte præcipiens, ut omnes „ Epiſcopi, aliique locorum Ordinarii, „ etiam tamquam a Sede Apoſtolica de„ legati, executioni, & obſervantiæ hu„ jus Decreti diligenter incumbant, per „ Canonicas pœnas contra inobedientes, „ eorum arbitrio, conſtituendas.

De neceſſitate præſentiæ ad Miſſam unius ſaltem eorum, quibus a tergo Indultum dirigitur.

„ A. Cardinal. Gentili Præfectus.

„ C. A. Archiepiſcopus Philippen. Secretarius.

Poſt hoc judicium conticeſcat omnis controverſia.

* Addenda hic ſunt quæ habet idem S. P. Benedictus XIV. *in Epiſtola Encyclica*, quam *die* 2. *Junii* 1751. dedit ad Primatem, Archiepiſcopos, & Epiſcopos Regni Poloniæ, cujus Synopſim in anteriori Editione infra exhibuimus, nempe in calce §. 16. Poſtquam ipſe §. 15. ſancitum a ſe in priori Conſtitutione data *die 7. Januarii* 1741. memoravit; videlicet, *non poſſe vigore ſimilis Indulti celebrari Miſſam in privatis Oratoriis, quando eidem Miſſæ actu non interſit aliquis ex iis, quibus principaliter Indultum conceſſum eſt: Indultum vero principaliter conceſſum intelligi iis tantum, quibus Breve dirigitur, nimirum Perſonis illis, quæ a tergo ejuſdem Brevis proprio nomine nuncupantur; adeo ut ſine præſentia alicujus ex dictis Perſonis, minime liceat Sacrificium peragi &c.* poſtquam, inquam, hoc a ſe ſancitum memoravit, ſic ſubdit §. 16. „ Nos ab hujuſmodi norma mini„ me recedimus. Verum quia aliquando in„ terdum in corpore Brevis Perſona no„ minatur, qua præſente conceditur, ut „ Miſſa celebrari poſſit, & quod alii af„ fines, conſanguinei, vel familiares eam„ dem audientes, præcepto ſatisfaciant, „ etiamſi prædicta Perſona in Fronte Bre„ vis minime nominetur; hinc eſt, quod „ firma ſemper ea regula manente, ut „ poſſit in privato Oratorio Miſſa cele„ brari, dum aliqua ex indultariis per„ ſonis adſiſtit, quæ in Fronte, ſeu in„ ſcriptione Brevis nominantur; dicimus, „ poſſe Miſſam celebrari; etiamſi nulla „ perſonarum præſens adſit, quæ in Fron„ te ſeu Inſcriptione Brevis nominantur, „ dummodo illa præſens ſit, cui in Bre„ vis corpore nominatim, & expreſſe fa„ cultas tribuitur, ut poſſit in privato „ Oratorio tum cum ipſa adſiſtat, facere „ ut Miſſa celebretur.

„ Atque (ita pergit §. 17.) ut res „ exem-

Digitized by Google

„ exemplo magis pateat: Datur Viro & „ Uxori facultas faciendi, ut in privato „ Oratorio Miſſa celebretur, atque ad os „ Breve dirigitur. Hic autem Vir ſuperſtitem habet Matrem; hæc vero in „ Fronte, ſeu Inſcriptione Brevis minime „ nominatur; verum cum in Brevis cor„ pore dicatur, quod ipſa quoque Mater „ eandem Miſſam celebrare facere poſſit, „ & valeat, id ſufficiens eſt, ut, ſola „ Matris præſentia adhibita, Miſſa in O„ ratorio celebrari poſſit, etiamſi Mater „ in Fronte, ſeu Inſcriptione Brevis no„ minata non ſit. Quæ hactenus dicta ſunt „ (ita paragraphum concludit) in hujuſ„ modi generis Brevibus indicantur. Ve„ rum curæ nobis erit, ut impoſterum fe„ licius etiam, & ſine ulla confuſione ex„ primantur. „

III. Si Pater, Mater, Filii, Filiæ, Fratres, & Sorores Perſonæ Privilegiatæ, eorumdemque uxores ac viri quamvis habitent in eadem domo, non tamen ſint commenſales ejuſdem, ſed degant ſeorſim ab ipſa Perſona Privilegiata, ſuiſque propriis uſibus & ſervitiis; non gaudent Privilegio, quia deeſt ipſis conditio eſſentialis ad conſtituendam Familiaritatem, quæ eſt Commenſalitas, ſine qua non poſſunt vere dici de Familia, ita ex *Capite ſicut nobis*, de Verborum ſignific. in 6. & eſt communis.

§. XIV. *Expenditur undecima Clauſula.*

Quid hoſpitum nomine intelligatur?

QUæ conſtat his verbis: *Nec non in hoſpitum tuorum Nobilium præſentia.* Duas igitur conditiones requirit hæc clauſula, ut hic nominati poſſint audire Miſſam in Oratorio privato ad ſatisfaciendum præcepto: Prima, quod ſint Hoſpites; ſecunda quod ſint Nobiles: & primo quoad Hoſpites, nempe quod commorentur in ipſius Privilegiati domo tamquam extranei, ab ipſo recepti hoſpitio ad certum tempus, & ſint cum ipſo commenſales. Neque Hoſpitum nomine intelligas commorantes in eadem Civitate, & invitatos a privilegiato ad ſecum una die feſtiva diſcumbendum, vel ad ſpectaculum videndum &c.; etiamſi tota illa die ſecum ſint commoraturi, ut putarunt aliqui Doctores, ſed debent eſſe vere & proprie hoſpites, nempe extranei advenientes; ut tenet longe probabilior plurium, cum Diana, parte 9., tract. 1., reſolut. 6.; cum enim Privilegia hujuſmodi ſint contra jus commune, & ut pluries diximus, verba eorum ſint ſtricte interpretanda; propterea hoſpitum nomine intelligendi, qui vere & proprie ſunt tales, & non quicumque concivis adveniens, diſcumbendi, vel quidpiam ſimile faciendi cauſa; ut clare patet. Quoad Nobiles, ſufficiet quæcumque Nobilitas; eo quod Indultum non dicat *ex Nobili genere*, ſed dumtaxat *Nobilium*; Nobilitas autem verificatur etiam in illo, qui quamvis non ex genere nobili deſcendens, eſt tamen nobilis ex privilegio ſibi facto, vel natus ſolum ex Matre nobili; vel ob dignitatem nobilem; ſive ex alio capite, afferente vere gradum Nobilis, atque jus, ut denominetur Nobilis; ita communiter.

Quid nomine Nobilium?

§. XV. *Expenditur duodecima Clauſula.*

Quid nomine familiarium neceſſariorum?

IN qua ita dicitur: *Volumus tamen, quod Familiares ſervitiis tuis tempore dictæ Miſſæ actu non neceſſarii, ibidem Miſſæ hujuſmodi intereſſentes, ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia diebus feſtis de præcepto minime liberi cenſeantur*: verba ſunt apertiſſima: & in eo tantum exurgit difficultas, ut explicetur, an ſint intelligenda de neceſſitate nedum phyſica, nempe tempore graviter infirmantis Indultarii; verum etiam de neceſſitate morali, nimirum de famulis commenſalibus requiſitis ad decentem comitatum Indultarii, & aliorum, in Indulto contentorum, ne videlicet ſoli remaneant domi &c.; & proinde Cardinalis Petra *tom. 2. Commentar. ad Conſtit. 8. Honorii III. num. 63.*, poſt alios tenet, ſufficere hanc neceſſitatem prudentem, & moralem.

Juvat exſcribere verba laudati Cardinalis Petra *loco citato* utpote quæ rem hanc in propatulo ponunt. Quoad vero Oratoria in privatorum domibus ſiſtentia, dicendum eſt, *inquit*, *num. 61.*, ſatisfacere præcepto Miſſæ illos, qui in Indulto comprehenduntur. Et quidem ſi indultum concedatur Domino, & ejus familiæ; dubio procul eſt, comprehendi non ſolum filios, uxorem, generum, nurumve, qui cum ipſo Domino eamdem domum incolunt, ejuſque ſunt commenſales, ſed etiam omnes illi, qui ſibi, familiæque ſuæ ſervitium præſtant etiam ruri. Perſonæ vero inſervientes duo requirunt, ad hoc, ut de domini familia eſſe dicantur, tum ſcilicet quod actuale ſervitium præſtent, tum etiam quod vivant ejus expenſis, ut colligitur

tur ex textu in cap. *ſicut nobis in fine de verbor. ſignif. in 6.*

Si tamen indultum contineat clauſulam: *Volumus autem quod familiares ſervitiis ſuis non neceſſarii ibidem Miſſæ intereſſentes, ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia diebus Feſtis de præcepto, minime liberi cenſeantur*, cum hæc excludat familiares ſervitiis non neceſſarios, dicendum eſt quod ii, qui non exhibent actuale ſervitium Domino, licet ejus expenſis vivant, & commenſales ſint, vel amici, aut conſanguinei, non ſatisfaciant ibi præcepto. Neceſſitas autem ſervitii in dictis familiaribus requiſita, non debet eſſe ſimplex, ſeu abſoluta neceſſitas, ita enim nullus ferme familiaris eſſet neceſſarius; ſed debet commenſurari a ſtatu ipſius domini, adeo ut neceſſarius reputetur ille familiaris; quem habere honorem, & conditionem domini deceat, ut conſiderat Pignatell. *Tom. 6. conſult. 98. n. 107.*; & quidem ſumpta neceſſitate non ſolum reſpectu domini, quia certe vel nullus, vel unus tantum requireretur, ſed reſpectu totius domus, uti proſequitur *cit.* Pignatel. *n.* 108. Ita etiam dicerem, ſi adſit clauſula, quæ nunc ſolet uſurpari in his Brevibus: *Volumus autem, ut familiares ſervitiis tuis tempore Miſſæ actu non neceſſarii, ibidem Miſsæ hujuſmodi intereſſentes ab obligatione audiendi Miſsam in Eccleſia diebus feſtis de præcepto minime ſint liberi*; quia non debet intelligi de neceſſitate phyſica, & quoad Miſſam, quia certe privilegiatus tempore Miſſæ nullo indiget, niſi ſit infirmus graviter; ſed reſpectu domini, & quidem ſpectata neceſſitate morali, & ſic excluduntur certo famuli ruri degentes, quidquid dicat Paſcuccius in *Compend.* Pignatell. *verſ. de Oratoriis privatis fol.* 167. *verſ.* 9. & Amoſtaz *de cauſis piis lib. 5. cap.* 10. *num.* 59., quia procedunt, quando conceſſum eſt privilegium familiæ, ut ſupra dixi. Ita etiam excluduntur illi famuli, qui non ſunt neceſſarii actu ſervitio domini tempore Miſſæ, ut ſunt Aurigæ, & hujuſmodi; ſecus autem de ephebis ſervis domeſticis, ac Ancillis reſpectu dominarum, quæ actu ſunt neceſſariæ, ne ſoli, vel ſolæ remaneant domi, & debito comitatu priventur, juxta qualitatem privilegiorum, conſiderando non ſolum reſpectum perſonæ, ſed domus, ne remaneat derelicta a domeſticis.

Dum hæc, *ſubdit hic*, typis mandabantur, evenit diſputatio hujuſmodi dubii quoad interpretationem talis indulti in *Sac. Congreg. Concil. in Aurimana Oratorii privati*; quæ cauſa fuit demandata, ut poneretur *in folio ſub die* 10. *Julii* 1706.; quæque in prima, aut ſecunda forſan Congregatione reſolvetur, ideo lectorem admoneo, ut reſolutionem curet habere, quatenus ſequatur.

Reapſe die 31. ejuſdem menſis propoſitum fuit in Sac. Congregatione Concilii ſequens dubium: *An in vim dicti Brevis ſatisfaciant præcepto Miſsæ in diebus Feſtis omnes famuli commenſales, vel quinam in caſu?* Reſcriptum fuit *Dilata juxta mentem*, & mens fuit, quod *Orator peteret declarationem a Papa*: ſicque patet, ſacram Congregationem Concilii noluiſſe apponere manum propter ſatis claram mentem Papæ in dicta clauſula expreſſam. Ita Monacell. *Tom. 4. Supplement. ad 2. Tom. n.* 487. Itaque ſi Sacra Congregatio noluit apponere manum propter ſatis claram mentem Papæ in dicta clauſula expreſſam, nemo poterit illam latius quam ſonet, interpretari, & declarare.

* Indultarii autem, qui in ſuis Indultis majora habent privilegia, & ampliores clauſulas, poſſunt iis libere, & licite uti ſine ulla reſtrictione, cum hic ſit ſermo ſolummodo de Indultis, quæ communiter & regulariter juxta communes clauſulas ſolent concedi; adeoque attendenda ſunt pro obſervancia Indultariorum indulta.

Animadvertimus inſuper, quod in Oratorio rurali ultra dimidium milliare ab Eccleſia diſtante ſatisfaciunt omnes familiares, cum propter talem diſtantiam, & longam moram acceſſus, & receſſus, ne ſervitium Domini patiatur, omnes dicantur actu neceſſarii, ſicut etiam tempore hyemis, & magnæ pluviæ, ex cit. Monacelli *tom.* 4. *n.* 489.

Animadvertimus inſuper quod conceſſo privilegio Domino, & famulis eidem inſervientibus, abſente Domino, famuli audientes Sacrum non ſatisfaciunt præcepto, *ex Decreto Clementis XI.* 15. *Decembris* 1703. Si autem Dominus, audito Sacro in Eccleſia, ex devotione iterum audiat ſolitum Sacrum in ſuo privato Oratorio, tunc familia & famuli actu Domino inſervientes ſatisfaciunt præcepto audiendi Sacrum, cum facultas conceſſa Domino audiendi Sacrum in proprio Sacello, non ſit ſolum ad audiendum illud pro ſatisfactione præcepti, ſed etiam ad audien-

Digitized by Google

diendum ex devotione, ſicuti non eſt conceſſum familiæ, & famulis ſolum ſatisfacere præcepto, quando interſunt cum Domino, vel inſerviunt ei audienti ad ſatisfaciendum præcepto, ſed quoties cum eo interſunt, & ei inſerviunt, ſive audiat ex præcepto, ſive ex devotione. Legatur P. Lucius Ferraris *V. Miſſa art. 16. num. 23. 24. 25. & 26.*

Lubet tandem hic adjicere, & ob oculos ponere ſpecioſum ſane Privilegium relatum a Joanne Clericato *de Sacrif. Miſſæ Decis. 12. n. 59.*, quo donati fuere Procuratores S. Marci Venetiarum a S. P. Paulo V. anno 1605., ut ſcilicet ſtatim ac Dignitate Procuratoria a Sereniſſima Republica ſunt ornati, poſſint in propriis ſuis domibus Oratorium habere, in quo ex ſola Epiſcopi Diœceſani approbatione, cum tota eorum familia quotidie Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium audiant, tribus tantum diebus exceptis in toto anno.

PAULUS PAPA V.

Ad futuram rei memoriam.

Volentes pro paterna noſtra erga dilectos filios modernos, & pro tempore exiſtentes Procuratores S. Marci nuncupatos Reipublicæ Venetiarum dilectione, illorum ſpirituali conſolationi opportune proſpicere, ac illos ſpecialibus favoribus, & gratiis benigne proſequi, Supplicationibus dilectorum filiorum ipſius Reipublicæ Oratorum ad præſtandam nobis obedientiam noviſſime deſtinatorum, ſuper hoc Nobis humiliter porrectis, inclinati; eiſdem modernis & pro tempore exiſtentibus Procuratoribus S. Marci, ac cuilibet eorum, ut in propriis eorum domibus, in privato quiſque ipſorum Oratorio, ad hoc decenter extructo, & ornato, ab omnibus domeſticis actibus libero, ab Ordinario loci prius viſitando, & approbando, Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium per Sacerdotes ſæculares, aut de ipſorum Superiorum conſenſu quorumvis Ordinum Regulares, in eorum ac familiæ, familiarumque ipſorum præſentia celebrare facere, ſine tamen præjudicio jurium Parochialium, & exceptis diebus Paſchatis Reſurrectionis Dominicæ, ac Pentecoſtes, & Nativitatis ejuſdem Domini Noſtri, libere & licite valeant, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, licentiam concedimus, & impertimur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut alii præter familiares ipſorum Procuratorum, Miſſæ in eorum Oratoriis privatis celebrandæ intereſſentes diebus feſtis de præcepto, ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia minime liberi eſſe cenſeantur. Datum Romæ apud S. Petrum die 1. Decembris 1605. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

§. XVI. *Reſolvuntur nonnullæ aliæ difficultates.*

I. Quæres primo: An Sacerdos celebrans in Oratorio, atque miniſter deſerviens ſatisfaciant præcepto? In opinionum diſcordia præſupponitur, requiri proculdubio præſentiam alicujus ex illis Privilegiatis qui ſunt proprio nomine expreſſi a tergo, vulgo *Juſta manſione* Indulti, cum, ut vidimus ex Decreto Benedicti XIV., id neceſſario requiratur, ad licite celebrandum, & ad ſatisfaciendum. Hoc præſuppoſito, certum eſt, Sacerdotem electum ad celebrandam Miſſam ſatisfacere, niſi ſit prohibitus celebrare in his Oratoriis, ut ſupra vidimus. An etiam ſatisfaciat deſerviens? Probabilius videtur, quod quando adeſt aliquis ex privilegiatis, qui poſſit & velit eſſe miniſter, tunc non ſatisfacit alter miniſter non ex privilegiatis, ſi inſerviat Miſſæ, ut patet; quia tunc non eſt miniſter neceſſarius: ſi autem nemo ſit ex privilegiatis, qui aut poſſit, aut velit; tunc interviens vocatus ſatisfacit præcepto; quia dum conceditur principale, conceditur etiam acceſſorium, quod vel ex natura rei, vel ex diſpoſitione juris eſt acceſſorium neceſſarium. Vide Fagnanum in Capite *non licet num. 13. & 14.*

An Sacerdos celebrans, & miniſter ſatisfaciant præcepto?

II. Quæres 2. Utrum Oratoria quæ ſunt in Aulis Publicis Palatii Civitatis, in quibus Optimates, vel Senatores conveniunt, ſint Oratoria Privata, an Publica; ut exinde ſatisfiat præcepto, nec ne? Reſpondeo ex Declarationes Sacr. Congregationis Concilii relata a Diana parte 9., tract. 1., reſolut. 35., cenſenda eſſe Oratoria Privata; & proinde requiri Indultum S. Sedis, ut in illis celebrari poſſit.

Quid de Oratoriis Palatii publici?

III. Quæres 3. An Oratoria, ſeu Capellæ carcerum publicorum ſimiliter cenſenda ſint Oratoria privata? Reſpondeo negative, ſed eſſe Capellas publicas; & exinde ibi-

Quid de Capellis carcerum?

ibidem Miſſam audiendo, ab omnibus audientibus ſatisſit præcepto. Ita Diana loco dudum citato & alii: & Barboſa in cap. 8. ſeſſion. 22. Concilii Tridentini n. 21. refert Declarationem Sac. Congregationis in Florentina 1. Septembr. 1615. & in Conimbricenſi 1. Julii eodem anno; & idem refert Sellius in Selectis Canonicis cap. 18. n. 25.

Quid de Capellis Epiſcoporum? IV. Quæres 4. Utrum Capellæ Epiſcoporum in Palatiis propriis, eorumdem erectæ, ſint Oratoria privata, & exinde ſatisfiat præcepto, nec ne? Reſpondeo non eſſe Oratoria privata, ſive ſint intra Diœceſim, ſive extra; ex Declaratione Sac. Congregationis Concilii 17. Auguſti 1630. & 22. Septemb. 1640.; etiamſi ſint Epiſcopi Titulares: ita eadem Sac. Congregatio, in Valentina 1616. Vide Monacelli tom. 2. tit. 12., formul. 2., n. 31. Idemque a fortiori dicas de Capellis Cardinalium, cum communi.

Quid de Oratoriis Regularium? V. Quæres 5. Circa Capellas & Oratoria privata Regularium, an omnes audientes præcepto ſatisfaciant? Reſpondeo quod in Capellis & Oratoriis privatis Regularium, erectis facultate Generalis, aut Provincialis; atque ad Divinum cultum tantummodo deſtinatis, poſſunt quotidie celebrari plures Miſſæ; nedum ab ipſis Regularibus, verum etiam a Sacerdotibus Sæcularibus: quibus Miſſis auditis, audientes ſatisfaciunt præcepto; & has Capellas & Oratoria poſſunt erigere, quin indigeant alia licentia, ſive Epiſcopi, ſive S. Sedis: eo quod privilegia, eiſdem circa id a Summis Pontificibus conceſſa, ſint nedum Perſonalia, verum etiam localia: ita docentibus Lezana, Suarez, Garzias, Azorio, Lugo, quos præcedunt, & ſequuntur alii plurimi: Dictis namque Privilegiis nil derogatum fuit a Tridentino, quod loquitur dumtaxat de domibus privatis. Neque relatum a principio Decretum Clementis XI. quidquam detraxit Capellis, & Oratoriis Regularium; ſed dumtaxat illis inhibuit Altare portatile, ut illud legenti clare conſtabit. Paſſerinus tamen noſter de Statibus hominum in tomo 3. quæſt. 189. art. 10., n. 989. & poſt ipſum Cardinalis Petra tom. 2. Comment. ad Conſtit. 8. Honorii III., n. 48., & 89. ſcrupulum ingerunt circa Sacerdotes ſæculares, an in dictis Oratoriis Regularium celebrare poſſint; atque an Laici ſæculares præcepto ſatisfaciant; & monent, perpendenda eſſe attente hæc privilegia; Petra enim dicit, Laicos ſæculares regulariter certe non ſatiſfacere, niſi extet privilegium ſpeciale, *videndum in fonte*.

Nihilominus hunc ſcrupulum diſpellere valent verba Conſtitutionis Benedicti XIV. quæ incipit: *Exponi nobis nuper &c.*, datæ annò 1755., die 22. Januarii, in qua dicitur: *Supplicationibus ejus* (Antonini Bremond Ord. Præd. Generalis Magiſtri) *inclinati, ut deinceps in publicis Capellis, ſeu privatis Oratoriis, exiſtentibus in domibus, Poſſeſſionibus, & membris ad Conventus Ordinis prædicti, nunc, & pro tempore ſpectantibus, & pertinentibus, quæ ab Ordinariis locorum juxta jus viſitari & approbari ſoleant, debeantque, licet ab illis nec viſitata, nec approbata fuerint, nihilominus Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium, tam per Regulares, ſive ejuſdem, ſive alterius Ordinis, quam Sæculares Presbyteros tuto celebrari poſſit; Miſſamque inibi audientes diebus Feſtivis, præcepto Eccleſiæ hac de re edito, ſatisfacere intelligantur, abſque tamen ullo jurium Parochialium præjudicio, Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus & indulgemus &c. &c.*

VI. Quæres 6. An Regulares poſſint habere hæc Oratoria in ſuis Grangiis, & locis ruralibus recreationis? P. Roſignolius de Euchariſtia q. 8., art. 13., n. 4. & ſeq. affirmative reſpondet, & addit, quod ſæculares ſatisfaciant præcepto; multoſque affert Auctores: Negative autem reſpondet Cardinalis Petra loc. cit. n. 53., poſt Mattheucinm in ſuo Officiali Curiæ cap. 10., n. 93. & afferunt declarationem Sac. Congregationis Concilii die 1. Martii 1687. quæ ad hoc dubium: *An Sacerdos Regularis, abſque peculiari Sedis Apoſtolicæ Indulto, poſſit in domo rurali monaſterii celebrare?* & reſpondit *Negative*: & propterea Laudatus Cardinalis monuit eſſe attente perpendenda verba Privilegiorum. Sed hunc quoque ſcrupulum amovent verba Benedicti relata. Quid de Grangiis Regularium?

VII. Quæres 7. quid requirant omnia Regularium Oratoria, ut legitime erigantur: Reſpondeo, requiri ut Provincialis ea prius mature conſideret, atque per ſe ipſum approbet, ut tantummodo ſint Miſſis celebrandis, cultuique Divino deputata. Ita etiam præſcribitur in Privilegio a Gregorio XIII. Societati Jeſu conceſſo: *Ut in Oratoriis & Capellis, quæ ipſius Societatis* Quid requiritur ad Oratoria Regularium erigenda?

tatis

tatis Provinciales per ſe approbaverint; *& ad Divinum dumtaxat cultum deputaverint* &c. Requiritur item, ut benedicantur aqua ab Epiſcopo benedicta. Si autem ſciſciteris, an poſſit Superior localis erigere Oratorium per ſemetipſum ſub ratihabitione tamen Provincialis? Reſpondet Lugo negative in Reſponſis moralibus lib. 1. dubio 14., & reſponſionem valide probat. Quarti affirmative reſpondet part. 3. tract. 10.. dub. 9. Videtur opinio Lugonis magis accedere ad legem.

Quid de Oratoriis Collegiorum? VIII. Quæres octavo, utrum Oratoria, quæ debitis licentiis eriguntur in Collegiis, in quibus plures degunt, & inhabitant, tum Convictores, tum Condiſcipuli, tum Domeſtici eiſdem inſervientes, ſuntque vere Familiares & contubernales, gaudeant aliquo alio privilegio? Reſpondeo S. Congregationem Concilii in Sutrina Oratorii 11. Julii 1716. declaraſſe, ut in hujuſmodi Oratoriis poſſint celebrari Miſſæ quodlibet die, etiam in feſtis ſolemnioribus, nec non miniſtrari Sacramenta Convictoribus, aliiſque paulo ante indicatis; excepta communione Paſchali; vide Theſaurum tom. 1.

Quid de die Natalis? IX. Quæres tandem utrum quando Infirmo conceditur, ut etiam in die Natalis Domini poſſit in ſuo Oratorio privato Miſſa celebrari, ſit intelligendum dumtaxat de una Miſſa, vel de tribus? Reſpondit Sac. Congregatio Concilii 13. Januarii 1725. intelligendum de tribus Miſſis. Vide Theſaurum tom. 3. Vide ſupra §. 8. poſt *n.* 1.

S. P. Benedictus XIV. die 2. *Junii* 1751. Epiſtolam Encyclicam dedit ad Primatem, Archiepiſcopos, & Epiſcopos Regni Poloniæ *De tollendis abuſibus ab Oratoriis privatis, quæ ſunt in Domibus Laicorum*; cujus initium eſt *Magno cum animi noſtri dolore*, cujuſque multoties ſuperius mentio facta eſt, pluraque etiam ex ipſa allata. In ea primo, expoſita antiquitate Oratorii privati in Ædibus Epiſcoporum; decernit Summus Pontifex quoad illud nihil Concil. Tridentinum detraxiſſe in Seſſ. 22. *de obſervandis & evitandis in celebratione Miſſæ*, ſicut derogavit aliis Oratoriis privatis, quæ ſacella Epiſcoporum non ſunt. Secundo, meminit privilegium altaris viatici ubique in Domo habitationis propriæ erigendi Epiſcopis conceſſum a Bonifacio Papa VIII. in Decretali ſua *Quoniam Epiſcopo, de Privilegiis in ſexto*, ut in eo celebrare, aut celebrari facere, vel audire divina poſſint ubique: & ſine licentia Ordinarii Localis, etiam poſt Concil. Tridentinum, & Pauli V. Decreta, ex reſolutionibus in §. 5. hujus Conſtitutionis enunciatis. Non tamen extra Domum propriæ habitationis, ſive in ſua, ſive in aliena Diœceſi, etiam Diœceſim viſitantes, ex Decreto Sacræ Congregationis Concilii, & poſtremo ex alio Pontificio Clementis P. XI. die 15. Decemb. 1703. publicato: in quibus inſuper declaratur, nullo modo licere etiam Cardinalibus S. R. E. hoc facere. Tertio mens ejuſdem Clementis provide declaratur, nimirum, ne hujuſmodi prohibitio intelligenda ſit de alienis Domibus etiam laicis, in quibus ipſi Epiſcopi forte, vel in ſua, vel aliorum Diœceſi, occaſione viſitationis, aut itineris hoſpitio excipiuntur. Quæ quidem omnia, affirmat Summus Pontifex, ex Reſolutione Sac. Congregationis Innocentio XIII. regnante conſolidari, & a Benedicto XIII. in forma ſpecifica confirmatum, nec non in Appendice Concilii Romani Tit. XV: Cap. III. ejus juſſu inſertum vidiſſe.

Abſoluto ſermone de Oratoriis Epiſcoporum, ad Oratoria privata in domibus Laicorum exiſtentia tranſitum facit Encyclica. In primis tamquam conditio neceſſaria ad eorum erectionem cognoſcitur ſpecifica & unica Sanctæ Sedis Apoſtolicæ licentia, per Concil. Tridentinum ſeſſ. 22. Epiſcopis adempta, & ad ſolum Romanum Pontificem devoluta, ut pro Conciliaris Textus intelligentia, tradit Congregatio Concilii, & Encyclica Pauli V. anno 1615. ad omnes Epiſcopos, nempe: *Facultatem hujuſmodi licentias dandi, ipſius Concilii decreto, unicuique ademptam eſſe, ſolique Beatiſſimo Romano Pontifici eſſe reſervatam &c.* Deinde, provide leges quamplurimæ a S. Sede præſcriptæ, quæ in conſuetis ordinariis Brevibus continentur pro Oratoriorum privatorum erectione, & uſu, ſignificantur, videlicet: „ *Oratorium parietibus*, per „ quos ab omnibus aliis domeſticis uſibus „ ſegregetur, extructum eſſe debere; idem „ prius vel ab Epiſcopo, vel ab alio, cui „ ipſe vices ſuas delegaverit, viſitandum „ eſſe, inſpiciendi gratia, num decens, & „ apte compoſitum ſit, & num aliquid eo„ rum, quæ neceſſaria ſunt, in eodem de„ ſit; ut Epiſcopus ſit, qui celebrandi Miſ„ ſam licentiam impertiatur, & quod licentia „ hujuſmodi ſecundum rationabile illius

„ arbitrium perduret; nec plures in die, „ ſed unica tantum Miſſa in Oratorio ce- „ lebretur; & quod hæc Miſſa celebretur „ a Sacerdote ſæculari, vel Regulari, du- „ modo ſæcularis ab Epiſcopo approbatus „ ſit, regularis autem licentiam habeat a „ ſuo regulari Superiore; nec Miſſa cele- „ brari poſſit diebus ſolemnibus Paſchatis „ Reſurrectionis, Pentecoſtes, Nativita- „ tis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & aliis „ ſolemnioribus diebus, quos inter etiam „ enumerantur dies Epiphaniæ, & A- „ ſcenſionis Domini, Annunciationis, & „ Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, „ omnium Sanctorum, nec non Apoſtolo- „ rum Petri & Pauli, ac Titularis Ec- „ cleſiæ loci: Exprimuntur perſonæ, qua- „ rum præſentia neceſſaria eſt, ut in pri- „ vato Oratorio Miſſa celebrari poſſit: „ aliæ item, quæ dum ſupradictis præ- „ ſentibus Miſſa celebratur, eidem inte- „ reſſe poſſunt, & eccleſiaſtico præcepto „ ſatisfacere; denique declaratur, omnia „ ſine Parochialium jurium præjudicio fie- „ ri debere. "

Extraordinaria vero Brevia amplioribus gaudent conceſſionibus quoad numerum Miſſarum, dieſque, & horas celebrandi. Cum autem tam circa ordinaria, quam circa extraordinaria Brevia exortæ ſint controverſiæ, ſolvuntur objectiones a Summo Pontifice per ſequentia decreta. Et primum; quod indultariorum præſentia ſemper requiratur pro celebratione Miſſæ, ac quoad ſatisfaciendum præcepto Eccleſiæ, conſanguineis, & affinibus in eadem domo habitantibus, & audientibus neceſſaria ſit, ex decreto Sacræ Congregationis Concilii 3. Decembris 1740., ipſomet Sanctiſſimo confirmante die 7. Januarii 1741. qui etiam addit clauſulam, nempe: *Volumus autem, quod nati, ac conſanguinei, & affines prædicti unicam Miſſam, vobis quidem præſentibus, audire tantummodo, nunquam vero celebrari facere audeant*. Secundum, ut indultarii cenſeantur ii, quibus inſcriptæ ſunt litteræ Apoſtolicæ, ſive in fronte, ſeu inſcriptione Brevis, vel in corpore ſint deſcripti. Tertium, ſi permittatur celebratio Miſſæ in Nativitatis Domini die, non unica tantum, ſed tres Miſſæ Sacerdoti fas erit celebrare ex decreto S. Congregationis Concilii dies 13. Januarii 1725. Quartum, Baptiſmus extra caſum neceſſitatis, miniſtrari nequit in Oratoriis privatis, præterquam filiis Regum, ac Principum, quemadmodum etiam in Clementina unica *de Baptiſmo, & ejus effectu* videre eſt. Quintum, Pœnitentiæ Sacramentum extra caſus a jure permiſſos, nunquam miniſtrandum eſt, non obſtantibus privilegiis Regularium aſſerentibus poſſe ex Clementis X. Bulla, cujus initium: *Superna*. Sextum, ut Communio Paſchalis, quæ ex Lateranenſi, & Tridentino Conciliis in Eccleſia Parochiali ſemper aſſumitur, tempore ſtatuto, videliet a Dominica Palmarum incluſive, uſque ad Dominicam in albis, non in Eccleſiis Regularium, neque in Oratoriis privatis fiat ſub pœna de non ſatisfaciendo, ſtatuitur. Septimum, extra Communionem Paſchalem licere in Oratoriis privatis ſacram ſumere Euchariſtiam, licentia Epiſcopi obtenta: & circa Communionem intra Miſſam, an fidelibus petentibus ſit diſtribuenda, mentionem facit de Epiſtola cujus initium: *Certiores effecti*, quæ extat in Bullario ejuſdem Pontificis Tom. 1. n. 64. Octavum, Epiſcopis mandat, ut in Diœceſanis Synodis, & edictis eadem omnia publicentur, quemadmodum a quamplurimis Italis actum fuit: Indultariis quoque ea demoſtranda cum interminatione amiſſionis privilegii, & contra Capellanos inobedientes (ſi quando infortunium acciderit) procedendum eſſe per cenſuras. Nonum, privilegium Altaris viatici Regularibus conceſſum in Decretali Honorii III. *in cap. in his*, de privilegiis, per Tridentinum *ſeſſ.* 22. declaratur omnino irritum; ac Epiſcopis conceditur, ut hac in re, tanquam *Delegatis ſedis Apoſtolicæ* contra refractarios procedant: imo privilegia, de quibus agitur, in corpore juris clauſa, etiam ſine ſpeciali mentione a Tridentina Synodo abrogata eſſe, a Pontifice commemoratur. Decimum, Altaris viatici indultum ſæpe Apoſtolica Sede conceſſum, & nunc etiam poſt Tridentinum, ut notum ſit, mandat Sanctiſſimus, in iis locis tantum concedi, ubi Eccleſiæ non ſunt, aut ſi ſunt, talis Hæreticorum potentia eſt, ut in eaſdem Catholici non ſine gravi periculo ad audiendam Miſſam convenire poſſint. Uno verbo, ut præciſe neceſſitati provideatur. Undecimum eſt tenor Privilegii a Gregorio XIII. anno 1580. emanati pro Fratribus Prædicatoribus Provinciæ Poloniæ, videlicet: " In „ quibuſdam civitatibus, Oppidis, & lo- „ cis Provinciæ Poloniæ tanta hæretico- „ rum potentia & impietas exiſtit, ut „ Catholicos impune opprimant, nec iiſdem

„ Ca-

Digitized by Google

„ Catholicis Miſſas in Eccleſiis, quarum „ raritas in illis partibus exiſtit, audire „ tuto liceat. Nos ſupplicationibus tuis in „ hac parte inclinati, tibi ac pro tempo- „ re exiſtenti Ordinis Fratrum Prædicato- „ rum Provinciæ Poloniæ Priori Provin- „ ciali, ut licentiam & facultatem dictis „ profeſſoribus Altaria portatilia habendi „ cum debitis reverentia, & honore, ſu- „ per quibus in domibus Nobilium Civium, „ & incolarum Civitatum, Oppidorum, „ & locorum dictæ Provinciæ, in quibus „ vel Eccleſiæ deſunt, vel tanta eſt hæ- „ reticorum potentia, & impietas, ut „ impune opprimant, in locis ad hoc con- „ gruentibus, & honeſtis, per ſeipſos Miſ- „ ſas in præſentia perſonarum Catholica- „ rum celebrare poſſint, in caſibus neceſ- „ ſitatis tantum, ita quod eis ad culpam „ nequeat imputari, concedere valeatis, „ Apoſtolica auctoritate tenore præſentium „ de ſpeciali gratia indulgemus. " Duodecimum eſt Decretum Clementis XI. de Privilegiis Oratoriorum privatorum, quod, ne aliquid deſideretur, in hac Conſtitutione per extenſum tranſmittit Epiſcopis Summus Pontifex. Hoc Decretum refert Auctor de verbo ad verbum §. 1. num. 111.

Denique pro termino hujus Conſtitutionis, mandat ſummus Pontifex, non licere Regularibus etiam in propriis Eccleſiis, & Cœnobiis, ſine approbatione Epiſcopi exorcizare, & tam in hac materia, quam in ſupradicta de Oratoriis privatis, auctoritatem Apoſtolicam in favorem Epiſcoporum contra violatores faſſus eſt interponere. Habetur *Tom.* 3. *Bullarii numer.* 48.

Poſt hanc Appendicem. *De Privilegio audiendæ, & celebrandæ Miſſæ in Oratoriis Privatis*, ſequitur §. XII. cap. III. *De Auguſtiſſimo Eucbariſtiæ Sacramento.*

§. XII. *De Ornatu requiſito ad celebrandum.*

Recenſentur requiſita exteriora. I. AD celebrandum requiritur Altare, habens lapidem conſecratum, ſub mortali, & ſine ipſo celebrare nunquam licet. Requiruntur tres mappæ benedictæ, quarum una ſaltem totam menſam tegat; & plures affirmant in neceſſitate ſufficere etiam duas. Requiritur lumen regulariter in duobus cereis accenſum, ſine quo celebrare, regulariter eſt lethale. Excipitur caſus neceſſitatis, in quo etiam unus cereus, & ſi hic non poſſit haberi, ſufficiet candela ſebacea, vel etiam lampas olearia: nunquam tamen licet ſine aliquo lumine: neceſſitas autem eſt, ne populus miſſa careat. Requiritur ſub mortali miſſale; quia nemo in re adeo gravi poteſt ſuæ fidere memoriæ: neque ullus legere non valens celebrare poteſt, abſque ſpeciali Sanctæ Sedis diſpenſatione; & tunc ſolum in oratorio privato. Requiritur regulariter Crux in altari, niſi in eo altari expoſitum ſit Venerabile, aut niſi altare ipſum ſit Crucifixi, vel Crucis; excipitur neceſſitas ne populus miſſa careat; nunquam tamen ex mera devotione licet ſine Cruce celebrare. Benedictus XIV. in Conſt. 16. Junii 1746. §. 5. approbat opinionem ſuſtinentium, requiri Crucem cum Crucifixo; ideo hanc tenendam ſuadeo. Requiritur demum miniſter deſerviens, qui ſit maſculus, & nunquam licet ſine inſerviente celebrare.

* Aliquod lumen, dum Miſſa celebratur, requiri ex gravi præcepto Eccleſiæ communis ſententia Doctorum eſt, quam refert Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 81. *ſect.* 6. §. 3. & adeo urget hoc præceptum, ut ſine ullo lumine non liceat celebrare, etiam urgente periculo, ne Populus die Feſto Miſſa careat, aut ne Moribundus ſine viatico ex hac vita decedat, quemadmodum docent graves Scriptores, quos citat, & ſequitur Quartus ad Rubricas Miſſalis *part.* 1. *tit.* 20. *num.* 11. Quare a culpa lethali immunis non foret, qui totam Miſſam, vel partem illius notabilem in quocumque caſu, nullo ardente lumine, celebrare auderet. Ex qua vero materia conſtare debeat hujuſmodi lumen (verba ſunt Suarezii *loc. cit.*) Auctores non declarant, & in cap, *final. de celebrat. Miſs.* ſolum damnatur ille Presbyter qui ſine igne ſacrificabat. Reſpondetur tamen, *ſubdit*, Eccleſiæ conſuetudinem eſſe, ut cerea candela accenſa ſit; & hoc eſt ſervandum: nam licet ex oleo ſoleant etiam in Eccleſia lucernæ accendi, & regulariter hujuſmodi ſint quæ coram Divino Sacramento ardent, dum in Sacrario conſervatur, & tempore etiam Sacrificii ſoleant etiam hujuſmodi luminaria accendi; tamen quod ſola lucerna ex oleo tempore Miſſæ accenſa ſit, nunquam fieri ſolet; neque exiſtimo licere præſertim ſine neceſſitate: in illa vero quando candela cerea haberi non poſſet, non damnarem peccati mortalis eum qui ſine ſcandalo &

con-

Digitized by Google

contemptu, ſed ex devotione cum ſola hujuſmodi lucerna Miſſam diceret, quamvis ego non conſulerem: inferior autem materia nullo modo adhibenda eſt, ut ex ſevo, vel ſimili; eſt enim valde indecens, & ab Eccleſiæ uſu prorſus aliena. Hæc ille. Sunt tamen qui cenſent urgente neceſſitate adhiberi poſſe lumina ex ſevo, ſi deſint vel ex cera, vel ex oleo; cui opinioni & Auctor adhæſit. An vero duo requirantur lumina ex vi præcepti Eccleſiaſtici, diſſenſio eſt inter Doctores. Unum in rigore ſufficere exiſtimant plures, minus vero decere, notavit de Graſſiis *lib.* 2. *cap.* 42. *num.* 1. unde communiter duæ ſaltem adhibentur, & adhibendæ ſunt: in caſu tamen neceſſitatis unico ſolo ardente cereo poſſe Miſſam peragi docet Azorius *lib.* 10. *cap.* 28. *qu.* 5. cui adhærent Gavantus *part.* 1. *tit.* 20. Meratus apud ipſum *tom.* 1. *part.* 1. *pag.* 128. & Benedictus XIV. de Sacroſancto Miſſæ Sacrific. *lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 2. aliique. Dum autem plures quam duæ lucernæ adhibentur, ad majorem ornatum, & reverentiam pertinebunt. Solum cavendum eſt quod Concilium Tridentinum admonuit *Seſſ.* 22. in Decreto *de Obſervan. in celebrat. Miſſæ*, ne certus aliquis numerus candelarum ex aliquo ſuperſtitioſo cultu adhibeatur.

☞ S. P. Benedictus XIV. *in cit.* ab Auctore *num. præced. Conſtitut.* ſeu *Epiſtola* ad Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Ordinarios ditionis Eccleſiaſticæ incip. *Accepimus præſtantium*; quæ habetur *Bullarii tom.* 2. *n.* 17. ait 1. *Illud permittere nullatenus poſſumus, quod Miſſæ Sacrificium in iis Altaribus celebretur, quæ carent imagine Crucifixi, vel ipſa incommode ſtatuatur ante Presbyterum celebrantem, vel ita tenuis & exigua ſit, ut ipſius Sacerdotis, & Populi aſſiſtentis oculos pene effugiat*; ſubditque *certiſſimum eſſe violari leges Eccleſiæ, ſi exigua ſolum imago Crucifixi præfigatur minori Tabulæ, vel ſtatuæ Sancti, quæ ſuperadditur*. 2. *ſine imagine Crucifixi, quæ pendeat e Cruce, rem divinam fieri non poſſe, niſi neceſſitas intervenerit*. 3. non eſſe neceſſarium Crucifixum, *dummodo Crucifixus in majori Tabula Altaris, vel pictus, vel celatus primum locum obtineat præ cæteris omnibus, quæ in eadem Tabula exprimuntur*. 4. non ſufficere parvam Crucem, quæ Tabernaculo præfigitur juxta Decretum Cong. Sac. Rit. an. 1663.: *Crux parva cum imagine Crucifixi poſita ſuper Tabernaculum, in quo aſſervatur incluſum Sanctiſſimum Sacramentum in Altari, non eſt ſufficiens in Miſſa, ſed poni debet alia Crux in medio candelabrorum*. 5. ad obligationem quod attinet ponendi Crucem in Altari, in quo expoſitum eſt Sanctiſſimum Sacramentum, ſi in eo celebretur, aſſerit ſervanda eſſe Decreta prudenter, ſapienterque edita a Sacra Rit. Congreg. videlicet, *ut quælibet Eccleſia vel Diœceſis ſuam retineat conſuetudinem*; *ita ut nihil immutetur in ea Diœceſi, ubi Crux in Altari conſtitui ſoleat, dum Miſſa celebratur*; *etiamſi ſacra Euchariſtia publice proſtet*; *neque nova diſciplina excitetur, in ea Diœceſi, ubi contraria hujuſce rei conſuetudo jampridem invaluerit*.

P. Cajetanus Maria Merati in ſuis *Obſervationibus, & Additionibus ſuper Theſaur. Sacror. Rituum* Gavanti *Tom.* 1. *p.* 1. *tit.* 20. ad examen vocat, an Rubrica de apponenda Cruce ſuper Altari ſit præceptiva, & obliget ſub gravi; ſicque difficultatem reſolvit. „ Averſa, *inquit*, *de* „ *Sacrif. Miſſæ qu.* 11. *ſect.* 3. affirmati„ vam tenet ſententiam; negativam alii „ amplectuntur quoad culpam peccati mor„ talis in omiſſione talis Crucis; ſed ad„ ſummum culpam venialem committi ab „ iis, qui non ſervant talem ritum, com„ munior ſententia ſuſtinet; de prædicto „ enim præcepto ſub mortali non conſtat „ neque ex jure, neque ex conſuetudine, „ quæ fuerit hoc animo introducta. Com„ muniter autem ita ſervatur, ait Anel„ lus *Lib.* 1. *cap.* 8. *dub.* 8. ex majori de„ votione, & ad Rubricæ directivæ, vel „ ad ſummum præceptivæ ſub levi culpa „ ſatisfaciendum. Hanc ſententiam tenent, „ Suarez *Diſput.* 8. *ſect.* 6. Vaſquez diſ„ put. 233. cap. 3. & alii, quos citant, „ & ſequuntur Diana *par.* 10. *tract.* 15. „ *reſol.*28. Quarti *part.*1.*dub.* 10. & recen„ tiſſime. Raphael ab Heriſſonio in ſuo „ Lib. cui titulus *Manuductio Sacerdotis* „ *&c. Tract.* 1. *ſect.* 5. *cap.* 3. Legatur „ etiam S. P. Benedictus XIV. *de Sacro*„ *ſancto Miſſæ Sacrificio Lib.* 3. *cap.* 13. „ *num.* 1.

* Auctor demum in fine *num. præced.* abſolute pronunciat nunquam licitum eſſe celebrare ſine miniſtro inſerviente. Verum S. P. Benedictus XIV. *de Sacroſancto Miſſæ Sacrificio lib.* 3. *cap.* 7. *nu.* 3. ad rem hanc ſic ſeſe explicat: „ Etſi, *ait*, gene„ ralis ea regula ſit, non poſſe Miſſam ſi„ ne·

„ ne Miniſtro celebrari juxta Decretalem „ Alexandri III. in cap. *Præpoſuit* de Filiis Presbyterorum . . . . . tamen poteſt „ Sacerdos ſine Miniſtro Miſſam celebrare, ſibique ipſe reſpondere, ſi Viaticum opus ſit infirmo miniſtrare, ut docet Sylvius 3. *p. q.* 83. *art.* 5. qui etiam cenſet Sacerdotem, cui die feſto „ non ſit copia Miſſæ audiendæ, meliore „ conſilio Miſſam prætermittere, quam ſine Miniſtro celebrare, quanquam neget „ peccare, ſi ſine Miniſtro celebret. „ De neceſſitate Miniſtri ad Miſſam celebrandam agit Idem S. P. *lib.* 1. *cap.* 11. ubi plura docet ſcitu digna.

Recenſentur requiſita proximiora.

II. [Requiritur Calix, & Patena cum ſua ſupellectili, quæ ſint reſpective conſecrata, vel benedicta. Calix, in cuppa ſaltem, ſit argenteus, ſin autem, ſufficiet ſtanneus, dummodo intus ſit deauratus, quæ deauratio non eſt ſimpliciter neceſſaria in argenteo: idem dicas de Patena. Requiritur Corporale lineum benedictum, ſine quo nunquam licet. Requiritur palla benedicta, ſine qua advertenter nunquam licet. Item Purificatorium, quod non eget benedictione. Velum Calicis, & burſa requiruntur, ſed poteſt Miſſa celebrari, occurrente neceſſitate, etiam ſine illis. Requiruntur veſtes ſacræ, & quidem omnes, & benedictæ; ita ut, aliqua earum deficiente, celebrare non liceat. Deficiente Cingulo, ſi ſit celebrandi neceſſitas, poterit loco Cinguli ſe cingere alia Stola; quemadmodum, ſi deſit Manipulus, poterit in neceſſitate accommodare aliam ſtolam ad modum Manipuli; nunquam tamen hæc licent ad celebrandum ex mera devotione. Color veſtium ſingulis diebus præſcriptus eſt obſervandus, quando fieri poteſt: putant tamen aliqui non eſſe mortale, ſi deſit color præſcriptus, & aliqua neceſſitas celebrandi urgeat, aut diei feſti, aut communicandi infirmum, & adhibeatur color appropinquans præſcripto; quæ omnia intelliguntur, ſemoto ſemper ſcandalo. Veſtes non debent eſſe nimis diſſutæ, neque corporale, & purificatorium nimis immunda; & circa hoc gravis obligatio] obſtringit cuſtodes, ſacriſtas &c., ut lethale ſit, ſi in hoc notabiliter deficiant.

* Animadvertendum hic eſt quod Veſtes ſacræ ſuam benedictionem amittunt per lacerationem, ſeu fractionem, & imminutionem notabilem, per quam deſinunt eſſe aptæ ad uſum ſuum: ut ſi albæ manica ſeparetur, ſi cingulum ita rumpatur, ut nulla pars ad cingendum ſufficiat; nam ſi pars aliqua ſufficiens perſiſtat, hæc manet benedicta ob retentam aptitudinem ad uſum proprium. Item totum cingulum manet benedictum & aptum, ſi antequam frangatur, remedium adhibeatur connexione fortiori partium, etiamſi per nodum. Si priuſquam figura veſtis deſtruatur, ad eam reficiendam aſſuantur paulatim aliqua, etſi ea non ſint benedicta, eadem veſtis moraliter benedicta manet; nam acceſſorium non tollit principale, ſed ejus naturam ſequitur, niſi tanta huic acceſſio fiat, ut poſſit pene novum cenſeri. Sic P. Antoine *Tract. de Euchar. cap.* 3. *q.* 5. *n.* 8. Legatur & P. Patritius Sporer *Theol. Sacram. part.* 2. *cap.* 6. *ſect.* 3. §. 2. *n.* 413.

Rubriciſtæ varias excitant quæſtiones circa colores Indumentorum, queis in Miſſæ celebratione utendum eſt, ut videre eſt apud Meratum in *Novis Obſervat. & Addit. ad Gavanti Comment. part.* 1. *tit.* 18. *n.* 1. Inter cæteras hanc proponit P. Quarti *part.* 1. *tit.* 18. *Rubr.* 2. videlicet: Utrum color auri in veſtibus Sacris æquivaleat cunctis coloribus, aut ſaltem rubeo, & albo? Et huic quæſito affirmative reſpondet, quia aurum, lucidum habet, per quem albo aſſimilatur; & igneum, per quem rubeo; & concludit, exceptis violaceo, & nigro, cæteris coloribus aurum æquivalere; eoque pro rubeo, albo, & viridi nos uti poſſe, etiam affirmat Gerlacus Vinitor §. 7. Turrinus tamen *part.* 1. *ſect.* 4. *cap.* 4. quamvis fateatur veſtes aureas feſtivas eſſe; adhiberi tamen poſſe de rigore pro veſtibus omnium colorum minime aſſentitur; quia color auri nec albus, nec rubeus eſt; ſed color flavus, qui approximat viridi: ergo ſicuti albo pro viridi, aut rubeo uti non licet, extra neceſſitatem; ſic nec planeta aurea pro alba, & rubea, ſed pro viridi tantum, cujus colori approximat, ut dictum eſt, adhiberi poteſt. Ita Turrinus; ſed nobis ſupradicta Quarti ſententia magis arridet, ſubdit præcitatus Meratus *ibidem*.

In Rubricis autem Miſſalis Ordinis F. F. Prædicatorum *tit. de Coloribus, quibus utendum eſt in Eccleſiaſticis Indumentis & Paramentis Altaris* ſic ſtatuitur 1. *Indumenta Celebrantis, & Miniſtrorum, & Paramenta Altaris debent eſſe coloris convenientis Officio, & Miſſæ diei ſecundum Ritum, in quo quinque coloribus uti conſuevimus, Albo, Rubeo, Viridi, Vio-*

Digitized by Google

Violaceo, & Nigro. 2. Diſtinctim præſcribitur quandonam de Albo, vel Rubeo, vel Viridi, vel Violaceo, vel Nigro utendum ſit. 3. Tandem *n.* 6. ita decernitur: *In diebus vero ſolemniſſimis, ideſt qui habent Octavas ſolemniſſimas, vel ſolemnes, uti poſſumus pretioſioribus paramentis, cujuſcumque ſint coloris, dummodo non ſint nigri*.

Obſervanda demum ſunt ſequentia S. R. C. Decreta, quæ affert Meratus idem *in Indice Decretorum tom.* 2. *num.* 558. & 560. Primum eſt, quod Sacerdotes etiam Regulares diebus, quibus propria Officia recitant ſub Ritu duplici celebrantes in alienis Eccleſiis, quando peragitur Feſtum cum ſolemnitate, & concurſu Populi, debent celebrare Miſſas conformando ſe Ritui, & colori earundem Eccleſiarum. In aliis vero diebus poſſunt; ſed quando prohibentur Miſſæ Votivæ, vel Defunctorum, debent ſe uniformare, ſaltem quoad colorem. S. R. C. 11. Junii 1701. *in una Tertii Ordinis S. Franciſci*.

Secundum eſt, quod in Eccleſiis Regularium diebus Dominicis, quibus tam Regulares, quam exteri celebrant de Dominica, poſſunt exteri uti coloribus Paramentorum, quibus utuntur Regulares, ratione alicujus Octavæ; & Regulares celebrantes in aliis Eccleſiis uti coloribus juxta ritum earundem. S. R. C. 11. Junii 1701. *in una tertii Ordinis S. Franciſci*.

A quibus reſpective conſecranda vel benedicenda ſint præfata requiſita?

III. Sciſcitaberis, a quibus reſpective conſecranda vel benedicenda ſint præfata requiſita? Reſpondeo, ea requiſita, in quibus intervenit ſacra unctio, puta calicem, & patenam, conſecrandas eſſe ab Epiſcopo pro ſuis ſubditis, atque reliquis in ſua Diœceſi commorantibus. Hac facultate gaudent etiam Abbates illi, quibus eſt conceſſus Pontificalium uſus, attamen tantummodo pro ſuis ſubditis, & monaſteriis; neutiquam pro quibuſvis extraneis: ita declaravit expreſſe Sacra Congregatio, habita coram S. Pontifice Alexandro VII. die 27. Septembris anni 1659., in cujus numero 18. dicitur: *Eccleſiaſticam ſupellectilem pro ſervitio dumtaxat ſuarum Eccleſiarum, vel monaſteriorum benedicant*: & *num.* 19. *Reliqua Pontificalia, extra loca ipſis Abbatibus ſubjecta, vel pro ſervitio alienæ Eccleſiæ, aut in ſubditos pariter alienos, etiam de licentia Ordinariorum, exercere non valeant: puta Campanarum benedictiones, Calicum, & ſimilium, in quibus ſacra adhibetur unctio*. Regulares autem Superiores, quibus non eſt conceſſus Pontificalium uſus, conſecrare non poſſunt ſupradicta, neque pro ſuis Eccleſiis; poſſunt tamen benedicere ſupellectiles, veſteſque ſacras tantum pro uſu ſuarum Eccleſiarum, ut dicitur in citato num. 18., nec non in Conſtitutione Benedicti XIII. data 26. Maii 1727., in cujus §. 33. idem Summus Pontifex poſt indicatos alios Pontifices, hocce privilegium noſtris concedentes, illud confirmat, atque innovat.

Laudatus S. P. Benedictus XIII. f. r. ſic ad rem hanc ſeſe explicat *loco citato*: „ Inſuper, *ait*, facultatem indultam Superioribus quibuſcumque etiam localibus Fratrum Prædicatorum benedicendi „ quæcumque veſtimenta, aut paramenta „ Eccleſiaſtica, in quibus non intervenit „ unctio, a Bonifacio IX. in Conſtitut. „ *Sacræ Religionis* 5. Kal. Maii 1402., „ ab Innocentio VIII. loco ſtatim referendo, & a S. Pio V. in Brevi incipien. „ *Volentes iis* 25. Junii 1571.: ſolemniter & juxta ritum Eccleſiæ, aqua prius „ a catholico Epiſcopo benedicta, reconciliandi pollutas Eccleſias, cæmeteria, „ aut clauſtra a Clemente V. in Bulla edita 8. Idus Martii 1307., & ab Innocentio VIII. per Bullam *Benignitas* 1484., „ & a S. Pio V. in Brevi edito 16. Junii „ 1569. eidem Ordini, ejuſque ſuperioribus prædictis motu, ſcientia, & auctoritate ſimilibus, confirmamus, & innovamus, & reſpective declaramus prædictis Superioribus eſſe præterea permiſſum aqua, ut ſupra, ab Epiſcopo benedicta novas Eccleſias, nova Cæmeteria, „ Capitula, Clauſtra, & Oratoria benedicere; & hæc omnia etiam de novo concedimus, & elargimur; hoc amplius „ quod ubi Diœceſanus Epiſcopus renueret aquam a ſe benedictam concedere, „ poſſint, & debeant licite & valide iidem „ Fratres a quocumque Catholico Epiſcopo aquam in ejus Diœceſi benedictam „ ad prædicta præſtanda accipere, & adſportare. "

* Lege Em. Cardinalem Lambertini *Inſtit.* 21. *num.* 19. ubi confirmat quod docet Auctor *num. præced.* videlicet, quod etiam Abbates Regulares pro ſuis dumtaxat Eccleſiis Veſtes benedicere poſſint. In Decreto Alexandri VII. *ait*, quod ſupra memoravimus, Regularibus Abbatibus pro ſuis tantum Eccleſiis campanas, & calices con-

Digitized by Google

conſecrare permittitur. Idem paragrapho ſuperiori 18. pro benedictione Sacrarum veſtium a Pontifice præcipitur: *Eccleſiaſticam ſupellectilem pro ſervitio dumtaxat ſuarum Eccleſiarum, vel Monaſteriorum benedicant*. Cum vero, *ſubdit*, Monachi Congregationis Caſſinenſis ad eundem Pontificem confugiſſent, iis privilegiis ſe præditos affirmantes, quibus eas benedictiones tam pro ſuis, quam pro aliorum Eccleſiis ſe exercere poſſe fatebantur, Sacra Congregatio habita coram eodem Alexandro VII. die 20. Julii anno 1660. hoc reſponſum dedit: *Ad paragraphum decimum nonum, quo vetita eſt Abbatibus benedictio ſacræ ſupellectilis pro uſu alienarum Eccleſiarum: aſſerentibus Monachis etiam pro aliena Eccleſia ex Apoſtolico Indulto eis licitum eſſe Eccleſiaſticam ſupellectilem benedicere, Sacra Congregatio mandavit exhiberi Indultum authenticum ex Archivo Apoſtolico deſumptum, ac interim abſtineri*. Ignoramus, *inquit*, an tale Indultum in lucem unquam productum fuerit: ſi id conſtaret, huic noſtræ declarationi adjungeretur. Hoc idem habet & *de Sacroſ. Sacr. Miſſæ Append. 2. ad. Lib. 1.*

§. XIII. *De obſervandis in ipſa celebratione.*

Primum obſervandum. I. Recitandæ ſunt breves illæ preculæ injunctæ Sacerdoti dum ſe induit, ad Amictum, Albam &c. quarum omiſſio eſt venialis culpa major, vel minor pro rata omiſſionis. Nemo poteſt celebrare capite cooperto, niſi de S. Sedis ſpeciali licentia. Debet ſacerdos habere veſtem talarem, dum ſe induit veſtibus ſacris.

Obſervandum ſecundum. II. Generatim loquendo, nil addi, vel minui poteſt in celebratione, præterquam a Miſſali in Rubricis præſcribitur: ita ut quævis additio, vel ſubtractio, pro ratione materiæ, advertenter facta, ſit lethalis, vel venialis.

✠ Partes Miſſæ aliæ ſunt ordinariæ, quatenus ſemper dicuntur, ut Confeſſio, Introitus, Oratio, Epiſtola, Evangelium, Offertorium, Præfatio, Canon integer, Oratio Dominica, Agnus Dei &c. aliæ non Ordinariæ, quatenus non ſemper dicuntur, ut Gloria in Excelſis &c. Credo, Orationum numerus, pluralitas Epiſtolarum, Sequentia &c. Qui omittit deliberate partem ordinariam, puta Epiſtolam, Evangelium, partem notabilem Canonis, & ſimilia, peccat mortaliter. Qui omitteret materiam levem etiam in Canone, ut nomen unius Sancti, peccaret venialiter. Qui tamen aliquid deliberate in Canone omitteret quod corrumperet ſenſum, peccaret mortaliter. Item peccaret mortaliter qui deliberate omitteret *Pater noſter*, vel *Agnus Dei*, aut fractionem Hoſtiæ, vel illius cum Calice commixtionem, aut purificationem Calicis, & patenæ poſt communionem. Qui vero omitteret unam ex partibus non ordinariis, puta *Gloria*, *Credo*; peccaret ſolum venialiter. Qui tamen unum horum deliberate omitteret in magna ſolemnitate, peccaret mortaliter. Qui autem omitteret *Sequentiam*, vel *Præfationem ſpecialem*, vel *Communicantes*, quæ leguntur certis ſolum diebus, culpæ venialis dumtaxat reus foret. Omiſſionem principalis collectæ uno tantum in loco pariter non excedere culpam venialem, ſentiunt plures, eam vero omittere tribus in locis, culpam gravem eſſe defendunt. Legatur P. Daniel Concina *tom. 8. lib. 3. diſſert. 2. cap. 18. num. 2. & 3.* qui alia etiam docet ad materiam hanc pertinentia.

III. Ex communi doctorum, Sacerdos, qui ex modo ſe gerendi in celebratione, tam quoad nimiam celeritatem in legendo, tam quoad verborum obtruncationem, tam quoad malam executionem cæremoniarum, nempe genuflexionum, ſignorum crucis, benedictionum &c., ita ut indevotionem, admirationem, & ſcandalum notabile piis adſtantibus ingerat; peccat lethaliter. Quid igitur dicendum de plurimis, qui, quæ alte legunt, devorant? quæ ſubmiſſa voce, deglutiunt? qui cæremonias tanta feſtinatione, oſcitantia, levitate, inurbanitate, & irreverentia exequuntur? Qui paucis minutis vix quadrantem horæ attingentibus, miſſam abſolvunt? Quid his miſerrimis dicturus eſt Chriſtus, qui Sacratiſſimum Corpus ſuum, pretioſumque Cruorem adeo indevote, & irreverenter quotidie tractarunt, ut ab adſtantibus potius devotionem repellerent, quam eiſdem conciliarent? Interrogabis; quantum ergo temporis inſumendum eſt in celebratione? Reſpondeo, quantum requiritur ut executioni mandentur præſcripta a Miſſali Romano, in eo ſiquidem jubetur, ut quæ alta voce leguntur *Diſtincte, & appoſite proferantur, non admodum feſtinanter, voce mediocri, & gravi, quæ & devotionem moveat, & auditoribus ita ſit accommodata, ut quæ le-* Obſervandum tertium.

leguntur, *intelligant*. Reſpondeo iterum, quantum exigitur, ut obediatur Concilio Tridentino ſeſſ. 22. in decreto de obſervandis, & vitandis in celebratione, nempe: *Ut omni religionis cultu, ac veneratione celebretur, ... omnem operam, & diligentiam ponendam eſſe, ut quantum maxime fieri poteſt, interiori munditia, & puritate, atque exteriori devotionis, ac puritatis ſpecie peragatur*.

Emin. Cardinalis Lambertinus, qui fuit S. P. Benedictus XIV. *Inſtitut.* 34. §. 6. *num.* 30. poſt relatam Miſſalis Rubricam, in qua præſcribitur, ut Sacerdos *ea, quæ clara voce dicenda ſunt, diſtincte, & appoſite proferat; non admodum feſtinanter, ut advertere poſſit, quæ legit; nec nimis moroſe, ne audientes tædio afficiat*, paucis interjectis, ſubdit: „ Scriptores autem juxta Rubricam temporis ſpatium, quod in Miſſæ celebratione impenditur, duplex conſtituunt, videlicet interius, & exterius. Primum quidem in recta, integraque verborum pronunciatione, in precibus, cæteriſque rebus, quæ a Sacris ritibus præſcribuntur, attente, decenterque abſolvendis collocatur; alterum vero illud eſt, quod pietati Sacerdotis liberum relinquitur. Admonent tamen, ut hanc ſecundam prolixitatem quo poſſunt ſtudio ſinguli evitent, ne faſtidium populo afferatur; primam vero non ſine gravi culpa omitti poſſe fatentur. De illa ſane ſermonem habebat S. Philippus Nerius, cum Sacerdotes, qui in ſacro peragendo cæleſti voluptate ſupra modum cumularentur, hortari ſolebat, ut dicerent: *Non palam has delicias, ſed clam in cubiculo magis optarem*: Hoc pacto innuebat Sacrum religioſe quidem fieri debere; cavendum tamen, ne tædio populus afficiatur; in cubiculo autem pietati habenas laxandas eſſe. Itaque ſpatium temporis interius, quod requiritur in iis omnibus rite perficiendis, quæ modo explicavimus, ſedulo perpendatur, non ita brevi tempore, ut multi exiſtimant, Sacrum expediri poteſt, ſex ex unanimi Scriptorum opinione ad tertiam horæ partem ſaltem debet pertingere, neque horæ dimidium excedere.

Obſervandum quartum.

IV. Peccat item mortaliter Sacerdos, qui advertenter, & notabiliter diſtractus ſacrificium celebrat; ſi enim voluntaria notabilis diſtractio in recitatione Horarum lethalis eſt, niſi repetantur; multo magis lethalis erit voluntaria notabilis diſtractio in actione longe præſtantiori, qua major ſub Cælo non invenitur, & quæ repeti nequit.

Obſervandum quintum.

V. Miſſam inchoatam interrumpere illicitum eſt, abſolute loquendo, niſi in caſu aliquo gravis neceſſitatis corporalis celebrantis, vel ſpiritualis proximi, puta, aut Baptiſmi miniſtrandi, aut abſolutionis impertiendæ repente morituro; quibus peractis, Miſſam proſequatur; quod ſi, conſecratione facta, proſequi nequeat; alter eſt ſubſtituendus, qui ſacrificium compleat, juxta ſuperius dicta. Quod ſi, dum Miſſa celebratur, Eccleſia polluatur, mutilatione, aut occiſione alicujus &c., aut excommunicatus vitandus eadem egredi nolit, & hæc ante cœptum Canonem eveniant, recedere debet ab Altari. Vide Miſſale in Rubricis.

✠ Dubio procul Sacerdos, qui Miſſam inchoavit, tenentur ſub mortali illam abſolvere, niſi excuſetur ob impotentiam ſubito evenientem ex mentis deliquio, gravi infirmitate &c. Et tunc ſi redire & proſequi nequeat, peractaque ſit conſecratio, alius Sacerdos, ut & Auctor docet, debet Sacrificium perficere; neque enim Sacrificium imperfectum relinqui debet. Similiter Sacerdos tenetur ſub mortali Miſſam inchoatam notabiliter non interrumpere, ſeu interpolare abſque rationabili cauſa; quia notabilis interruptio abſque rationabili cauſa gravis foret irreverentia, ut nemo non videt: unde ſi quis poſtquam inchoavit Miſſam, vel Sacras veſtes exuat, & ita recedat, veniatque poſtea proſecuturus; vel ſacris veſtibus indutus ad horas ibi expectet quempiam venientem, & cum venerit, perficiat, certe reus evaderet lethalis criminis. Dixi autem 1. *notabiliter*; quia parva interruptio non eſſet grave peccatum, ſed veniale dumtaxat. Dixi 2. *abſque rationabili cauſa*. Nam ſi rationabilis cauſa adſit, licite poteſt Miſſa interrumpi. Sic licite Miſſa interrumpitur ab Epiſcopo ut Ordines conferat, a Parocho propter Concionem, vel publicationem edictorum Eccleſiæ, ab excipiente vota Religionis, quando eorum cæremoniæ fieri ſolent intra Miſſarum ſolemnia. Addit Navarrus *c.* 16. *de orat. n.* 69. Miſſam non illicite interrumpi ob exonerationem omnino neceſſariam, ſi nullatenus

uſque

uſque ad finem differri poteſt. Poſtiori jure licitum erit Miſſam interrumpere etiam notabiliter, etiam poſt conſecrationem ob ſpiritualem neceſſitatem proximi, ut ei provideatur etiam extra Eccleſiam de remedio ſalutis neceſsario neceſſitate medii, ſi præter celebrantem nullus alius adſit, qui valeat eidem opem ferre, *veluti*, ait Sylvius *in* 3.*p*.*q*.83.*art*.6.*q*.3.*ad baptizandum infantem moribundum; vel ad excipiendam confeſſionem infirmi, quorum ille alioquin ſine baptiſmo, iſte ſine Sacramento pœnitentiæ eſſet moriturus. Idem judicium eſt*, ſubdit, *ſi foret extrema unctio adminiſtranda infirmo, qui aliud Sacramentum non poteſt recipere*. Siquidem hi ſunt caſus extremæ neceſſitatis proximi exiſtentis in periculo damni animæ irreparabilis, cui indubie ſubveniendum eſt; cum Deus velit neminem perire. Et notandum eſt quod in caſu, quo moribundo adminiſtrandum ſit Sacramentum Pœnitentiæ, miniſtrari poteſt etiam Extrema unctio; quippe utilitas proximi excuſat moram paulo longiorem, ſi ſemel rationabiliter Miſſa ſit interrupta. Dixi autem 1. *etiam poſt conſecrationem*, ad indicandum quod a fortiori licitum eſt Miſſam interrumpere ante conſecrationem, etiam viatici dandi gratia; nequaquam tamen expedit, ut cenſet præcitatus Sylvius, Miſsam interrumpere ad audiendam confeſſionem etiam brevem alicujus ſimpliciter communicaturi, nequidem quando celebrans jam eſt aliis in Miſsa præbiturus communionem. Dixi 2. *etiam extra Eccleſiam*; quandoquidem ſi moribundus ſit intra Eccleſiam, minor eſt difficultas; poteſtque celebrans, Miſsa etiam poſt conſecrationem interpolata, Viaticum & Extremam unctionem adminiſtrare; quia tunc non eſt notabilis Sacrificii interruptio; nec opus eſt veſtes ſacras exuere. Animadvertendum vero eſt, quod, ſi dum neceſſitas urget ea Sacramenta adminiſtrandi, facta ſit conſecratio, debet Sacerdos diligentiſſime curare, ut interea ab aliquo ſpecies conſecratæ attente cuſtodiantur, niſi forte conſultum melius exiſtimaverit illas in Tabernaculo occludere, & poſtquam redierit, debet Miſsam inde, ubi eam intermiſerit, repetere. Legantur Sylvius *loc. cit.* & in *Reſolut.* Verbo *Miſſæ interruptio*; Quartus *ad Rubric. Miſſal. p.* 2. *tit.* 3. *ſect.* 3. *c.* 3. P. Martinus VVigandt *tract.* 15. *exam.* 7. *nu.* 74. P. Antoine *tract. de Euch. cap.* 3. *in reſp. ad q.* 6. *n.* 6. & tandem S. P. Benedictus XIV. *de Sacroſ. Miſſæ Sacrif. lib.* 3. *cap.* 14. *n.* 15.

Quæres, an ſit ſufficiens cauſa interrumpendi Miſſam, eamque ab introitu iterandi ſeu reſumendi, ſi Epiſcopus, aut Princeps aliquis ſuperveniat, qui Miſſam die feſto non poterunt audire, niſi is, qui eam inchoavit, reincipiat?

Reſp. Varia ſunt Theologorum placita circa propoſitam difficultatem. Negant aliqui eſſe cauſam ſufficientem. Affirmant alii, ſi ſolum dicta ſit Epiſtola, imo & ſi lectum ſit Evangelium, ſed non facta oblatio. Propter iſtorum auctoritatem credit Sylvius id fieri poſſe, ubi nullum inde ſcandalum videretur naſciturum. At ſtatim ſubjungit: „ Quia tamen hujuſmo„ di uſus non eſt in Eccleſia; dicam cum „ Ledeſma *cap.* 24. *de Euch.* haud fa„ cile in praxim redigendum ulli Sacer„ doti conſuluerim; præſertim cum illi „ excuſari poſſint a tranſgreſſione præce„ pti, qui Miſsam audiunt ab initio Evange„ lii, imo & a fine, ſi per eos non ſtet, „ quo minus unam aliam audiant. „

§. XIV. *De Stipendio Celebrationi debito.*

I. Quod juſtum ſtipendium debeatur Sacerdoti celebranti, non tanquam pretium operis, ſed tanquam debitum honeſtæ ſuæ ſuſtentationi, nemo doctorum ambigit. Stipendium autem juſtum illud eſt, quod vel lege, vel conſuetudine approbata taxatum invenitur; ita ut nequeat Sacerdos plus exigere; aliter teneretur exceſſum illum reſtituere, utpote extortum, & non libere datum. Recipiens autem ſtipendium tenetur ex juſtitia celebrare, ſicuti a dante ſtipendium præſcribitur, videlicet tot Miſſas celebrare, talis qualitatis, in tali loco, tali tempore, atque pro tali cauſa, ſi hæc cuncta præſcribat. Peccabit igitur, ſi aut plures Miſſas celebrandas aſſumat, quas prævidet, ſe non poſſe juxta conditiones petitas celebrare: immo ſi finis celebrationis interea fruſtretur, puta, quia eas celebrandas dedit ante litis tractationem tali die eventuram, vel ob aliud ſimile, tenebitur ad reſtitutionem; ratio patet.

Stipendium qualiter debeatur, & qualiter teneatur Sacerdos?

Hic animadvertere juvat licitum non eſſe Sacerdoti Miſſis ſeſe onerare, quibus intra duos Menſes, quod eſt tempus ab Urbano

VIII.

Digitized by Google

VIII. taxatum, ſatisfacere non poteſt, idque ſub pœna mortalis peccati; excipe tamen, ſi retribuenti omnino compertum eſſet, Miſſis, quas commiſit tam cito ſatisfieri non poſſe, ob conſuetam retribuentium in tali Eccleſia, vel tali loco, vel pro tali devotione, extraordinariam multitudinem, & Sacerdotum inopiam. Excipi forte etiam poſſet alius caſus, ſi nempe ipſimet Sacerdoti certiſſime compertum foret, nullum alium Sacerdotem, nullumque aliud Sacerdotum Sodalitium, citius tanto Miſſarum numero ſatisfacere poſſe. Sic P. Paulus a Lugduno *Tract.* 5. *Diſſert.* 3. *qu.* 3. *quær.* 6. *num.* 7.

Qui autem ſtipendium acceptavit ad Miſſam celebrandam pro urgente gravique neceſſitate, quæ moram non patitur, ut pro Agonizante, vel Puerpera periclitante, vel pro celeri exitu litis mox dirimendæ &c. non poteſt abſque gravi peccato, & reſtitutionis obligatione, Miſſæ celebrationem differre, ut & Auctor optime cenſet.

* Deprehendimus a veritate prorſus alienum quod primo loco aſſerit præcitatus cœteroquin eximius Theologus P. Paulus a Lugduno, nimirum, præciſis peculiaribus circumſtantiis, ſpatium duorum menſium eſſe tempus pro celebratione Miſſarum ab Urbano VIII. taxatum. Rem hanc ſedulo ſuo more expendit, ac in pleno lumine collocat S. P. Benedictus XIV. *Inſtit.* 56. *n.* 14. " Non minorem, *inquit*, ſane diligentiam Sedes Apoſtolica contulit, ut ,, Miſſarum Sacrificia præſcripto tempore, ,, ac loco, integroque numero perſolvan- ,, tur. Decreta Urbani VIII. prohibent ad- ,, ventitias Miſſas accipere, niſi reliquæ ,, omnes, pro quibus antea ſtipendium col- ,, latum fuit, penitus abſolvantur. Hinc ,, orta quæſtio fuit, an hujuſmodi Decre- ,, tum nullam pateretur interpretationem, ,, reſponſumque eſt novas eleemoſinas ad- ,, mitti poſſe, *dummodo infra medicum* ,, *tempus poſſent omnibus ſatisfacere.* ,, Porro hujuſmodi modici temporis ſpatium ,, ad duos, vel tres menſes protrahebatur. ,, At S. C. *die* 17. *Julii* 1655. ita reſpon- ,, dit: *Cum in declaratione undecimi im-* ,, *preſſa ſuper Decretis de celebratione* ,, *Miſſarum permittatur receptio aliorum* ,, *onerum Miſſarum celebrandarum, dum-* ,, *modo infra modicum tempus poſſit om-* ,, *nibus ſatisfieri, hodie nonnulli Supe-* ,, *riores Regulares pro conſcientiarum*, ,, *ut inquiunt, quiete denuo quærunt, an* ,, *dictum modicum tempus celebrandi Miſ-* ,, *ſas reputetur tempus duorum, vel tri-* ,, *um menſium.* Sacra &c. reſpondit: *mo-* ,, *dicum tempus intelligi infra menſem.* Hoc idem tradit & in egregio Opere *de Synodo Diœceſana Lib.* 13. *cap. ult. num.* 10. Deſerenda igitur dubio procul eſt opinio relata P. Pauli a Lugduno, aliorumque, qui eam amplexati ſunt, & huic S. C. deciſioni omnino obtemperandum.

An imminui poſſit ſtipendium perceptum, dando alteri celebraturo minus?

II. Si quis ſtipendium pro Miſſa, vel Miſſis manualibus celebrandis recipiat majus conſueto; & ipſe tradat Miſſam, vel Miſſas alteri celebrandas, tenetur totum ſtipendium eidem erogare, nec poteſt, abſque reſtitutionis onere, illum exceſſum ſtipendii conſueto majoris ſibi retinere. Tum quia voluntas implicita dantis eſt, ut celebrans ſtipendio illo fruatur: tum quia Urbanus VIII. id prohibuit in ſuo decreto *Cum ſæpe*: tum denique quia Alexander VII. oppoſitum docentes reprobavit in theſi 9. damnata, in qua dicebatur: *Poſt decretum Urbani, poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.* Immo Benedictus Decimus quartus anno 1. ſui Pontificatus, nempe 1741. ſub die 30. Junii in ſua Conſtitutione ad omnes Eccleſias directa, quæ incipit: *Quanta cura*, poſt deteſtatum præfatum turpe lucrum; ita jubet: *A quolibet Sacerdote ſtipendio, ſeu Eleemoſina majoris pretii pro celebratione Miſſæ a quocumque accepta, non poſſe alteri Sacerdoti, Miſſam hujuſmodi celebraturo, ſtipendium, ſeu eleemoſinam minoris pretii erogari; etſi eidem Sacerdoti Miſſam celebranti, & conſentienti, ſe majoris pretii ſtipendium, ſeu eleemoſinam accepiſſe indicaſſet.* Et ſubjungit: *Quoniam autem ita comparatum eſt, ut præſentis pœnæ metu ſalutaribus monitis facilius obtemperetur; per edictum in veſtris diœceſibus* (ſic injungit Patriarchis, Primatibus, & Epiſcopis omnibus) *proponendum, affigendumque, univerſis notum facite, quemcumque, qui eleemoſinas, ſeu ſtipendia majoris pretii, pro Miſſis celebrandis, quemadmodum locorum conſuetudines, vel ſynodalia ſtatuta exigunt, colligens, Miſſas, retenta ſibi parte earumdem eleemoſinarum, ſeu ſtipendiorum acceptorum, ſive ibidem, ſive alibi, ubi pro Miſſis celebrandis minora ſtipendia, ſeu eleemoſinæ tribuuntur, celebrari fecerit; laicum quidem, ſeu ſæcularem, præter alias arbitrio veſtro erogandas pœnas,*

ex

Digitized by Google

ro, ſive quemcumque Sacerdotem, pœnam ſuſpenſionis ipſo facto incurrere, a quibus nullus per alium, quam per nos ipſos, ſeu Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, niſi in articulo mortis conſtitutus, abſolvi poſſit.

☞ Quin in aliquo peculiari caſu unius Miſſæ, ſeu qui partem ſtipendii ſive eleemoſinæ unius Miſſæ dumtaxat ſibi retineret, & alteri Sacerdoti Miſſam hujuſmodi celebraturo ſtipendium, ſive eleemoſinam minoris pretii erogaret, quamvis & peccaret, & ad reſtitutionem teneretur, attamen videtur, ſalvo tamen meliori judicio, quod cenſuris a S. P. in hac Conſtitutione latis non foret obnoxius, ſeu videtur quod neque Laicus excommunicationem, neque Clericus ſuſpenſionem incurreret. Quippe præfatis pœnis ſubiicit ſolummodo *quemcumque, qui eleemoſinas, ſeu ſtipendia majoris pretii pro Miſſis celebrandis, quemadmodum locorum conſuetudines, vel ſynodalia ſtatuta exigunt, colligens, Miſſas, retenta ſibi parte earundem eleemoſinarum, ſeu ſtipendiorum acceptorum, ſive ibidem, ſive alibi, ubi pro Miſſis celebrandis minora ſtipendia, ſeu eleemoſinæ tribuuntur, celebrari facit*. Eodem modo ſeſe explicat idem S. P. *de Synodo Diœceſ. Lib. 5. cap. 9. nu. 5. Ed. Parm. 1760. In noſtra*, inquit, *Conſtitutione 22. Bullar. Tom. 1. turpe damnavimus quorumdam mercimonium, qui Miſſarum eleemoſinas ibi quæritant, & colligunt, ubi taxa ſynodalis largiorem ſtipem Sacerdotibus Sacrum peragentibus aſſignat, Miſſas vero alibi celebrari curant, ubi ſive conſuetudine, ſive ſynodali lege minor eleemoſina, pro ſingulis Miſſis eſt celebrantibus attributa, ut hac ratione prædicti pravi nundinatores partem lucrentur acceptæ ſtipis*. Ex his ſane eruitur, eos ſolum latis ſubjectos eſſe cenſuris, qui mercimonia ſuper Miſſarum eleemoſinas ita exercent, ut eas *quæritent, & colligant*; quod locum habere non videtur in caſu unius Miſſæ.

* Beneficiarius dum per alium celebrare cogitur poteſt licite conſuetam præbere eleemoſinam, quamvis ex Beneficio majorem ipſe percipiat. Sic cenſuit Sacra Congregatio, ut refert P. Daniel Concina *de Euchariſt. lib. 3. diſſert. 2. cap. 6. §. 2. n. 14.* Id concedunt Doctores plures etiam Capellano licet amovibili, & illis quibus commiſſa eſt perpetuarum Miſſarum celebratio. In Miſſis ergo Manualibus (ſic idem P. Concina concludit) vetitum eſt celebrare Miſſas per alios, collato ſtipendio minori, quam acceptum ſit.

III. Dubio vacat, illicitum, contra juſtitiam, & reſtitutioni obnoxium eſſe, pro una Miſſa plures eleemoſinas accipere, & pluribus acceptis una Miſſa ſatisfacere: ita ex theſi 10. reprobata ab Alexandro VII. in qua dicebatur. *Non eſt contra juſtitiam pro pluribus ſacrificiis ſtipendium accipere, & ſacrificium unum offerre: neque etiam contra fidelitatem, etiamſi promittam promiſſione etiam juramento firmata danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram*. O theologiam portentoſam! Certum quoque eſt, poſt decretum Sacræ Congregationis, auctoritate Urbani VIII. confirmatum, quod ille qui accipit ſive a pluribus, ſive ab eodem multa ſtipendia, quæ ſingula ſint juſto, & taxato minora; non poſſit illa reducere ad ſtipendium taxatum, & per pauciores miſsas dicto ſtipendio taxato correſpondentes, minores numero Miſsas celebrare, & ſuis obligationibus ſatisfacere; quia eo ipſo, quod illa minora ſtipendia ſingula pro ſingulis Miſſis celebrandis accepit, ceſſit juri ſuo: ſi enim nolebat pro ſingulis ſingulas Miſſas celebrare, debebat non acceptare: quapropter concludit decretum: *Alioquin ſuæ obligationi non ſatisfaciant; quinimmo graviter peccent, & ad reſtitutionem teneantur*: tom. 4. Bullarii.

Illicitum eſt pro una Miſſa plures eleemoſinas accipere; & pluribus acceptis inſufficientibus uno Sacrificio ſatisfacere.

IV. Certum ſimiliter eſt, illum, qui ab aliquo eleemoſinam pro Miſsa celebranda accepit, non poſſe alteram eleemoſinam accipere ea intentione, applicandi huic ſecundo fructum illum, qui ipſi celebranti correſpondet: tum quia ille applicari nequit, ut dictum eſt ſupra; tum quia qui primus erogavit, ſicuti & ſecundus, intendunt, ut pro ipſis applicetur omnis fructus, qui applicari poteſt; unde idem Alexander VII. nu. 8. hanc theſim damnavit: *Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa accipere; applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem: idque poſt decretum Urbani*.

Fructus ſpecialiſſimus celebrantis non applicabilis pro ſtipendio.

V. Sacra Congregatio decretum evulgavit ab Urbano VIII. confirmatum t. 4. Bullarii: *Sacerdotes, quibus diebus tenentur Miſſas celebrare, ratione Beneficii, ſeu Capellæ, legati, ſalarii, ſi eleemoſinas etiam pro aliis Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eadem Miſſa utrique obligationi ſatis-*

Quid circa Capellanos?

Digitized by Google

tisfacere. Ita ſi Miſſa celebretur V. G. pro defuncto, & detur alia eleemoſina V. G. pro infirmo, non poteſt eadem Miſſa ſatisfacere utrique obligationi, puta applicando fructum ſatisfactorium pro defuncto, & impetratorium pro infirmo, ut declaravit S. Congregatio, teſte Fagnano ejuſdem Sacr. Congregationis doctiſſimo, & piiſſimo Secretario. Ratio eadem, quæ ante allata eſt. Qui quotidie celebrare tenetur titulo vel Beneficii, vel Capellaniæ, ſi ex juſta, & rationabili cauſa, puta infirmitatis, aliquo, vel aliquibus diebus non celebret, non propterea ſupplere tenetur, quia fundatores præſumuntur potuiſſe, & debuiſſe prævidere, quod Capellanus, vel Beneficiarius non ſemper valere poteſt, aut quod nunquam aliquis caſu eventurus ſit, quo a celebrando impediatur, ut docet communior cum Sylveſtro verbo Miſſa qu. 7., Navarro lib. 3. Conſil. in 5. de præbendis Conſil. 6., Suarez diſp. 86. ſect. 1. & aliis.

Inquirit S. Pontifex Benedictus XIV. *De Sacroſancto Miſſæ Sacrificio Lib.* 3. *cap.* 9. *n.* 9., utrum qui onus habet Miſſam quotidianam applicandi, teneatur in die Natali Chriſti Domini etiam ſecundam & tertiam Miſſam applicare; & an in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum teneatur Miſſam illi applicare, cui debet applicare quotidie? Prima quæſtio, *ait*, ſolvitur reſpondendo, eum qui habet onus Miſſæ quotidianæ teneri unam dumtaxat applicare in Feſto Nativitatis Jeſu Chriſti, niſi forte inſtitutor diſerte juſſerit, tres Miſſas ſibi eo die applicari. Plures allegat ipſe Auctores ſic ſentientes. Quod vero ad ſecundam quæſtionem attinet, Averſa *qu.* 11. *de Euchar. ſect.* 18. putat, eo die ceſſare onus Capellaniæ quotidianæ, ideoque Capellano licere Miſſam eo die applicare, vel omnibus Defunctis, quod eſſet optimum, vel privato cuidam Defuncto. Paſqualigus *quæſt.* 1134. contendit eo die quotidianæ Capellaniæ obligationem non ceſſare; addit tamen, licere Capellano Miſſam vel alicui Defuncto, vel Defunctis omnibus applicare; præſumendum enim, voluiſſe Inſtitutorem eo die Capellano Miſſam ſibi applicandam remittere.

„ Quæſtionem, *ſubdit*, apud Auctores „ pertractatam deprehendimus, an Parochus in Nativitate Domini teneatur tres „ Miſſas celebrare; ac firmior nobis viſa „ eſt eorum ſententia, qui ſtatuunt, teneri illum ad populi utilitatem & devotionem tres Miſſas celebrare, ut exiſtimat Perſicus *de Sacerdot. Officio lib.* 1. *dub.* 15. *num.* 128.; nam plane commentitium eſt quod ait Leander *p.* 2. *Oper. Moral. Tract.* 8. *diſp.* 5. *p.* 30., non teneri Parochum, ſecluſo ſcandalo, niſi unam tantum Miſſam celebrare; ſi enim tres Miſſas poteſt celebrare, & unam tantummodo celebrat, certum eſt ſcandalum; aut ſi nonniſi unam Miſſam celebrare poteſt, profecto non tenetur duas reliquas celebrare. Eam vero quæſtionem nunquam a Sacra Congregatione nec examinatam reperimus, neque deciſam, utrum Parochus, qui diebus Feſtis ex præcepto tenetur Populo Miſſam applicare, teneatur etiam tres Miſſas applicare eidem Populo in Nativitate Domini, an vero ſi unam tantum applicet, ſuo muneri ſatisfaciat. „

VI. In caſu, quod proventus Cappellaniæ, vel Beneficii adeo fuerint imminuti, abſque ulla Capellani culpa, ut non recipiat ſtipendia congrua pro onere Miſſarum ſuſcepto; non poteſt ipſe reducere Miſſas ad numerum congruo ſtipendio correſpondentem; ſed ex mandato Tridentini ſeſſ. 25. cap. 4. tenetur recurrere ad Epiſcopum, ut ipſe provideat: & ubi decretum Urbani VIII. eſt receptum, eſt ipſi recurrendum ad S. Sedem, quæ re mature perpenſa, quod magis expedire ſibi viſum fuerit, determinabit. Quid ſi minuatur reditus?

* S. P. Benedictus XIV. *de Synod. Diœceſ. lib.* 5. *cap.* 9. in quo differit *de advertendis ab Epiſcopo in ſtatuendis Miſſæ eleemoſinis, evellendiſque abuſibus circa eas gliſcentibus*, plura ſcitu digna docet ad materiem hanc pertinentia. Speciatim *n.* 2. aſſerit quod & Auctor *n.* 1. cenſet, videlicet, quod ſi ultra eleemoſinam ab Epiſcopo taxatam, plus Sacerdos celebraturus exigat, non ſolum delinquit contra legem Eccleſiæ, verum etiam juſtitiam commutativam lædit; etenim, ut argumentatur Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 83. *art.* 2. *ſect.* 2. *concl.* 1. quamvis Miſſæ ſtipendium non habeat rationem pretii, nihilominus expoſcit juſtitia, ut aliqua proportio ſervetur inter illud, & opus, ad quod ſubeundum ſubminiſtratur; eamque proportionem definire, inſpecta natura rei, de qua agitur, ad ſolum ſpectat Epiſcopum. Ob eamdem rationem, judicio Epiſcopi, Miſſarum eleemoſinam taxantis, ſtare debent etiam Regulares, qui-

Digitized by Google

quibus ſuorum Privilegiorum obtentu, neutiquam licet ſtipem exigere illa majorem, quam Epiſcopus præſcripſit; quemadmodum enim ipſi, veluti membra communitatis, obſtringuntur in contractibus ſervare æqualitatem ſtatutam a legibus loci, ubi degunt; ita & in hoc quaſi contractu non poſſunt proportionem prætergredi, quam loci Ordinarius determinavit. Quocirca Sacra Congregatio Concilii in una *Romana* 15. Januarii 1639. *lib.* 16. *Decret. pag.* 130. dixit *Eleemoſinam pro qualibet Miſſa, per Regulares celebranda in eorum Eccleſiis, eſſe taxandam arbitrio Ordinarii, juxta morem regionis*. Nec Regulares tamen, nec Seculares prohibentur uberiorem ſtipem a ſponte dantibus accipere, dummodo abſit dolus, & quodcumque pactum, etiam implicitum: quod docuerunt Suarez *cit. concl.* 1. Cardinalis de Lugo *reſponſ. moral. lib.* 5. *dub.* 18. ac cenſuit Sacra Congregatio Concilii 16. Jannarii 1649. *lib.* 18. *Decret. pag.* 575. *a tergo*, quæ interrogata. *An poſſit Epiſcopus prohibere ſub pœna cenſurarum laicis, ne pinguius ſtipendium taxæ ſolvant Sacerdotibus tam Secularibus, quam Regularibus, Miſſam celebrantibus; & quod iidem Sacerdotes illud acceptare non poſſint, etiam a ſponte dantibus*: reſpondit; *Prohiberi non poſſe*. Hucuſque S. P. Benedictus.

§. XV. *De Pollutione Eccleſiæ*.

Caſus pollutionis Eccleſiæ.

I. Occaſione dictorum, ſciſcitaberis, quibus in caſibus Eccleſia exſecretur, & polluatur? Reſpondeo, primo pollui Eccleſiam per injurioſam humani ſanguinis effuſionem, quæ vox *effuſionem* ſignificat copiam aliquam. Secundo per homicidium injuſtum voluntarium, etiamſi ſanguis non effundatur: requiritur tamen in utroque caſu, quod percuſſio eveniat in Eccleſia; propterea, ſi foris percuſſus, intret Eccleſiam, & ibi aut moriatur, aut plurimum ſanguinis effundat, non polluitur: ſicuti e contra polluitur, ſi intra Eccleſiam percuſſionem, vel vulnus accipiat, & adhuc vivens, aut nondum effundens ſanguinem, egrediatur, & foris ſanguinem fundat, vel moriatur: ita etiam polluitur, quamvis percutiens, vel vulnerans foris exiſtens, lapidem jaciat, & graviter percutiat exiſtentem in Eccleſia. Tertio polluitur per quamvis effuſionem voluntariam humani ſeminis, quæ tamen ſit aliquo modo notoria. Quarto ſi excommunicatus vitandus, non abſolutus, in ea ſepeliatur: unde ſi ſepeliatur hæreticus toleratus, illicite quidem agitur, ſed Eccleſia non polluitur. Quinto, ſi non baptizatus in ea ſepeliatur: aliqui tamen dicunt, non pollui per ſepulturam pueri non baptizati; quamvis conveniant omnes, eſſe peccatum lethale. Cæmeterium pariter polluitur eiſdem modis.

II. Quod ſi dicta crimina patrentur ſuper fornicem externum Eccleſiæ, ſuper tectum, in turri, in cubiculis contiguis, immo etiam juxta plures in Sacriſtia, non polluitur Eccleſia; quia non ſunt loca ſpectantia ad corpus internum Eccleſiæ. Quouſque remanet Eccleſia polluta, etiam Altaria remanent polluta, & etiam Cæmeterium, ſi eidem ſit contiguum, quia hoc eſt eidem acceſſorium; acceſſorium autem non trahit ſecum principale; bene vero e contra. — Nonnullæ difficultates reſolvuntur.

III. Si Eccleſia antea fuerat dumtaxat benedicta, tollitur pollutio per benedictionem aquæ benedictæ factam ab Epiſcopo, vel a Sacerdote de licentia Epiſcopi, aqua ab Epiſcopo benedicta. Si autem antea fuerit conſecrata, indiget nova conſecratione, quæ a ſolo Epiſcopo fieri poteſt, & iſtis modis reconciliari dicitur. — Quomodo tollitur pollutio Eccleſiæ?

IV. Eccleſia etiam quandoque exſecratur abſque culpa alicujus, nimirum quando parietes ejus quoad majorem partem corruunt, vel deſtruuntur, vel eorum interior cruſta aut tota, aut pro majori parte ſimul aufertur; quia conſecratio fit in parietibus, & linitur cruſta eorumdem. Dixi ſimul, quia non deſunt, qui dicunt, quod ſi parietes paulatim & ſucceſſive deſtruantur, & reficiantur, non exſecretur: ita in capite *ligneis* de conſecrat. Eccleſia. Nota quod, exſecrata Eccleſia, non execrantur altaria; quemadmodum neque quando exſecrantur altaria, puta quia integre corruunt, exſecratur Eccleſia; unde altaribus iterum conſecrandis, non item eſt Eccleſia conſecranda, & viciſſim. Hæc omnia depromuntur ex variis juribus apud Auctores, Sylveſtrum, Suarez, Sanchez, Sylvium, Bonacinam, & alios. — Alii caſus reſolvuntur.

§. XVI. *Appendicula de Altari Privilegiato.*

QUæres 1., Utrum tempus, v. gr. Septennium, in Privilegio conceſſum incipiat a die gratiæ, Romæ conceſſæ, an a die publicationis factæ per Ordinarium? Quidquid dicant plures Doctores, qui ſcripſerunt ante ſequentem reſponſionem. Reſpondet Sac. Congregatio præpoſita Indulgentiis & Reliquiis die 18. Maii 1711.: v. gr. *Septennium incipere, non a die publicationis, ſed a die datæ Brevis; & facta relatione Sanctiſſimo Domino noſtro, per me Secretarium die 20. ejuſdem menſis, Sanctitas ſua Congregationis ſententiam approbavit. J. M. Cardin. Gabrielius Præfectus. Raphael Coſmus de Hieronymis Secretarius. Romæ typis Cameræ Apoſtolicæ* 1711.

Quæres 2., Quomodo ſit intelligenda clauſula Brevis; *Dummodo in dicta Eccleſia quotidie tot Miſſæ celebrentur?* Reſpondet Sacra Congregatio Concilii die 30. Julii 1701., de mandato Sanctiſſimi ad ſequentia dubia: primo: *An abſentibus Religioſis, ex cauſa prædicationis, tempore Quadrageſimæ, & Adventus; vel quando occaſione feſtivitatum, vel funerum, aut ſimilium, a Superioribus ad celebrandum alibi mittuntur; indulgentiæ conceſſæ cum certo numero Miſſarum, qui ob dictas cauſas adimpleri non poteſt, prorſus ceſſent? vel pro eo tempore, quo dictus numerus Miſſarum non fuit adimpletus, ſint ſuſpenſæ? vel potius remaneant in ſuo robore?*

Ad primum, quoad primam partem pro tempore Adventus, & Quadrageſimæ, remanere ſuſpenſas; non autem in reliquis, dummodo raro contingat.

Secundo, An idem ſit ſtatuendum, deficiente prædicto numero Miſſarum ob infirmitatem Sacerdotum tam Regularium, quam Sæcularium?

Ad ſecundum, remanere ſuſpenſas.

Tertio, an pariter idem ſit ſtatuendum, deficiente prædicto numero Miſſarum ob abſentiam ab Eccleſiis ſæcularibus Canonicorum, & Sacerdotum per aliquot dies, & Menſes?

Ad tertium, proviſum in primo: id eſt remanere ſuſpenſas.

Quæres 3., An ſub ſuſpenſione generali indulgentiarum, quæ fit anno Jubilæi, comprehendantur Altaria privilegiata? Sac. Congregatio ſuper Indulgentiis die 24. Januarii 1700. reſpondit *negative*.

Quæres 4., An ut Miſſa privilegiata valeat, neceſſario debeat eſſe de Requiem? Reſpondetur, quod, quando poteſt celebrari, debet eſſe de Requiem; quando vero, juxta rubricas, non poteſt celebrari, valet Miſſa de Sancto, de Dominica, ac ſi eſſet de requiem: ita ex definitione Innocentii XI. die 4. Maii 1688. in ſua Conſtit. incipiente *Alias* &c.; & ex aliis declarationibus: atque id eſt verum, nedum pro Privilegio quotidiano; verum etiam pro privilegio non quotidiano.

Quæres 5. qualiter peccet Sacerdos, qui tenetur celebrare in Altari privilegiato, & advertenter celebrare in eodem omittit? Reſpondeo cum mihi probabiliori Bonacinæ Diſput. 4. de Sacram. Quæſt. ultim. Punct. 7. §. 4. n. 4. in fine, ipſum peccare mortaliter, & teneri ad compenſationem. Ratio primæ partis eſt, quia, ut patet, in re gravi decipit proximum. Ratio ſecundæ partis eſt, quia certe proximo damnum intulit voluntarie: igitur ſi damnum compenſabile ſit, debebit compenſari: at quomodo? Saltem applicando Animæ defuncti Indulgentias plenarias pro defunctis conceſſas, devotione majori, qua poterit, ut adæquet, quantum fieri poteſt, valorem indulgentiæ, quæ confertur per celebrationem Sacrificii. Vide in Bonacina Auctores hanc tenentes; quam a fortiori tenere compelluntur Azorius, Graffius, & Riccius; qui docent, Sacerdotem non celebrantem in Altari, quamvis non privilegiato, præfinito tamen a Fundatore, ſi ſæpius hoc faciat, & peccare mortaliter, & teneri ad aliquam compenſationem: vide Bonacinam ibidem.

Quæres 6., An ſi deſtruatur Altare privilegiatum, ceſſet privilegium? Reſp. Si deſtruatur paulatim, & ſimul paulatim reficiatur, & ſemper perſeveret eadem dedicatio, ſeu denominatio, v. gr. Crucifixi, Annunciationis, Sancti Vincentii &c., non ceſſat Privilegium; quia formaliter remanet ſemper idem Altare, ſi vero ita deſtruatur, ut totum ſimul corruat, puta ex impetuoſa concuſſione terræmotus, vel ex ictu fulminis, ipſum totum comminuentis, aut in cinerem redigentis; tunc, cum nullo modo remaneat Altare idem, ſed novum a fundamentis neceſſe ſit erigere, ceſsabit quoque privilegium: vide Paſqualigum de Sacrificio Miſsæ tom. 1. quæſt. 761. afferentem Auctores.

Quæres 7., At ſi transferatur Altare

de

Digitized by Google

de loco in locum, interveniente legitima auctoritate, ceſſet privilegium? Reſp. Non ceſſare privilegium, ſi Indulgentia fuerit conceſſa in reverentiam illius myſterii, aut Sancti; & transferatur Altare ſub eadem nomenclatione; quia adhuc eſt idem Altare, quod non mutat mutatio loci: Si autem mutetur nomenclatio, ita ut quod prius dicebatur v. g. Altare Crucifixi, dicatur S. Stephani, & revera mutetur tabula picta Crucifixi in tabulam pictam S. Stephani, tunc ceſſat Privilegium: quia in eo conceditur indulgentia Altari Crucifixi, quod quamvis quoad lapides, columnas &c., materialiter ſit idem; neutiquam formaliter; ſed diverſum. Neque ceſſat, ſi Imagini, quia præ vetuſtate eſt fere tota corroſa, alia ſubſtituatur ejuſdem ſimilitudinis.

Sanctiſſimus Dominus N. Clemens Papa XIII., prævio voto S. Congregationis Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpoſitæ, indulſit *die* 19. *Maii* 1759. omnibus Eccleſiis Parochialibus Orbis Chriſtiani Altare privilegiatum quotidianum ad ſeptennium, quo expleto, Sanctitas ſua præcipit omnibus Epiſcopis, Abbatibus; & Sede vacante, Vicariis Capitularibus pro unaquaque ſuarum Diœceſium Parœcia pro confirmatione ejuſdem Privilegii ad ſeptennium. Idque fieri jubet ſub uno tantum Brevi, atque vult hoc unicum Breve ſuffragari omnibus uniuſcujuſque Diœceſis Eccleſiis Parochialibus. Ne autem Parochi expenſis graventur, vetat omnibus tum Epiſcoporum; cum Abbatum Officialibus, ſub pœna nullitatis præfati Privilegii, ne quicquam penitus exigant a Parochis, ſive pro ipſis certiorandis, ſive in expediendis litteris pro deſignatione Altaris privilegiati in eorum Parœciis.

Idem Sanctiſſimus Dominus Noſter Clemens P. XIII., ut patet ex Decreto ejuſdem S. Congregationis dato *die* 19. *Maii* 1761., ex paterna ſua charitate erga omnes Fideles tam vivos, quam defunctos, Animabus eorum, qui ex hac mortali vita in gratia, & charitate Dei, nondum tamen omnibus mundanis ſordibus expiatis, deceſſerunt, de inexhauſto Catholicæ Eccleſiæ theſauro abundantius ſuffragari quam maxime cupiens, ut celerius e Purgatorii pœnis liberatæ ad æternam gloriam per Dei miſericordiam pervenire valeant, de conſilio VV. S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, ſacriſque Reliquiis præpoſitorum univerſali Decreto perpetuis futuris temporibus valituro benigne concedit, ut Miſſa die Commemorationis Defunctorum a quocumque Sacerdote ſæculari, vel cujuslibet Ordinis, & inſtituti Regularis celebranda gaudeat Privilegio, ac ſi eſſet in Altari Privilegiato celebrata, decernendo tamen, ut nonniſi conſuetam eleemoſinam unuſquiſque Sacerdos pro dicta Miſſa licet Privilegiata accipiat, & in ea tantum quantitate, quæ a Synodalibus Conſtitutionibus, ſeu a Loci conſuetudine regulariter præfinita fuerit.

CAPUT IV.

DE

SACRAMENTO

PŒNITENTIÆ.

§. I. *De Notione, & neceſſitate Sacramenti Pœnitentiæ.*

I. POEnitentiæ nomine ſignificatur primo virtus quædam, quæ eſt pars potentialis Juſtitiæ: cum enim Juſtitiæ officium ſit, reddere æquale ex debito ſtricte accepto, propterea illæ virtutes, quæ vel æquale reddere non poſſunt, ob exceſſum debiti; vel quod debent, non debent ex debito ſtricte accepto; dicuntur, non ſpecies proprie Juſtitiæ, ſed partes potentiales ejuſdem, quia deflectunt ab objecto Juſtitiæ, vel ob ipſius inæquabilitatem, vel ob defectum debiti ſtricte ſumpti: ita Gratitudo eſt pars potentialis Juſtitiæ, quia debitum ex gratitudine non eſt debitum ſtricte ſumptum: Ita Pietas erga genitores eſt pars potentialis Juſtitiæ, ob debitum inæquabile, cum genitoribus nunquam reddi poſſit quantum ab eis acceptum fuit. Similiter Pœnitentia, cum reſpiciat ſatisfactionem Deo offerendam, propter injurias eidem irrogatas; & cum nunquam poſſit homo reddere æquale, idcirco inter partes potentiales Juſtitiæ recenſetur. Et hinc deducas: Pœnitentiam eſſe virtutem, qua principaliter deteſtamur peccata, & dolemus toto corde de ipſis, cum propoſito non amplius illa perpetrandi, & animo ſatisfaciendi Deo offenſo, dolenter, & humiliter veniam petendo, atque conſequenter congruis ſatiſ-

Pœnitentiæ virtutis notio.

Digitized by Google

factionibus utendo, ad peccata commiſſa, pro modulo noſtro, expianda.

Notio Sacramenti pœnitentiæ.

II. Iſti actus virtutis pœnitentiæ, nempe deteſtatio, & dolor de peccatis cum animo non amplius illa perpetrandi, aſſumpti fuerunt a Chriſto, ad inſtituendum per eoſdem in nova lege Sacramentum Pœnitentiæ, eoſdemque deſtinavit, ut infra videbimus, tamquam partem materialem, ſeu materiam ejuſdem Sacramenti: unde dici conſuevit, quod Confeſſio doloroſa ſit pars materialis proxima hujus Sacramenti, cum pars formalis ſit abſolutio Sacerdotalis. Pœnitentiæ igitur Sacramentum ita definiri poteſt: Pœnitentia eſt Sacramentum a Chriſto inſtitutum, ad remittenda peccata poſt Baptiſmum commiſſa, per actus a pœnitente elicitos, & per abſolutionem Sacerdotis.

Quando inſtitutum?

III. Hoc Sacramentum fuit a Chriſto inſtitutum poſt Reſurrectionem, quando Joan. 20. Apoſtolis apparens: *Inſufflavit, & dixit: accipite Spiritum Sanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*: quibus verbis contulit ipſis, & ſucceſſoribus legitime approbatis facultatem remittendi peccata; & quidem mediantibus actibus pœnitentis, nempe deteſtatione, & dolore peccatorum, & confeſſione eorumdem, eo modo quo fieri poteſt. Si enim contulit poteſtatem remittendi, & retinendi peccata, quomodo Sacerdos id prudenter facere poteſt; niſi peccata commiſſa eidem exponantur? quomodo judicare poterit, quænam ſint remittenda, quænam retinenda, niſi ſingula eidem ſignificentur? & quidem ſignificentur dolenter, & ſincero animo ab iis deinceps abſtinendi: alioquin eſſet hiſtorica, & illuſoria narratio.

Illius neceſſitas Adultis.

IV. Sacramentum itaque Pœnitentiæ adultis, poſt Baptiſmum mortaliter peccantibus, eſt neceſſarium in re, quando fieri poteſt confeſſio; in voto autem, ſeu efficaci deſiderio ejuſdem in perfecta contritione contento, quando confeſſio fieri nequit, & eſt neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem aſſequendam. Ita Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 2. ubi hujus Sacramenti neceſſitatem pro adultis peccatoribus coæquat neceſſitati Baptiſmi pro nondum baptizatis, ut vidimus alibi.

§. II. *De Materia Sacramenti Pœnitentiæ.*

Materia remota neceſſaria Sacramenti pœnitentiæ.

I. MAteria remota Sacramenti Pœnitentiæ ſunt peccata poſt Baptiſmum commiſſa, quæ ſi ſint mortalia certa, aut dubia, erunt materia neceſſaria, nempe neceſſario a pœnitente exponenda; cum hoc Sacramentum inſtitutum fuerit ad juſtificandum peccatorem; ſola namque mortalia privant animam juſtitia, ſeu gratia habituali, & ſanctificante; idcirco autem dixi poſt Baptiſmum commiſſa, quia adulto digne Baptiſmum ſuſcipienti remittuntur per Baptiſmum. Dixi mortalia etiam dubia; nam cum ſub dubio privent gratia, etiam ipſa ſunt ſub dubio exponenda, ut iterum dicetur in §. 4. num. 3. Si enim omitterentur, exponeretur Sacramentum periculo nullitatis. Tum denique quia, ex Concilio Tridentino, tenetur ad omnia lethalia peccator exponenda, *quorum conſcientiam habet*; ſunt autem in conſcientia ut dubia: ut talia igitur erunt exponenda; & ideo Concilium excipit ſola venialia.

Materia remota ſufficiens.

II. Peccata autem venialia ſunt materia remota ſufficiens, videlicet quæ ſufficit, ut ſit materia opportuna Sacramento: ita idem Concil. ſeſſ. 14. c. 5. *Venialia, quamquam recte, & utiliter, citraque omnem præſumptionem in Confeſſione dicantur, quod piorum hominum uſus demonſtrat, taceri tamen citra culpam, multiſque aliis remediis expiari poſſunt*.

☞ Etiam quævis peccata jam remiſſa per abſolutionem ſunt ſemper materia ſufficiens hujus Sacramenti. Quippe peccata jam remiſſa poſſunt eſſe materia contritionis, & confeſſionis, atque valent adhuc remitti remiſſione, quæ priorem confirmet per novam gratiam; & Chriſtus remittendi poteſtatem non reſtrinxit ad unum actum remiſſionis, propter majorem utilitatem animarum. Hinc Benedictus XI. in Extravag. de Privil. eadem peccata iterato confiteri ſalubre eſse aſserit. Lege P. Paulum Gabrielem Antoine *Tract. de Pœnit. Cap.* 1. *art.* 2. *q.* 15.

Materia proxima pœnitentiæ.

III. Materia proxima hujus Sacramenti ſunt actus pœnitentis, nempe contritio, confeſſio, & ſatisfactio: ita laudatum Concilium ſeſſ. 14. Canone 4. *Si quis negaverit ad integram, & perfectam peccatorum remiſſionem, requiri tres actus in pœnitente, quaſi materiam Sacramenti pœnitentiæ, videlicet contritionem, confeſ-*

ſio-

Digitized by Google

ſionem, & ſatisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur, anathema ſit. Dicuntur autem *quaſi* materia, non quia non ſint revera, & proprie ejuſdem Sacramenti materia, ſed quia ſunt actus, qui non permanent, ſed tranſeunt, ad differentiam materiarum aliorum Sacramentorum, quæ ſunt quid permanens, ut Aqua in Baptiſmo, Chriſma in Confirmatione &c. Satisfactio autem opere præſtita eſt quædam pars, at non eſſentialis, ſed dumtaxat integralis, ſeu integrans Sacramentum, per Confeſſionem, & Abſolutionem jam quoad eſſentiam conſtitutum: & idcirco Concilium in cap. 3. ejuſdem ſeſſ. dicit, illos actus *requiri ad integritatem* Sacramenti. Sunt autem materia proxima, quia applicant, & ſubjiciunt clavibus materiam remotam; & etiam quia ex ipſis actibus contritionis, & confeſſionis, tanquam ex partibus componentibus, addita abſolutione, aſſurgit hoc Sacramentum. Neque obeſt, quod contritio ex ſe non ſit ſenſibilis; cum poſſit etiam ſola mente, & animo elici. Reſpondetur enim, quod redditur ſufficienter ſenſibilis per humilem confeſſionem.

§. III. *De Contritione, prima materiæ hujus Sacramenti parte.*

Quid & quotuplex contritio?

I. Contritio generatim accepta *eſt animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero*: ita ad literam Concilium ſeſſ. 14. cap. 4. Dividitur in Perfectam, & in Imperfectam: Perfecta, quæ propriiſſime Contritio vocatur, eſt dolor ac deteſtatio peccatorum propter Deum ſuper omnia dilectum, ob ſuam infinitam bonitatem, & amabilitatem. Imperfecta, quæ vocitatur Attritio, eſt dolor, & deteſtatio peccatorum ob aliquod aliud motivum ſupernaturali fide cognitum; puta ob amiſſam Dei gratiam, ob perditum Paradiſum, ob turpitudinem peccatorum, quatenus deturpant animam, illamque conſtituunt Deo odioſam, & coram ipſo deformem, (quod in re eſt idem cum amiſſione gratiæ); ob incurſum periculum damnationis æternæ.

Conditio prima a dolore, ſeu contritione requiſita.

II. Ut autem dolor, ſeu contritio generatim ſit ad Sacramentum pœnitentiæ ſufficiens, requiritur primo, quod ſit formalis, nempe quod ſit actus ſinceræ diſplicentiæ de peccatis commiſſis, ut vere pœniteat peccatorem illa perpetraſſe: unde non ſufficit ad Sacramentum dolor virtualis, qui eſt actus amoris Dei ſuper omnia; quia, quamvis vere elicitus habeat vim juſtificandi; non tamen eſt illa diſpoſitio requiſita a Sacramento, quod idcirco Pœnitentiæ nuncupatur; quia pars quæ a peccatore confertur, debet eſſe actus virtutis pœnitentiæ: inter actus autem virtutis pœnitentiæ præcipuus eſt dolor; ſeu diſplicentia vera de peccatis commiſſis.

Secunda conditio a dolore requiſita.

III. Secunda conditio ab hoc dolore requiſita eſt, quod ſit interior, ideſt corde, & animo vere conceptus, nempe mente, & voluntate; mente quidem concipiendo gravitatem offenſæ Divinæ, ejuſdemque injuſtitiam; voluntate autem ſerio deteſtando, & abominando peccata, mente, & corde habendo illa ceu mala ſuper omnia alia mala, Divinamque bonitatem anteponendo cuicumque alteri bono; ex quibus conſurgat in animo dicta deteſtatio, & diſplicentia peccatorum. Neque eſt neceſſe, quod hic dolor ſit ſenſibilis, ideſt ſentiatur in appetitu ſenſitivo, (qui eſt optimus, quando etiam ſenſibiliter ſentitur) ſed ſufficit, quod ſit appretiative talis, nempe odiendo offenſam Dei ſupra quodvis malum, & æſtimando Divinam bonitatem ſupra quodvis bonum; ita ut paratus ſit quodvis malum pati, & omni bono privari, potius quam lethale peccatum committere.

Tertia conditio a dolore requiſita.

IV. Tertia conditio eſt, quod ſit dolor ſupernaturalis ex auxilio Divinæ gratiæ profluens, & ideo optimum eſt, illud a Deo petere, dum pœnitens ſe præparare vult ad Confeſſionem; de fide enim eſt ex Concilio Trid. ſeſſ. 6. canone 3. *Hominem pœnitere non poſſe, ſicuti oportet ... abſque ſpiritus Sancti præveniente inſpiratione.* Idcirco Innoc. XI. reprobavit theſim 57. in qua dicebatur: *Probabile eſt, ſufficere attritionem naturalem, modo honeſtam.*

Quarta conditio requiſita.

V. Quarta conditio eſt, quod ſit univerſalis, nempe quod dolor comprehendat omnia peccata mortalia commiſſa, etiam quorum pœnitens non recordatur, aut quæ ignorat. Deus namque non concedit veniam dimidiatam: & propterea dolor concipiendus eſt ex motivo excludente omnia lethalia, quæ motiva paulo ante indicata ſunt.

Quinta & ſexta conditio.

VI. Quinta conditio eſt, quod ſit dolor efficax, & abſolutus, ideſt excludens affectum ad quodvis mortale, & ad omnes occaſiones proximas ejuſdem, quæ jam in ſe ſunt peccata lethalia. Immo etiam ad occaſiones propinquas non neceſſarias, in quibus homo conſtitutus, quamvis non

Digitized by Google

plerumque, ſicut in occaſionibus proximis, tamen pluries lapſus eſt in mortale. Dixi, quod debet eſſe abſolutus, videlicet non pendens ab aliqua conditione; ita ut quavis poſita conditione, nunquam ſit peccandum lethaliter. Et hinc patet ſexta conditio, nempe quod debeat habere adnexum propoſitum firmum, ac ſtabile non amplius, Deo dante, peccandi in poſterum mortaliter. Hoc autem propoſitum regulariter debet eſſe explicitum, & formale, ita docente Concilio Trident.: *Cum propoſito non peccandi de cætero*. Dixi regulariter, ut declararem, quod ſi dumtaxat ex inadvertentia omittatur, tunc cenſetur implicite contentum in dolore; idcirco nunquam debet advertenter omitti: Si quis autem illud advertenter omitteret, merito ſuſpecta eſſet habenda Confeſſio illa, quia ſuſpectus redderetur etiam dolor: qua enim ratione, ſciens a Concilio juberi propoſitum una cum dolore, & propoſitum menti occurrat eliciendum, non vult illud elicere, & ſe non conformare doctrinæ Concilii in re tanti momenti? nonne id indicat animum male affectum, & voluntatem non ſatis firmam abſtinendi de cætero a peccatis?

Septima conditio. VII. Septima conditio eſt, quod eliciatur dolor *cum ſpe veniæ*, ut loquitur Concilium ſeſſ. 14. cap. 4. qui actus ſpei, quamvis laudabiliſſimum ſit, ut formaliter eliciatur, non videtur tamen neceſſarium; eo quia ſit imbibitus in ipſo modo ſe gerendi pœnitentis, qui profecto ad confeſſionem non accederet, niſi ſperaret a Deo ſibi veniam impertiendam.

Dolor &c. præmittendus eſt ſaltem abſolutioni. VIII. Dolor cum propoſito &c. præmittendus eſt neceſſario ſaltem abſolutioni; quia abſolutio applicari non poteſt niſi confeſſioni doloroſæ, quæ eſt pars materialis proxima Sacramenti, cujus pars formalis eſt abſolutio, ut ſuo loco dicetur: confeſſio autem ſine dolore ſaltem præmiſſo abſolutioni, non eſt confeſſio doloroſa, ſed narratio hiſtorica, immo confeſſio ſacrilega, ut omnes affirmant. Dixi ſaltem abſolutioni præmittendum dolorem, quia rationabilius, & tutius eſt, ipſum præmittere confeſſioni, ut revera ſit confeſſio doloroſa. Tum etiam quia confitens exponitur periculo illum omittendi ante abſolutionem, vel ex oblivione, vel ex difficultate illum eliciendi, vel ex nimia celeritate Sacerdotis in proferenda abſolutione: & profecto dolorem illum eo breviſſimo intervallo, ſicut oportet, elicere, quo Sacerdos formulam abſolutionis recitat, eſt valde contingens homini præſertim inſueto: idcirco ſi forte pœnitens illum non elicuerit ante confeſſionem; facta confeſſione, moneat confeſſarium, ut modicum expectet, quouſque actus doloris, & propoſiti eliciat; quo facto, dicat ſummatim: me accuſo iterum de omnibus expoſitis. Sed jam animadvertis, hæc eſſe importuna; & propterea, cum agatur de valore Sacramenti, & tutior ſit opinio eligenda, poſt factum examen conſcientiæ, de quo inferius, elice tuum dolorem cum propoſito; & deinde confitere.

Toties renovandus dolor, quoties eſt renovanda Abſolutio. IX. Toties renovandus eſt dolor, quoties eſt renovanda abſolutio; quia quamvis multi doceant oppoſitum, puta in caſu, quo paulo poſt acceptam abſolutionem, recurrat memoriæ aliud peccatum lethale; nihilominus cum alii doceant, renovandum eſſe dolorem, & agatur de valore Sacramenti, hæc opinio erit tenenda, utpote tutior, & innixa gravi fundamento, poſito in eo, quod, renovata abſolutione novum ſit Sacramentum; atqui novum Sacramentum requirere videtur novam partem nedum formalem, verum etiam materialem ipſum componentem; igitur renovandus erit dolor.

Non requiritur Contritio perfecta, ſed ſufficit Attritio. X. Non eſt neceſſarius dolor contritionis perfectæ, a perfecta charitate promotus; quia cum hoc Sacramentum, ut loquitur Concilium Trident. ſeſſ. 14. Can. 1., *ſit inſtitutum a Chriſto pro fidelibus Deo reconciliandis*, ſi exigeret tanquam diſpoſitionem neceſſariam contritionem hanc perfectam, exigeret fideles jam Deo reconciliatos; ex contritione namque perfecta oritur juſtificatio, ut a fide docemur; quamvis autem non ſit neceſſaria, laudabiliter tamen eſt procuranda; quia in nova Lege contritio iſta non juſtificat, niſi per ordinem ad Sacramentum, & includendo votum ejuſdem. Sufficiet igitur Attritio, at non ex ſolo, & mero metu pœnarum concepta, ſed quæ etiam ex aliqua Dei dilectione, & charitate procedat, quæque Deum cæteris omnibus præferat, ita ut dolor de peccatis, ſit etiam in quantum peccata ſunt offenſæ Dei ſumme diligibilis; quæ, Dei dilectio requiſita indicatur a Concilio ſeſſ. 6. cap. 6., ubi loquens de diſpoſitionibus requiſitis in adultis baptizandis, dicit inter cætera: *Illumque* (Deum) *tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt*; & *propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt per eam pœ-*

ni-

Digitized by Google

nitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet: eadem autem eſt ratio de juſtificandis per Baptiſmum, ac per Pœnitentiam, ut quemlibet ſemitheologum non latet: atque clarius in Canone 3. ejuſdem ſeſſionis, ubi, recenſendo diſpoſitiones ad juſtificandum hominem requiſitas, definit: *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit*: in quo Canone inter diſpoſitiones ad juſtificationem requiſitas clariſſime Concilium *dilectionem* connumerat: & quemadmodum fidem, ſpem, pœnitentiam requiri, nemini datur locus ambigendi, ita etiam dilectionem, ſimul cum illis recenſitam: atqui nedum juſtificatur adultus per Baptiſmum, verum etiam per Sacramentum Pœnitentiæ; ſi igitur ex Concilio ad obtinendam juſtificationis gratiam recenſetur *dilectio*; etiam ad Sacramentum Pœnitentiæ poſtulabitur. Si autem optas videre hanc veritatem ab imis fundamentis ex Concilii mente demonſtratam, legas *Tractatum de Doctrina Concilii Tridentini circa dilectionem in Sacramento Pœnitentiæ requiſitam*, compoſitum Latino idiomate a ſummo illo Viro, Illuſtriſs. & Reverendiſs. Jacobo Benigno Boſſueto Epiſcopo Meldenſi, Pariſiis impreſſum, deinde Gallice redditum, ibidemque impreſſum, tandem in Italicum idioma translatum, & Venetiis impreſſum, typis Thomæ Bettinelli hoc anno 1751. in quo etiam rationabiliter idem Boſſuetus docet, hanc ſententiam eſſe in praxi dubio procul tenendam, præcipue poſt damnatam ab Innocentio XI. theſim. 1., qua tradebatur, licitum eſſe, in conferendis Sacramentis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore &c. atqui hic agitur de valore Sacramenti, cum agatur de parte eſſentiali ejuſdem, nempe de materia proxima; igitur hæc erit opinio tenenda, quæ nedum eſt tutior, verum etiam longe probabilior, utpote menti Concilii longe conformior. Ut autem plura omittam, a te in laudato Tractatu legenda, ne tædeat audire unum dumtaxat ex theologicis fundamentis. Videtur verificari non poſſe, quod anima adulti, ſit proxime ad gratiam, & juſtificationem diſpoſita, quin aliquo modo ſit ad Deum converſa; cum enim per lethale peccatum a Deo avertatur, & per gratiam ſanctificantem ad ipſum complete convertatur, profecto diſpoſitio proxima ad hanc converſionem completam, videtur quod inchoare debeat ab aliqua converſione imperfecta, & incompleta; & proinde ab aliquo amore erga Deum offenſum: atqui Attritio ex ſolo pœnarum metu concepta, nullique amori erga Deum aſſociata, nullam includit converſionem ad Deum; quod ſic probo: metus, ex ſui notione, nil aliud eſt, quam affectio animi reſilientis a malo quod timetur, neque aliam includit affectionem, aut converſionem ad bonum aliud, niſi ad proprium, ſuumque commodum: unde timens gehennam, fugit a culpa, ex terminis loquendo, non propter culpam, ſed propter pœnam; fugiens autem a pœna propter ipſam pœnam, convertitur implicite ad illud bonum, quod opponitur pœnæ, quod bonum immediate non aliud eſt, quam commodum proprium: igitur Attritio ex ſolo pœnarum metu concepta, ſecluſo omni Dei dilectionis actu, nullam includit converſionem ad Deum, bene vero ad propriam utilitatem; ergo non eſt proxima diſpoſitio ad juſtificationem & converſionem ad Deum completam, & perfectam, niſi alicui Dei dilectioni aſſocietur. Abſtineo a referendis objectionibus, revera debilibus, penituſque exſufflatis in laudato Tractatu, in cujus etiam ſecunda parte, eamdem fuiſſe perpetuo mentem S. Thomæ perſcipies.

* S. P. Benedictus XIV. *de Synod. Diœc. lib. 7. cap.* 13. hanc ad examen vocat difficultatem, & poſtquam oſtendit, nil circa ipſam fuiſſe a Synodo Tridentina expreſſe ſancitum, ita concludit *num.* 9. Cum itaque verſemur in quæſtione ab Eccleſia hactenus non definita, jure ac merito Alexander VII. die 5. Maii 1667. ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, Sedi Apoſtolicæ reſervatæ, præcepit *cunctis & ſingulis Fidelibus ... ut, ſi deinceps de Materia Attritionis ſcribent, vel libros, aut ſcripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo pœnitentes, aut ſcholares, ceteroſve erudient, non audeant alicujus theologicæ cenſuræ, alteriuſve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alteram ſententiam, ſive negantem neceſſitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata Attritione, ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholaſticos communior videtur, ſive aſſerentem dictæ dilectionis neceſſitatem, donec ab hac ſancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum.* Caveant proinde Epiſcopi,

pi, ne in ſuis Synodis, aut in inſtructione Sacerdotum, quam Synodis quandoque attexunt, aliquid decernant, aut de Attritionis mere ſervilis ad Sacramentum Pœnitentiæ ſufficientia, aut de amoris ſaltem initialis neceſſitate. Adhuc quippe ſub Judice lis eſt: adhuc impune pro una, & altera ſententia dimicatur. Paucis antea annis Cardinalis Gottus Theol. tom. 3. in 3. part. D. Thomæ, *q. 4. de contrit. dub.* 4. §. 1. ſententiam propugnavit non requirentem in pœnitente amorem Dei, ne initialem quidem, ad juſtificationis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ aſſequendam. Hac ipſa in Urbe, opera, & cura P. Caroli Jacobi Romili, Ordinis Minorum Conventualium Generalis Miniſtri, typis recuſum eſt Opus Claudii Fraſſen inſcriptum *Scotus Academicus*; cujus Auctor *tom.* 10. *pag.* 363. ſtrenue defendit, Attritionem ex ſolo metu pœnarum, & gehennæ, atque ex amore concupiſcentiæ, ſeu affectu ſpei, conceptam, modo ſupernaturalis ſit, omnemque excludat voluntatem peccandi, eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad Sacramenti pœnitentiæ fructum in ſe derivandum. Contra vero Cardinalis Denhoff, Epiſcopus Cæſenatenſis, *In ſua Inſtructione Paſtorali de Pœnit. Sacram. pag.* 33. aliqualem amorem in Attritione requirit, ut ſit Sacramenti pœnitentiæ materia. Franciſcus Maria Campioni anno 1698. doctam elucubravit Diſſertationem Theologico-Scholaſticam, in qua totis viribus conatus eſt demonſtrare neceſſitatem aliqualis amoris Dei, ſaltem imperfecti & initialis, ad impetrandam gratiam in Sacramentis, quæ dicuntur *Mortuorum*. Et P. Lambertus le Drou, Epiſc. Porphyrienſis, Apoſtolici Sacrarii Præfectus, cum per Urbem evulgatam vidiſſet Diſſertationem, a Bartholomæo Rivio, ejuſdem ſui Auguſtiniani Inſtituti Theologo, exaratam, in qua Auctor decertat pro ſufficientia Attritionis, omnis charitatis expertis, ad valide, & cum fructu recipienda Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ, eidem ſtatim contradictorem ſe præbuit, aliis editis Diſſertationibus, S. M. Clementis XI. nuncupatis, & nullum non adhibuit argumentum, quod aptum putaverit ad prædictam opinionem refellendam; contendens Attritionem mere ſervilem, ne a Sacramento quidem vires ſortiri, quibus valeat hominem proxime diſponere ad Dei gratiam vel primo obtinendam, vel amiſſam recuperandam. Hinc recte intulit Bertii Theolog. *tom. 7. lib. 34. cap. 5.* nihil hactenus a Sede Apoſtolica de hac quæſtione deciſum, ſed libertatem cuique datam, ex præfatis opinionibus eam eligendi, & docendi, quam maluerit.

Sed non ideo, ſubjungit idem S. P. n. 10., prohibentur Epiſcopi Confeſſarios monere, ut pœnitentes ad veram, & perfectam contritionem hortentur, & excitent, id ſiquidem faciendum ſuadent, etiam præcipui Auctores, qui pro ſufficientia doloris, ex ſolo metu gehennæ, ſteterunt, uti Suarez, Gamachæus, Comitolus. Et quod magis eſt, ita fieri præcipit Rituale Romanum, juſſu Pauli V. editum *tit.* 18. Confeſſario injungens, ut audita Pœnitentis ſacramentali Confeſſione, ejuſque peccatis diligenter expenſis, *opportunas correptiones, ac monitiones, prout opus eſſe viderit, paterna charitate adhibeat, & ad dolorem, & contritionem efficacibus verbis adducere conetur*, cui conſonat Rituale Argentinenſe, editum a Cardinali de Rohan *tit. de Pœnit.* §. 1. ubi hæc habentur: *Cæterum pœnitentes ſuos admonere non ceſſent Confeſſarii, ne ſe putent ſecuros in Sacramenti Pœnitentiæ perceptione, ſi præter fidei & ſpei actus, non incipiant diligere Deum, tamquam omnis juſtitiæ fontem, ut loquitur Sacroſancta Synodus Tridentina.*

Dolor, & propoſitum requiruntur etiam in confeſſione venialium.

XI. Requiruntur dolor, & propoſitum etiam in confeſſione dumtaxat venialium; ita ut ſaltem de uno, aut aliquibus pœnitens ſerio doleat, & firmiter proponat, ſe illa non amplius perpetrare; quia poſito, quod debeat fieri Sacramentum, requiruntur neceſſaria ad valorem ejuſdem; aliter fieret ſacrilegium. Monendum duco, & ſuadendum ſaluberrimum conſilium, quod ſi pœnitens non habeat niſi venialia in confeſſione exponenda, confiteatur etiam aliquod mortale ex vita anteacta, & etiam eidem applicet actum doloris, firmumque propoſitum, explicando, ſe jam de eodem fuiſſe alias confeſſum. Cum enim ſincerum dolorem, ſtabileque propoſitum circa venialia elicere, non ſit adeo facile, propterea addendo materiam gravem, & in quam relapſus, reſpectu talis pœnitentis, ſit aut rarus, aut nullus; certior redditur valor confeſſionis, magiſque removetur confeſſio a periculo ſacrilegii, ob defectum ſinceri doloris, & firmi propoſiti.

Extra omnem dubitationis aleam verſa-

Digitized by Google

ſatur quoad aſſerit Auctor, videlicet, quod etiam in confeſſione ſolummodo venialium formalis, & efficax requiratur dolor, verumque emendationis propoſitum, adeo ut ſaltem de uno venialium, quæ pœnitens confeſſurus accedit, is legitimum teneatur dolorem concipere, firmumque verum propoſitum illud evitandi. Quare dubio procul lethali ſeſe ſacrilegii peccato obſtringeret, qui ſola venialia, ſine ullo dolore, atque emendationis propoſito culpabiliter confiteretur.

Dixi de induſtria, *culpabiliter*: Neque enim reus mortalis criminis cenſendus foret qui bona fide, ſed falſo, contritum ſe exiſtimans, venialia confiteretur. Quippe ſi in tali caſu juſtus lethaliter delinqueret, maxime quia debitam Sacramento materiam ſubtraheret, & defectu eſſentialis materiæ irritum redderetur Sacramentum. Ob hoc autem affirmari nequit, ipſum gravis piaculi fontem fieri; ſiquidem qui ex diſtractione tantillum culpabili aquam loco vini in calicem funderet, nullum faceret Sacramentum; nec tamen mortalis noxæ reatum incurreret: ergo nec in caſu noſtro mortifere peccaret qui bona fide, ſed falſo, exiſtimans ſe contritum, venialia confiteretur. Legeſis Petrum Colet *Tract. de Pœnit. Part.* 2. *cap.* 4. qui pluribus aliis argumentis hoc idem adſtruit, atque confirmat.

Cæterum, *ſubdit ipſe*, inſtanter monendi ſunt qui ſæpius ſola venialia confitentur, ut nuſquam ad Sacramentum accedant, quin contritionis donum a Deo fuerint deprecati oratione fervida, ſenſuum mortificatione, eleemoſinis, aliiſque pietatis operibus, & depoſito pro viribus affectu eorum, quæ ſibi ſunt frequentioris lapſus occaſio, expreſſos contritionis actus elicuerint. Vereri enim eſt, ne qui vix ullam ſibi vim inferunt, determinata voluntate adhæreant peccatis, quæ confitentur, adeoque ut minimum tepide vivendo tremendam illam comminationem in ſe acceſſant: *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Duo igitur præſtet ſagax Director: erigat animos, ne ſcrupulo, vel deſperatione concidant, territet, ne mentem invadat ſocordia. Interim ne pœnitens ſatis forte non doleat de venialibus, in quæ frequenter labitur, curet grave anteactæ vitæ peccatum, generaliter tamen, ut plurimum, confiteri; ſed ita ut illud vere & ex animo deteſtetur. Sic quidem præcitatus Theologus.

* Ex iis, quæ *ſupra* §. 2. *poſt num.* 2. adjecimus, facile quiſque valet colligere veniale peccatum præteritæ vitæ jam emendatum, de quo poſſit exiſtimari, quod etiam nunc qui confitetur verum dolorem concipiat, ſatis eſſe ad abſolutionem ipſi impertiendam, ſi de novo illud clavibus ſubiiciat. Aſſeruimus quippe, quævis peccata remiſſa per abſolutionem eſſe materiam ſufficientem hujus Sacramenti. Legatur P. Thomas Du Jardin O. P. *de Officio Sacerdotis qua Judicis part.* 1. *ſect.* 5. §. *unic.* ubi plura habet ſcitu neceſſaria de abſolutione venialium, ac tandem caute monet, quod hoc inconveniens ſtudioſe vitari debet, ne ex additione alicujus peccati præteritæ vitæ, ut loquimur, occaſionem accipiat pœnitens, minus deteſtandi venialia ab ultima confeſſione commiſſa, eorumque emendationem negligendi.

XII. Debet præterea dolor cum propoſito referri ad confeſſionem; ideſt elici animo confitendi; eo quod quælibet pars reſpectum aliquem habere debeat ad ſuam compartem, ut ex eiſdem totum morale aſſurgat. Si enim dolor elicitus careat hoc reſpectu, non poteſt vere dici actus Sacramentalis, neque pars materialis Sacramenti. Putarem autem, ſalvo meliori judicio, quod ſufficiat, ſi hic reſpectus addatur etiam poſt dolorem elicitum: puta, ſi quis, abſque ullo animo confeſſionis faciendæ, mane, examinata conſcientia, eliciat actum doloris cum propoſito; & poſt aliquot horas, dolore non interrupto per aliquod novum peccatum, habita opportunitate confitendi, memor doloris ante eliciti, illum referat ad confeſſionem, quam modo facere vult; ſufficere puto. Debet dolor referri ad confeſſionem.

Contritio ſemel concepta in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ haud dubie retractatur per ſubſequens perpetratum mortale peccatum, adeout amplius deſervire nequeat pro proxima ejuſdem Sacramenti materia. Ratio evidens eſt. Quandoquidem per mortale peccatum retractatur & peccati deteſtatio, & quæ veræ contritioni annexa eſt voluntas in poſterum non peccandi. Per ſubſequens autem aliquod veniale non retractatur contritio de aliis ſive venialibus, ſive lethalibus. Quippe cum legitima de lethalibus, aut venialibus plurimis contritione conſiſtere valet affectus ad aliquod veniale, ut palam eſt in juſtis. Quare contritio elicita de uno, vel pluribus venialibus ſaltem habitualiter permanet, quandiu revocata non fuerit per lapſum in

eadem

eadem peccata. Monent tamen nonnulli, etiam in hoc caſu pro majori ſecuritate alium eliciendum eſſe doloris actum circa mortalia, aut reſumpto univerſali motivo innovandum priorem actum circa omnia.

Tenetur peccator non diu differre, poſt peccatum commiſſum, actum contritionis elicere.

XIII. An autem peccator in mortali exiſtens teneatur ad non differendum ſaltem diu actum contritionis perfectæ, ita ut peccet mortaliter, ſi notabiliter ipſum differat; varia eſt Auctorum ſententia. Probabilior mihi ſemper viſa fuit, & menti S. Thomæ omnino conformis opinio, quam tenent Guillelmus Pariſienſis, Alexander Hallenſis, Paludanus, Thomas de Argentina, Abulenſis, Major, Marſilius, Cajetanus, Victoria, Petrus de Soto, Sylveſter relati a P. Suarez tom. 4. in 3. partem Divi Thomæ diſp. 15. ſect. 5. n. 1. & 2., nempe quod, abſque novo peccato mortali, non poſſit diu differre ſaltem actum contritionis; quibuſdam eorum addentibus ad id teneri, etiam ſtatim poſt peccatum perpetratum. Eam docere videtur S. Thom. in quæſt. 3. Supplem. art. 5. *Cum* (ait) *propoſitum confitendi ſit annexum contritioni, tunc tenetur aliquis ad propoſitum, quando ad contritionem tenetur, ſcilicet quando peccata memoriæ occurrunt.* Item 2. 2. q. 62. art. 8., ubi quærit: *Utrum quis teneatur ſtatim reſtituere, an vero poſſit reſtitutionem differre?* & reſpondet: *Sicut accipere rem alienam, eſt peccatum contra juſtitiam, ita etiam detinere eam, . . . quia facit ei injuriam: manifeſtum eſt autem, quod nec per modicum tempus liceat in peccato morari, ſed quilibet tenetur ſtatim deſerere . . . . . & ideo tenetur ſtatim reſtituere.* Neque valet quorumdam reſponſio, S. Doctorem loqui de peccato actuali: tum quia peccatum actuale plerumque cito tranſit, neque diu durat, ſicut durat peccatum habituale, ſeu peccati macula, ab eodem relicta, hominem conſtituens in ſtatu peccati: tum etiam, quia illa reſponſio concordari non poteſt, ratiocinio S. Doctoris, loquentis, non de furto actuali, quod jam pertranſiit, ſed de ſtatu furis, qui homini relinquitur ex illo actu, & in quo perſeverare vult, ſicuti ſtatus peccati relinquitur ex peccato præterito: & quemadmodum retinens alienum deliberate, dum reſtituere poteſt, ſecundum omnes peccat novo actuali peccato; ita potens deſerere ſtatum peccati, & deliberate illud deſerere nolens, juxta S. D. peccat novo peccato novi virtualis affectus ad peccatum lethale; novique virtualiter voliti periculi ſuæ æternæ ſalutis. Sanctus quoque Antoninus eandem clariſſime docet, aſſeritque, talem eſſe mentem etiam S. Thomæ, ſcribens 3. p. tit. 14. c. 18. §. 2.: *Quantum ad peccata mortalia, de quibus nondum quis habuit contritionem, videtur quod ſemper teneatur, quando peccatum menti occurrit, ad actu odiendum, & deteſtandum peccatum: alias peccat mortaliter peccato omiſſionis, quouſque conteratur. Dicit enim D. Thomas, Petrus de Palude, Bonaventura, & Durandus, quod poſt mortale peccatum, etſi non teneatur quis ad ſtatim confitendum, tenetur tamen ex neceſſitate ad ſtatim conterendum; nec enim per momentum licet ſtare in peccato, ... imminet enim tali maximum periculum; cum enim nulla neceſſitas excuſet a contritione, ſi moriatur ante contritionem, etiamſi non poterit conteri, quia ſubito moritur, nihilominus damnatur; quod non ſic eſt de confeſſione.* Quam doctrinam ſanctiſſimi, & doctiſſimi Archiepiſcopi ita explicare, & aliquantulum emollire audeo; quod tunc peccator toties peccet mortaliter, quoties ſentit conſcientiæ remorſum de offenſa Deo irrogata, & de periculo damnationis, cui ſe cognoſcit expoſitum, & ſe exinde vocari ad Confeſſionem, vel ſaltem ad contritionem, & ipſe non curat implere id, quod ſibi Deus, media conſcientia, ſuadet. Rationem primam indicavit S. Antoninus, nempe ex motivo charitatis ſibimet ipſi debitæ; ne diu perſeveret in periculo damnationis æternæ, ob repentinam mortem, quæ mille modis poteſt ipſi evenire. Ratio ſecunda ex eo erui poteſt, quod novam gravem injuriam irrogat Divinæ Majeſtati, illum miſericorditer invitanti, & vocanti, ut reſipiſcat. Quis enim non judicaret, gravem injuriam irrogari Principi injuſte offenſo, ſi offendenti pacem offerat, illumque invitet ad conciliationem; & ipſe ingratus invitantem non curet, & in inimicitia ſua perdurare eligat?

Confirmatur aſſertio ratione efficaciſſima S. Thomæ.

XIV. Ratio demum tertia eſt, & quidem inconcuſſa, quam affert S. Thomas prima ſecundæ quæſt. 109. art. 8., in quo oſtendit, peccatorem averſum a Deo per peccatum lethale, non poſſe diu conſiſtere, quin incidat in aliquod aliud peccatum mortale, quod ita egregie, & profunde demonſtrat. *Antequam hominis ratio, in qua eſt peccatum mortale, reparetur*

Digitized by Google

retur per gratiam juſtificantem, poteſt ſingula peccata mortalia vitare, & ſecundum aliquod tempus, quia non eſt neceſſe, quod continuo peccet in actu; ſed quod diu maneat abſque peccato mortali, eſſe non poteſt: unde & Gregorius dicit ſuper Ezechielem, quod peccatum, quod mox per pœnitentiam non deletur, ſuo pondere ad aliud trahit: & hujus ratio eſt, quia ſicut rationi ſubdi debet inferior appetitus, ita etiam ratio ſubdi debet Deo, & in ipſo conſtituere finem ſuæ voluntatis: per finem autem oportet quod regulentur omnes actus humani, ſicut per rationis judicium regulari debent motus inferioris appetitus. Sicut ergo inferiori appetitu non totaliter ſubdito rationi, non poteſt eſſe, quin contingant inordinati motus in appetitu ſenſitivo; ita etiam ratione hominis non totaliter exiſtente ſubjecta Deo, conſequens eſt, ut contingant multæ inordinationes in ipſis actibus rationis. Cum enim homo non habet cor ſuum firmatum in Deo, ut pro nullo bono conſequendo, vel malo vitando ab eo ſeparari vellet; occurrunt multa, propter quæ conſequenda, vel vitanda homo recedit a Deo, contemnendo præcepta ipſius, & ita peccat mortaliter; præcipue, quia in repentinis homo operatur ſecundum finem præconceptum, & ſecundum habitum præexiſtentem, quamvis ex præmeditatione rationis homo poſſit aliquid agere, præter ordinem finis præconcepti, & præter inclinationem habitus: ſed quia homo non ſemper poteſt eſſe in tali præmeditatione, non poteſt contingere, ut diu permaneat, quin operetur ſecundum conſequentiam voluntatis deordinatæ a Deo, niſi cito per gratiam ad debitum ordinem reparetur. Si igitur ex graviſſima S. Thomæ auctoritate, & hac firmiſſima ejus ratione, non poteſt homo in ſtatu lethali conſiſtens diu ſtare, quin incidat in aliquod aliud mortale; & alioquin teneatur homo, ſub lethali, fugere occaſionem illam, in qua certus moraliter eſt, ſe lapſurum in mortale; cum certus moraliter ſit, ſe lapſurum in aliquod mortale, ſi diu differat ſe juſtificare ſaltem per contritionem; tenebitur, ſub mortali, illam elicere, ſaltem primo ac advertit ad ſtatum ſuum culpæ lethalis.

✠ Quænam autem dilatio contritionis poſt lethale admiſſum notabilis cenſeri debeat, ut ſufficiat ad mortale, non una eſt omnium ſententia. Ex morali judicio id æſtimandum eſſe opportunitate, periculis, tentationibus aliiſque circumſtantiis inſpectis jure meritoque, ut nobis quidem videtur, ſentit Suarez *Part. 2. de Sacram. diſp. 15. ſect. 6. in fin.* Auctoris autem opinio eſt, ut patet, quod peccator teneatur ſub mortali actum contritionis elicere, ſaltem primo ac advertit ad ſtatum ſuum culpæ lethalis.

§. IV. *De Confeſſione.*

I. Certum eſt, apud omnes, confeſſioni, quæ abſque repentino neceſſitatis caſu fieri conſuevit, præmittendum eſſe examen conſcientiæ, non qualecumque, ſed quale præſcribitur a Concilio Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. quod illud vocat: *Diligentem ſui diſcuſſionem*; quæ verba explicat Catechiſmus p. 2. de Sacram. Pœnit. n. 47. dicendo: *in confeſſione, ſumma illa cura, & diligentia adhibenda eſt, quam in rebus graviſſimis ponere ſolemus.* Debet igitur examen conſcientiæ correſpondere ætati, qualitati, miniſteriis, & ſtatui pœnitentis, & præcipue tempori ab ultima confeſſione evoluto; itaut quilibet eam diligentiam adhibeat, quam coram Deo adhiberet in negotio magni momenti. Hoc autem examen ideo prærequiritur, ne confeſſio culpabiliter deficiat quoad integritatem ſuam. Quod ut melius percipias. **Confeſſioni præmittendum examen.**

II. Nota, duplicem diſtingui confeſſionis integritatem, Formalem videlicet, & Materialem: Formalis in eo conſiſtit, quod a pœnitente ea exponantur mortalia, quæ moraliter invenire potuit, attentis circumſtantiis, in quibus verſatur. Materialis autem in eo eſt poſita, quod omnia reapſe mortalia ab eo perpetrata, nullo prætermiſſo, accuſentur. Ad valorem Sacramenti ſufficit Formalis. Et hinc jam animadvertis neceſſitatem examinis diligentis præmittendi; qua enim ratione dici poſſet, formaliter confeſſionem facere illum, qui vel nulla, vel reſpective modica, & brevi ſui diſcuſſione præmiſſa, ad confeſſionem accederet? quæ ideo non accuſavit, quia conſcientiam per diligens examen non exploravit: & exinde loco confeſſionis Sacramentalis, ſacrilegium novum committit: quamobrem Concilium in canone ſtatim referendo, vocat hoc examen *debitam, & diligentem præmeditationem.* **Duplex integritas confeſſionis.**

III. Tenetur primo peccator confiteri *omnia, & ſingula peccata mortalia, quorum memoria, cum debita, & diligenti præ-* **Quid tenetur confiteri?**

præmeditatione habeatur, etiam occulta, & circumſtantias, quæ ſpeciem mutant. Ita Concilium Trid. ſeſſ. 14. canone 7. Habes ergo definitum, teneri pœnitentem fateri omnia lethalia tam externa, quam interna, necnon circumſtantias ſpeciem mutantes, nempe, quæ addunt peccato novam ſpeciem, (alibi explicatam in tract. 2. cap. 1. §. 3.) & numerum peccatorum lethalium in ſua ſpecie. Præterea tenetur confiteri peccata mortalia dubia, ut indicavimus in §. 2. nu. 1. rationem addit S. D. 3. p. q. 84. art. 4. ad. 5. *Quando aliquis dubitat de aliquo peccato, an ſit mortale, tenetur illud confiteri, dubitatione manente, . . . quia periculo ſecommittit, qui de hoc, quod dubitat eſſe mortale, negligit confiteri.* Immo ſi poſtquam confeſſus fuit peccatum dubium ut tale, comperiat fuiſſe certum, tenetur iterum illud, ut certum confiteri, ut docet communior etiam inter probabiliſtas, & ratio fundatur primo in verbis Concilii, jubentis peccata confitenda, ***quorum conſcientiam habet***; valde autem eſt diverſa conſcientia peccati dubii, & conſcientia peccati certi. Secundo, ob notabiliter diverſum judicium, quod facit judex de reo certo, & de reo dubio. Tertio, quia etiam in foro laico valde diverſo modo punitur crimen dubium, & certum.

Reſolvitur objectio.

IV. Si objicias: qui confitetur numerum peccatorum, & dicit, blaſphemavi circiter decies, ſi poſtea comperiat fuiſſe undecies, non tenetur iterum dicere fuiſſe undecies; cum tamen undecimam blaſphemiam ſub dubio confeſſus fuerit; ergo a pari, neque qui peccatum ut dubium confeſſus fuit, ſi deinde certum comperiat, non tenebitur. Non me fugit, communem eſſe reſponſionem, quod qui circiter decies dixit, complexus eſt etiam undecimam, & judex credere poterit, fuiſſe etiam undecies. At, ſalva Doctorum ita reſpondentium reverentia, reſponſio hæc videtur in ſolis verbis conſiſtere, quin aſſignetur vera diſparitas: nam poſſumus dicere etiam peccatum dubium, potuiſſe a Confeſſario credi ut certum; vel e contra, quod etiam illa undecima non debuerit judicari, ut certa, ſed dumtaxat, ut dubia. Reſponſio itaque magis conſequens, & cohærens doctrinæ eſt, quod ſi quis dixit decies plus, minuſve, aut circiter, ſi deinde comperiat, fuiſſe certo undecies; teneatur undecimam, ut certam fateri, cum profecto utrobique ſit eadem ratio.

Peccata oblita.

V. Tenetur inſuper fateri peccata lethalia in anterioribus confeſſionibus oblita, ſi poſtea menti recurrant, ut patet; cum debeat omnia mortalia fateri, juxta Concilium: proinde Alexander VII. reprobavit theſim 11., quæ dicebat: *Peccata in confeſſione omiſſa, ſive oblita ob inſtans vitæ periculum, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti confeſſione exponere.* Tenetur item fateri conſuetudinem peccandi, præcipue ſi de eadem interrogetur a Confeſſario: ita definiente Innoc. XI. reprobando theſim 58., quæ oppoſitum docebat. *Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem.* Dixi præcipue ſi interrogetur; quia etiam quando non interrogatur, neque confeſſarius poteſt illam animadvertere, debet pœnitens illam aperire confeſſario: puta ſi habens conſuetudinem blaſphemandi, vel alterius gravis peccati, confiteatur hodie novo confeſſario de blaſphemia bis prolata, cum ſoleat frequentare confeſſiones v. g. ſemel in hebdomada, & ſæpius confeſſarium novum adeundo ſemper habeat plures lapſus voluntarios in blaſphemias; hic proculdubio reus eſt conſuetudinis, quam cum animadvertere forte nequeat confeſſarius, qui diligens, & attentus non ſit; tenetur pœnitens illam aperire; quia, ut vidimus, & videbimus, incapax eſt abſolutionis, donec emendetur.

Quid circa circumſtantias aggravantes?

VI. Circa circumſtantias intra eamdem ſpeciem notabiliter aggravantes diſcordant auctores; probabilior docet, eas eſſe neceſſario confitendas; pro qua opinione Doctiſſimus Sylvius, quamvis probabiliſta, affert ſuper quæſt. 9. Supplementi art. 2. quæſito 1. num. 4. Hallenſem, Altiſiodorenſem, Majorem, Cajetanum, ambos Sotos, Victoriam, Bannez, Suarez, Sanchez, Henriquez, Fernandez, Lopez, Rodriquez, Fagundez, Faventinum, Tannerum, Filliucium, Petrum de Ledeſma, & alios, cum quibus ſunt probabilioriſtæ omnes. Nota, nomine circumſtantiarum notabiliter aggravantium intra eamdem ſpeciem, intelligi illud augmentum, quod intra eamdem ſpeciem multiplicat virtualiter gravitatem mortalem; exemplum obvium eſt in furto; puta, furantis decem, & furantis mille, & circa hanc circumſtantiam univerſi ſcriptores conveniunt; quam, ut diſtinguant ab aliis, quas negant confitendas, multa dicunt, quæ revera bene perpenſa, aut nihil concludunt, aut concludere debent etiam pro aliis aggravan-

Digitized by Google

vantibus. Fundamentum præcipuum opinionis, quam ſuſtinemus, nempe eas eſſe confitendas, deducitur ex modo loquendi Synodi Tridentinæ ſeſſ. 14. cap. 5., ubi loquens de circumſtantiis ſpeciem mutantibus, ſubminiſtrat fundamentum etiam pro aggravantibus notabiliter, dum ait: *Quod ſine illis peccata ipſa, neque a pœnitentibus integre exponantur, neque judicibus innoteſcant, & fieri nequeat,* (nota bene) *ut de gravitate criminum recte cenſere poſſint, & pœnam, quam oportet, pro illis imponere:* atqui hæc ratio concludit etiam pro notabiliter aggravantibus; nam quis dicat, æquali judicio cenſendum eſſe, & æquali pœna puniendum peccatum furti centum, & decem millium? odium unius diei, & unius anni? delectationem moroſam unius quadrantis, & plurium horarum? Si igitur dictis motivis convincitur neceſſitas confeſſionis circumſtantiarum ſpeciem mutantium, ſimiliter concluditur neceſſitas confeſſionis etiam notabiliter aggravantium. Hoc idem clarius docere videtur Catechiſmus part. 2. cap. 5. num. 47. *Neque vero ſolum peccata gravia narrando explicare oportet, verum etiam illa, quæ unumquodque peccatum circumſtant, & pravitatem valde augent, vel minuunt.* Profecto videtur Catechiſmus loqui de aggravantibus; quandoquidem addere novam ſpeciem non eſt proprie loquendo augere dumtaxat gravitatem, ſed novam ſpeciem diſtinctam addere; tum etiam, quia minuere, contingit intra eamdem ſpeciem, ac proinde etiam augere: tum denique, quia Catechiſmus copulat illa *peccata gravia, quæ unumquodque grave peccatum circumſtant,* quibus verbis forte denotat mutantes ſpeciem; deinde copulat notabiliter aggravantes; ſi enim de eiſdem mutantibus ſpeciem loqui intenderet, dixiſſet *aut pravitatem*, & non *& pravitatem*, qua copulatione ſignificat ſe loqui de augentibus tantum, non de ſpeciem mutantibus: & ideo concludit: *quæ vero pravitatem rei magnopere non augent, ſine crimine omitti poſſint:* ergo loquitur de augentibus intra ſpeciem, & de minuentibus intra ſpeciem.

Quid de mente S. Thomæ?

VII. Doctores adverſantes objiciunt auctoritatem S. Thomæ, qui in primo ſuo theologico opere, commentario videlicet in libros Sententiarum docet oppoſitum; quod nos fatemur; aliter tamen ſcripturum aſſerimus, ſi poſt Tridentinam Synodum ſcripſiſſet. Immo conjicitur ex opuſculo 12. q. 6. quaſdam ſaltem aggravantes eſſe confitendas, dum judicat neceſſario exponendum gradum conſanguinitatis in inceſtu, puta ſi cum ſorore; cum alioquin certum ſit, inceſtum eſſe unius tantum ſpeciei: Si igitur neceſſariam ducit confeſſionem gradus conſanguinitatis, vel affinitatis in peccato inceſtus, cum hic gradus ad circumſtantias mere aggravantes ſpectet; etiam aliquas ſaltem ex illis cenſuit confitendas.

D. Thomas *in* 4. *Sent. diſt.* 16. *qu.* 3. *art.* 2. agens de circumſtantiis, quæ notabiliter peccatum intra eamdem ſpeciem aggravant, hæc profert: *Quidam enim dicunt, quod omnes circumſtantiæ, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, confiteri neceſſitatis eſt, ſi memoriæ occurrant. Alii vero dicunt, quod non ſint de neceſſitate confitendæ, niſi circumſtantiæ quæ ad aliud genus peccati trahunt. Et hoc probabilius eſt.* His verbis S. D. docuiſſe non eſſe neceſſario in confeſſione exprimendas circumſtantias peccatum notabiliter intra eandem ſpeciem aggravantes, cenſent plures, & præſertim P. P. Salmanticenſes non ſolum Morales, ſed & Scholaſtici. Hoc idem & Auctor fatetur *num. præced.* Verum id aperte inficiantur alii, & præcipue P. Daniel Concina tum *Theol. Chriſt. Tom.* 9. *lib.* 1. *Diſſert.* 4. *cap.* 6., tum *in eadem Theolog. contracta Tom.* 2. *lib.* 11. *Diſſert.* 2. *cap.* 4. Quæ habet poſtremo loco dumtaxat exſcribimus, brevitati conſulentes. „ Verum, *inquit*, „ ſi integra doctrina ſpectetur Angelici Do„ ctoris non video, unde de ejuſdem pa„ trocinio hac in cauſa gloriari Salmanti„ cenſes valeant. Sic enim continuo per„ ſequitur S. Thomas: *Sed addendum eſt* „ *quæ ad aliam ſpeciem mortalis tra„ hunt ..... Cujus ratio eſt* (N. B.), *quod* „ *venialia non ſunt de neceſſitate confeſ„ ſionis, ſed ſolum mortalia, quæ quan„ titatem infinitam quodammodo habent;* „ *& quia circumſtantiæ, quæ aliam ſpe„ ciem peccato non tribuunt, vel quæ tri„ buunt quidem, ſed non mortalis pecca„ ti, non ſunt de neceſſitate confeſſionis. Ita* „ *tamen eadem confiteri perfectionis eſt* „ *ſicut & de venialibus dictum eſt.* Tri„ plicem malitiam adiicere circumſtantiæ „ poſſunt. 1. quæ mutat ſpeciem. 2. quæ „ auget malitiam intra confinia *peccati ve„ nialis.* 3. quæ mortaliter malitiam ad-

„ au-

Digitized by Google

„ auget. S. Thomas in allato teſtimonio do-
„ cet circumſtantias quæ aut non mutant
„ ſpeciem, aut non augent *mortaliter* ma-
„ litiam, non eſſe neceſſario confitendas.
„ Si enim augent ſolum *venialiter*, & in-
„ tra limites peccati venialis etiam nota-
„ biliter, earum confeſſio non eſt neceſſa-
„ ria. Nam unum peccatum veniale gra-
„ vius eſt altero, ut patet in furto unius
„ *oboli*, & unius *Julii*. Hæ circumſtantiæ
„ non ſunt neceſſario confitendæ, inquit
„ Angelicus. Quid enim produnt hæc ver-
„ ba, quæ univerſam articuli doctrinam
„ regunt? *Cujus ratio eſt, quia venialia*
„ *non ſunt de neceſſitate confeſſionis, ſed*
„ *ſolum mortalia, quæ quantitatem infi-*
„ *nitam quodammodo habent*. Clamant op-
„ poſitores, S. Thomam expreſſe agere de
„ circumſtantiis, *quæ aliquam quantita-*
„ *tem addunt*. Verum habet, id ſub arti-
„ culi initium docere Angelicum; ſed hæc
„ verba, quæ ambiguitatem præferunt,
„ nam S. Thomas loquatur de notabili quan-
„ titate veniali, aut mortali, continuo in
„ decurſu articuli exponit idem S. D., in-
„ telligenda eſſe de notabili quantitate ve-
„ niali. *Ratio eſt, quia venialia non ſunt*
„ *de neceſſitate confeſſionis*. Cedo, Datur
„ ne unum peccatum veniale *notabiliter*
„ gravius altero? Adfirmant omnes. Quo
„ ergo auſu hanc notabilem quantitatem
„ vi ſumma detorques ad mortale, cum
„ perſpicue afferat ſe loqui de additione
„ notabili veniali? *Ratio eſt, quia venia-*
„ *lia &c.* Sed ut ora adverſariorum pe-
„ nitus obſtruantur, ſub oculos revocanda
„ ſunt hæc alia Angelici verba. *Circum-*
„ *ſtantiæ aggravantes, quæ aliam ſpeciem*
„ *peccato non tribuunt, vel quæ tribuunt*
„ *quidem, ſed non peccati mortalis, non*
„ *ſunt de neceſſitate confeſſionis. Cujus*
„ *ratio eſt, quia venialia confiteri non*
„ *aſtringimur*. Adeo decretoria, adeo pe-
„ remptoria hæc ſunt, ut nullum argu-
„ randi, & cavillandi locum relinquant. „
Si plura cupis conſule *Tom. 9. loc. cit.* Lege etiam Magiſtrum Joannem a S. Thoma *in 1. 2. q. 18. diſp. 10. art. 3. n. 21. & ſeqq.* ubi difficultatem hanc fuſo calamo verſat, ac S. Thomæ mentem egregie in propatulo ponit.

Circumſtantiæ minuentes quando confitendæ?

VIII. Ex dictis habes, circumſtantias minuentes non eſſe neceſſario confitendas; dummodo taliter non minuant, ut de lethali transferant ad veniale, qualis eſſet, in re gravi, ſemiplena advertentia &c., tunc enim ſunt neceſſario exponendæ, ne contingat in Sacramentali foro gravis deceptio; eſſet enim mendacium ſacrilege perniciosum.

Complex criminis an, & quando revelandus?

IX. Certum eſt apud omnes, quod quando pœnitens poteſt moraliter alium adire confeſſarium, cui non ſit nota perſona complicis, ad id tenetur; ſi enim proximi fama nunquam eſt injuſte lædenda, tunc vel præcipue, dum quis ad Sacramentum accedit, veniam peccatorum obtenturus: quando autem alterum moraliter adire non poteſt, tunc ſi ad breve tempus poſſit differre, ut habeat confeſſarium, cui complex ſit ignotus, tenetur differre, & interim ſibi conſulat per actum contritionis. Si autem diu differre debeat; aut urgeat præceptum confeſſionis, vel communionis, tunc probabilius eſt, poſſe, & teneri integrare confeſſionem, revelando complicem, qui neceſſario revelandus eſt. Ita S. Thomas, S. Bonaventura, S. Bernardinus, S. Antoninus, Hallenſis, Gerſonius, Suarez, Vaſquez, & alii. *Homo in Confeſſione debet famam alterius cuſtodire, quantum poteſt, ſed ſuam conſcientiam magis purgare debet; & ideo ſi circumſtantia, quæ ducit in cognitionem perſonæ, ſit de neceſſitate confeſſionis, ſecundum regulam datam, tunc debet confiteri occultando perſonam quantum poteſt*, ait S. Thomas in 4. diſt. 16. quæſt. 3. art. 2. q. 5. ad 5., & adhuc clarius in opuſculo 12. qu. 6. *Si poteſt ſpeciem confiteri, non innoteſcendo perſonam, cum qua peccavit, peccat eam exprimendo, . . . ſi vero ſpeciem peccati exprimere non poſſit, niſi exprimendo perſonam, cum qua peccavit; puta ſi cum ſorore concubuit, neceſſe eſt, ut exprimendo peccati ſpeciem, exprimat perſonam; ſed ſi fieri poteſt, debet quærere talem confeſſarium, qui perſonam ſororis penitus non cognoſcat*. Ratio multiplex; quia integritas confeſſionis eſt bonum Sacramenti, quod, in caſu, præferri debet bono naturali, & civili perſonæ alioquin nocentis, & quæ prævidere debebat ex circumſtantiis, hoc malum ſibi eventurum. Item, quia integritas confeſſionis jubetur a Chriſto, ut monet Tridentinum ſeſſ. 14. c. 5.; juſſio autem Chriſti eſt anteferenda damno civili perſonæ nocentis. Item, quia tale damnum, in concurſu jacturæ ſacramenti eſt damnum modicum; eſt enim diffamatio apud unum tantum, ſub inviolabili, & perpetuo ſilentio. Tandem, ut pœni-

Digitized by Google

pœnitens inſtrui poſſit, quomodo ſe cuſtodire debeat impoſterum.

Cauſæ excuſantes ab integritate confeſſionis

X. Varii ſunt caſus excuſantes ab integritate materiali confeſſionis: primus oblivio inculpabilis alicujus peccati lethalis. Secundus, ſi mutus nequeat omnia peccata geſtu ſignificare, & ſcribere neſciat. Tertius, ſi pœnitenti immineat mors, antequam integre confiteatur; dicturus omnia, ſi ſupervixerit. Quartus, quando imminente naufragio, vel inſtante prælio, & pugna, non vacat omnium confeſſiones audire; ſufficiet ut ſinguli aliqua peccata dicant, & abſolvantur, vel ſi neque id fieri vacet, ſufficiet confeſſio in genere, dicendo ſe peccaſſe, dolendo, proponendo; & etiam collective abſolvi poſſunt, forma numero plurali prolata; *Abſolvo vos a cenſuris, & peccatis veſtris, in nomine Patris &c.*; confeſſuri deinde, ſi evaſerint. Quintus, qui carentes Confeſſario callente idioma, non alium habere poſſunt, quam aliqua peccata intelligere valentem; dicant quæ poteſt ille capere, in caſu tamen neceſſitatis, vel præcepti urgentis; integre deinde alteri intelligenti confeſſuri. Sextus, ſi Sacerdos aliquis confiteri teneatur, & nequeat exponere peccatum aliquod, quin frangat ſigillum confeſſionis, neque alium confeſſarium habere poſſit, debet peccatum illud omittere, alio tempore exponendum. Septimus, ſi integra confeſſio certo moraliter allatura ſit grave detrimentum infirmo, perículoſo morbo laboranti, tunc prudenti œconomia utatur confeſſarius, principaliora aliqua audiendo, cætera reſervando tempori opportuniori, ſi a Deo concedetur; & interea abſolutionem det, ne morbus malignus mentem occupet, aut in delirium abripiat, & non confeſſus obeat. Octavus, ſi infirmus laboret modo peſtilenti, & a longe audiri non poſſit, propter neceſſario adſtantes, puta ſi ſint duo, vel tres infirmi in eodem cubiculo, & de proximo audiri nequeat, ſine manifeſto vitæ Confeſſarii periculo: tunc uno, vel altero peccato audito, poterit abſolvi, remittendo integram confeſſionem in aliud tempus, ſi a Deo concedetur. Nonus, ſi, dum non poteſt haberi aliud Confeſſarius, & ſit confitendi neceſſitas, prudenter timeatur, Confeſſarium, qui adeſt, aut violaturum ſigillum, aut ſumpturum occaſionem peccandi, aut grave damnum allaturum proximo, poterit omitti peccatum illud, & poſtea alii Confeſsario exponi. Neutiquam tamen licet dimidiare confeſſionem occaſione magni concurſus pœnitentium, cum id damnaverit Innoc. XI. in theſi 59., in qua dicebatur: *Licet Sacramentaliter abſolvere dimidiate tantum confeſſos, ratione magni concurſus pœnitentium, qualis v.g. poteſt contingere in die magnæ alicujus feſtivitatis, vel indulgentiæ.*

Quid dicendum de pœnitente habente etiam reſervata?

XI. Caſus ſpecialis eſt, an pœnitens habens reſervata, poſſit dimidiare confeſſionem, confitendo Confeſſario carenti facultate in reſervata, peccata non reſervata, quæ deinde confiteatur habenti facultatem ſuper reſervatis? Certum eſt, id, regulariter loquendo, non licere; eſſet namque dimidiare confeſſionem mortalium; quod eſt illicitum: At dices: quid ergo agere debet qui eſt in neceſſitate celebrandi, aut communicandi, ita ut non poſſit omittere celebrationem, aut communionem abſque infamia, aut gravi ſcandalo; & non poteſt habere confeſſarium gaudentem facultate ſuper reſervatis? Circa hoc in prima editione diximus, quod ſi certus ſit, ſe non habere confeſſarium auctoritate donatum, ſe gerere debeat, ac ſi non haberet copiam confeſſarii; ac proinde, poſt invocatum divinæ gratiæ auxilium, conetur elicere actum contritionis perfectæ, & ita celebret, aut communicet: deinde quamprimum poteſt, ſi ſit Sacerdos, confeſſarium idoneum requirat, & confiteatur; cum ad id Sacerdos teneatur ex gravi præcepto Tridentini: & etiam laicus idem laudabiliter aget. Hanc doctrinam moderatus ſum in ſecunda editione, ob nonnulla verba Sancti Thomæ, ibidem allata. Verum cum deinde perpenderim Decretum Clementis VIII., in quo jubetur ut in nullo caſu abſolvat a caſibus reſervatis, qui caret tali facultate; *In nullo caſu etiam neceſſitatis, vel impedimenti, niſi in articulo mortis*, idque vetetur ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Papæ reſervatæ, ſi quis abſolvat; propterea corrigo in hac tertia editione, quod emendaveram in ſecunda; & confirmo, ſtandum eſſe doctrinæ ſupradictæ in prima editione ſcriptæ. Accedit, id, quod aſſerit Illuſtriſſimus & doctiſſimus vir Nicolaus Terzagus Epiſcopus Narnienſis in ſuo opere italico, cui titulus: *Iſtruzione pratica ſopra la fedele amminiſtrazione del Sacramento della penitenza*, editionis Venetæ pag. 343. qui, dum eſſet Romæ, vidit, idem approbari in Sacra Pœnitentiaria; quæ ſuſtinuit, Confeſſarium qui ſine facultate ſuper reſervatis abſolverat pœnitentem, ad evitandum ſcandalum, vel ob aliud motivum, aut impedimenti, aut neceſſitatis; ſuſtinuit, inquam, ipſum incurriſſe in excommunicationem Papæ reſervatam, & ſi celebraſſet, incurriſſe Irregularitatem. Quo præclaro teſtimonio confirmatur validius doctrina data in prima noſtra editione, & exploditur emendatio facta in ſecunda, .

* Relege quæ ad rem hanc habet Auctor ſupra cap. 3. de Euchariſtiæ Sacramento §. 6. n.

6. *num.* 4. quæquæ nos *ibidem* addidimus.

Caſus repetendæ neceſſario confeſſionis.

XII. Caſus, in quibus neceſſe eſt repetere confeſſionem, vel confeſſiones, multi ſunt: Primo, ſi advertenter pœnitens ſiluerit peccatum mortale, quod exponere tenebatur: Secundo, ſi mentitus fuerit in re gravi, puta taliter excuſando grave, ut appareat leve, aut advertenter affirmando grave, quod non commiſit, aut commiſſum negando: Tertio, ſi examen neceſſarium reſpective non præmiſit: niſi diligentia confeſſarii ſuppletum fuerit, & pœnitens de hac omiſſione ante abſolutionem ſe accuſaverit, & doluerit: Quarto, ſi ſaltem ante abſolutionem dolorem neceſſarium non elicuerit: Quinto, ſi animum ſincerum non habuerit exequendi juſſa confeſſarii, puta reſtituendi, ſolvendi debita, deſerendi occaſionem &c.: Sexto, ſi affectum ad aliquod mortale retinuerit: Septimo, ſi inter confitendum aliquod mortale perpetraverit, quin de eodem ſe accuſet; & dolorem neceſſarium renovet; utpote interruptum per illud novum mortale: Octavo, ſi innodatus excommunicatione, advertenter ad Sacramentum acceſſerit; quin prius a cenſura ſolvatur: Nono, ſi conſulto elegerit confeſſarium minus idoneum ad ſua peccata diſcernenda, & ad obligationes peccatis adnexas declarandas, cum magis idoneum habere potuerit. Hi quidem caſus reſpiciunt defectum pœnitentis. Sunt & alii reſpicientes defectum confeſſarii, & primo ſi poſtea noverit pœnitens, confeſſarium non fuiſſe Sacerdotem, aut Sacerdotem non approbatum; aut quamquam eſſet Sacerdos, & approbatus, non tamen eſſet talis pro ipſo pœnitente; puta dum Regularis, abſque Superiorum ſuorum licentia, confitetur extra Religionem ſuam: Secundo, ſi Confeſſarius ipſe non protulerit ſufficienter formam abſolutionis, vel declaraverit ſe non habuiſſe intentionem abſolvendi: Tertio, ſi ſurditate laborans mortalia aliqua ſciatur non intellexiſſe.

Duo notanda circa modo dicta.

XIII. Notandum, quod quando Sacerdos caret juriſdictione, quia fuerit ſuſpenſus a confeſſionibus audiendis; & communi errore creditur facultatem habere, & habeat titulum coloratum, videlicet quia fuerit antea ipſi collatus titulus parochialis, tamen invalide, ob vitium Simoniæ occultum; confeſſiones apud illum bona fide factæ ſunt validæ, quia in his caſibus Eccleſia pia mater ſupplet juriſdictionem, & intendit, quod pro confeſſionibus hujuſmodi juriſdictionem habeat, quouſque pœnitenti innoteſcat illius ſuſpenſio, aut de ea dubitet: tenetur tamen confeſſarius ſub graviſſimo peccato abſtinere a miniſterio. Alterum notandum eſt, has confeſſiones eſſe repetendas a pœnitente, quas fecit mala fide, ideſt cognoſcendo, quod ſacrilege fierent; non vero illas, quas quis fecit, poſtquam omnino oblitus fuit illarum ſacrilegarum, & ſincere doluit de omnibus mortalibus, omniaque dixit, quæ menti occurrerunt, promptus vere coram Deo etiam confeſſiones illas repetere, ſi earum meminiſſet; quia in hoc caſu illæ v.g. decem factæ ſacrilege, modo ſunt peccata invincibiliter oblita: & propterea ſi poſtquam fecit v. g. viginti confeſſiones bona fide, & ſinceras modo explicato, atque cum hac totali oblivione, & poſt has viginti rite factas, recordetur v. g. illarum decem cum mala conſcientia factarum; tenebitur has dumtaxat decem repetere, & non illas viginti; quia in iſtis viginti extitit integritas formalis; eatenus quippe non expoſuit illas decem ſacrilege factas, quatenus omnino invincibiliter illarum oblitus fuit, eaſque expoſuiſſet, ſi ipſi in mentem veniſſent.

Certum eſt atque indubitatum apud Doctores, quibuſdam concurrentibus circumſtantiis, Eccleſiam veræ juriſdictionis ſupplere defectum. Circumſtantiæ autem, quæ ſimul concurrentes requiruntur, tres ſunt. 1. Quod Confeſſarius titulum ſaltem coloratum habeat. 2. Quod adſit error communis moraliter invincibilis. 3. Quod defectus juris ſit Eccleſiaſtici, non Divini. Hinc

Infert. 1. Paulus a Lugduno *Tract. 5. de Sacramentis Diſſert. 4. de Pœnit. cap. 5. q. 1. art. 2. §. 1. quær. 3.* valide abſolvere Sacerdotem, qui Beneficium curatum, aut approbationis expeditionem apparenter legitimam obtinuit; cujuſque tamen collatio, aut delegatio nulla eſt propter impedimentum occultum, vel ex parte conferentis, vel ex parte recipientis, excommunicationem nimirum, ſimoniam &c. Idem dicendum videtur de eo, qui poſt finitum approbationis annum Confeſſiones exciperet, maxime ſi id bona fide, aut inadvertentia faceret. E contra titulum coloratum non habet, qui nullum prorſus a parte rei vel habet, vel habuit, licet putetur habere, aut qui litteras collationis Beneficii aut Approbationis ſibi procudit, aut alium ſe eſſe ſimulat &c. Is proculdubio invalide abſolvit.

Infert. 2. Eccleſiam defectum minime ſupplere, dum duo, vel tres tantummodo defectum ignorant; vel dum ſcientibus ferme omnibus, vel ſaltem dubitantibus, nullus eorum de veritate aperienda curat; tum quia Eccleſia, nonniſi publicum malum intendit avertere; tum quia dubitantes, & non inquirentes non cenſentur decepti, ſed potius ſeipſos velle decipere.

In-

Digitized by Google

Inſert. 3. Eccleſiam non ſupplere, ſi abſolvens nec ſit homo, ſed mulier; nec baptizatus, ſed infidelis; nec Sacerdos, ſed laicus; nec ullam abſolvendi intentionem habeat: uno verbo, ſi jure Divino juriſdictionis ſuſcipiendæ, atque exercendæ ſit incapax.

Confeſſio verbis facienda.

XIV. *Ex inſtitutione Eccleſiæ tenetur homo, qui poteſt, ut verbo confiteatur, non ſolum propter hoc ut ore confitens magis erubeſcat; & quia ore peccavit, ore purgetur: ſed etiam quia ſemper in omnibus Sacramentis accipitur id, cujus eſt communior uſus.. ..unde & in manifeſtatione peccatorum convenit uti verbis, quibus homines communius, & expreſſius ſuos conceptus ſignificare conſueverunt*, ait S. Thom. Quodlibet. 1. q. 6. art. 10. cum communi: niſi igitur neceſſitas aliter fieri poſtulet, puta qui a pœnitens eſt impos ad loquendum; debet ſemper confeſſio fieri verbo: neque eſt in poteſtate confeſſarii circa hoc diſpenſare, cum nequeat agere contra communem Eccleſię inſtitutionem: & qui nollet confiteri verbis, ſed aut ſcriptura, aut nutibus, cum alioquin poſſet verbis, deberet tamquam male diſpoſitus repelli.

In aliquo caſu tenetur homo peccata ſcribere.

XV. Qui contra oblivionem, jam ſæpius expertam, prætermittendi plura mortalia, ſolet peccata ſua ſcripto ſignare, ut poſſit, abſque dicta jactura, voce ſecurius eadem fateri, laudabiliter facit. Immo, ut mihi probabilius cum Vaſquez & aliis nonnullis videtur, tenetur id agere, ſi præfatæ oblivioni obnoxius ſit; cum huic incommodo prævalere debeat præceptum Divinum de integra, quantum fieri poteſt, confeſſione facienda. Neque dicas, ſcripturam ex natura ſua eſſe rem, quæ facile pervulgari valet. Reſpondetur enim, huic periculo ſecure obviam iri, ſi ſcribat literis arbitrariis, italice *in cifra*, ita ut a nemine intelligi queant, niſi a ſcribente ipſo.

Confiteri per interpretem.

XVI. Confiteri per interpretem non eſt vetitum, immo laudabile, quando aliter confeſſio fieri nequeat, ne pœnitens diutius moretur in periculo animæ; cum contritio perfecta hominibus inſuetis non ſit adeo facilis. In articulo mortis conveniunt omnes cadere ſub debito; eo quia leve incommodum eſt revelare peccata etiam alteri homini ſigillo eodem obſtricto, ſi conferatur cum grandi illo negotio, æternam ſalutem in tuto collocandi. Et quamvis quidam dicant, tunc ſufficere aliqua dumtaxat peccata fateri per interpretem; alii probabilius cum Cardinali de Lugo ſuſtinent, omnia, quæ in conſcientia ſunt, eſſe ſignificanda; cum ſaltem eo tempore præcepto divino de integra confeſſione parendum ſit. Similiter, quamvis multi dicant, in eo ſolo caſu urgere obligationem utendi interprete, Sanctus tamen Thom. in 4. diſt. 17. q. 3. a. 4. q. 3. ait: *In eo, qui uſum linguæ non habet, ſicut mutus, vel qui eſt alterius linguæ, ſufficit quod per ſcripturam, aut nutum, aut interpretem confiteatur...quando non poſſumus uno modo, debemus ſecundum quod poſſumus confiteri*. Qui loquendi modus denotat, non in ſolo articulo mortis peccatorem ad id teneri, ſed etiam aliis temporibus, & præcipue ne diu verſetur in ſtatu culpæ lethalis.

Requiritur præſentia pœnitentis.

XVII. Requiritur in confeſſione talis præſentia pœnitentis, ut ly *Te*, quod in abſolutione profertur, verum ſignificatum habeat; cum enim ſit pronomen demonſtrativum, non admittit diſtantiam talem, ut amplius ly *Te* verificari nequeat. Hinc Clemens VIII. anno 1602. reprobavit doctrinam quæ dicebat: *Licere per literas, ſeu internuncium confeſſario abſenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtineri*. Et quamvis nonnulli explicarint, non reprobari illos, qui dicerent, licere confeſſionem facere per literas confeſſario abſenti, dummodo abſolvens adveniat, & fiat præſens pœnitenti, nihilominus Cardinalis de Lugo diſp. 17. n. 64. monet, Sacram Congregationem hujuſmodi interpretationem reprobaſſe. Unicus caſus licitus ille eſt, quando moribundus confeſſionem optavit, & de peccatis doluit, & veniam petiit, abſente confeſſario; qui deinde adveniat, & teſtes habeat petitæ a moriente confeſſionis, neque ullum ſignum a pœnitente ipſe elicere valeat; tunc, inquam, tenetur illum abſolvere. Sed de hoc iterum ſuo loco.

§. V. *De Satisfactione Sacramentali*.

Quid ſit ſatisfactio?

I. Satisfactio eſt tertia pars, dicta integralis, Sacramenti Pœnitentiæ, a pœnitente ponenda, quæque eidem injungitur a Confeſſario in pœnam peccatorum perpetratorum, & pro remiſſione ſaltem partiali pœnarum in purgatorio luendarum. Hinc quaſcumque pœnas arbitrarias aſſumeret pœnitens, quamvis commendabiles, non tamen gauderent titulo ſatisfactionis ſacramentalis, quia non prodirent ex judicio Sacramentali; & proinde ſatisfactio ſacramentalis in ſtatu gratiæ præſtita, nedum habet vim ſatisfaciendi pro peccatis ex opere operantis, ſicuti quicumque alii cruciatus a pœnitente juſto aſſumpti, verum etiam ex opere operato, ſeu virtute ſacramenti, propter uberiorem applicationem meritorum Chriſti per ſacramentum impertitam: unde S. Thom. Quodlib. 3. q. 13. dixit: *Amplius valet ad expiandum, quam ſi proprio arbitrio homo faceret idem opus*.

Quando injungenda?

II. Neceſſario eſt injungenda ſatisfactio, non quidem neceſſitate ſacramenti, ſed neceſſitate præcepti, ita ut graviter peccet confeſſarius, ſi

Digitized by Google

illam injungere advertenter omitteret; cum teneatur integritatem Sacramenti procurare. Eſt autem injungenda ante abſolutionem, niſi forte oblivio inculpabilis accedat; ita poſtulante ordine judiciali, ut antequam reus abſolvatur, ſatisfactionem ſpondeat: & etiam ut diſpoſitionis animi illius firmior habeatur ſuaſio. Circa hoc Alexander VIII. reprobavit theſim 16. in qua dicebatur: *Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni induxit non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex, & præſcriptio, natura rei id quodammodo dictante:* & theſim 17. *Per illam praxim mox abſolvendi, ordo pœnitentiæ eſt inverſus:* & theſim 18. *Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu.* Quibus theſibus doctores illi contendebant, nedum injunctionem ſatisfactionis, ſed ipſam quoque impletionem ejuſdem præmittendam eſſe abſolutioni, quod reprobatur ab Alexandro octavo. Aliquando tamen, ita poſtulantibus circumſtantiis, exigi poteſt, ut pœnitens ſatisfactionem impleat antequam abſolvatur, puta ſi ita fieri compellat ſtatus pœnitentis, juxta prudentem œconomiam Confeſſarii.

Debet eſſe proportionata peccatis & pœnitenti.

III. Non eſt in arbitrio confeſſarii, quam ſibi placuerit ſatisfactionem injungere; ita ut graviter peccet, ſi pro multis lethalibus leviſſimam imponat, ſed debet eſſe proportionata gravitati, & multitudini peccatorum, & ſtatui, ſexui, ætati, & conditioni pœnitentis, & laudabiliter aget, ſi interroget pœnitentem, an poſſit injunctam implere: unde S. Antoninus 3. p. tit. 16. c. 21. *Debet confeſſarius dare talem pœnitentiam, quam credat veriſimiliter illum implere, ne, violando, deterius ei contingat.*

Laudabiliter plures Epiſcopi, ut animadvertit S. P. Benedictus XIV. *de Synodo Diœceſana edit. Noviſs. Lib. XI. c. XI.*, Canones Pœnitentiales in ſuas ſynodales conſtitutiones inſeruerunt, adjecta ſuaſione, aut etiam præcepto, ut Confeſſarii eos addiſcerent, non animo illos inducendi ad pœnitentias imponendas, quæ pro unoquoque crimine ſunt in illis præſcriptæ, ſed ut aliqua proportione pœnitentiam pro quibuſdam criminibus injungerent; & inſuper, ut iidem Confeſſarii inde argumentum deſumerent ad aperiendam Pœnitentibus admiſſorum ſcelerum gravitatem, quæ tam longa, tam aſpera, tamque formidanda vindicta, etiam in hac vita, ab Eccleſia coercebantur. *Pœnitentialium Canonum jure* (ſic legitur in Synodo Ameſina habita anno 1595. ab Epiſcopo Antonio Maria Gratiano *cap. 146.*) *impoſita ſingulis ſceleribus pœnas, pœnitentiaſque noſſe Confeſſoribus perutile fuerit, cum ex iis ipſi melius, certiuſque ſtatuere valeant quæ cuique peccato definienda pœnitentia ſit, tum ut pœnitentes ipſi a Confeſſoribus de priſci moris ſeveritate edocti, quanto nunc benignius cum illis ſancta Mater Eccleſia agat, intelligentes, hanc ſaltem ei gratiam referant, ut a peccatorum conſuetudine ob id diligentius abſtineant.* Conſona hæc ſunt iis quæ docet D. Thomas *Quodlib. 3. q. 13. art. 28.* Quippe aſſerit ibi, non eſſe quidem modo pœnitentiam imponendam ad exactam normam antiquorum Canonum, ſed ſimul expediens judicat, ut Confeſſarius pœnitenti manifeſtet quanta pœnitentia pro ſingulis ab ipſo perpetratis flagitiis, eſſet priſcis temporibus ab Eccleſia ſtatuta. En S. D. verba: *Videtur ſatis conveniens, quod Sacerdos non oneret pœnitentem gravi pondere ſatisfactionis: quia ſicut parvus ignis a multis lignis ſuperpoſitis de facili exſtinguitur; ita poſſet contingere, quod parvus affectus contritionis in pœnitente nuper excitatus, propter grave onus ſatisfactionis extingueretur, peccatore totaliter deſperante. Unde melius eſt quod Sacerdos pœnitenti indicet, quanta pœnitentia eſſet ſibi pro peccatis injungenda, & injungat ſibi nihilominus aliquid, quod pœnitens rationabiliter ferat, ex cujus impletione aſſuefiat, ut majora impleat, quæ etiam Sacerdos ſibi injungere non attentaſſet; & hæc, quæ propter injunctionem facit, accipiant majorem vim expiationis culpæ præteritæ, ex illa generali injunctione, qua Sacerdos dicit: Quidquid boni feceris, ſit tibi in remiſſionem peccatorum.* Addiſcant ergo, & memoria teneant Confeſſarii antiquos Canones pœnitentiales, præſertim illos, qui ſecundum ordinem Decalogi ex variis Conciliis, & Libris Pœnitentialibus collecti reperiuntur in Inſtruct. S. Caroli, non, ſicuti jam diximus, ut eos jam a multis ſeculis obſoletos hac noſtra luculenta ætate, qua fideles a priſtino morum nitore, & ſanctitate defecerunt, ad uſum revocent, ſed ut eorumdem notitia ipſis deſervire poſſit, atque prodeſſe ad alios prædictos fines, nempe ad aliquam proportionem ſervandam inter diverſas peccatorum ſpecies, & congruentem pœnitentiam pro ſingulis injungendam; & admonendos pœnitentes quanta olim pœnitentia pro quibuſdam criminibus imponeretur, ut ſuorum ſcelerum gravitatem magis agnoſcant, & promptius, ac libentius, quod juſſi erunt, ipſi præſtent. Lege integrum caput laudati S. Pontificis, in quo ſumma eruditione materiem hanc pertractat, & ex quo pauca hæc excerpſimus.

* Ut laxa, & a veritate omnino aliena reiicienda illorum opinio eſt, quæ ſtatuit, nullam a Confeſſario injungendam eſſe pœnitentiam, dum pœnitentes confitentur

tur

Digitized by Google

eſſe pœnitentiam, dum pœnitentes confitentur ad indulgentiam acquirendam. Eam ſane reprobat S. P. Benedictus XIV. in Epiſtola Encyclica ad Pœnitentiarios, & Confeſſarios pro Anno Sancto in Urbe deputatos, incip. *Inter præteritos* data *die* 3. *Decembris* 1749. Legatur *num.* 5. §. 64. in quo varias in primis circa hanc materiem ob oculos ponit Theologorum laxas opiniones, illarumque Patronos indigitat. Deinde præcipuos allegat Doctores, qui contra ipſas inſurrexerunt, inter quos, *ait*, Juvenin. *tract. Hiſt. Dogmat. de Sacram. diſſert.* 13. *quæſt.* 5. *cap.* 4. *Pontas in Dictionar. Moral. in verb. Jub. caſ.* 10. ac noviſſime P. Amort *in Hiſtor. Indulg. in quæſtionib. pract. pag.* 467. Tandem affert doctrinam Valentiæ, qui inter eos, *inquit*, qui Rigoriſtæ dicuntur, minime recenſendus eſt. Hic porro *tom.* 4. *diſp.* 7. *quæſt.* 20. *punct.* 3. *pag.* 1603. ita ſcriptum reliquit: *Notandum, neque per hanc Indulgentiæ formam, ſcilicet* de injunctis Pœnitentiis: *neque per aliam quamvis amplam & generalem, relaxari obligationem, qua, propter integritatem, tenetur confeſſarius ſalutarem pœnitentiam pœnitenti injungere, & pœnitens eam implere &c. Primo ex eo quod illa obligatio eſt Juris Divini &c. Secundo, ex eo quod truncaretur alioqui Sacramentum Pœnitentiæ quadam ſua integrali parte, qualis eſt nimirum jure Divino ſatisfactio ipſius Pœnitentis. Tertio confirmatur ex communi ſenſu, & uſu Eccleſiæ, ſiquidem nec in pleniſſimis etiam Indulgentiis ſolet negligi a Confeſſariis, & Pœnitentibus Sacramentalis ſatisfactio. & pœnitentia; immo expreſſe ab ipſis Pontificibus ſolet tunc etiam requiri.*

Itaque, licet attenta ſola præteritorum peccatorum vindicta, levior pœnitentia in ſacramentali confeſſione poſſit ei injungi, qui animo comparatus eſt ad conſequendam plenariam Indulgentiam; attamen nullo modo in toto omittenda eſt; immo nec ſufficit modicam dumtaxat imponere. Neque enim Indulgentia acquirenda eximit a laborioſis pœnitentiæ operibus; quin parum prodeſt iis, qui pro viribus Divinæ Juſtitiæ ſatisfacere negligunt. Indulgentiæ namque conceduntur in ſupplementum infirmitatis noſtræ; adeoque nos non liberant ab ea ſolvendi debiti parte, quam poſſumus, ſed ſupplent id, quod attenta noſtra imbecillitate, atque inopia, reddere non valemus. Quamobrem pœnitens prætextu Indulgentiæ acquirendæ non poteſt ſe eximere ab adimplenda pœnitentia per Confeſſarium injuncta: *Difficillima perceptu res Nobis viſa eſt*, ait laudatur S. P. Benedictus XIV. *loc. cit.* §. 65. *eum poſſe dici, aut eſſe vere Pœnitentem, ſicut ille debet eſſe, qui plenariam Indulgentiam conſequi cupit, ſi hujus prætextu eximere ſe velit a pœnitentia illa adimplenda, quæ ipſi in Sacramentali Confeſſione a Confeſſario injuncta eſt.* Adeantur inſuper Em. Cajetanus *tract. de Indulg.* Boſſuetus *in ſua Inſtruct. pro Indulg.* Cardinal. Denhoff. Epiſc. Cæſenat. *in ſua percelebri Paſtorali Inſtruct.* Euſebius Amort. *de Indulg. part.* 2. *ſect.* 4. P. Daniel Concina *de Sacram. Pœnit. lib.* 1. *diſſert.* 5. *cap.* 9. & 11. Continuator Tournely *Append.* 3. *de Indulg. cap.* 2. & Auctor infra *in Append.* 2. *ad tract. de Sacram. Pœnit.* §. 2. *n.* 3.

Diximus autem de induſtria, quod attenta ſola præteritorum peccatorum vindicta, levior in ſacramentali confeſſione poteſt pœnitentia injungi ratione Indulgentiæ; quippe ſub Indulgentiæ prætextu nullatenus remittenda eſt, aut, mitiganda pœnitentia medicinalis, quæ ad præcidenda futurorum peccatorum pericula, & ad extirpandos contractos habitus vitioſos neceſſaria eſt. *Quia Indulgentia*, ait Suarez *diſp.* 50. *ſect.* 2. *num.* 7. *nec moderatur paſſiones, nec pravam conſuetudinem ſeu habitum remittit, non obſtante Indulgentia manet eadem obligatio applicandi medicinam præſervativam: in quo etiam Doctores conveniunt.* Quare improbandus eſt Cardinalis de Lugo, qui *diſp.* 27. *num.* 22. ab hac communi opinione receſſit, quique gravem forte cenſuram non effugeret, ſi quæ ad rem hanc promit ipſe, a moroſo quopiam paulo ſeverius expenderentur, ut advertit Continuatur Tournely *loc. cit. num.* 47.

Satisfactiones medicinales.

IV. Cum ſatisfactio injungatur etiam ut remedium ad peccatorum fugam, & pœnitentis emendationem, advertat confeſſarius, ſatisfactiones quaſdam eſſe inſuper medicinales, quæ imponuntur, ut pœnitens caveat a ſpecialibus illis peccatis, ut illas ſpeciales occaſiones devitet; eo fine, ut dum ſatisfactiones illas exequitur, monitorum confeſſarii, & propoſiti facti recordetur: hujuſmodi ſunt quotidiana v. g. litaniarum Virginis recitatio, donec denuo confiteatur; actus contritionis quotidie emit-

Digitized by Google

emittendus ad dictum tempus; & ſimilia. Inter has ſatisfactiones medicinales, quædam ſunt conditionatæ, quas exequi tenebitur pœnitens, caſu quo reincidat in tale peccatum, v. gr. ſi in mollitiem lapſus fueris voluntariam, audies devote unam miſſam, & contritionis actum emittes &c.: hæ tamen pœnitentiæ conditionatæ, ſunt adjungendæ pœnitentiæ abſolutæ, quæ ſemper eſt injungenda, ut Sacramentum ſuam habeat integritatem.

Monita ad Confeſſarium circa ſatisfactionem.

V. Non ſunt imponendæ ſatisfactiones actionum aliunde jam præceptarum; cum ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 8. injungantur ad caſtiganda peccata commiſſa; ſed debent eſſe actionum, quæ aliunde non ſint præceptæ. Caveat Confeſſarius, ne unquam imponat pœnitentiam toto vitæ decurſu duraturam, tum quia id eſt nimis grave, tum quia obſervatu difficile; experto crede. Caveat item, ne tales injungat ſatisfactiones, ex quarum executione indirecte violari poſſit confeſſionis factæ ſigillum: unde caute ſe gerere debet circa conjugatos reſpectu ſui invicem; circa filios reſpectu genitorum; circa famulos reſpectu dominorum &c.; pœnitentia enim talis eſſe debet, ut ſemper occulta remaneant delicta in confeſſione expoſita: Poteſt tamen, & debet Confeſſarius pro publico, & notorio delicto publicam injungere ſatisfactionem; id autem non eſt indirecte violare confeſſionis ſigillum, ſed compenſare ſcandalum proximis datum. Hinc poteſt publico uſurario publicas eleemoſinas imponere; jubere publicæ meretrici, ut ſe induat veſte humili, & pœnitente &c.

Genera operum pro ſatisfactione injungendorum.

VI. Opera autem pro ſatisfactione Sacramentali injungenda, ſunt quæ a Concilio & Catechiſmo indicantur, nempe preces, jejunia, eleemoſinæ: ſub nomine autem precum veniunt omnes Religionis actus, puta Sacramentorum frequentia, meditationes, actus virtutum theologalium, & contritionis, Miſſarum auditio, orationes vocales &c. Nomine jejunii veniunt omnia opera pœnalia corporalia, omneſque carnis macerationes. Nomine demum eleemoſinæ veniunt omnia miſericordiæ opera tam corporalia, quam ſpiritualia.

* Opportunum erit hic ſubiicere ſaluberrimum monitum S. P. Benedicti XIV. *de Synod. Diœceſ. lib. 5. cap. 9. num. 6.* ad Confeſſarios circa hanc materiem. Non dubitatur, *inquit*, quin poſſit Confeſſarius pœnitentibus injungere, ut Miſſarum Sacrificia celebrari faciant in ſatisfactionem ſuorum peccatorum; id enim inter opera ſatisfactoria merito recenſetur, tum quia pœnitentes propterea aliquam pecuniæ ſummam a ſe abdicant, tum quia ſic Sacrificii oblationi cooperantes, peculiari quadam ratione participes efficiuntur illius fructus ſatisfactorii. Sed, ne hac occaſione aliqua ſuboriatur avaritiæ ſuſpicio, non debet Confeſſarius a pœnitente, cui hujuſmodi Miſſarum celebrationem procurandam injungit, eleemoſinam accipere, ut vel ipſe eas Miſſas celebret, vel in propria Eccleſia celebrari faciat. *Cum pro pœnitentia Miſſas injunxerit, ſibi, aut Eccleſiæ ſuæ, aut Monaſterio dicendas non addicat*, verba ſunt S. Caroli Borromæi in Inſtruct. ad Confeſſarios *part. 4. Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis* a nobis relata. Quam vero abhorreat Eccleſia a qualibet hujuſmodi avaritiæ ſpecie, & Sacerdotes Sacramentorum Miniſtros ab omni illius ſuſcipione, nedum crimine, velit immunes, ſatis declarat Rituale Romanum tum in prima generali inſtructione *de iis, quæ in Sacramentorum adminiſtratione ſervanda ſunt*, tum etiam peculiariter in Regulis *de ordine miniſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ*. Cum autem anno 1709. Sacræ Univerſali Inquiſitioni relatum fuiſſet, Presbyteros quoſdam in Eccleſia S. Jacobi de Compoſtella confeſſionibus excipiendis addictos, ſub præſidio antiquæ conſuetudinis, eleemoſinas accipere ſolere a pœnitentibus, qui eas poſt confeſſionem peractam illis dabant; ſan. mem. Clemens Papa XI. in Congregatione S. Officii coram ipſo habita *die 14. Februarii prædicti anni*, mandavit ad Archiepiſcopum litteras ſcribi, quibus moneretur, ut omni ſtudio, & vigilantia caveret, ne vel minima avaritiæ ſuſpicio in Sacramenti adminiſtratione miſceretur. Laudatus autem S. Carolus Borromæus *loco citato* ita ſcribit: *Non modo non petat, ſed nec habere ſe velle ſignificet pecuniam, aliamve rem, pro ſuſcepti in confeſſione laboris munere, immo verbis vel potius factis ab his omnibus abhorrere demonſtret*. Hactenus S. P. Benedictus.

VII. Tenetur pœnitens pœnitentiam congruam acceptare, & ſuo tempore exequi ſub mortali: acceptare quidem, quia aliter ſuſpectum redderet ſuum dolorem, pravamque animi ſui diſpoſitionem manifeſtaret: tum vel maxime, quia tenetur cooperari, ut Sacramentum ſuam aſſequatur

Obligatio ſatisfactionis.

tur

Digitized by Google

tur integritatem; quæ ratio ſimul probat, ipſum teneri etiam ad illam exequendam; &, juxta probabiliorem cum Tannero, & aliis, quamvis ſit pœnitentia levis, puta quia injuncta pro ſolis venialibus, vel mortalibus alias confeſſis; nihilominus tenetur ſub gravi illam, ſaltem pro parte, implere, ob adductam rationem, ne Sacramentum ſua careat integritate. Neque valet opponere, quod materia levis incapax ſit obligationis gravis; id namque verum eſt de materia levi ſecundum ſe accepta, & a quocumque alio reſpectu ſejuncta; non de materia levi affecta aliquo reſpectu gravi, qualis eſt, in caſu, integritas Sacramenti.

Quo tempore implenda? VIII. Tenetur pœnitens ſatisfactionem exequi tempore a confeſſario præfixo, ſi illud præfigat: ſin autem, non licet ad longum tempus illam differre; quia integritas Sacramenti unionem moralem ſuarum partium requirit: tum etiam, quia debitum ſtricto jure ſolvendum, nequit, a valente illud ſolvere, diu differri; tum etiam, quia longa dilatio ſine cauſa irreverentiam gravem irrogat Sacramento: Differre autem ad paucos dies, ſi fiat cum cauſa, nullum peccatum, ſi ſine cauſa, eſt veniale. Quantumvis autem pœnitens differat, exequi tenetur; cum dilatio culpabilis ſolutionis non eximat a debita ſolutione, ſemperque debeatur ſua integritas Sacramento.

Quando careat ſuo effectu? IX. Probabilius eſt quod implens ſatiſfactionem in ſtatu culpæ lethalis committat peccatum veniale, quia minus digne tractat partem integralem Sacramenti, ponitque obſtaculum effectui ejuſdem, qui eſt remiſſio pœnæ temporalis, quæ a carente gratia obtineri non poteſt. Non tamen, juxta multos, tenetur illam repetere in ſtatu gratiæ; quia quanquam non quoad modum, tamen quoad ſubſtantiam integravit Sacramentum, & obtemperavit præcepto.

Debet a pœnitente impleri. X. Non poteſt pœnitens ſatisfactionem injunctam implere per alterum, ita definiente Alexandro VII., & reprobante theſim 15., quæ dicebat: *Pœnitens propria auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat*. Quia eſt pars integralis ſacramenti a pœnitente ſuſcepti; & ipſe eſt debitor pro culpa commiſſa.

Mutare ſatisfactionem quis, & quomodo poteſt? XI. Pœnitentia impoſita nequit mutari a pœnitente in aliud opus, quamvis magis pium; quia debet proficiſci a judicio Sacramentali, & a poteſtate clavium, qualis non eſt quæcumque alia ſatisfactio ſubſtituta. Poteſt tamen a Confeſſario, qui illam injunxit, intra confeſſionem mutari, quin facta repetatur confeſſio, ſi de ſtatu pœnitentis recordetur, eſt enim etiam hæc mutatio actus judicialis, qui extra Sacramentum non exercetur. Quando autem petitur mutanda ab altero confeſſario, exponenda ſunt ei peccata propter quæ impoſita fuit: immo debet novus confeſſarius aliquid ſaltem relinquere illius pœnitentiæ, ne prius Sacramentum ſua integritate privetur, niſi forte confeſſarius novus per novam injunctam pœnitentiam utique intendat confeſſioni, & anteactæ, & præſenti ſuam afferre integritatem.

Hic cum Petro Colet *Tract. de Pœnit. Part.* II. *Cap.* VI. *art.* IV. quædam ſunt animadvertenda. 1. non poſſe mutari pœnitentiam ſine juſta cauſa, qualis eſt neceſſitas, utilitas notabilis, gravis in executione prioris pœnitentiæ difficultas; periculum tranſgreſſionis vel ex conditione Pœnitentis, vel ex ipſa ejus infirmitate ortum, exceſſus evidens pœnitentiæ prioris: ubi tamen cavendum a pernicioſa mollitie. Qui enim malis omnibus, ut commune emplaſtrum, Roſarii unius recitationem applicant, facile pro graviori pœnitentiam leniorem habebunt.

2. Poſſe aliquando mutari pœnitentiam; licet id non poſtulet pœnitens; cum alia multo plus profutura judicatur.

3. Non mutari priorem pœnitentiam per hoc ſolum quod idem vel alius Sacerdos audita eorumdem peccatorum confeſſione, novam imponat; ſed requiri ut Confeſſarius illam revocare intendat: quia ſententia ſemel valida, immo & dubia, manet, aut eam manere præſumi debet, donec a legitima auctoritate revocetur.

4. Ad minus dubium eſſe quod cum pluribus aliis docet Henno pag. 205., Pœnitentem facta commutatione, adhuc poſſe, ſi velit, priori ſtare pœnitentiæ. Sententia enim legitime revocata nullius jam roboris eſſe videtur. Ajunt quidem, commutationem ſub hac tacita conditione fieri: *Niſi pœnitens malit ad priorem reverti*; ſubduntque, novam pœnitentiam in novum pœnitentis favorem imponi; nemini porro incumbere neceſſitatem utendi favore. Verum ſubleſta ſunt hæc, & parum movent. Si enim Pœnitentia prior nonniſi juſta cauſa commutari poteſt; eaque cauſa ut plurimum ſit *notabilis* pœnitentium

Digitized by Google

utilitas, cur cenſebitur Sacerdos intendere, ut ii pro nutu ad id quod ſibi multo minus utile fuerit, redire poſſint? Cur favoris inſtar habeatur electio, quæ vix circa animæ præjudicium fieri queat? Hæ quidem rationes non ita valent, cum pœnitentia Prior ob ſolum exceſſum commutatur. At vel in hoc caſu ſatius fuerit, ut cuilibet dubio præcludatur aditus, plenam facere pœnitenti libertatem, quod maluerit amplectendi. Quin & ut ſua certa cuilibet Sacramento ſervetur integritas, ſemper curandum, ut aliquid utriuſque pœnitentiæ adimpleatur.

5. Non poſſe priorem pœnitentiam, vel ab eodem Confeſſario mutari, niſi confuſam mente gerat, aut ex parte pœnitentis ſuſcipiat notitiam peccatorum, propter quæ hanc impoſuerat; vel ab alio, niſi auditis peccatis, propter quæ eadem fuerat impoſita.

6. Tamen ex communi Doctorum ſententia non requiri accuratam peccatorum repetitionem; ſed eam tantum ſpeciem confeſſionis, unde Sacerdos ſtatum pœnitentis intelligere valeat; puta tot annos in adulterio, mollitie, ebrietatis habitu vixiſſe. Hactenus laudatus recens Theologus.

His addendum exiſtimamus contra Salmanticenſes, alioſque, quos ipſi allegant, non poſſe inferiorem Confeſſarium commutare pœnitentiam impoſitam a Superiore, ob peccata reſervata, quia ſicut peccata, ita & eorumdem pœnitentia illi reſervata eſt. Sic quidem ſentiunt graviores Theologi.

✠ Si pœnitens oblitus pœnitentiæ ſit, adire Confeſſarium debet, ut ſi recordetur, pœnitentiam pateſaciat. Si etiam Confeſſarius oblitus peccata fuerit, tum denuo confiteri peccata debet, ut congruam pœnitentiam accipiat, & manifeſtare, an oblivio fuerit, necne culpabilis. Sic P. Daniel Concina *Theol. Chriſt. tom. 9. lib. 2. diſſert. 5. cap. 10. n. 23.*

Juxta autem communem Theologorum conſenſum peccaret graviter, qui ob gravem pœnitentiam ab uno Confeſſario acceptam, alium Confeſſarium adiret; & occultata priore confeſſione, iterum confiteretur, ut leviorem acciperet ſatisfactionem.

§. VI *De Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ.*

Quid, & quotuplex ſit juriſdictio?

I. JUriſdictio, generatim accepta, eſt poteſtas regendi, & ſententiam ferendi in ſubditos: & loquendo reſpective ad hoc Sacramentum: alia eſt in foro interno, ſeu conſcientiæ tantum, alia in foro externo, ſeu Eccleſiæ: illa exercetur in pœnitentes, illos abſolvendo, obligando, dirigendo quoad ea, quæ in foro Sacramentali conſumanda ſunt: iſta exercetur, imponendo leges, ferendo cenſuras, ſtatuendo pœnas Eccleſiaſticas etiam publicas, ſolvendo, diſpenſando, & liberando ab eiſdem. Juriſdictio tam in foro externo, quam in interno dividitur in Ordinariam, & Delegatam; illa competit ratione officii, & muneris afferentis curam animarum, quam habent Pontifex in univerſa Eccleſia, Epiſcopus in ſua diœceſi, quamvis nondum conſecratus, ſed etiam dumtaxat electus, & confirmatus, dummodo ſit Sacerdos; Parochus in ſua paræcia, Superiores Religionum in ſuos ſubditos. Delegata committitur alteri ab habente ordinariam, & acquiritur a delegato per conceſſionem expreſſam, vel etiam aliquando tacitam, quæ ſemper tamen requirit notitiam habentis ordinariam. Hæc poteſtas delegata non expirat per mortem delegantis aut per ejus dimiſſionem ab officio, quando conceſſa fuit abſque ulla temporis præſcriptione, neque ab eo fuerit revocata, neque ab illius ſucceſſore, aut Superiore; quandoquidem delegatio ſit gratia delegato conceſſa, quæ non expirat per morte concedentis, ſed perſeverat, niſi ceſſet per aliquam ex cauſis modo indicatis. Qui gaudet poteſtate delegata, non poteſt illam alteri ſubdelegare, niſi de expreſſa delegantis licentia, & tunc non ſubdelegat illam delegatus nomine ſuo, ſed nomine delegantis. His neceſſario præmiſſis.

Requiritur in Miniſtro juriſdictio.

II. In miniſtro Pœnitentiæ, præter ordinem Sacerdotalem, requiritur poteſtas juriſdictionis: ita Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 7. reddens ſimul rationem; *Quoniam igitur natura, & ratio judicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur; perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei, & veriſſimum eſſe, hæc Synodus confirmet; nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem.*

Requiritur approbatio Epiſcopi.

III. Requiritur præterea in eo, qui non ſit Beneficiarius cum cura animarum, approbatio illius Epiſcopi, in cujus Diœceſi confeſſiones audit: ita laudatum Concilium ſeſſ. 23. capite 15.: *Quamvis Presbyteri in ſua Ordinatione a peccatis abſolvendi poteſtatem accipiant: decernit tamen Synodus, nullum*

Digitized by Google

lum etiam Regularem poſſe confeſſiones ſecularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat; privilegiis, & conſuetudine quacumque etiam immemorabili non obſtantibus. Eſt igitur hæc approbatio neceſſaria, nedum pro licito, ſed etiam pro valido; cum ita etiam declaraverit Sac. Congregatio; & verba Concilii ſatis aperta ſint *nullum poſſe idoneum reputari*. Neque opponas, hanc juriſdictionis poteſtatem conferri in ordinatione Sacerdotis: Quamvis enim conferatur quoad ſolam poteſtatem in actu primo, non tamen quoad facultatem in actu ſecundo: hæc enim requirit ſubditos, in quos exerceatur; qui ſubditi non aſſignantur Sacerdoti ordinato; ſed aſſignantur ab Epiſcopo, in cujus Diœceſi conceditur facultas confeſſiones excipiendi; atque illis limitationibus, quæ Epiſcopo videbuntur, puta, ut audiantur confeſſiones maſculorum dumtaxat, & pro tempore, quod ipſi libuerit, puta ad tres, ſex, octo Menſes &c.

Non ſufficit quod injuſte reprobetur.

IV. Non ſufficit quod Sacerdos petierit facultatem ab Epiſcopo, ſi hæc ipſi denegetur, etiam injuſte. Nam ex verbis Concilii requiritur approbatio, quæ non habetur, quamvis injuſte denegata, neque adducenda ſunt privilegia, quibus omnibus per Concilium derogatum fuit: unde jure merito Alexander VII. damnavit theſim num. 13. in qua dicebatur: *Satisfacit præcepto confeſſionis annuæ, qui confitetur Regulari, Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſte reprobato*. Et theſim n. 16. *Qui beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere confeſſarium ſimplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario.*

Approbatio Superiorum etiam pro regularibus, reſpectu Religioſorum ſui Ordinis: pro Mo-

V. Regulares non indigent approbatione Epiſcopi, ad audiendas Confeſſiones Regularium ſui Ordinis, ſed ſufficit approbatio ſuorum Superiorum, juxta cujuſvis Ordinis Statuta; quia circa regulares reſpectu ſuorum nil innovatum fuit in Concilio. Neceſſaria vero eſt approbatio Epiſcopi ad audiendas confeſſiones Monialium ſui Ordinis, ex conſtitutione Gregorii XV. quæ incipit: *Inſcrutabili*, & ex conſtitutione ſeptima Clementis X. ita jubentium.

Regulares pro confeſſionibus excipiendis conſodalium ſuorum non indigent approbatione Epiſcopi, ſed dumtaxat ſui Superioris Regularis, ut optime docet Auctor *num. præced.* quia cum Prælati Regulares habeant juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ſuos ſubditos, competit illis hæc facultas approbandi ad confeſſiones pro iſtis ex jure communi, & antiquo. Et circa hoc, ut idem animadvertit, nil innovatum fuit a Concilio Tridentino *Seſſ.* 23. *cap.* 15., quia ibi ſit ſermo dumtaxat de Confeſſariis ſæcularium, ut legenti liquido patet. Quocirca Clemens VIII. *in ſuo Decreto edito die* 26. *Maii* 1593. poſito inter *Conſtitutiones Urbani VIII. Tom.* 4. *Bullarii Rom. Conſtit.* 26., ſic §. 3. præcipit ipſis Regularibus Superioribus: *Superiores in ſingulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confeſſarios pro ſubditorum numero majori, vel minori, iique ſint docti, prudentes, ac caritate prædi- ti, qui a non reſervatis eos abſolvant, & quibus etiam reſervatorum abſolutio committatur, quando caſus occurrerit, in quo eam debere committi, ipſe in primis Confeſſarius judicaverit.* Quod Decretum fuit etiam confirmatum a laudato Urbano VIII. per Decretum S. Congregationis Concilii *die* 26. *Septembris* 1624., & hoc inſuper additum eſt *Sanctitas ſua deinceps declaravit, ut ſi hujuſmodi Regularium Confeſſariis caſus alicujus reſervati facultatem petentibus, Superior dare noluerit, poſſint nihilominus Confeſſarii illa vice Pœnitentes Regulares, etiam non obtenta a Superiore facultate abſolvere.*

nialibus autem etiam Epiſcopi.

Quamvis autem Prælati Regulares, & Monaſteriorum Superiores poſſint auctoritate ſua ordinaria Religioſorum ſibi ſubditorum confeſſiones ſacramentales audire; attamen hoc munus Confeſſariorum per ſe exercere non debent, ſed aliis demandare, attenta prohibitione iiſdem Superioribus facta per laudatum S. P. Clementem VIII. in præcitato Decreto §. 2., in quo hæc habentur: *Non liceat Superioribus Regularium confeſſiones ſubditorum audire, niſi quando peccatum aliquod reſervatum admiſerint, aut ipſimet ſubditi ſponte, & proprio motu id ab iis petierint*. Hinc conſtat, quod ſi ſubditi ex propria voluntate velint peccata ſua confiteri propriis Prælatis, atque Superioribus, poſſunt ab eis audiri, & abſolvi: at ad hoc adigi, vel obligari non debent ex ea evidenti ratione, quam innuit Summus Pontifex in eodem Decreto, ne videan-

Digitized by Google

deantur Superiores frangere ſigillum confeſſionis, & uti ſcientia habita in Sacramento, quando pro bono regimine Monaſterii coguntur aliquem ſubditum exterius punire. Lege Clericatum *de Pœnit. Deciſ.* 39. *n.* 2.

* Circa vero Prælatos Regulares, ſcilicet Generales, & Provinciales in ordine ad audiendas Confeſſiones Monialium, quæ ſunt eorum juriſdictioni ſubjectæ, videantur P. P. Salmanticenſes *Editionis Venetæ anni* 1750. *in Append. ad tract.* 6. *cap.* 6. *punct.* 1. §. 1. *n.* 74. *& ſeqq.* & P. Lucius Ferraris *in Supplementis Noviſſimis ad ſuam Bibliothecam V. Approbatio n.* 3. qui ſuſtinent, poſſe illos licite & valide excipere Sacramentales Confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum abſque approbatione & facultate Epiſcoporum; idque oſtendunt tum ex declaratione S. P. Benedicti XIII. in Bulla 119. incip. *Paſtoralis Officii Sollicitudo* §. 8. tum etiam ratione, quia nempe Prælati Regulares, Generales, & Provinciales ſunt vere Parochi Monialium; quæ ſunt ſub eorum regimine, cum ordinariam habeant juriſdictionem in illas.

Quid reſpectu Regularium alterius Ordinis?

VI. Confeſſarii regulares unius Ordinis non poſſunt valide abſolvere Regulares alterius Ordinis, niſi iſti obtinuerint licentiam confeſſiones faciendi extra ſuum Ordinem, vel apud Regulares talis Ordinis: quia Pontifex, a quo Regulares facultatem habent audiendi Confeſſiones, juxta Clementinam *Dudum de Sepulturis*, ſicuti quoad ſæculares poſuit conditionem approbationis Epiſcoporum; ita quoad alios Regulares extra Ordinem, intacta reliquit Statuta cujuſcumque Ordinis.

Cum Regulares Præſidibus ſuis ſint in foro Sacramentali ſubjecti, ut ex dictis perſpicuum eſt, tenentur peccata ſua confiteri confeſſariis per ipſos approbatis, & deputatis, neque ſine eorumdem licentia poſſunt alios adire. Hinc Regulares unius Ordinis, licet ab Epiſcopo approbati, nequeunt virtute privilegiorum audire confeſſiones Regularium alterius ordinis, ipſoſque valide abſolvere, niſi iſti obtinuerint licentiam confeſſiones faciendi extra ſuum Ordinem, vel apud Regulares talis Ordinis, ſicut Auctor docet *num. præced.*, & compertum eſt ex Conſtit. Clementis VIII, incip. *Romani Pontificis* data *die* 23. *Novembris* 1599. in qua expreſſe declarat, in omnibus Indultis nunquam fuiſſe mentem Sedis Apoſtolicæ dare licentiam ulli Religioſo, vel Moniali confitendi alicui contra diſpoſitionem ſuorum Superiorum; ſed, inquit, *noſtræ intentionis exiſtere, quod iidem Fratres, & Moniales quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ, ſeu Confeſſionis adminiſtrationem diſpoſitioni ſuorum Prælatorum ſubjecti ſint, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo declaramus*. Cum autem Superior alicujus Monaſterii gratioſe concedit ſibi ſubdito, ut poſſit confiteri peccata ſua confeſſario etiam extraneo, per hanc conceſſionem cenſetur, iſtum in confeſſarium deputare, & juriſdictionem ipſi ad abſolvendum prædictum ſubditum impertiri.

Videant vero Prælati Regulares, an poſſint Subditis ſuis facultatem elargiri, ut Confeſſori extraneo peccata ſua confiteantur; neque enim in quacumque Religione omnes Superiores talem licentiam concedere valent: Prior (ſic habetur in Conſtit. F. F. Prædicat. *Diſtinct.* 1. *cap.* 14. *n.* 3. *l. c.*) „ fratri ſuo ſubdito concede-
„ re poteſt ut confiteatur Priori, vel fra-
„ tri alterius Conventus (alias legitime
„ expoſito) ſed non Sacerdoti alterius
„ Religionis. Et paucis interiectis; Ma-
„ giſter Ordinis . . . . . poteſt ex legiti-
„ ma cauſa Fratribus licentiam dare, ut
„ confiteantur Sacerdoti Sæculari, vel Re-
„ gulari (alias legitime expoſito) alte-
„ rius Ordinis, quando copiam Confeſſarii
„ Ordinis habere non poſſunt. „ Legatur P. Vincentius M. Fontana *par.* 1. *tit. de Confeſſoribus Fratrum*.

Quod autem ſpectat ad Religioſos, qui vel in itinere ſunt, vel in alio morantur loco cum bona Superiorum venia, puta quadrageſimali tempore, cum ſacras habent conciones, ubi copia non eſt Confeſſarii ſui Ordinis, hæc eodem loco ſubduntur: „ Ex privilegio autem Innocen-
„ tii VII., quod in compendio Privile-
„ giorum noſtrorum continetur, poteſt
„ Frater in itinere poſitus, aut quomo-
„ dolibet ex Prælati obedientia extra Con-
„ ventum miſſus ſua peccata ſæculari Sa-
„ cerdoti, vel etiam Confeſſori alterius
„ Ordinis confiteri, quod quidem uſus ip-
„ ſe confirmat, & conceſſum inſuper eſt
„ a Leone X., ut in compendio Privile-
„ giorum Mendicantium, impreſſo Nea-
„ poli 1595. declaratur. „ Hoc idem privilegium expreſſe conceſſum eſt & Fratribus Minoribus a Sixto IV. in Conſtit. incip. *Supplicari Nobis humiliter feciſtis* edita *die* 11. *Auguſti* 1479., & aliis Regularibus ab aliis Pontificibus.

„ Ve-

Digitized by Google

„ Vetitum id erat Cappucinis (ſic S. P. „ Benedictus XIV. *de Sacroſancto Miſſæ* „ *Sacrificio Lib.* 3. *cap.* 11. *n.* 8.) qui & „ privilegio carebant, & Conſtitutione qua- „ dam Capituli Generalis impediebantur. „ Hos autem, *ſubdit*, cum comperiſſemus „ in quantis nonnunquam verſarentur an- „ guſtiis, ubi primum ad ſummam Apoſto- „ latus dignitatem evecti ſumus, Literis „ noſtris ſub forma Brevis die 30. *Martii* „ 1742. cuilibet eorum ſive Sacerdoti, ſive „ converſo, dum extra Clauſtra moratur „ cum bona venia, & in locis, ubi non „ alius quiſquam ex eorum ordine reperia- „ tur, facultatem conceſſimus confitendi „ peccata, & abſolutionem accipiendi a quo- „ cumque Sacerdote, qui vel Sæcularis a „ ſuo Ordinario, vel Regularis a ſuo Su- „ periore ad confeſſiones audiendas ſit ap- „ probatus. Quam facultatem etiam ad ca- „ ſus extendimus juxta conſtitutionem Or- „ dinis reſervatos, & ad cenſuras, in quas „ inciderint; addita obligatione tamen, ubi „ primum potuerint, coram Superiore ſeſe „ ſiſtendi, & novam ab illis caſibus, & „ cenſuris abſolutionem impetrandi. Sane „ ejuſmodi onus ſeſe ſiſtendi coram Supe- „ riore, & confitendi iterum caſus reſer- „ vatos, in quos inciderint, quoſque jam „ alii Confeſſario confeſſi fuerint, num il- „ lis imponeremus, diu multumque dubi- „ tavimus, firma enim regula eſt, non poſ- „ ſe quemquam obligari ad iterationem con- „ feſſionis eorum peccatorum, quæ jam con- „ feſſus fuerit, & quorum abſolutionem „ reportaverit, ut videre eſt in extravag. „ Benedicti XI. *Inter cunctas, de Privi-* „ *legiis* & docet D. Thomas *Quæſt. Quod-* „ *lib. art.* 12. *ad* 1. Sed omnem ex ani- „ mo noſtro difficultatem illud exemit, quod „ reputavimus, Religioſis perfectionem pro- „ fitentibus poſſe onus illud imponi. Et ſa- „ ne multorum Ordinum Religioſorum Con- „ ſtitutiones præſcribunt certis quibuſdam „ temporibus confeſſionem generalem; & „ celebris illa eſt Carthuſianorum Conſtitu- „ tio, quæ jubebat Monachos quotannis ea „ peccata Abbati confiteri, quæ jam aliis „ Confeſſariis confeſſi fuiſſent. Vide Sua- „ rez *Tom.* 4. *de Relig. Tract.* 8. *lib.* 2. „ *cap.* 17. *n.* 10., & Card. de Lugo *de* „ *Pœnitent. Diſput.* 15. *ſect.* 6. *n.* 93. *&* „ *ſeq.* "

Fuere autem olim plures qui poſt Suarez *de Pœnit. diſp.* 28. *ſect.* 4. aſſeruere poſ- ſe Regulares, qui iter agunt, aut qui do- mi manent, ſed habent licentiam peccata cuicumque voluerint confitendi, eligere ſi- bi in Confeſſarium Sacerdotem ſive Regu- larem, ſive ſæcularem a nullo Prælato, vel Epiſcopo approbatum. His nuper ſeſe ad- junxit P. Lucius Ferraris *V. Approbatio. Art.* 2. *n.* 10. 11. *&* 16. cum hac tamen limitatione, niſi iſti Religioſi a ſuis ſupe- rioribus coarctentur ac reſtringantur ad Con- feſſarios ab Ordinario approbatos, quia ali- ter ſic coarctati ac reſtricti ſine ullo dubio nequirent confiteri Sacerdotibus non appro- batis. Verum reiicienda eſt hæc ſententia, eamque fuſo calamo refellit Clericatus præ- citata *Deciſ.* 39. enervando argumenta, qui- bus innititur, ipſamque longe abeſſe a ve- ritate vel ex ſuperius dictis, præſertim ex relata a Benedicto XIV. conceſſa Cappuci- nis facultate ſatis ſuperque innoteſcit. Op- poſita igitur opinio amplectenda eſt, quam celebriores & Theologi, & Canoniſtæ ado- ptarunt, quamque pluribus iiſque validiſſi- mis argumentis adſtruit laudatus pluries Cle- ricatus. Legatur etiam Proſper Fagnanus ab eodem Clericato relatus.

VII. Recipientes Beneficium habens ad- nexam curam animarum, ipſo facto appro- bantur ad confeſſiones; quia jus confeſſio- nes audiendi eſt indiviſum a tali beneficio. Si autem hujuſmodi Beneficiarius aut pri- vetur beneficio, aut illud reſignet, indi- get approbari, ut valide confeſſiones au- diat; quia cum ceſſet ab habenda anima- rum cura, relinquitur conditioni cætero- rum; dum Tridentinum in ſupra allatis verbis ſolos *habentes parochiale beneficium* excipit. *Quid de Beneficiariis?*

VIII. Ex communi, defectus juriſdictio- nis aliquando ſuppletur ab Eccleſia, dum- modo duæ conditiones verificentur, nempe quod adſit titulus coloratus, & error com- munis, quæ duo ſupra explicuimus in §. 4. n. 13. quia ita fieri poſtulat commune bo- num, ad evitanda gravia ſcandala, gra- vemque conſcientiarum fidelium perturba- tionem. *Quando ab Eccleſia ſuppleatur juriſdictio?*

☩ Probe animadvertenda ſunt quæ *loc. cit.* adjecta reperiuntur.

IX. In articulo mortis, non extante Sa- cerdote idoneo ſeu approbato, poteſt quili- bet ſimplex Sacerdos nulla cenſura irreti- tus, & hoc deficiente, etiam excommuni- catus, abſolvere valide pœnitentem, ne moriatur non abſolutus: ita Communis ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 7., manifeſte di- cente: *Omnes Sacerdotes quoslibet pœni- tentes poſſe abſolvere in articulo mortis*: de quo fuſius in §. XI. n. 12. Cum autem *Quid in articulo mortis?*

inter

Digitized by Google

inter ſe diſtinguantur articulus mortis, & periculum mortis, ut patet; idcirco cum Concilium exprimat dumtaxat articulum mortis; Sotus in 4. d. 18. q. 4. a 4. cum aliis nonnullis docet, hujuſmodi abſolutionem valere in ſolo articulo, non in periculo mortis. Nihilominus Gloſa ad caput *Paſtoralis* de officio Judicis Ordinarii, Paludanus in 4. d. 14. q. 1. a. 2.: Sylveſter verbo Confeſſor cap. 1. q. 6. Navarrus in Enchiridio cap. 2. n. 9. & cap. 26. n. 31. Suarez & Vaſquez in 3. S. Th. partem, poſt quos Sylvius, Bonacina, & alii communius docent, id verum eſſe etiam in periculo mortis, quod expreſſe aſſeruit Rituale Romanum juſſu Pauli V. editum: *Si periculum mortis immineat, approbatuſque deſit confeſſarius, quilibet Sacerdos poteſt a quibuſcumque cenſuris, & peccatis abſolvere*; quia ſimilis eſt neceſſitas urgens tam in articulo, quam in periculo mortis: puta dum quis congreſſurus eſt ad pugnam, vel invenitur in imminenti naufragio. Sed de his iterum in paragrapho indicato.

Quid poſſunt Parochi in proprios ſubditos?

X. Parochus, ex communi, licite, & valide abſolvit ſubditum ſuum in quacumque diœceſi, dummodo id agat caute, & ſine ſcandalo, quia ipſius juriſdictio in ſubditum eſt ordinaria, neque pendens ab approbatione, quamvis exerceatur extra proprium territorium; cum tamen non ſit contentioſa, ſed voluntaria, neque ſtrepitum fori poſtulet, exerceri poteſt: non ita dicendum de aliis confeſſariis reſpectu ſubditorum diœceſis, in qua ſunt approbati: quia eorum juriſdictio eſt delegata, & pendens ab approbatione Ordinarii, quæ non extenditur extra confinia ſuæ diœceſis.

Generaliter approbatus, non cenſetur approbatus, pro monialibus.

XI. Confeſſarius generaliter approbatus in diœceſi, nequit valide audire confeſſiones Monialium illius diœceſis, ſive ſint ſubditæ Epiſcopo, ſive Regularibus: ita Clemens X. in Conſtitutione incipiente. *Superna*: *Generaliter approbatos ab Epiſcopo ad audiendas confeſſiones perſonarum ſæcularium, nequaquam cenſeri approbatos ad audiendas confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum, ſed egere quoad hoc ſpeciali Epiſcopi approbatione: atque approbatos pro audiendis confeſſionibus unius Monaſterii, minime audire poſſe confeſſiones Monialium alterius Monaſterii. Itidem Confeſſores extraordinarios ſemel deputatos atque approbatos ab Epiſcopo ad Monialium confeſſiones pro una vice audiendas, haud poſſe, expleta deputatione, in vim approbationis hujuſmodi, illarum confeſſiones audire, ſed toties ab Epiſcopo eſſe approbandos, quoties caſus deputationis contigerit.*

* Cum tempore Jubilæi univerſim Monialibus facultas a Summo Pontifice impertiri ſoleat, ut poſſint peccata ſua deponere apud Confeſſarium pro Monialibus ab Ordinario approbatum, eademque facultas non raro a Sacra Pœnitentiaria illarum aliquibus ad ipſam recurrentibus concedatur, ad examen merito vocatur, quiſnam cenſeri debeat Confeſſarius pro Monialibus approbatus?

In Veneta Diœceſi Confeſſarius approbatus pro Monialibus cenſetur ſolummodo qui munus Confeſſarii in aliquo Monaſterio actu exercet. *Ad tollenda vero dubia* (ſic in Synodo habita ab Illuſtr. & Rever. Petro Barbadico Patriarcha Venetiarum an. 1714. *tit. de Confeſſariis Monialium pag.* 143.) *& evitandos abuſus, qui aliquando oriri ſolent in certis, & determinatis caſibus, forſitan etiam non ſine animarum præjudicio, decernimus, & declaramus, eos tantum intelligendos eſſe Confeſſarios ad audiendas Confeſſiones Monialium in Diœceſi noſtra approbatos, qui a Nobis deputati fuerint, & ſunt, ſeu pro tempore erunt in actuali exercitio audiendi earundem confeſſiones in aliquo ex Monaſteriis Juriſdictioni Noſtræ ſubjectis, quibus etiam præcipimus & mandamus ſub pœna remotionis ab Officio, aliiſque arbitrio Noſtro, ut nullo modo audeant, aut quocumque colore, prætextu & cauſa præſumant confeſſiones cujuſcumque Monialis alterius Monaſterii audire, niſi impetrata prius a Nobis, ſeu Vicario Noſtro Generali debita licentia, & facultate in ſcriptis obtinenda*. Idem ſancitum, ſeu potius confirmatum fuit & in Synodo celebrata ab Illuſtr. & Rever. Patriarcha Fr. Franciſco Antonio Corrario an. 1741. *tit. de Monialibus pag.* 74. his verbis: *Ne vero in quibuſdam caſibus cum Animarum præjudicio poſſit quiſpiam aliter atque docet opinari, approbatos pro Monialibus eos declaramus qui Ordinarii ſunt, dum actu eo munere funguntur; cum nemo, cujus facultas conceſſa ſit limitate, extra tempus limitationis, eadem facultate gaudere poſſit; quod itidem verum eſt, non ſolum quoad tempus, ſed etiam quoad loca, & genus perſonarum*: Et hæc quidem quoad hanc Venetam Diœceſim.

Juvabit tamen ad rem hanc oculis ſubjicere

cere

Digitized by Google

cere Reſponſum, quod pridem a Sacra Apoſtolica Pœnitentiaria datum fuit ad ſequens Dubium italico ſermone propoſitum.

Eminentiſſimi Signori.

Alcune Monache profeſſe eſiſtenti in queſta Città di Torino, umilmente proſtrate a pie dell'Eminenze Voſtre, eſpongono qualmente avendo ricevuto dalla carità di coteſta Sagra Penitenziaria facoltà in termini conſueti, di poterſi tre volte l'anno confeſſare Sagramentalmente da confeſſore approvato dall'Ordinario; anzi dalla recente Conſtituzione del Regnante Sommo Pontefice per il Giubileo, di cui ha aggraziato li Monaſterj, eſſendo conceſſo alle Monache, poterſi nel tempo ivi prefiſſo confeſſare da qualunque Confeſſore approvato per Monache, inſorto perciò qualche dubbio:

Supplicano le Eminenze Voſtre degnarſi dichiarare in riguardo al primo punto, ſe quelle parole: *A Confeſſario approbato ab Ordinario*, quali ſi leggono nelle Lettere, o Indulti della S. Penitenziaria, poſſono nel caſo ſurriferito ſtenderſi aſſolutamente a Confeſſore già ſtato Ordinario, o ſtraordinario del medeſimo Monaſtero ſupplicante ſenz'altra nuova approvazione: in rapporto al ſecondo punto, ſe la predetta Conſtituzione s'intenda pure, come ſopra, di Confeſſore ſtato già approvato per ordinario, o ſtraordinario, o di qualunque altro. Che della grazia.

Decretum Sacræ Pœnitentiariæ.

Sacra Pœnitentiaria ex deductis in hoc ſupplici libello reſpondet: Indulta, de quibus agitur, per ejuſdem Sacræ Pœnitentiariæ organum a Summo Pontifice concedi Monialibus conſueta, ex eorumdem Summorum Pontificum mente, ac voluntate non cadere ſub regulas in Conſtitutione S. M. Clementis Papæ X. incipit. *Superna*, ſive in aliis conſimilibus contentas. Quare declarat ſufficere, quod Confeſsarius vigore hujuſmodi Indulti ejuſdem Sacræ Pœnitentiariæ a Moniali eligendus, fuerit alias, etiam ſemel, ad Monialium Confeſſiones audiendas ab Ordinario approbatus, niſi conſtet eumdem Confeſſarium fuiſſe poſtea ob demerita, quæ ipſas confeſſiones concernant, ab eodem Ordinario poſitive reprobatum.

Datum Romæ in Sacra Pœnitentiaria die 10. Martii 1750.

I. Cardin. Beſutius P. M.

Loco ✠ Sigilli.

Franciſcus Petrucciolus Sacræ Pœnitentiariæ Secret.

Extractum ab Originali, cum quo collationatum concordat.

In Fidem &c.

I Conti.

Hæc affert P. Lucius Ferraris *in Supplem. 1. ad ſuam Bibliothecam Editionis Bononienſis anni* 1758. *V. Confeſſarius num.* 53.

S. P. Benedictus XIV. *die* 5. *Auguſti* 1748. Conſtitutionem edidit ſuper deſignatione Confeſſariorum extraordinariorum pro Monialibus, quæ incipit: *Paſtoralis Cura*. Sic eam ad compendium reduxit Petrus Colet in fine 5. *Tomi Inſtitut. Theolog. pag.* 945. Volens Summus Pontifex hac ſua Conſtitutione peculiaribus Monialium indigentiis, quoad illarum Confeſſarios proſpicere, declarat, ſe non habere in animo, conſultiſſimam illam legem abrogare, qua ſtatutum eſt, ut pro ſingulis Monialium Monaſteriis unus dumtaxat Confeſſarius deputetur, qui Communitatis earum totius Confeſſiones excipiat, neque liceat unicuique Moniali peculiarem ſibi Confeſſarium pro libito eligere; ſed hoc unum ſibi propoſitum eſſe, conſtituere nimirum, ut ſi quando legis hujus rigor in peculiaribus caſibus ſine animarum detrimento ſervari non poſſe videatur, in promptu ſit opportunæ diſpenſationis remedia admovere.

Primo autem in medium affert Decretum Concilii Trid. *Seſſ.* 25. c. 10. de Regular. quo ſancitum eſt, ut Epiſcopi, aliique Monaſteriorum Prælati ſubjectis ſibi Monialibus Confeſſarium extraordinarium duabus, aut tribus vicibus in ſingulos annos exhibeant, qui omnium Confeſſiones audire debeat. Declaratque, hoc Decreto præcipi, ut Confeſſarius extraordinarius ea-

Digitized by Google

earum omnium Confeſſiones excipiat, quotquot eidem confiteri velint: non tamen præcipi omnibus & ſingulis Monialibus, ut peccata ſua extraordinario Sacerdoti confiteantur. Ab omnibus in Monaſterio, tam ſcilicet a *Superiorisſa*, cæteriſque Monialibus Profeſſis, atque Novitiis, quam a Sæcularibus in eodem Monaſterio degentibus nihil aliud requiri, niſi ut extraordinario Confeſſario ſingulæ ſe ſiſtant, ſive ad Confeſſionem, ſi placuerit, peragendam, ſive ad ſalutaria monita; etiam extra Confeſſionem, accipienda. Idque cautum ea de cauſſa, ne ſi aliquæ Confeſſarium hunc adirent, aliæ vero non adirent, ſiniſtræ excitarentur ſuſpiciones. Hinc hujuſmodi agendi rationem Clementem XI. Edicto ſuo inviolabiliter obſervandam mandaſſe; eamdemque omnium Diœceſium conſuetudine receptam eſſe. Ideoque enixe hortatur Antiſtites, ut quamvis Concilium Trid. in citato Decreto loquatur de ſolis Clauſtralibus Monialibus, nihilominus eandem diſciplinæ formam obſervent tam cum aliis Monialibus, quæ licet Clauſuræ legibus minime adſtrictæ ſint, in Communitate tamen vivunt, quam cum aliarum quarumcumque mulierum, aut puellarum Cætibus, ſeu Conſervatoriis, quoties tam illæ, quam iſtæ unicum Ordinarium Confeſſarium a Superioribus deſignatum habent.

Secundo in medium affert nonnulla S. Congregationis Concilii decreta huc ſpectantia. Primum eſt, deputationem Confeſſarii extraordinarii regulariter pertinere ad eum, ad quem pertinet Confeſſarii Ordinarii electio, & deputatio, quod Decretum hic ratum habet.

Declarat tamen, & vult, ut ſi Epiſcopus negligens fuerit, ac prætermittat facere copiam Confeſſarii extraordinarii Monialibus, obtendens nullam hac de re ipſis Monialibus ſollicitudinem eſſe, vult, inquam, ut Cardinalis Pœnitentiarius, ſtatim ac pro parte Monialium requiſitus fuerit, Ordinarii Paſtoris negligentiam ſupplere debeat, eiſdem Monialibus deputando extraordinarium Confeſſarium cum omnibus neceſſariis, & opportunis facultatibus, ex eorum tamen numero, qui ad excipiendas Confeſſiones Monialium ab ipſo Ordinario loci approbati fuerint. Quod ſi Prælatus Regularis neglexerit eandem legem Concilii, de Confeſſore extraordinario exhibendo Monialibus ſibi ſubjectis, implere, tunc locum eſſe illi Decreto Congregationis Concilii, in quo declaratur ad Ordinarium loci ſpectare negligentiam Regularium hac in re ſupplere; quod pariter Decretum hic in omnibus, & per omnia approbat, & confirmat. Hæc quoad Univerſas Communitates Monialium.

Quod ad ſingulas Moniales attinet, de quibus hac in re nihil ſtatuit Concilium Tridentinum, nonnulla ejuſdem Congregationis Decreta affert, ea approbans, & confirmans; ut nimirum Epiſcopi ſubjectis ſibi Monialibus gravi morbo laborantibus, & id expetentibus, peculiarem Confeſſarium concedere debeant: & idipſum præſtent erga Moniales Regularibus ſubjectas, cum aliqua ex illis graviter ægrotans hanc gratiam a ſuo Superiore impetrare non potuerit. Quod ſi Epiſcopus in hoc caſu id præſtare negligat, ad Cardinalem majorem Pœnitentiarium pertinere vult, peculiaribus ſupplicantium neceſſitatibus eadem ratione providere, qua ſuperius dictum eſt, ab ipſo univerſæ Religioſæ Communitati conſulendum eſſe.

Deinde declarat Summus Pontifex, illarum quoque Monialium debilitatem ſublevandam eſſe, quæ licet nec corpore infirmæ ſint, nec morti proximæ, ordinario tamen miniſtro confiteri obfirmate recuſant; adeoque ubi earum reluctantia ſuperari nequit, Confeſſarium extra Ordinem deputandum eſſe, qui earum Confeſſiones excipiat. Id autem ab Ordinario loci præſtandum eſſe cum Monialibus ſibi ſubjectis. Quoad illas vero, quæ ſubſunt Regimini Regulari ad Superiorem Regularem pertinere, ſervatis ſervandis, peculiarem ipſis deſtinare Confeſſarium ex approbatis ad Confeſſiones Monialium; vel ſi ille, quem hujuſmodi Monialis petit, pro Monialibus approbatus non ſit, cum ipſo Ordinario agendum eſſe, ut ſaltem pro illa Moniali, & pro tot vicibus, quot expedire judicabitur, eundem approbet. Quod ſi ad id præſtandum erga hujuſmodi Moniales Superior Regularis adduci non poſſit; Epiſcopum ex Decreto Congregationis ejuſdem confirmato tum a Gregorio XIII. tum in præſenti Conſtitutione, poſſe illis concedere, etiam invito Superiore Regulari, Confeſſarium etiam alterius Ordinis, vel Sæcularem. Præterea nihil obſtare, quominus hujuſmodi Moniales recurſum habeant ad Cardinalem majorem Pœnitentiarium, a quo ipſis providendum erit eodem modo, quo ſupra explicatum eſt.

Quod attinet ad illas Moniales, quæ nec

Digitized by Google

nec ægrotant, nec recuſant Deputatum a Prælato Monaſterii pro univerſa Communitate Pœnitentiæ miniſtrum; ſed pro majori animi ſui quiete, atque ulteriori in via Dei progreſſu facultatem petunt confitendi aliquoties Sacerdoti ad excipiendas Monialium Confeſſiones approbato, aſſerit ſibi nullo modo rigidam illorum Prælatorum agendi rationem placere, qui concedere prorſus recuſant: immo ſe perſuaſum habere, ſingulis etiam Monialibus indulgendum eſſe in iis rebus, quæ juſte & rationabiliter petuntur, maxime cum ad illarum conſcientiæ quietem conferre dignoſcuntur. Ideoque propoſito exemplo Divi Franciſci Saleſii, & Beati Cardinalis Gregorii Barbadici Epiſcopi Patavini, qui in hujuſmodi caſibus exorari ſe patiebantur, Antiſtites, atque reliquos quarumcumque Religioſarum mulierum Rectores hortatur in Domino, & enixe monet, ut eandem viam inſiſtere non recuſent, & non adeo difficiles ſe præbeant peculiaribus Monialibus extraordinarium Confeſſarium aliquando petentibus; quin potius, niſi aut Monialis poſtulantis, aut Confeſſarii requiſiti qualitas aliter faciendum ſuadeat, earum juſtis precibus obſecundare ſtudeant; illud cogitantes, quod etſi liberum ſit cuique Moniali adire Cardinalem majorem Pœnitentiarium; nihilominus eam eſſe aliquando neceſſitatis urgentiam, ut quod de longinquo petendum eſt, non ſatis tempeſtive adveniat.

Quod denique attinet ad qualitates Confeſſarii extraordinarii vel pro univerſa Communitate, vel pro aliqua Moniali peculiariter deputandi; dicit, nullo unquam tempore dubitatum fuiſſe, an in hujuſmodi Sacerdote ætatis maturitas, morum integritas, prudentiæ lumen requiratur, an præterea ab Ordinario loci ſpecialiter approbatus eſſe debeat. His adjungit, pro Monialibus Epiſcopo ſubjectis regulam eſſe, ut Ordinarius earum Confeſſarius ſit Sacerdos Sæcularis, Extraordinarius vero a pleriſque Epiſcopis aſſumi ſolet ex Ordinibus Regularibus, deficiente forſan per ſingulas Diœceſes Presbyterorum ad id idoneorum copia. Exponit deinde rationem agendi ſervari ſolitam a Superioribus Regularibus cum Monialibus ſibi ſubjectis, in deputando pro iiſdem Confeſſarios extraordinarios: & Decretum refert Innocentii XIII. quo præſcribitur, quomodo iidem Superiores hac in re ſe gerere debeant: hujus autem Decreti verba ſunt hæc: „ Cumque extraordinarius bis, aut „ ter in anno offerri Monialibus debeat qui „ omnium Confeſſiones audiat, ſi in poſterum Superiores Regulares, quoad „ Monaſteria ipſis ſubjecta, toties prædictum extraordinarium Confeſſorem deputare neglexerint, vel ſi etiam ex proprio eorum ordine ſemper deputaverint, nec ſaltem ſemel in anno ad id „ munus elegerint Sacerdotem, aut Sæcularem, aut Regularem alterius diverſi Ordinis Profeſſorem, in his caſibus Epiſcopi pro ſui arbitrio, & conſcientia deputationem hujuſmodi facere „ poſſint, nec illa quovis titulo, aut prætextu a Superioribus Regularibus valet „ impediri." Quod Decretum in forma ſpecifica confirmatum etiam a Benedicto XIII. ad omnem dubitandi anſam tollendam, ipſe denuo præſenti Conſtitutione confirmat, & ad omnia per Orbem ubique exiſtentia, & Regularium Regimini ſubjecta Monialium Monaſteria, quatenus opus ſit, extendit, & ampliat: decernitque, ut ſingulis annis Regulares Monaſteriorum Prælati teneantur bis, aut ter in anno Confeſſarium extraordinarium univerſis Monialibus in iis degentibus offerre; ſi vero ipſi inter tempora præſcripta id omiſerint, vel ſemper proprii Ordinis Regularem Sacerdotem ad id deputaverint, itaut præfatæ Moniales ſemel ſaltem in anno Confeſſarium extraordinarium e Clero Sæculari, vel ex alio Ordine Regulari non habeant, ad Epiſcopos Diœceſanos, omni appellatione remota, devolvatur jus ſupplendi eorundem Prælatorum defectum (ſi nempe penſatis rerum circumſtantiis ita expediens eſſe judicaverint) per deputationem Confeſſarii extraordinarii, quem tam in uno, quam in altero caſu aut e Clero Sæculari, aut ex alio Regulari Ordine pro ipſorum arbitrio deligere poſſint, & valeant.

Quoniam vero Clemens XI. edicto ſuo ſtatuit, ut quo tempore Confeſſor Extraordinarius alicui Communitati deputatus miniſterio ſuo fungitur, Ordinarius Confeſſor nullum ipſi impedimentum afferre audeat, multoque minus præſumat per id temporis, alicujus Monialis, ſive Superioriſſæ, ſive Novitiæ, ſive Converſæ, neque demum alterius cujuſcumque Perſonæ intra ſepta Monaſterii, aut piæ Domus morantis, Sacramentalem Confeſſionem audire; id quoque approbans, & confirmans hic Pontifex ſtatuit, & mandat, ut Epi-

Epiſcopi quoad Monaſteria, aut Domus ſibi ſubjectas, Regulares Superiores, quoad Communitates, quibus præſunt, pro hujuſmodi legis obſervantia vigilent, & contravenientes meritis pœnis coerceant, & afficiant.

Ac demum quibuſcumque Confeſſariis extraordinariis, qui vel alicui Communitati generaliter, vel peculiariter alicui perſonæ in Monaſterio degenti deputati fuerint, diſtricte inhibet ſub pœnis adverſus accedentes ad Monaſteria Monialium, & cum ipſis converſantes, præſertim Regulares, a Prædeceſſoribus ſuis quandocumque ſtatutis, (quas etiam præſentis Conſtitutionis vigore confirmat, & innovat) ne, poſteaquam officium ſuum impleverint, ad id Monaſterium ulterius accedere, aut ullius generis commercium intra ipſum quandocunque continuare, & fovere, etiam ſub Spiritualis cauſſæ, aut neceſſitatis obtentu, & colore, audeant, aut præſumant.

Quid poſſint Regulares circa domeſticos ſæculares?

XII. Ex eodem Clemente X. ibidem: *In Monaſteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta inſtituta Regularium, vivitur, poſſe tam Prælatos Regulares, quam Confeſſores Regularium confeſſiones audire illorum ſæcularium, qui inibi ſunt de familia, & continui commenſales: non autem illorum, qui tantum ipſis deſerviunt.*

Quid de abſolutione a ſolis venialibus?

XIII. Nullius momenti modo habenda eſt opinio quorumdam Antiquorum, dicentium, poſſe Sacerdotem non approbatum abſolvere a ſolis venialibus pœnitentem ſola venialia habentem; ita ut ſaltem illicite mortaliter peccet id faciens; ita ex Decreto Innocenti XI. edito anno 1679. in quo hæc habentur; *Non permittunt Epiſcopi, ut venialium confeſſio fiat ſimplici ſacerdoti non approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario. Si confeſſarii, etiam Regulares, aut quicumque alii ſecus egerint, ſciant, Deo O. M. rationem reddituros eſſe; neque defuturam Epiſcoporum, & Ordinariorum juſtam, & rigoroſam animadverſionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jeſu.* Dixi ſaltem illicite agere, quia plures dicunt, etiam invalide; eo quod talem facultatem, ut exercendam, non habet Sacerdos ex vi Ordinationis ſacerdotalis, in qua eidem non aſſignantur ſubditi, in quos illam exerceat; certum namque eſt, abſolutionem etiam a ſolis venialibus eſſe actum juriſdictionis, qui in non ſubditos exerceri valide non poteſt.

§. VII. *De obligationibus Confeſſarii ad licite obeundum ſuum miniſterium.*

Illicitum eſt abſolvere cum juriſdictione tantum probabili.

I. Longe probabilius eſt, mihique verum, graviter peccare confeſſarium illum, qui approbatione, & juriſdictione tantum probabili, extra neceſſitatis caſum, audet miniſtrare ſacramentum: Quia abſque neceſſitate exponit ſacramentum periculo nullitatis; cum enim juriſdictio ſit dumtaxat probabilis, ſicut probabile eſt, quod illam habeat; ita quoque probabile, quod illam non habeat. Et hic defectus ab Eccleſia non ſuppletur, cum jura de hocce caſu altum ſilentium teneant; & affirment Eccleſiam dumtaxat juriſdictionis defectum ſupplere in caſu ſupra indicato tituli colorati cum errore communi: proinde aſſerere hujuſmodi ſupplementum etiam in hoc caſu, eſt omnino arbitrarie divinare. Præterea, juxta doctrinam Innoc. XI. reprobantis theſim 1. non licet ſequi ſententiam probabilem; relicta tutiore, quoties agitur de valore ſacramenti; cum igitur, dum diſputatur de juriſdictione, agatur de re maxime ſpectante ad valorem ſacramenti, non licebit ſequi doctrinam, modo traditæ oppoſitam.

Toties peccat quoties abſolvit in ſtatu mortali.

II. Miniſtrans hoc ſacramentum in ſtatu peccati lethalis, juxta communem, ſacrilege peccat, quia conficit ſacramentum indigne; & juxta longe probabiliorem, mihique veram, toties hoc ſacrilegium committit, quoties novum ſacramentum conficit, ideſt quot pœnitentes abſolvit: Quia quoties profert abſolutionem ſuper novam Confeſſionem, toties conficit novum, & diſtinctum ſacramentum; vel igitur conficere ſacramentum in ſtatu culpæ lethalis non eſt mortale, vel ſi tale eſt, toties multiplicatur, quoties novum conficitur ſacramentum. Neque ullam vim habet reſponſio illa; quam nonnulli exhibent, videlicet quod illa ſacramenta una tantum ſeſſione, & per modum unius adminiſtrationis conficiantur. Nam Sacramenta Pœnitentiæ ſicut non conſtant ſeſſionibus, ita non multiplicantur ad ſeſſionum multiplicationem, ſed ad multiplicationem partium illa componentium, nempe materiæ, & formæ: quoties igitur nova fit confeſſio, novaque impertitur abſolutio, toties novum fit ſacramentum; & ſi indigne adminiſtretur,

Digitized by Google

toties ſacrilegium committitur. Propterea falſum eſt, quod plura ſacramenta una ſeſſione adminiſtrata, dici poſſint una adminiſtratio; eſt quidem una ſeſſio, at non una adminiſtratio, quæ toties renovatur, quoties novum fit ſacramentum. Similiter neque opponas paritatem de adminiſtrante Euchariſtiam in ſtatu lethali, cui reſponſum dedimus cap. 3. §. 6. num. 7. Antequam itaque ſacramentum adminiſtret, ſaltem per contritionem perfectam ſe mundet a lethali.

Debet eſſe immunis a cenſura. III. Debet præterea miniſter eſſe immunis ab omni cenſura; quia quamvis abſolutio prolata a confeſſario excommunicato, ſuſpenſo, aut interdicto ſit valida, eſt tamen graviter illicita; dummodo non ſit excommunicatus, ſuſpenſus, aut interdictus vitandus; cujus abſolutio eſt etiam invalida.

Obligatio vacandi ſtudio Theologiæ moralis. IV. Cum munera confeſſarii ſint, Judicis, Doctoris, & Medici; idcirco ſub mortali ſcire tenetur quæ ad hæc munera rite obeunda neceſſaria ſunt: neque contentus eſſe debet approbatione Epiſcopali; cum examen paucis interrogationibus, & reſponſis expediatur, ſi alioquin requiſitis notitiis careat; approbatio namque ſcientiam non infundit eorum, quæ ſciri debent, ſi ignorentur. Proinde in ſtatu admodum periculoſo verſantur confeſſarii illi, qui approbationi conſequutæ innixi aut nulla, aut valde modica ſollicitudine tanguntur, ſtudio ſcientiæ moralis operam dandi, ut vix aliquoties in anno ad breve tempus lectioni alicujus Scriptoris moralis vacent; cum alioquin ſtricto debito teneantur, quouſque hoc munere funguntur, & fungi volunt, ſe magis idoneos reddere ad ſeligendas opiniones veritati propinquiores, ad cavendas damnatas, eiſdemque affines, ad eorum notitiam comparandam, quæ ignorant, atque ad oblita memoriæ commendanda.

Quid ſcire reſpectu trium munerum quibus fungitur? V. Ut judex itaque tenetur confeſſarius diſcernere, & diſtinguere criminum gravitatem, ſpeciem, eorumdem circumſtantias ſpeciem addentes, notabiliter aggravantes: debet item cognoſcere quouſque ſe extendat ſua juriſdictio; & proinde ſcire caſus reſervatos tam ſummo Pontifici, quam Epiſcopo; impedimenta matrimonii, & his ſimilia, quæ ad judicium valide, & juſte perficiendum ſunt neceſſaria. Ut Doctor ſcire tenetur, præter hactenus dicta, etiam illa omnia, quæ ad ſacramenta valide, & rite miniſtranda requiruntur; & quam maxime, quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ ſpectant, eaque omnia, quæ ad inſtruendum pœnitentem occurrere poſſunt, & quoad ſolutionem dubiorum, quæ ipſius animum pulſare valent; & proinde ſcire tenetur ſaltem regulas, & principia cujuſcumque tractatus; reſolutiones quæſtionum, & caſuum ſaltem communiorum; requiſita in pœnitente ut valide, & licite poſſit abſolvi; & ſi is quid proponat, quod diſcuſſione, aut conſultatione indigeat, differat reſolutionem, quouſque abſque temeritate reſolvat quid reſolvendum ſit, ne cæcus cæco ducatum præſtans, ambo in foveam cadant. Tenetur item interrogare pœnitentem tum circa ea, quæ prudenter conjicit ab illo prætermitti; tum ad ejuſdem ſtatum, & miniſterium, & gradum pertinentia: & circa hoc, heu quot confeſſarii proprio muneri deſunt! Experientia edoctus adhuc in ſeculo degens, inveni confeſsarios nil omnino interrogantes, dum proculdubio interrogandum erat; tum hoc miniſterio plus quam per annos quadraginta, quamquam immeritus, fungens, non dicam aliqua, ſed centena, & centena mortalia a pœnitentibus nunquam expoſita inveni, ob deſidiam confeſſariorum, prout oportebat, nil interrogantium: quorum aliqui non erubeſcunt ſe tueri, enormi abuſu illius moniti Divi Pauli Apoſtoli: *Nihil interrogantes propter conſcientiam*, a Paulo prolati in ſenſu toto cœlo diverſo, ut legenti caput 10. 1. Corinth. conſtabit. Utinam in Die Domini non compellantur conqueri cum Propheta *væ mihi, quia tacui*. Ut Medicus tandem tenetur ſcire remedia, quæ animam curare valent a præteritis exceſſibus, & præſervare a relapſu in eoſdem. His generatim poſitis, deſcendamus ad ſpecialia.

Caveat commotione animi, & correptione intempeſtiva. VI. Cavendum eſt ſummopere confeſsario, ne intempeſtiva correptione pœnitentem terreat, aut inſolitis admirationibus eum verecundia afficiat, quod præcipue cum maſculis juvenibus & cum mulieribus obſervandum eſt; ex hoc enim contingit, confeſſiones obtruncari, & pœnitentem plura ſilere, quæ exponere jam paraverat: experto crede, qui confeſſiones multorum annorum a pluribus pœnitentibus ſacrilege peractas, ob intempeſtivam correptionem, & imprudentem zelum confeſsariorum, audire compulſus fui. Studeat igitur cum magna animi, & oris quiete expiſcari, quæ prudentia dictaverit expiſcanda, & correptio-

Digitized by Google

ptionem in fine reſervet: correptionem autem, quam cognoſcat pœnitens, non ab indignatione, aut commoto animo, ſed a charitate Chriſti proficiſci; & talis ſit, quæ nedum os illius non obſtruat ad alia proferenda, ſi quæ memoriæ occurrant, ſed etiam quæ illum alliciat ad illa exponenda; memor Parabolæ illius infelicis vulneribus ſauciati deſcendentis ab Jeruſalem in Jerico, figuræ peccatoris; ſuper cujus vulnera pius ille Samaritanus, Chriſtiani confeſſarii ſymbolum, non ſal aſperſit, neque acetum infudit, ſed vinum, & oleum; corroborans unum, deliniens alterum.

Caveat item, ne abſolvat illos, quibus abſolutio eſt differenda.

VII. Caveat item, ne intempeſtive abſolvat illos, quibus abſolutio eſt ſalubriter differenda; ii ſummarie indicantur a Rituali Romano: *Ne abſolvat eos, qui talis beneficii ſunt incapaces; quales ſunt qui nulla dant ſigna doloris; qui odia, & inimicitias deponere, aut aliena, ſi poſſunt, reſtituere, aut proximam occaſionem peccati deſerere, aut alio modo peccata derelinquere, & vitam in melius emendare nolunt; aut qui publicum ſcandalum dederunt; niſi publice ſatisfaciant, & ſcandalum tollant*. Iis, inquam, eſt differenda abſolutio, donec reſipiſcant; interea eos charitative hortando ad emendationem, & declarando illis eorum incapacitatem pro abſolutione obtinenda, donec emendentur, illos interea incitando, ut redeant.

Varia occaſionum peccandi genera.

VIII. Ut hæc clarius percipias, tria diſtinguas occaſionum peccandi genera: quædam dicuntur remotæ, quæ remote tantum inducere poſſunt ed peccandum, & in quibus non ſolet homo delinquere, puta aſpectus faciei perſonæ alterius ſexus. Proximæ, in quibus homo conſtitutus, plerumque mortaliter peccare ſolet; & hæ ſubdividuntur in Abſolutas, & Reſpectivas: Abſolutæ ſunt illæ, quæ ex natura ſua urgenter incitare valent quemcumque ad peccandum lethaliter, puta aſpectus voluntarius, & moroſus verendorum alterius ſexus: Reſpectivæ ſunt illæ, quæ magnam vim impellendi habent, non reſpectu cujuſcumque, ſed reſpectu talis perſonæ; ita ut plerumque labatur in mortale, quando in tali occaſiones invenitur: puta aſpectus deliberatus faciei perſonæ alterius ſexus, quam videns, lethaliter concupiſcere, aut delectari moroſe plerumque ſolet. Subdividitur item occaſio Proxima in Liberam, & Neceſſariam: Libera illa eſt, quæ voluntarie retinetur, & dimitti libere poteſt, abſque graviſſimo incommodo: Neceſſaria illa eſt, quæ moraliter dimitti non poteſt, vel quia non eſt in poteſtate peccantis ſe ab illa elongare; puta ſoror a fratre; vel quia ſine gravi aut ſcandalo, aut infamia, aut notabiliſſimo damno temporali, puta decidendi a proprio honeſto ſtatu, dimitti non poteſt. Inter occaſiones Remotas, & Proximas, quaſdam alias ſapienter detegerunt plures Theologi, quas vocarunt Propinquas, in quibus conſtitutus, neque plerumque labitur peccator, ſicut in proximis; neque aut nunquam, aut rariſſime ſicut in remotis; ſed ſpectatis naturis rerum, & circumſtantiarum, ſæpe labitur in mortale.

„ A vera idea occaſionis proximæ, prout hæc apud Theologos accipitur, quam „ longiſſime aberraret, ait P. Thomas „ Dujardin *de Officio Sacerdotis qua judicis &c. Sect.* 2. §. 1. qui ſibi imaginaretur ideo dici proximam, quia propinquior „ illa dabilis non foret. Procul etiam ab „ hac idea aberrarunt, qui ut occaſio aliqua cenſeri debeat proxima, & hoc titulo neceſſario vitanda, requiri dixerunt, ut ſemper vel fere ſemper, ordinarie, aut plerumque, frequentius „ aut ſaltem æque frequenter in peccatum mortale trahat, quam non trahat. „ Dico in peccatum mortale, quia de ſola occaſione proxima peccati mortalis in „ præſenti agimus. Procul, inquam, hi „ aberrarunt ab idea occaſionis proximæ. „ Quis enim prudens, & cordatus inficiari poſſit juveni ex. gr. eſſe occaſionem „ proximam, & hoc titulo neceſſario vitandam, alloquium puellæ ex quo de „ centum vicibus quadrageſies labitur in „ conſenſum delectationis venereæ? Et „ tamen iſtud alloquium non ſemper aut „ fere ſemper, non ordinarie aut plerumque, non frequentius imo nec æque frequenter in peccatum mortale trahit, „ quam non trahit.

„ Quare hac idea occaſionis proximæ, „ quæ recentioribus quibuſdam caſuiſtis „ perperam arriſit, tanquam nimis licentioſa rejecta, emendatiores Thelogi morales cenſent ſufficere ad occaſionem proximam, & eo titulo neceſſario vitandam, quod frequenter in peccatum mortale inducat, etſi non inducat frequentius, nec æque frequenter, quam non „ inducat. Proinde abſolute illam definiunt: „ *Id quod frequenter in peccatum mortale inducit.*

„ Nec

Digitized by Google

„ Nec hæc tamen deſcriptio occaſionis „ proximæ omnibus Theologis ſatis placet. „ Cum enim, inquiunt, peccatum mortale ſit fugiendum non ſolum ob multiplicitatem, ſed propter ſeipſum, utpote malorum omnium malum longe graviſſimum; occaſio proxima a remota, ſive neceſſario vitanda a non neceſſario vitanda diſcerni debet, non tam ex frequentia, vel raritate lapſuum, in quos occaſio inducit, quam ex majori, vel minori veriſimilitudine, qua quis in illa lapſurus ſit, & hinc occaſionem proximam definire malunt: ***Id quod natum eſt in peccatum mortale inducere***: Vel: ***Id quod adfert morale periculum peccati mortalis***.

„ Verum ad rem ipſam quod attinet, „ & in ordine ad praxim, exiſtimo poſteriores deſcriptiones occaſionis proximæ haud multum differre a priore; eo quod judicio prudentum non cenſeatur, aliquid natum eſſe in peccatum mortale trahere, ſive adferre morale periculum peccati mortalis, ſi non frequenter, ſed raro tantum in peccatum mortale trahat...

„ Quanta autem frequentia lapſuum requiratur, ut occaſio aliqua cenſeri debeat nata eſſe in peccatum mortale trahere, ſive adferre morale periculum peccati mortalis, ac proinde eſſe proxima, & hoc titulo neceſſario vitanda; non poteſt arithmetice determinari; ſed moraliter, penſata qualitate peccati, tentationis, infirmitate perſonæ peccantis, aliiſque circumſtantiis, definiri debet ex arbitrio viri prudentis. “ Lege præcitatum Auctorem, qui etiam circa hanc materiem plures caſus proponit, ac reſolvit qui ſæpe ſæpius in praxi occurrunt.

Nota circa occaſiones proximas.

IX. Circa occaſiones proximas nota ſequentes theſes a Summ. Pontificibus damnatas, nempe ab Alexandro VII. num. 41. *Non eſt obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii, vulgo* Regalo, *dum deficiente illa, nimis ægre ageret vitam, & aliæ Epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur*. O theologiam portentoſam, & Epulone dignam! Ab Innoc. XI. theſes num. 61. *Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima peccandi occaſione verſatur, quam poteſt, & non vult omittere; quin immo directe, aut ex propoſito quærit, aut ſe ingerit*. Nonne horres, hæc legendo? & n. 62. *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando aliqua cauſa utilis aut honeſta non fugiendi occurrit*: & n. 63. *Licitum eſt, quærere directe occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi*. Quando igitur peccator invenitur conſtitutus in occaſione proxima voluntaria non eſt capax abſolutionis; quia cum retinere, quærere, ſe ingerere in occaſionem proximam lethaliter peccandi, ſit in ſe peccatum mortale, etiamſi per accidens aliquando non contingat lapſus; & homo volens peccatum mortale ſit incapax abſolutionis; propterea volens occaſionem proximam, cum velit peccatum mortale, non eſt abſolvendus. Plures dicunt, quod qui prima vice confitetur jam conſtitutus in occaſione peccandi proxima, ſerioque dolet, & ſpondet ſe quamprimum eam dimiſſurum, poſſit abſolvi: at experientia me docuit, rariſſime, & fere nunquam id executioni mandari; idcirco prudenter inſinuandum eſt pœnitenti, ut prius ſe ab illa expediat (loquimur enim de occaſione libera, & voluntaria) & ab hac expeditus, redeat ad beneficium abſolutionis recipiendum. Quando autem occaſio Proxima eſt neceſſaria, ut reapſe non ſit in poteſtate pœnitentis ſe ab illa elongare; tunc alia eſt via cum ipſo tenenda. Poſito quod ſerio doleat, & promittat, ſe documenta confeſſarii executurum, poterit prima vice abſolvi: documenta vero ei danda, ſunt: Primo frequentia confeſſionis apud eumdem confeſſarium pro determinato tempore: Secundo, fuga occaſionis, quantum permittere poteſt ratio circumſtantiarum, & ſtatus perſonæ: Tertio nonnullæ breves preces quotidie recitandæ ad determinatum tempus, ut obtineat a Deo ſuæ gratiæ ſubſidia: Quarto injunctio alicujus actus pœnalis in caſu relapſus, & conditionate; actus, inquam, pœnitentialis proportionati ſtatui, & circumſtantiis perſonæ; deinde, juxta gradum fructus, quem confeſſarius a pœnitente eliciet, abſolutionem aut impertiatur, aut differat prout expedire in Domino ſibi videbitur: pœnitentem ſemper in ſpem erigendo, ſuaviter, & charitative tractando, ne avertatur ab acceſſu ad confeſſarium; quod eſſet pro pœnitente ipſo maximum malum, ſi eveniret.

Obſervanda circa occaſiones propinquas.

X. Pœnitens, qui verſatur in aliqua occaſione propinqua, tametſi in ea conſtitutus, non plerumque, ſed ſæpe labatur, quamquam aliquibus videatur toties quoties abſolvendus, inculcata eidem occaſionis fuga; probabilius eſt, etiam ipſi quoque denegandam eſſe abſolutionem, ſi nolit occaſionem liberam, & ex ejus ſolo arbitrio pendentem derelinquere. Qua enim ratione ſuaderi unquam poterit, ut ſincere dolens judicetur, firmumque habeat propoſitum non relabendi, qui abſque notabili incommodo, nullaque jactura, niſi ſolius oblectamenti, non vult deſerere offendiculum ſui relapſus, non rari, ſed frequentis? Inculcata igitur prima vice deſertione occaſionis, eadem ſerio promiſſa abſolvatur; at ſi inveniatur in ſequenti confeſſione relapſus, neque deſeruiſſe occaſionem propinquam omnino liberam, differatur abſolutio quouſque vel occaſionem deſerat, vel in illa poſitus non amplius mortaliter cadat.

Obſervanda circa conſuetudinem peccandi.

XI. *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, ne differenda abſolutio, dummodo ore proferat ſe dolere, & proponere emendationem.* Hæc doctrina reprobata fuit ab Innocentio XI. in theſi 60. Item etiam hæc in theſi 58. *Non tenemur confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem.* Non eſt igitur abſolvendus habens conſuetudinem aliquam peccandi mortaliter, niſi talia det argumenta, poſt abſolutionis dilationem opportunam, ut confeſſarius ſpem prudentem concipere poſſit, pœnitentem & corde deteſtari conſuetudinem, & ſerio procurare ſui emendationem, cujus certum indicium præbuit, abſtinendo a voluntariis lapſibus, pro tempore dilatæ abſolutionis. Circa hoc accidit non raro confeſſariis deceptio, nimiæ facilitatis concipiendi ſpem emendationis in pœnitente conſuetudinario ſive circa venerea, ſive circa perjuria, ſive circa obſcœnos diſcurſus, ſive circa aliquod aliud lethale, eo quia videat illum commotum, compunctum, & quandoque etiam lachrymantem. Verum experientia longi temporis didici, etiam poſt lacrymarum imbrem, fere nunquam ſequi emendationem, niſi interventu diſcretæ dilationis beneficii abſolutionis, quæ pœnitentem excitet ad percipiendam ſtatus ſui infelicitatem, emendationemque toto conatu procurandam; adjuncta deinde eidem obligatione, pro determinato tempore frequentis confeſſionis; aliter nil concluditur.

Confeſſarius non obligans ad reſtitutionem, quando debeat reſtituere?

XII. Confeſſarius, qui ex ignorantia culpabili deobligat pœnitentem a reſtitutione facienda, juxta omnes; vel deliberate diſſimulat eidem reſtitutionem inculcare, quando eſt facienda, fit hujuſmodi oneri obnoxius ipſe, juxta fere communem; quia eſt cauſa realis damni proximi: ut igitur ab hoc onere ſe liberet, tenetur, quando pœnitentem agnoſcit, petere ab eo facultatem loquendi ſecum de auditis in confeſſione; qua conceſſa, eidem aperiat ſuam obligationem; ſi autem vel pœnitentem ignoret, vel inveniat inique nolentem licentiam petitam concedere; cogitur ipſe onus reſtituendi ſubire, quemadmodum communiter aſſeritur tam de conſultore in damnum alterius, quam de non loquente dum loqui poteſt, & tenetur ex vi officii ſui ad impediendum alienum damnum, juxta dicta in tractatu 9. capite 5. §. 14.

P. Paulus Gabriel Antoine *Tract. de Pœnit. cap.* 3. *art.* 3. *quæſt.* 10. clarius evolvit, ad quid teneatur Confeſſarius propter defectum circa reſtitutionem. Lubet ejus verba, tametſi aliquantulum prolixa, tranſcribere. ,, 1. Si ſine culpa, ,, *inquit*, deobligaſti pœnitentem a reſti,, tutione, ad quam tenebatur, vel obli,, gaſti ad quam non tenebatur, teneris ,, ex juſtitia errorem dedocere. Nam ,, quiſque tenetur ex juſtitia impedire, ,, ne ſua actione etiam inculpabili pa,, riat alteri damnum; alioqui cognito ,, errore, tenetur de damno; proximus ,, enim jus habet, ne damnum a quo,, quam quovis modo patiatur. 2. ſi ex ,, malitia, vel ignorantia vincibili, aut ,, gravi negligentia conſiderandi, dixiſti ,, pœnitenti eum non teneri ad reſtitutio,, nem, ad quam reipſa tenetur, teneris ,, errorem dedocere. Quod ſi non dedo,, ces, vel pœnitens interea factus eſt ,, impotens ad reſtituendum, qui alioqui ,, reſtituiſſet, teneris ipſe reſtituere illi ,, tertio. Nam violaſti jus quod ille ha,, bebat, ne impedires reſtitutionem ei ,, debitam, & conſilio tuo es cauſa effi,, cax ejus damni. Si vero pœnitens poſ,, ſit adhuc reſtituere, ſufficit, quod eum ,, moneas de ejus obligatione; nam tua ,, monitione ſufficienter tollis cauſam ,, damni inferendi, quam poſueras: un,, de ſi pœnitens non reſtituat ex mali-

,, tia.

Digitized by Google

,, tia, id tibi imputari nequit, cum jam non ſis cauſa damni. 3. ſi ex ignorantia, vel negligentia culpabili omiſiſti ſolum admonere pœnitentem de obligatione reſtituendi, teneris cum poſtea admonere. Sed juxta multos, non teneris ipſe reſtituere, ſi pœnitens ſit interea factus impotens ad reſtituendum; imo etiam ſi non moneas eum de reſtitutione facienda, ſaltem niſi ex officio habeas curam animarum. Quia Confeſſarius, præciſe ut Confeſſarius, non tenetur ex juſtitia impedire damnum ejus, cui debetur reſtitutio; ac proinde omittendo monitionem non peccat contra jus creditoris, ſed contra bonum ſpirituale pœnitentis; confeſſarius enim nullam juſtitiæ obligationem, nec officium habet in ordine ad creditorem, ſed tantum in ordine ad pœnitentem; nec tenetur ex officio procurare bonum temporale aliorum, ſed ſolum ſpirituale bonum pœnitentis, nec eſt hujus caput politicum, ſicut Prælatus reſpectu ſuorum ſubditorum. Omittens autem, aut tacens non tenetur de damno non impedito, niſi ei, cujus damnum tenetur ex juſtitia impedire. Itaque hac in re non eſt par ratio confeſſarii, & judicis profani; nam hic tenetur ex officio bonum aliorum ſpectante ſervare jus omnium tanquam perſona publica, conſtituta ad procurandum bonum temporale, & jus aliorum. Confeſſarius autem obligatur ſoli pęnitenti in foro pęnitentiæ, quia hoc forum, ac judicium privatum eſt, & inſtitutum in bonum pęnitentis. Dixi, *ſaltem niſi ex officio habeas curam animarum*, ut ſunt Epiſcopi, & Parochi, quos tunc teneri ad reſtitutionem, valde probabile eſſe cenſet Leſſius, quia cum iſti ſint Superiores, ex officio tenentur regere ſubditos, & pro modo ſuæ gubernationis impedire, ne aliis damnum inferant, ac proinde tenentur curare, ſi commode poſſint, ut reſtitutionem faciant. Ejuſdem enim rationis eſt damnum inferre, & illatum nolle reſarcire, 4. ſi pęnitentem culpabiliter, hoc eſt, ex malitia, vel ex ignorantia vincibili, vel gravi negligentia conſiderandi, obligaſti ad reſtitutionem, ad quam non tenebatur, teneris ex juſtitia errorem retractare. Quod ſi jam reſtituit, teneris damnum illud ipſi reſarcire. Nam illius fuiſti cauſa efficax, & injuſta tuo falſo conſilio, ex cap. ult. *de injur.* Item teneris pęnitenti de damno, ſi tua omiſſione culpabili fuiſti cauſa, cur ipſe reſtitueret id, ad quod non tenebatur; nam tale damnum oritur ex omiſſione monitionis ei debitæ ex officio erga eum, ideoque ex juſtitia debitæ.

An confeſſarius conformari debeat opinioni Pœnitentis?

XIII. Confeſſarius licite abſolvere non poteſt pœnitentem, qui circa aliquam actionem dę mortali, perſiſtit in ſua opinione minus probabili, contra probabiliorem ipſius confeſſarii; quia confeſſarius tunc ageret contra conſcientiam ſuam rite formatam, quod nunquam licet: neque urbane illum dimittendo, ullo modo offendit, dummodo eidem prudenter declaret juſtum ſuæ dimiſſionis motivum; non enim, ut ſe accommodet pęnitênti, poteſt agere contra conſcientiam ſuam rite formatam, Deumque graviter offendere, ut illi complaceat. Si autem pęnitens revera longe doctior eſſet confeſsario, & affirmaret coram Deo, opinionem ſuam ſibi eſse probabiliorem, & illam, quam confeſsarius ut probabiliorem adoptavit, ſibi eſse minus probabilem; tunc non imprudenter ageret confeſsarius, deponendo ſuam opinionem, & adoptando doctrinam pęnitentis admiſsam ut probabiliorem, illumque abſolvendo; quia rationabiliter ageret, abſque ulla ſuæ conſcientiæ læſione, immo cum ſuæ conſcientiæ reformatione rationabili.

✠ Vide quæ ad rem hanc addita ſunt *tom. 1. tract. 1. cap. 1. §. 6.*

Quid circa ignorantes myſteria Fidei?

XIV. Confeſſarius abſolvere non poteſt pęnitentem, qui ignorat myſteria Trinitatis, & Incarnationis, niſi prius inſtruatur: ita fuit definitum ab Innocentio XI. reprobante theſ. 64. & 65.: *Abſolutionis capax eſt homo, quantavis laboret ignorantia myſteriorum fidei, etiamſi per negligentiam, etiam culpabilem, neſciat myſterium SS. Trinitatis, & Incarnationis D. N. Jeſu Chriſti. Sufficit illa myſteria ſemel credidiſſe.* Neque de hoc aliquis modo amplius dubitat. At quod acriter controvertitur eſt, quid agendum circa confeſſiones præteritas cum tali ignorantia factas? Quidquid multi dicant, longe rationabilius, & probabilius eſt, eas eſſe repetendas; idque probatur hoc ineluctabili argumento. Nam, ex Innocentii oraculo, ignorans illa myſteria non eſt abſolutionis capax in præſenti, ergo neque fuit capax pro præterito: temporis namque differentia nil influit

in hujuſmodi capacitatem: atqui in ſubjecto incapaci abſolutionis, non habetur abſolutionis effectus, qui eſt peccatorum remiſſio : igitur neque per anteriores abſolutiones hunc effectum conſequutus fuit. Tenebitur itaque confeſſiones illas repetere, atque ad hoc exequendum obligandus erit a confeſſario. Ratio autem horum omnium eſt neceſſitas medii, obſtringens omnem adultum, ad præfata myſteria ſcienda, & memoriæ commendanda, ut diximus in Tract. 4. c. 1. §. 2. Quomodo autem ſe gerere debeat Confeſſarius in directione fœminarum vide Tract. 16. cap. 3. §. 1. n. 2. 3. 4.

Abſolutione quoque donandi non ſunt, qui ignorant ea, quæ neceſſitate præcepti quilibet Chriſtianus noſſe debet circa materiam fidei & morum, ut ſunt ea quæ continentur in ſymbolo Apoſtolorum, Decalogo, Oratione Dominica, & quinque Præceptis Eccleſiæ. Item ea quæ concernunt Sacramenta, præcipue Baptiſmum, Euchariſtiam, & Pœnitentiam, & quæ ab Eccleſia communiter ſolemnizantur, ut loquitur S. Thomas, v. gr. Sanctos cum Chriſto in Cœlo regnantes colendos eſſe, & invocandos; illorum imagines & reliquias eſſe venerandas; purgatorium dari poſt hanc vitam, animaſque in eo detentas Fidelium ſuffragiis juvari &c. Item ea, quæ ſpectant ad communes hominis Chriſtiani obligationes, puta vivendi Deo, ipſum orandi, colendi, ſuper omnia diligendi, in ipſum credendi, ſperandi &c. Similiter abſolutionis ſunt incapaces ignorantes ea, quæ ex vi ſtatus vel officii ſub gravi culpa ſcire tenentur; ut ſi conjugatus ignoret obligationes matrimonii graviter obſtringentes; Religioſus ſtatus religioſi ac regulæ, quam profeſſus eſt; ſi Confeſſarius, Cauſidicus, Medicus, careant notitia ad ſuum reſpective officium recte obeundum neceſſaria. Ratio eſt, quia cum ignorantia tam eorum, quæ ad communes obligationes hominis chriſtiani ſpectant in materia fidei, ac morum, quam eorum, quæ particulares obligationes hujus pęnitentis reſpiciunt, ſit in ipſis graviter culpabilis, ſaltem ut plurimum, ac per ſe loquendo; manifeſte arguit indiſpoſitionem pęnitentium eadem laborantium, proinde nequit Confeſſarius, prudenter judicare tales eſſe legitime diſpoſitos. Nihilominus ſi ejuſmodi ignorantes, legitime in præſenti dolerent de culpabilibus ignorantiis earum rerum, quas de neceſſitate præcepti credere aut noſſe tenentur, non autem de neceſſitate medii, ſtatuerentque firmiter adhibere deinceps omnem neceſſariam diligentiam, & ſtudium ad earumdem rerum notitiam, ac fidem explicitam acquirendam, nihil prohiberet eos abſolvi, priuſquam reipſa notitiam illam acquiſiviſſent. Sic P. Fr. Thomas Dujardin *De Officio Sacerdotis, qua Judicis Sect.* 1. §. 3. qui poſtea etiam infert, ordinarie repetendas quoque eſſe confeſſiones, quas pęnitens fecit durante ignorantia myſteriorum, quæ etiam ſola neceſſitate præcepti credere oportet, vel earum rerum, quæ ſpectant ad communes obligationes hominis chriſtiani, vel ſpeciales hujus pęnitentis; cum hujuſmodi ignorantia etiam, ut plurimum, ſit graviter culpabilis, ac permanens continuumque peccatum. Igitur (concludit ipſe) ſi Confeſſarius deprehendat pęnitentem hactenus ignorantiis iſtis fuiſſe obnoxium, injungere illi debet, ut præmiſso anteactæ vitæ diligenti examine confeſſionem inſtituat generalem, ubi ſcilicet myſteria fidei, obligationeſque ſuas tam communes, quam ſpeciales ſufficienter edoctus fuerit: præſertim ſi alias Confesſario hæc diſcere ſpopondiſset, nec tamen promiſſis ſtetiſſet. Legatur Conſtitutio S. Pontificis Benedicti XIV. edita *die* 7. *Februarii* 1742., quæ incipit *Etſi minime Nobis*, in qua *de Doctrina Chriſtiana Populis tradenda* Sum. P. diſserit; *& qua ratione, & methodo Fidelium indigentiæ hac in re conſulendum ſit* præſcribit. Porro §. 10. hæc habet quæ hactenus tradita confirmant: *Omnes denique, ait, omnium ætatum, atque ordinum homines ſolent identidem ſordes animæ Pœnitentiæ Sacramento detergere. Curabit itaque Epiſcopus, ut Sacerdos excipiens Confeſſiones, fixum illud, immotumque animo ſemper habeat, invalidam eſſe Abſolutionem Sacramentalem, quam quis ignoranti res neceſſarias neceſſitate medii impartitur, nec poſſe homines Deo per hujuſmodi Sacramentum reconciliari, niſi prius excuſſa hujus ignorantiæ caligine, ad agnitionem Fidei educantur. Sedulo etiam animadvertet Confeſſarius, in aliud tempus reiiciendam eſſe Abſolutionem illius, qui neceſſaria neceſſitate præcepti ſuo vitio neſcit; & eo quandoque caſu Pœnitentem abſolvi poſſe, quo ſe vincibilis hujus ignorantiæ reum agnoſcat, & accuſet; & intime doleat, tum a Deo veniam precetur, tum*

Con-

Digitized by Google

Confeſſario ſerio promittat, operamſe impenſe daturum, qua, Divinæ gratiæ præſidio, diſcat etiam neceſſaria neceſſitate præcepti. Habetur hæc Conſtitutio *Tom.* 1. *Bullarii num.* 42.

✠ Si pœnitens in mortis extremo ſit conſtitutus, laboretque Myſteriorum ignorantia, curabit ante omnia Confeſſarius, ut ipſum inſtruat de his, quæ ſcienda & credenda ſunt neceſſitate medii, nempe de Myſteriis Trinitatis, Incarnationis, & Paſſionis Jeſu Chriſti. Deinde quæ futuram vitam ſpectant exponenda illi erunt; eaque fortius Miniſter inculcabit, fuſiuſque declarabit, quæ ad ſummum, perfectumque præteritorum criminum, ac etiam negligentiæ in addiſcendis rebus fidei dolorem ciendum efficaciora exiſtimaverit. Conſulto dixi *de his, quæ ſcienda & credenda ſunt neceſſitate medii*; quippe circa ea, quorum notitia vi dumtaxat præcepti neceſſaria eſt, tunc potius ſollicitus ſit Sacerdos, ut pœnitens doleat & conteratur de culpabili negligentia præterita, quam ut eumdem ſcientia imbuat; plus ſiquidem dolor & contritio in tali caſu illi proderit, quam ſcientia. Omnia tamen tempori & circumſtantiis accomodanda ſunt. Illud maxime Sacerdos curabit, ut pœnitens actus fidei, ſpei, & caritatis edat, atque integre, quoad fieri poterit, confiteatur, ſtatumque vitæ ſuæ, prout temporis anguſtiæ permiſerint, manifeſtet, præſertim ab eo tempore, quo neceſſario ſcienda, & credenda ignoravit. Legantur Petrus Colet *tom.* 3. *cap.* 1. *art.* 1. *ſect.* 2. *punct.* 1. *prope finem*; & P. Daniel Concina *lib.* 1. *in Decal. diſſert.* 1. *c.* 10. §. 3. *n.* 28. ubi etiam formulam ſuggerit, qua uti poteſt Confeſſarius ad adjuvandum talem peccatorem decumbentem, cui mortis periculum inſtat.

§. VIII. *De obligatione Confeſſarii circa ſigillum Confeſſionis.*

Quid ſit ſigillum & quanta illius obligatio?

I. Sigillum confeſſionis eſt religioſa obligatio afficiens confeſſarium, ſervandi ſub inviolabili, in quocumque caſu, ſecreto cognita ex confeſſione ſacramentali, quamvis non perfecta per abſolutionem: quæ obligatio eſt Juris Naturalis, Divini, & Eccleſiaſtici: naturalis, quo tenetur quiſque ad ſecreta pro merito rerum cuſtodienda, & præcipue quorum notitia redundat in damnum, aut dedecus, aut infamiam ſive illius, qui ſecretum conſignavit, ſive alterius: juris Divini, quia eo ipſo quod Chriſtus impoſuit obligationem manifeſtandi confeſſario omnia lethalia, injunxit eidem obligationem ſigilli: juris Eccleſiaſtici, ex praxi Eccleſiæ immemorabili; & expreſſe ex Concilio Lateran. 4. jubente c. 12. Violatorem ſigilli, *non ſolum a ſacerdotali officio deponendum, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monaſterium eſſe detrudendum.* Hæc itaque obligatio adeo obſtringit, ut in nullo caſu, etiam vitæ perdendæ, diſpenſari poſſit, ſine ſpontanea, & expreſſa pœnitentis conceſſione. Manifeſtum namque eſt, quod niſi hæc ſecuritas ſigilli afficeret hoc ſacramentum, ejus integritas perpetuo eſſet expoſita periculo; immo odioſa redderetur confeſſio, cum communi Eccleſiæ, & fidelium damno.

Violatio ſigilli quale peccatum?

II. Confeſſarius ſigillum frangens, peccat duplicis ſpeciei delicto, injuſtitiæ videlicet, & ſacrilegii: injuſtitiæ, quia violat contra jus naturale ſecretum in re graviſſima: ſacrilegii, quia irrogat graviſſimam injuriam ſacramento contra virtutem Religionis. Hinc in fractione ſigilli non datur parvitas materiæ, eo quod quæcunque violatio, etiam in re minima, ſemper de ſe reddit odioſum ſacramentum, eidemque gravem facit injuriam; quaproter etiamſi confeſſarius graviter in aliquo erraſſet, non poteſt cum pęnitente loqui de auditis in confeſſione extra confeſſionem, niſi petita, & obtenta a pęnitente licentia; quam ſi ipſi neget, quamvis graviter peccet, nihilominus confeſſarius ſilere compellitur.

Quot modis violatur ſigillum?

III. Duplici autem modo contingit violatio ſigilli, directe ſcilicet, & indirecte: Directe, manifeſtando aliquid ad confeſſionem pertinens, & ex ſola confeſſione cognitum: indirecte, aliquid dicendo, vel faciendo, ex quo præbetur motivum cognoſcendi, vel ſuſpicandi de auditis a tali pœnitente in confeſſione; unde vel ipſi pœnitenti, vel alteri redundet aliquod gravamen: vel quando confeſſarius, ex peccato a pęnitente audito, ſe dirigit quoad directionem externam eo modo, quo non ſe dirigeret, niſi peccatum illud audiſſet, puta dando eidem ſuffragium contrarium in concurſu &c.

Materia ſub ſigillo tenenda.

IV. Materia ſigilli nedum ſunt peccata omnia tam externa, quam interna, tam publica, quam occulta, & privata, cum eorum circumſtantiis; verum etiam pravæ in-

Digitized by Google

inclinationes, tentationes, imperfectiones, vitia, indiſpoſitio, complices, materia ſeu objectum peccati pœnitentis, occaſio, motivum, & cauſa peccati. Item defectus dumtaxat naturales ex confeſſione in pęnitente cogniti; puta defectus natalium, ignorantia, debilitas mentis, ſcrupuloſitas, & quodcumque aliud, afferens dedecus aliquod pęnitenti, ſi a confeſſario ex confeſſione dumtaxat agnitum fuerit, quia etiam hæc ſingula pandere, præjudicium aliquod affert pęnitenti; & ſi ſciret eadem ſub ſigillo non cadere, averteretur a confeſſione: & hinc redderetur odioſa confeſſio. Quæ omnia ſilere tenetur confeſſarius, nedum vivente pęnitente, verum etiam eo mortuo; nam obligatio ſigilli eſt perpetua, & quoad hæc conveniunt omnes Scriptores.

Varii modi frangendi ſigillum. V. Franget igitur ſigillum confeſſarius, qui conqueritur de ſcrupulis, de næniis, de hebetudine, de phantaſia, aliiſque defectibus talis pęnitentis, quos non niſi ex confeſſione expertus eſt: item qui de aliquo monaſterio, collegio, aliove loco, in quo plures collegialiter vivunt, dicit, ibidem floreſcere amores; ſe invicem corrodere, extare diſſenſiones, vanitates &c., ſi hæc tantummodo ex confeſſionibus auditis noverit: item qui de aliquo caſtro, oppido, rure, aliove loco non ampli circuitus dicit, dominari adulteria, furta &c., ſi id ex confeſſionibus tantum compererit: item qui, paucorum hominum, vel paucarum mulierum confeſſionibus audiſis, dicit, ſe tale crimen audiiſſe, quamvis non indicata perſona; quia ſinguli illi pauci in ſuſpicionem venire poſſunt de crimine illo; immo fieri poteſt, ut aliquis audientium pęnitentes illos viderit, & noverit; atque ex quibuſdam circumſtantiis conjiciat, quis vel quæ eorum illud perpetrarit: Item qui dicit, ſe neminem abſolviſſe, aut quaſi neminem eorum, quos mane, aut poſt prandium audivit. Item, qui motibus agitatis, criſpitudine frontis, aliiſque exterioribus ſignis indicat, ſe enormia audire, aut cum pęnitente diſputare, aut eumdem ſevere corripere. Item qui voce adeo alta loquitur, ut a circumſtantibus audiri poſſit: qui cum pęnitente, ſine illius præhabita licentia, extra confeſſionem de auditis in confeſſione primus loquitur: qui loquens de ſuis pęnitentibus, aliquem præ cæteris commendat, dicendo, ſe ab illo nunquam audiviſſe mortalia: qui monere audet genitores filiæ pœnitentis, ut ſuper ipſam invigilent; vel ut bene explorent, an velit nubere tali viro, vel genitores filii, ut animadvertant cum quibus converſetur, quæ loca frequentet &c. Item qui ita fugiunt, & declinant pœnitentem alias auditum, ut ipſe conjicere poſſit, ſe declinari, ne iterum audiatur, ob controverſias ſecum in confeſſione habitas; item qui conſilium quærentes pro ſolutione alicujus caſus, ita incaute ſe gerunt, ut quæſitum audiens, poſſit conjicere; quænam ſit perſona, de qua interrogans ſciſcitatur: item qui dicunt cum mulieribus, quas audiunt, vel cum tali perſona ſe terere tempus: qui literas teſtimoniales, vel ſuffragium, vel promotionem dénegat, etiam occultiſſime, ob audita in confeſſione; immo etiam qui peccatum futurum prædicunt ex cognitis in confeſſione: hi, inquam, omnes ſigilli violatores reſpective, directi, aut indirecti merito jure cenſentur.

VI. Confeſsarius tenetur ad ſigillum circa audita a pœnitente, qui acceſſit animo confitendi, quamvis ob illius indiſpoſitionem ſine abſolutione dimiſso; quia cum expoſuerit peccata animo faciendi Sacramentum, audita fuerunt Sacramentaliter: ita tenet communis. Si autem manifeſte conſtaret, quod acceſserit animo non confitendi; ſed vel ſollicitandi confeſsarium, vel ad ipſum inducendum ad aliquod aliud peccatum; quemadmodum illa non eſset confeſſio Sacramentalis, ſed vera ſeductio; ita neque gauderet privilegio ſigilli: deberet tamen forte ex alio capite confeſſarius ſilentium cuſtodire. Sigillum obligat etiam in confeſſione imperfecta.

* Confeſſarius ſi audierit pœnitentem, & non abſolverit, requiraturque de atteſtatione confeſſionis in ſcriptis, debet illam concedere; non tamen unquam affirmare debet ſe illum abſolviſſe, nec tunc pariter cum illum abſolverit; nam alias ſi de aliquo hoc atteſtatus fuiſſet, & de aliquo non, revelationis Confeſſionis periculum ſubiret. Legatur *Inſtit.* 45. S. P. Benedicti XIV. §. 10.

VII. Poteſt Confeſſarius intra Confeſſionem loqui cum pœnitente de auditis in aliis ſuis confeſſionibus, quoties juſtum, & rationabile motivum occurrit; vel ipſum convincendi de fallaci promiſſo, vel corripiendi de non dimiſſa occaſione, vel admonendi de aliquo a ſe non admonito, puta de onere reſtituendi, vel de ſpecie peccati non interrogata, vel de aliqua alia re, de qua aut ipſe interrogare debebat, Quando poſſit confeſſarius loqui cum pœnitente de auditis in confeſſione

aut

aut quæ conferat in pœnitentis utilitatem, quia notitia illa eſt in eodem foro, utiliſque pœnitenti. Item ſi pœnitens extra confeſſionem confeſſarium primus alloquatur de expoſitis in confeſſione, poteſt confeſſarius reſpondere; quia ex facto apparet, eidem concedere licentiam loquendi. Et quidam cum Luzone addunt, quod ſi ſtatim poſt datam abſolutionem, advertat confeſſarius, aliquid eſſe pœnitenti ſubjungendum, quod intra confeſſionem dicere vel oblitus fuit, vel non advertit, poteſt eidem illud dicere; quia moraliter cenſetur continuari eadem actio, idemque judicium, quod comprehendit actus etiam monendi, inſtruendi &c. Dixi ſi ſtatim poſt abſolutionem; ſi enim talis mora intercedat, ut moraliter cenſeatur completa actio, finitumque judicium; debebit prius ab eo petere licentiam ad ſecum colloquendum de ſua confeſſione; & in caſu quo hæc licentia denegetur a pœnitente, quamvis ageretur de ipſius graviſſimo malo declarando, etiam æterno, nullo modo poſſet loqui; nam longe gravius inconveniens eſt fractio ſigilli contra voluntatem pœnitentis, quocunque alio; bonum enim Sacramenti, admodum pendens a ſecuritate ſigilli nunquam violandi, prævalet cuicumque alteri damno, etiam ſalutis æternæ pœnitentis.

Caſus incidens reſolvitur. VIII. Si a quovis, etiam a ſupremo judice, confeſſarius interrogetur de aliquo pœnitentis peccato, ſub quacunque comminatione, debet ſimpliciter, etiam cum juramento, ſi opus ſit, dicere, ſe neſcire pœnitentem tale crimen perpetraſſe, & verum jurat, quia reſpondit in ſenſu interrogationis; quandoquidem interrogatio debet eſſe, an ipſe ſciat peccatum tali ſcientia, humano, & civili convictui propria, quæque deſervire poſſit ad illud crimen dicendum, de qua dumtaxat notitia poſſunt homines ſciſcitari: & non de illa, quæ habetur in perſona Chriſti, quæ eſt ſolius fori Divini: unde egregie S. Thomas in 4. diſt. 21. qu. 3. a. 1. ad 3. *Homo non adducitur in teſtimonium, niſi ut homo, & ideo abſque læſione conſcientiæ poteſt jurare, ſe neſcire, quæ ſcit tantum ut Deus.* Propterea reſponſio, quam aliqui ſuggerunt adhibendam, dicendo: talem interrogationem eſſe impiam, & injuſtam, impiumque eſſe eidem reſpondere, videtur potius augere ſuſpicionem interrogantis ſagacis, quam tollere. Et ſi interrogans inſiſteret: an audierit confeſſionem illius, reſpondeat ſe audiviſſe; & ſi urgeat, an tale crimen fuerit confeſſus, reſpondeat ſe nihil tale audiviſſe; nam ſemper reſpondet ut homo, & de auditione ipſi conveniente, ut homini, & non ut Chriſto.

Relege quæ tradidimus *Tom. 1. Tract. V. cap. unic. §. 1. num.* 6.

IX. Confeſſarius, qui aliunde audivit crimen in confeſſione ſibi a pœnitente expoſitum, non idcirco poteſt illud majori certitudine affirmare, quam antea feciſſet; proinde ſi de eodem loquatur, eo gradu certitudinis loqui debet, ac ſi illud in confeſſione non audiiſſet, quia, ut patet, id eſſet uti cognitione in confeſſione acquiſita. Immo quamvis crimen Petri v. gr. eſſet omnibus notum, quia illud patravit in platea, puta homicidium; non poteſt confeſſarius in laudem ejuſdem dicere, quod magno dolore, profuſiſque lacrimis illud ſibi confeſſus fuerit; quia revelaret directe confeſſionem, ut patet. Caſus alter.

X. Si confeſſarius ex confeſſione notitiam acquirat, ſibi imminere grave malum in vita, fama, aut bonis, debet petere a pœnitente licentiam utendi tali notitia, dumtaxat ut ſibi præcavere queat occultiori modo, quo poterit, & pœnitens tenetur ſub mortali illam eidem concedere: quod ſi pœnitens nolit, timens imprudenter revelationem confeſſionis, & confeſſio bona fide facta, aut inchoata fuerit; Confeſſarius, quamvis illum ſine abſolutione dimittere debeat, tanquam indiſpoſitum; non poteſt ſibi præcavere a tali periculo, ſi præbeatur motivum aliis ſuſpicandi de confeſſione revelata, ſed fortiter ſubire debet tale malum, non ſine ingenti merito apud Deum, & quadam quaſi martyrii ſpecie, in defenſionem ſigilli Sacramentalis; quia quamvis confeſſio non fuerit completa, nihilominus grave præjudicium inferretur Sacramento, ſi tali notitia uteretur; & Fideles putarent, quod aliquis caſus occurrere poſſet, in quo licitum eſſet uti notitia confeſſionis, ſincero animo confitendi factæ, quamvis ex motivo aliquo non completæ: proinde abſterrerentur a confitendis ſuis peccatis, reddereturque odioſa confeſſio. Poſſet tamen confeſſarius, ſalvo meliori judicio, in dicto caſu ſibi præcavere a tali malo gravi, ſi nullum periculum interveniret, aliis manifeſtandi audita in confeſſione, niſi ſoli pœnitenti; quia tunc non redderetur odioſa confeſſio apud alios, neque ullum omnino redundaret Caſus alter.

gra-

Digitized by Google

gravamen pœnitenti, ut patet, & ſupponitur; nam uteretur dumtaxat denegata ab eo facultate, quam ſub mortali tenebatur concedere, quod non eſt gravamen in ipſum redundans, ſed juſta defenſio ab ejus impietate, confeſſario pernicioſa.

✠ Hinc infertur non poſſe Confeſſarium a Sacrificio abſtinere, fugere &c. quando cognovit in confeſſione ab aliquo criminis ſocio parari ſibi inſidias, venenum vino infuſum &c. ſi delicti complices & participes coniicerent ab aliquo ſociorum revelatum in confeſſione fuiſſe crimen: quapropter in hunc iram converterent.

Caſus alter. XI. Suadere pœnitenti, ut complicem manifeſtet, eo mero motivo zeli imprudentis, faciendi eidem complici correptionem, ipſumque ad meliorem frugem revocandi, eſt illicitum; quia contra uſum Eccleſiæ in adminiſtratione hujus Sacramenti. Immo noviter prohibitum fuit ſub gravi præcepto a Summo Pontifice Benedicto XIV. in Conſtitutione data ſub die 7. Julii 1745. quæ incipit *Suprema &c.* Si autem pœnitens id ſponte faciat, prudenter judicans melius conſulere animæ ſuæ, & felicius ſibi præcavere ab iterum prolabendo, ſi a confeſſario, nomine ipſius pœnitentis complex moneatur, id poterit acceptari a confeſſario. Sed prudentius aget, ſi hortetur pœnitentem, ut id ſibi manifeſtet extra confeſſionem, promittendo illi cum juramento, ſe perpetuum ſilentium cum aliis ſervaturum: ſic enim ſe gerendo, tollit a complice omnem ſuſpicionem violati ſigilli, dicendo eidem, quod Titius, vel Titia ipſum rogavit extra confeſſionem, ut illum moneat &c.

Jure meritoque S. P. Benedictus XIV. in relatis ab Auctore Literis incip. *Suprema*, quæ datæ fuerunt *ad Archiepiſcopos, & Epiſcopos Portugalliæ, & Algarbiorum die 7. menſis Julii 1745.*, quæque extant *Tom. 1. Bullari num.* 134. tanquam *ſcandaloſam & pernicioſam* reprobavit, ac damnavit praxim, quæ invehi, ac introduci cœperat in illis Regionibus in audiendis Chriſtifidelium Confeſſionibus, & ſaluberrimo Pœnitentiæ Sacramento adminiſtrando. Quidam enim Confeſſarii falſa zeli imagine ſeducti, & a zelo ſecundum ſcientiam longe aberrantes, eo erroris devenerant, ut ſi in pœnitentes ſocium criminis habentes incidiſſent, ab iiſdem ſocii ſeu complicis hujuſmodi nomen paſſim exquirerent, atque ad illud ſibi revelandum non modo inducere ſuadendo conarentur, ſed denuntiata quoque, niſi revelarent, abſolutionis Sacramentalis negatione prorſus adigerent, atque compellerent; imo etiam complicis ejuſdem nedum nomen, ſed habitationis inſuper locum ſibi deſignari urgerent. Jure, inquam, meritoque laudatus S. Pontifex, pravam hanc ac perverſam praxim reprobavit atque damnavit; ex ea quippe gravia neceſſario conſequebantur mala, ſcilicet & proximi lædebatur fama, & arctum ſacramentalis confeſſionis ſigillum periclitabatur, & abſterrebantur fideles a ſuis culpis confeſſario, integre, prout opus eſt, aperiendis; & rixæ, ac diſcordiæ diſſeminabantur, & tota demum perturbabatur communitas.

Has Literas in forma Brevis tunc datas idem S. Pontifex aliis Literis incip. *Ubi primum* editis *quarto Nonas Julii* 1746. quæ habentur *Tom. 2. Bullarii n. 8.*, confirmavit, & roboravit; eaſque ab omnibus & ſingulis fideliter, exacteque obſervari injunxit, atque præcepit; & inſuper pœnas in delinquentes ſtatuit, cum præfinitione ordinis procedendi in hujuſmodi cauſis. Itaque ad praxim adeo deteſtabilem eliminandam, ſolicitam mandat Ordinariis omnibus vigilantiam tam contra confeſſarios omnes, ſive Seculares, ſive Regulares, quam contra quoſcumque alios cujuſvis ſtatus, gradus, conditionis, dignitatis, & ordinis, etiam ſpeciali & individua mentione, & expreſſione dignos, qui auſi fuerint in poſterum docere licitam hujuſmodi praxim, vel ſcribere, aut loqui in ejuſdem damnatæ praxis defenſionem, vel ea quæ in dicto Brevi incip. *Suprema*, contra eamdem praxim decreta ſunt, impugnare, aut in alios ſenſus temere detorquere, ſeu interpretari; ipſoſque omnes ſic temere audentes declarat incidere ipſo facto in excommunicationem, a qua præterquam in articulo mortis a nemine, quam a Romano Pontifice pro tempore exiſtente poſſint abſolvi; dictoſque Confeſſarios, ut ſupra, delinquentes, ſtatuit ſuſpenſioni ab Officio audiendarum confeſſionum, aliiſque etiam gravioribus pœnis fore inſuper ſubiiciendos.

Præterea ſancit, quod contra docentes & defendentes licitam eſſe talem exitialem, & damnatam praxim, vel ejuſdem reprobationem impugnantes, aut perverſe interpretantes, procedatur in Officio S. Inquiſitionis non minus, ac contra illos procedi ſolet qui aſſerunt, tradunt, ac tuentur opi-

Digitized by Google

opiniones ſcandaloſas, pernicioſas, & uti tales a S. Sede Apoſtolica rejectas, & condemnatas, ſicque ipſi omnes ſeveriſſime puniantur. Similiter in eodem S. Officio procedi mandat contra Confeſſarios quoſcumque, ut ſupra delinquentes, ac de nomine complicis Pœnitentem interrogantes, eidemque Pœnitenti, niſi illud ſibi manifeſtaverit, abſolutionem denegantes: dummodo tamen ex circumſtantiis de adhæſione ad prædictam damnatam praxim tanquam ad licitam; vel alio quovis modo de prava credulitate tales Confeſſarii ſuſpecti reddantur; & ſi, ut ſupra, culpabiles reperti fuerint, pro criminum qualitate, & circumſtantiis ſuſpenſionis ab Officio Confeſſiones audiendi, vel etiam ab executione Ordinum, privationis Beneficiorum, dignitatum, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis activæ, & paſſivæ, ſi Regulares fuerint, aliiſque pœnis mulctantur.

Ulterius mandat, quod quicumque aliquem ex ſuperdictis modis deliquiſſe cognoverint, eum intra terminum dierum in Edictis S. Officii præfigi ſolitum, eidem S. Officio denunciare teneantur; alioquin pœnas non denunciantibus per eadem edicta infligi conſuetas, incurrant. Ab hoc autem onere denunciandi juſtis de cauſis eximit Pœnitentem in cauſa propria, ideſt in caſu, quo a Confeſſario adigatur ad ſibi manifeſtandum nomen complicis in eodem peccato; relicto tamen ei onere dictum Confeſſarium denunciandi, ſi aliunde, quam ex propria, ut dictum eſt, confeſſione, noverit ipſum aliquo ex ſuperius numeratis, & S. Officio denunciandis modis deliquiſſe.

Quod ſi Confeſſarius de complicis nomine perperam interrogans, abſolutionem, ei, ni ſibi detegatur, denegans, de prava credulitate, vel de mala adhæſione ad ſupradictam damnatam praxim, tamquam ad licitam, ex circumſtantiis ſuſpectus non reddatur, tunc iſtuſmodi delictum, neque denunciationis oneri, neque S. Officii cognitioni ſubjectum eſſe declarat, ſed de illo cognoſcere, atque in delinquentem Confeſſarium per ſuſpenſionem ab audiendis confeſſionibus, vel alias canonicas, & legitimas pœnas pro delicti modo animadvertere[m], ad locorum Ordinarios in ſua cujuſque Diœceſi mandat omnino ſpectare.

Quoniam vero præfatas ſuas Apoſtolicas Literas, utpote ad Luſitaniæ Regnorum, atque Ditionum opportunitatem accomodatas, & pro eiſdem dumtaxat emanatas, generalis definitionis, & legis vim, auctoritatemque habere ab aliquibus temere negabatur; ipſe S. Pontifex Benedictus non ignorans, etiam alibi irrepſiſſe dictam perniocioſiſſimam praxim, ut eam prorſus eliminaret, nec per alias chriſtianas regiones ſerperet: alia Conſtitutione, cujus initium *Ad eradicandam* edita die 28. *Septembris* 1746. quæ item *Tom.* 2. *n.* 20. legitur, expreſſe decernit, atque declarat, *memoratam praxim in ſeipſa, & ubique locorum, ac temporum, Apoſtolica auctoritate reprobatam atque damnatam eſſe, & cenſeri debere*; nec ulli licere contra doctrinam a ſe in ſupradicta Epiſtola traditam docere, ſcribere, aut loqui, eamque impugnare, aut perverſe interpretari, vel ipſi actu contraire, ſub pœnis ſtatutis *adverſus tuentes, aſſerentes, aut tradentes opiniones ſcandaloſas, pernicioſas, & uti tales a S. Sede Apoſtolica rejectas & condemnatas*, & reſpective *adverſus contrafacientes mandatis Apoſtolicis, & Eccleſiaſtitis ſanctionibus, ſtatutis, atque præſcriptis*.

Aliam demum ad rem hanc idem Summus Pontifex quinto idus Decembris 1749. edidit Conſtitutionem incipientem *Apoſtolici Miniſterii Noſtri*. In ea autem §. 7. exceptis dumtaxat perſonis pœnitentium in cauſa propria, quas juſtis ex cauſis ab omni denunciationis onere iterum eximit, & pro exemptis in tali caſu ſemper haberi decernit, omnibus & ſingulis injungit, ut Confeſſarium, quem cognoverint quocumque alio modo, præterquam ex ipſa confeſſione a ſemetipſis apud eum peracta, in adminiſtrando Sacramento Pœnitentiæ interrogaſſe pœnitentem de nomine complicis, eidemque indicare recuſanti abſolutionem denegaſſe, quocumque modo in hoc delinquentem, nempe ſive id feciſſe intellexerint propter adhæſionem prædictæ reprobatæ praxi, aliave de cauſa erroneæ opinionis ſuſpicionem ingerente, ſive id etiam per imprudentiam egiſſe, & peractum cum iis circumſtantiis, propter quas, juxta aliam ſuam Conſtitutionem Inquiſitionis Officio eſſet denunciandus, & quibus deficientibus, juxta ipſius Conſtitutionis tenorem ejus delicti cognitio ad Ordinarii Tribunal ſpectare debuiſſet, in virtute Sanctæ Obedientiæ, ſub eiſdem pœnis, quibus ad debitas aliorum delictorum de-

Digitized by Google

denunciationes adſtringuntur, dicto Sanctæ Inquiſitionis Officio intra conſuetum præfinitum temporis ſpatium omnino deferant, & denuncient.

Subdit tamen §. 8. „ Ubi vero Sacerdos „ delinquens eidem Sancti Officii Tribu- „ nali denunciatus fuerit, vel illius car- „ ceribus incluſus, quatenus probationes ad „ carcerationem ſufficientes habeantur; ſi „ forte Ordinarii illius, cujus juriſdictioni „ reus ſubjectus erit, Procurator in ipſo „ Tribunali S. Officii de more interveniens „ eas adeſſe circumſtantias crediderit, ob „ quas delicti cognitio juxta præcedentem „ Conſtitutionem noſtram ad Ordinarii Fo- „ rum ſpectare deberet, ac propterea in- „ ſtiterit, ſe ſuper hujuſmodi pertinentiæ „ articulo ulterius, aut fuſius audiri, vel „ etiam ſcripto eaſdem circumſtantias & „ rationes exponere, ſuæque Curiæ jura „ tueri ſe velle declaraverit; volumus & „ ſtatuimus, ut juxta ejuſdem Tribunalis „ conſuetudinem, ſatis temporis illi ad „ ſcribendum aſſignetur, neque interea „ idem Tribunal ad aliam irretractabi- „ lem, multoque minus ad definitivam „ ſententiam adverſus reum devenire poſ- „ ſit, donec idem Procurator, intra præ- „ ſcriptum ſibi tempus, jura Curiæ Epi- „ ſcopi conſtituentis ſui, vel voce, vel „ ſcripto expoſuerit. „ Habetur hæc Conſtitutio *Tom.* 3. *Bullarii num.* 13.

Duas priores Summi Pontificis Literas expoſuit, ac commentariis illuſtravit eximius vir Ludovicus Antonius Muratori. Regulas præſcribit ipſe, quas Confeſſarii in hac materia ſervare debent, aliaque plura habet ſcitu digna. Unum ſolummodo brevitati conſulentes animadvertimus, & animadvertere operæ pretium exiſtimamus, nempe S. P. Benedictum praxim dumtaxat eorum proſcripſiſſe, qui nullum juſtum titulum habentes complicum nomina exquirunt, ſeſeque indebitæ curioſitatis reos ſtatuunt, vel eo ſpecioſo prætextu, ut per operam ſuam correptio, & correctio ipſius complicis præſtetur, id attentant, prout Auctor innuit *num. præced.*: non vero damnationem ad eos caſus extendiſſe, in quibus aut confeſſionis integritas, aut publica neceſſitas, aut pœnitentis ipſius utilitas poſtulat, ut pœnitens complicem pandat. In his enim caſibus poteſt Confeſſarius ipſum pœnitentem hortari, imo quandoque etiam compellere ad manifeſtandum complicem, omiſſo tamen nomine, & loco habitationis, ſi fieri poteſt.

XII. Nedum confeſſarius tenetur ſigillo præfato, verum etiam omnes illi, qui vel mediate, vel immediate, vel licite, vel illicite aſſequuntur ex confeſſione notitiam rei ſub ſigillo confeſſionis comprehenſæ. Hinc tenetur ſigillo confeſſarius fictus, qui talis non eſt, & talis a pœnitente eſſe putatur: item illi, qui vel caſu, vel data opera, quod eſt graviſſimum, audiunt aliquid in confeſſione prolatum: item Superior concedens facultatem abſolutionis a caſu reſervato: item interpres, quo mediante aliquis confitetur; item conſiliarius circa aliquem caſum in confeſſione explicandum, vel alio modo adjuvans pœnitentem, ut congrue talia peccata exponat: item conſultor, qui a confeſſario aditur de licentia pœnitentis, ſignificando perſonam pœnitentis: item legens chartam, in qua deſcripta erant peccata pœnitentis, etiamſi caſu illam inveniat, & ſciat cujus ſit, quam legendo, etiam graviter peccat: item omnes illi, qui notitiam receperunt ab aliquo, qui tenebatur ſigillo: ſive licite, ſive illicite talem notitiam acquiſierint. Hæc omnia ſunt reſpective aut communia, aut probabiliora, quippe quæ faveant Sacramento, & pœnitenti, & fundantur in illa graviſſima ratione non reddendi Sacramentum odioſum, & non deterrendi fideles ab ejuſdem frequentia. *Alii etiam præter Confeſſarium tenentur ſigillo.*

✠ Confeſſarius nunquam de auditis in Confeſſione loquatur, potiſſimum coram Sæcularibus, qui ſæpe ſcandalum patiuntur. Communicaturus infirmum, ut monet P. Concina *Theol. Chriſt. tom.* 9. *lib.* 2. *diſſert.* 3. *cap.* 13. *num.* 27. non interroget Confeſſarium, num abſolverit, ne periculo violandi ſigillum ipſum exponat, ſed an audierit illius confeſſionem.

§. IX. *De obligatione Pœnitentis, reſpectu Confeſſarii.*

I. EX Bulla 34. Gregorii XV. tenetur pœnitens ſub mortali, denunciare locorum Ordinariis, aut Inquiſitoribus contra hæreticam pravitatem confeſſarios, qui ipſas perſonas pœnitentes *Ad inhoneſta ſive inter ſe, ſive cum aliis, quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis confeſſionis, ſive antea, ſive poſt immediate, ſeu occaſione, vel prætextu confeſſionis hujuſmodi, etiam ipſa confeſſione non ſecuta, ſive extra occaſionem confeſſionis,* in *Obligatio pœnitentis denunciandi Confeſſarium.*

Digitized by Google

in confeſſionario, aut in loco quocumque, ubi confeſſiones Sacramentaliter audiuntur, ſeu ad confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem confeſſiones audire, ſollicitare, vel procurare tentaverint; aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, aut tractatus habuerint.

Explicatur obligatio.

II. Hinc incurret hoc ſollicitandi crimen, etiam ille, qui ſollicitat perſonam ficte infirmam in domo ſæculari, quæ fingit apud domeſticos, ſe velle conſiteri; juxta omnes; nam Bulla dicit, etiam *prætextu confeſſionis*. Immo juxta plures, etiamſi perſona pęnitens in quolibet recenſitorum caſuum prima tentet confeſſarium, & ipſe oſtendat ſe aſſentiri; quia etiam in hoc caſu, aſſenſum præbendo tentanti, quamvis ſolis verbis, videtur ſollicitationem perficere: quamvis oppoſitum teneant alii multi apud Bonacinam: & etiam in his caſibus eſt obligatio denunciandi.

Explicatur modus illum exequendi.

III. Quando igitur poſterior confeſſarius intelligit a pęnitente ſive fęmina, ſive mare, ſe fuiſſe tentatum, aut tentatam ab anteriori aliquo confeſſario, tenetur confeſſarius poſterior ſub mortali obligare ipſam perſonam ſollicitatam aliquo ex dictis modis, ut denunciet confeſſarium illum Ordinario, aut Inquiſitori in illa diœceſi, neque illam poteſt abſolvere, niſi denunciationem ad effectum perduxerit, aut ſaltem ſe quamprimum delaturam promittat; cum Benedictus XIV. in ſua Conſtitutione a nobis citata §. 6. n. 13. expreſſe jubeat, *ne confeſſarii pœnitentibus, quos noverint jam ab alio ſollicitatos Sacramentalem abſolutionem impertiant, niſi prius denunciationem prædictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti judici, vel ſaltem ſe, cum primum poterint, delaturos ſpondeant, ac promittant*. Quod ſi perſona ſollicitata ſit moraliter impotens ad perſonaliter accedendum ad Ordinarium, vel Inquiſitorem; debet id agere per Epiſtolam, quin manifeſtet ſuum peccatum, ſi conſenſerit, ſignificando in eadem nomen, & cognomen confeſſarii, ſi illud ſciat: ſin autem Eccleſiam, & confeſſionale, in quo id egit, & ſi recordetur, qua die, & circiter hora; debet autem ſignare ſubſcriptionem Epiſtolæ proprio nomine, & cognomine, denotando ubi moretur; abſtinendo, ut dixi, a ſuo peccato manifeſtando, ſed ita exponat attentationem ſollicitantis, ut ſe indemnem ſervet. Immo ſi velit ipſa, & confeſſarius poſterior velit acceptare, poteſt huic committere ſuas vices: ſi autem & in aliquo caſu neceſſe foret ſuum manifeſtare delictum, teneretur nihilominus illud manifeſtare, quia bonum commune Sacramenti, ejuſdemque religioſa adminiſtratio, & impiorum miniſtrorum amotio, atque punitio, prævalere debent ſuo aliquali damno; dixi aliquali damno, quia Ordinarius, & Inquiſitor perpetuo ſigillo tenentur obſignare peccatum denunciantis: in hoc tamen caſu opportunius erit, ut confeſſarius ejus vices charitative obeat.

* Notandum quod Perſona ſollicitata tenetur per ſeipſam denunciare, quia hæc obligatio eſt perſonalis, & ſi per alium denunciaret, denunciatio eſſet ex auditu alterius. Si autem perſona ſollicitata ſit moraliter impotens ad perſonaliter accedendum ad Ordinarium, vel Inquiſitorem, debet id agere per Epiſtolam, ut optime monet Auctor; at niſi ſubſcribat proprium nomen, & cognomen, non ſatisfacit, ac deinceps eſt ab Inquiſitore vocanda, ut iterum juridice deponat.

Si vero Mulieres nobiles ſint, aut Puellæ, quæ denunciare debent, ac vereantur ad inquiſitionis Tribunal accedere, monere debent per internuncium Inquiſitorem, ut domum Notarium mittat ad ſuſcipiendam denunciationem. Aptior autem internuncius eſt Confeſſarius, cui Inquiſitor de ſollicitatione jam monitus, committere poteſt, ut recipiat in ſcriptis juramento firmatam denunciationem, ex Decret. Inquiſit. Rom. juſſu Urbani VIII. 27. *Sept.* 1624. qui quidem modus ſervari maxime debet in recipienda Monialis denunciatione, ne res aliis Monialibus manifeſtetur. Legatur P. Philippus de Carboneano *in Appendice de Sollicitatione ad tract. de Pœnit. P. Antoine*.

Duæ Theſes damnatæ.

IV. Circa hanc materiam notandæ ſunt duæ theſes damnatæ ab Alexandro VII. quarum prima eſt ſub num. 6. *Confeſſarius, qui in Sacramentali confeſſione tribuit pœnitenti chartam, poſtea legendam, in qua ad venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in confeſſione; ac proinde non eſt denunciandus*: ſecunda ſub num. 7. *Modus evadendi obligationem denunciandæ ſollicitationis eſt, ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante; hic poteſt ipſum abſolvere abſque onere denunciandi*. In primo igitur caſu tenetur pęnitens illum denunciare: & in ſecundo non declinat confeſſarius obligationem monendi pęnitentem, ut ipſum denunciet; ſed poteſt ipſe prævenire, ſpontanee comparendo ante judicem, & veniam petendo. Contra perſonas autem, quæ innocentes

Sacer-

Digitized by Google

Sacerdotes de crimine ſollicitationis accuſare audent, ita animadvertit laudatus Pontifex Benedictus XIV. *Quæcunque perſona, quæ tam execrabili flagitio ſe inquinaverit, vel per ſe ipſam innocentes confeſſarios calumniando, vel ſceleſte procurando, ut id ab aliis fiat; a quocunque Sacerdote quovis privilegio, auctoritate, aut dignitate munito, præterquam a nobis, noſtriſque Succeſſoribus, niſi in fine vitæ, & excepto mortis articulo, ſpe abſolutionis obtinendæ, quam nobis, & ſucceſſoribus prædictis reſervamus, perpetuo careat.*

Non inutile erit hic in memoriam reducere Confeſſarios, ac Sacerdotes quoſcumque ſive Sæculares, ſive Regulares non poſſe abſolvere ſuos complices in peccato contra ſextum Decalogi præceptum, niſi in articulo mortis, & tunc ſolum in defectu alterius Sacerdotis, qui Confeſſarii munus obire poſſit. Sic ſtatuit Benedictus XIV. in Conſtit. incip. *Sacramentum Pœnit.* edita *Kalendis Junii* 1741., quæ extat *Tom.* 1. *Bullarii n.* 20. Confeſſarii autem extra dictum mortis articulum audentes illos abſolvere incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam, ut ex eadem Conſtit. conſtat: & tales confeſſiones irritæ ſunt, & nullæ.

Aliam idem S. P. edidit Conſtitutionem *die* 8. *Februarii* 1745. incip. *Apoſtolici muneris*, quæ habetur in eodem Volumine *n.* 120., in qua quod ſpectat ad partem prioris Conſtitutionis, quæ mortis articulum reſpicit, exortas dubitationes reſolvit. Tam illam, quam iſtam adfert Auctor *Tom.* 1. *Tract.* 2. *cap.* 2. §. 3. *num.* 9.: unde, ne actum agamus, eas hic prætermittimus, ſatiſque putamus illas obiter in mentem revocaſſe.

* Legendus eſt etiam idem S. P. Benedictus *de Synod. Diœceſ. lib.* 6. *cap.* 11. ubi plura docet ſcitu digna ad rem hanc ſpectantia. Præſertim ſequentia obſervanda ſunt. 1. cenſet *n.* 9. & 10. quod Perſona ſollicitata nulla lege prohibetur, quominus ante denunciationem ſollicitantis, illum occulte admoneat, ut ſibi provideat; ſponte ſe offerendo Tribunali. Subdit tamen quod tenetur, etſi admonitus comparcat, & ſit ex correptione emendatus, illum denunciare, ut ex propoſitionibus ab Alexandro VII. damnatis eruitur. 2. aſſerit *n.* 14. præceptum denunciandi Confeſſarios ſollicitantes ad turpia, & pœnas alias huic ſollicitationi indictas non extendi ad crimina diverſi generis, quæ ad carnis concupiſcentiam non referuntur, ſeu ad alia crimina a re venerea diverſa.

Addimus, Sacerdotes omnes, etiam Regulares ſollicitantes ad turpia in re venerea in actu Confeſſionis, vel ejus occaſione, aut prætextu, præter alias pœnas in Conſtitutionibus Sixti V. & Gregorii XV. inflictas, incurrere etiam perpetuam inhabilitatem ad Miſſam celebrandam. Idemque etiam valet contra eos Sacerdotes, qui Sacrificio Miſſæ abutuntur ad ſortilegia. Ita ex Decreto S. Congregationis Inquiſitionis ex mandato Benedicti XIV. edito *die* 5. & publicato *die* 21. *Auguſti* 1745. Idem vero Decretum enunciandum eſt a Superioribus cujuſcumque Ordinis ſemel ſaltem in anno, ideſt fer. 6. poſt octavam Aſſumptionis B. M. V. in publica Menſa, vel in Capitulo ad hoc ſpecialiter convocato, ac inſuper in quocumque Generali vel Provinciali Capitulo, vel alio quovis nomine nuncupato Capitulari congreſſu, ac de hoc coram ſuprema Congregatione juratum teſtimonium exhibere debent. Habetur hoc Decretum *in Appen. ad tom.* 2. *Bullarii ejuſdem Benedicti XIV. n.* 8.

Quoniam vero in hoc §. Auctor differit *de obligatione Pœnitentis reſpectu Confeſſarii*, abs re non erit tandem advertere cum P. Antoine *de Pœnit. cap.* 4. *quæſt.* 9. quod quamvis Pœnitens non obligetur ſigillo reſpectu Confeſſarii; quia obligatio ſigilli eſt ſolum in favorem pœnitentis, ut ſecure ac confidenter peccata ſua & conſcientiam aperiat; non autem in favorem Confeſſarii, attamen pœnitens obligationem contrahit ſecreti naturalis circa ea, quæ revelare nequit ſine injuſto damno Confeſſarii, aut contra rationabilem ejus voluntatem: *propter quod peccant*, inquit Gerſonius in Regul. Moral. regul. 134., *ſi non excuſat eos ignorantia, illi, qui pœnitentias ſuas, & ea quæ Sacerdos eis dixit, paſſim dicunt, & qui etiam ſuper hoc inquirunt; quoniam talia per indirectum cauſant aliquando irriſionem Sacerdotis, aut confeſſi culpam.*

§. X. *De caſuum Reſervatione.*

I. **R**Eſervatio eſt ademptio facultatis abſolvendi a quibuſdam determinatis peccatis, relicta poteſtate abſolvendi ab aliis. Reſervare peccata non abſolvenda, primo poteſt — *Quid ſit reſervatio, & quis reſervare poſſit?*

Digitized by Google

poteſt Pontifex in tota Eccleſia Catholica; ſecundo Epiſcopus in ſua diœceſi.

Quinam incurrant in reſervationem? II. Communior, & probabilior docet, etiam Impuberes reſervationem incurrere; tum quia reſervatio eſt ademptio facultatis abſolvendi, & proinde niſi a reſervante addatur exceptio reſpectu impuberum, etiam ipſi comprehenduntur in reſervatione: Tum etiam, quia reſervatio non eſt pœna punitiva, ſed remedium quoddam ad abſterrendum a perpetratione talium criminum; impuber autem capax eſt hujus remedii; immo peculiariter eidem prodeſſe poteſt.

An ignorantia excuſet ab incurrenda reſervatione? III. Ignorantia, quamvis invincibilis, reſervationis ſimplicis, non excuſat a reſervatione incurrenda; quia reſervatio eſt ablatio poteſtatis ad abſterrendum a peccato illo committendo; & propterea intentio reſervantis non eſt, ut dumtaxat ſcientes reſervationem non abſolvantur, ſed ne abſolvatur quicumque illud peccatum perpetraverit; non enim reſervatio eſt pœna, poſtulans contumaciam, ſed remedium, ut dixi, ad impedienda peccata graviora. Hinc non eſt admittenda quorundam Scriptorum opinio, dicentium, pro prima vice poſſe abſolvi ignorantem reſervationem; tum quia id affirmatur abſque gravi ullo fundamento; tum quia, cum agatur de valore Sacramenti; agitur namque de juriſdictione ad abſolvendum; tutior pars eſt eligenda, poſthabita probabili; eo magis quia opinio contraria neque probabilitatis cofinia attingere videtur. Dixi reſervationis ſimplicis; nam de reſervatione illa, quæ eſt adnexa cenſuræ, & quæ peccatum reſervat ratione cenſuræ adnexæ, aliter dicetur ſuo loco.

Peccata quæ non reſervantur. IV. Peccata dumtaxat venialia in aliqua ſpecie, quamvis abſolute loquendo reſervari poſſint, juxta Lugonem, & alios auctores; non tamen expedit reſervari, quippe quod reſervatio evaderet inutilis, cum poſſit quis abſtinere a venialium confeſſione. Similiter peccata mere interna, & gravia, non expedit quidem reſervari, præſertim quod non noceant niſi illa committenti, nec redundent in ſcandalum, aut damnum fidelium: attamen ſecundum Suarez, Vaſquez, & alios reſervari poſſunt. Neque obeſt, quod Eccleſia de occultis non judicet; quia id eſt verum de judicio punitionis, non de judicio Sacramentali in ordine ad facultatem abſolvendi a peccatis.

Peccata quæ poſſunt reſervari. V. Peccata igitur, quæ prudenter, & communiter reſervationi ſubjiciuntur, ſunt mortalia externa, & quidem ex gravioribus, & pernicioſioribus reſpective ad loca, & diœceſes; a quibus fideles arceantur, reſervationis metu.

Notanda, ut reſervatio incurratur. VI. Circa hoc notandum eſt primo ex communi, quod peccatum, ut reſervationi obnoxium ſit, debet eſſe conſummatum, niſi aliter in Statuto exprimatur: propterea ubi eſt reſervatum v. gr. adulterium, quamvis aliquis accedat ad conjugatam alienam animo adulterium perpetrandi, & cum illa plura turpia committat, niſi tamen illam cognoſcat per copulam conſummatam intra vas naturale, non cenſetur adulterium reſervatum: & ſic de aliis; quia requiritur peccatum in ſua ſpecie completum; odia enim ſunt reſtringenda. Notandum ſecundo ex communi, actum externum debere eſſe in ſe ipſo mortalem; ſi enim non ſit niſi venialiter malus, quamvis prodeat ex animo, & intentione mortaliter mala, non cenſetur reſervatus: unde v. g. ubi reſervatur quodcunque attentatum impudicum cum pœnitente extra confeſſionem, & verbum aliquod eidem dicatur, quod in ſe ſit tantum, & certe quid veniale, quamvis animo impudiciſſimo dicatur, non incurritur reſervatio; quia, ut diximus, actus exterior debet eſſe mortalis. Notandum tertio, quod ut incurratur reſervatio, peccatum debet eſſe certum: unde quando quis vere dubitat dubio facti, an commiſerit illud peccatum, tunc juxta multos, & quidem rationabiliter, non eſt reſervatum; cum enim reſervatio ſit odioſa; non eſt applicanda, niſi peccatis certo talibus; niſi tamen tales extarent conjecturæ, quæ oſtenderent fuiſſe commiſſum: puta ſi jurans falſum in judicio, dubitaret, an deliberate juraverit; quia proferens juramentum in tali circumſtantia, cenſetur deliberate agere. Quid in caſu dubio? Si autem ſit dubium juris, nempe an talis actio comprehendatur in reſervatione, tunc, juxta probabiliorem, nequit abſolvi abſque licentia; cum enim in hoc caſu dubium ſit de juriſdictione, & agatur de valore abſolutionis; nequit, juxta ſæpe dictum, cum dubia aut dumtaxat probabili juriſdictione, ipſa impertiri, ſed tutior pars eſt eligenda. Si demum ſermo ſit de caſibus reſervatis Sedi Apoſtolicæ, jam prohibuit Clemens VIII. omnibus confeſſariis, etiam privilegiatis, ne quis eorum ſub prætextu privilegiorum, ab ullo ex caſi-

caſibus clare, vel dubie in Bulla in Cœna Domini legi ſolita contentis, vel alias quomodocumque Sedi Apoſtolicæ reſervatis, vel reſervandis abſolvat. Verum cum idem Clemens anno ſequenti 1602. die 29. Novembris alia Conſtitutione moderatus fuerit præcedentem anni 1601., atque omiſerit in hac ſecunda illa verba: *clare, vel dubie contentis*, manifeſtum fit, ipſum Supremum Legiſlatorem inclinaſſe in opinionem excuſantem a reſervatione peccata dubie contenta in Bulla cœnæ; & exinde peccata dubie contenta in reſervatione eximi ab eadem.

In dubio juris, cum nempe dubitatur, an peccatum mortale pœnitentis ſit reſervatum, confeſſarius, ut animadvertit P. Antoine *Tract. de Pœnit. cap. 3. art. 2. q. 2.* non poteſt ab eo abſolvere, niſi Superior expreſſerit, ſe nolle in tali dubio reſervare. Nam hoc ipſo quod conſtat, peccatum eſſe materiam reſervationis, ſed dubitatur an Superior illud reſervaverit, tunc dubium eſt de poteſtate ab eo abſolvendi; non licet autem abſolvere cum poteſtate dubia. Quamvis igitur, S. P. Clemens VIII. in ſecundo Decreto omiſerit particulas illas *clare, vel dubie contentis*; attamen cum non expreſſerit, ſe nolle in dubio juris non reſervare, non poterit Confeſſarius in tali dubio abſolvere. Rem hanc optime oſtendit P. Petrus Maria Paſſerinus O. P. *de Hominum Statib. & Offic. q. 187. art. 1. n. 434.*

✠ Quando caſus reſervatur *effectu ſecuto*, ut procuratio abortus, homicidium, &c. ſi effectus non ſequatur, caſus non eſt reſervatus. Quid autem ſi quis venenum mortiferum propinet, vel mortaliter vulneret, & antequam effectus ſuccedat, confiteatur? Tum caſum non eſſe reſervatum communiter adfirmant. Quare tum valide abſolvitur, dummodo Confeſſarius obliget pœnitentem, ut ſi effectus ſequatur, ſe præſentet ad Tribunal Superioris pro abſolutione a reſervatione. Alioquin procurantes abortum, aut propinantes venenum, poſſent eludere reſervationem, ſtatim poſt procuratum abortum, aut propinatum venenum confitendo peccatum. Quare mihi probabilius & tutius eſt, ait P. Concina *tom. 9. lib. 2. diſſert. 2. cap. 6. §. 1. n. 13.* ut ejuſmodi delinquentes, effectu ſecuto iterum confiteantur illis Confeſſariis, qui valent a reſervatis abſolvere. Vide infra *Append. 1. c. 8. §. 3. n. 8.*

Animadvertendum vero inſuper eſt quod quando quis abſolvitur a peccato dubio ab inferiori Sacerdote, ſi poſtea deprehendat eſſe certum, tenetur adire Confeſſarium poteſtate præditum abſolvendi a reſervatis, quidquid in oppoſitum ſentiant nonnulli.

Caſus reſervandi a Regularibus.

VII. Idem Clemens VIII. in Conſtitutione ſub die 26. Maii, 1593. præſcripſit Superioribus Regularibus undecim caſus, quos, ſi velint, ibi reſervare poſſunt. I. *Apoſtaſia a Religione, etiam habitu retento.* II. *Nocturna, & furtiva a Monaſterio egreſſio.* III. *Veneficia, incantationes, & ſortilegia.* IV. *Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale.* V. *Furtum notabile de rebus monaſterii.* VI. *Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus.* VII. *Juramentum falſum in judicio legitimo.* VIII. *Procuratio, auxilium, vel conſilium ad abortum fœtus animati, etiam effectu non ſecuto.* (hoc enim ſecuto, incurritur etiam excommunicatio, & irregularitas ob delictum homicidii voluntarii.) IX. *Falſificatio manus, vel ſigilli Officialium monaſterii.* X. *Occiſio, aut vulneratio, ſeu gravis percuſſio cujuſcumque perſonæ.* XI. *Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio literarum a Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.* Deinde ſubjungit Pontifex: *Si quod aliud peccatum grave pro Religionis conſervatione, aut pro conſcientiæ puritate reſervandum videbitur, id non aliter fiat quam Generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia matura diſcuſſione, & conſenſu . . . . Superiores in ſingulis domibus deputent duos, tres, vel quatuor confeſſarios pro ſubditorum numero majori, vel minori, iique ſint docti, prudentes, & charitate præditi, qui a non reſervatis eos abſolvant, & quibus etiam reſervatorum abſolutio committatur, quando caſus occurrerit, in quo eam debere committi, ipſe in primis confeſſarius judicaverit.* Nullus igitur Superiorum regularium reſervare poteſt alios caſus, præter recenſitos a Clemente; vel præter illos, quos Capitulum Generale, vel Provinciale reſpective reſervaverit: unde neque poteſt Superior aliquis magis reſtringere reſervationem, quam reſtricta fuerit a Capitulo. Non tamen videtur ambigendum, quin poſſit Capitulum Generale, vel Provinciale reſpective reſervare aliquem caſum, non pro toto Ordine, aut tota Provincia, ſed pro talibus dumtaxat Conventibus; qui enim poteſt pro toto a

cur

Digitized by Google

ćur non poterit pro parte? & præcipue cum Clementis verba non obſtent.

Notandum circa modo dicta.

VIII. Monet Cardinalis de Lugo diſp. 20. ſect. 4. num. 43. quod ſi Capitulum reſervaſſet aliquem eorum caſuum Superioribus localibus, non poſſet Prælatus Generalis, aut Provincialis adimere iis Superioribus localibus facultatem delegandi aliquos confeſſarios ſui Conventus pro tali caſu; quia hoc eſſet limitare juriſdictionem Ordinariam quam habent in ſuo Conventu; cum enim Capitulum talem facultatem liberam conceſſerit dictis Superioribus, ſi Generalis, vel Provincialis eam reſtringeret, ne poſſet a Superiore locali delegari, ageret propria auctoritate contra mentem Capituli, quod, relinquendo eam liberam præfatis Superioribus relinquit illam prout eiſdem ordinarie convenit, nempe cum facultate delegandi.

Dubium reſolvitur.

IX. Longe probabilius eſt, Prælatos Regulares non poſſe præcipere ſub excommunicatione ſibi reſervata aliquem alium caſum præter recenſitos in decreto Clementis; idque principaliter ex Sacræ Congregationis declaratione ſub die 7. Julii 1617. his verbis: *Cum a nonnullis regularibus dubitaretur, an in decreto felicis recordationis Clementis Papæ octavi anno 1593. 16. Maii, ſuper qualitate caſuum ab eorundem regularium Superioribus reſervandorum edito, cenſuræ etiam comprehenderentur, ita ut iiſdem Superioribus abſque Capituli Generalis, aut Provincialis conſenſu, aliquibus peccatis in decreto hujuſmodi non contentis excommunicationem adnectere, ejuſdemque abſolutionem ſibi reſervare liceat? Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Regularium Præpoſitorum, Illuſtriſſimo Bandino referente, cenſuras in ſupradicto decreto comprehendi cenſuit.* De ſolo igitur conſenſu Capituli id agere poterunt Superiores locales.

Aliud dubium reſolvitur.

X. Probabilius item eſt cum Cajetano, & Sylveſtro verbo Inobedientia, & S. Antonino 2. p. art. 4. cap. 3. §. 2. quod quando in religione reſervatur inobedientia lethalis, ad incurrendam reſervationem non requiratur, rem præceptam fuiſſe ſub præcepto formali, dummodo ſubditus ex modo deobediendi graviter delinquat; puta contemnendo Superioris auctoritatem, aut expreſſe dicendo: nolo obedire. Ratio patet; quia æquali gravitate peccat deobediens hoc modo, ac ſi deobediret præcepto formali: Immo Cardinalis de Lugo diſp. 20. de pœnit. ſect. 4. n. 54. rationabiliter extendit, etiamſi contemnatur vox Superioris in ſuo Vicario, aut miniſtro referente illam, & Subditus talia agat, aut dicat, ut revera Superioris vocem mediatam reſpiciat: quia de materiali ſe habet perſona referens, quæ quoad rem injunctam, eadem moraliter eſt, ac Superioris perſona.

§. XI. *De facultate abſolvendi a reſervatis*.

Poteſt reſervans, & ipſius ſuperior in juriſdictione.

I. NOn eſt ambigendum, quod tam reſervans, quam ipſius in juriſdictione ſuperior habeant poteſtatem ordinariam abſolvendi a reſervatis: unde nedum Epiſcopus reſervans in ſua Diœceſi; verum etiam Summus Pontifex in illa Diœceſi ea gaudet facultate; quam identidem manifeſtat in Jubilæis, dum impertit Confeſſariis facultatem abſolvendi a reſervatis in Diœceſibus Epiſcoporum. Conſulto dixi qui ſit in juriſdictione ſuperior; nam quamvis Archiepiſcopus, vel Patriarcha ſit ſuis ſuffraganeis Epiſcopis ſuperior, non tamen talis eſt in juriſdictione ordinaria, niſi in duobus caſibus, nempe tempore viſitationis, & dum ab Epiſcopi ſuffraganei judicio appellatur ad ipſum, ut ſuperiorem; in his enim duobus caſibus, cum ſit, & agat ut ſuperior in juriſdictione, poteſt abſolvere; aliter non poteſt, quia juriſdictione ordinaria non gaudet in Diœceſibus ſuffraganeorum.

Quid ſi Epiſcopus incidat in caſum a ſe, vel Pontifice reſervatum?

II. Si Epiſcopus incidat in caſum aliquem ex ſibi reſervatis, jam patet, quod poteſt a confeſſario, quem elegerit, abſolvi; tum quia non cenſetur reſervare caſus etiam pro ſe; tum etiam quia eligendo confeſſarium, ipſi impertit facultatem. Si vero incidat in aliquem caſum Pontifici reſervatum, dicunt Auctores, quod ſi caſus ſit ex illis, a quibus poteſt ipſe alios abſolvere (qui caſus indicantur a Concilio Tridentino ſeſſ. 24. in decreto de reformatione cap. 6., & circa hoc dicetur num. 5.) communius dicunt, quod poſſit confeſſario ſuo dare facultatem, ut etiam ipſe abſolvatur; eo quod ipſe non ſit deterioris conditionis, ac alii, quibus abſolutionem poteſt impertiri, vel delegare Vicario ad id ſpecialiter deputato: & colligitur ex cap. fin. de pœnit. & remiſs. Circa hoc punctum vide Suarez de pœnit. diſp. 30. ſect. 2. num. 5. & tom. 5. de cenſuris diſp. 41. ſect. 2. n. 10. 12. docte

Digitized by Google

differentem. Si autem ſit caſus, circa quem caret facultate reſpectu aliorum, caret eadem etiam reſpectu ſui.

Quid ſi Vicarius Generalis incidat?

III. Vicarius Generalis Epiſcopi in ſua Diœceſi habens facultatem abſolvendi a caſibus in diœceſi reſervatis, gaudet eodem privilegio erga ſeipſum, ob eamdem rationem, ut docet communior, contra Graffium, & quoſdam alios dicentes talem non eſſe voluntatem Epiſcopi; & verum aſſererent, ſi Epiſcopus ita declaraſſet: cum autem plerumque ita non ſe declarent Epiſcopi, propterea communiter dicunt, quod immo Epiſcopus non velit ſuum Vicarium Generalem, qui una ſecum eſt idem Tribunal, privari tali jure, ut quod poteſt in alios, non poſſit reſpectu ſui, ſi caſus occurrat.

Superior non poteſt ſacramentaliter abſolvere a ſolis reſervatis.

IV. Superior, ſi ſacramentaliter audiat innodatum reſervatis, tenetur totam ejus confeſſionem audire, neque poteſt, abſque gravi ſacrilegio, audire, & ſacramentaliter abſolvere a ſolis reſervatis, ſi pœnitens habeat alia mortalia non reſervata exponenda; ita poſtulante integritate confeſſionis; pœnitens tamen ille poſſet ab alio quolibet confeſſario integre audiri, & abſolvi, quia reſervatio eſſet jam ſublata.

Non poſſunt Epiſcopi abſolvere a cenſuris in Bulla Cœnæ.

V. Modo certum eſt, Epiſcopis ſublatam fuiſſe per Bullam Cœnæ Domini facultatem, quæ ipſis jure communi competebat, & præcipue ex Tridentino loco ſupra citato ſeſſ. 23. c. 6. nempe abſolvendi a caſibus papalibus in ea Bulla contentis, quamvis occultis. Ratio deducitur ex verbis laudatæ Bullæ, quibus adimitur quibuſcumque facultas abſolvendi ab illis caſibus: *etiam Epiſcopali, vel alia majori dignitate præditis*; ſub quovis prætextu, *etiam cujuſvis Concilii decreto*, *verbo*, *litteris &c.* & ita cenſuiſſe Sacram Romanam Inquiſitionem affirmat Reiffenſtuel in lib. 5. decretalium tit. 7. de hæreticis §. 7. n. 353. & ante ipſum aſſeruit Illuſtriſſimus Fagnanus ita declaraſſe etiam Sac. Congregationem Concilii in c. *Quoniam* de conſtitution. n. 29. & in c. *dilectus* de tempor. Ordinat. n. 31. ubi concludit: *Unde fruſtra nonnulli ex recentioribus Theologis hunc articulum in controverſiam adducunt, cum habeamus claram determinationem Sacræ Congregationis*; cujus ipſe fuit a pluribus annis celeberrimus Secretarius. Proinde Alex. VII. hanc theſim reprobavit n. 3. *Sententia aſſerens Bullam cœnæ ſolum prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in quo de occultis criminibus ſermo eſt, anno 1629. 18. Julii in Conſiſtorio Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium viſa, & tolerata fuit.* Et nota, quod damnata fuit hæc theſis, nedum propter mendacium in ea contentum, nempe tolerantiæ indicatæ; verum etiam propter falſitatem doctrinæ. An autem poſſit Epiſcopus abſolvere a caſibus Papæ reſervatis extra Bullam cœnæ, & occultis; affirmant communiter Doctores; innixi Auctoritate clara Concilii Tridentini ſeſſ. 24. cap. 6. Negat Fagnanus in caſu violationis clauſuræ monialis ad malum finem occulto: in 1. Decretal. in cap. *Dilectus* 15. de temp. Ordin. n. 32. & 33., quem ſequuntur aliqui alii, ubi refert: *Cum dubitaſſet Archiepiſcopus Florentinus, an vigore cap. 6. ſeſſ. 24. poſſet abſolvere quandam monialem, quæ occulte ad malum finem fregerat clauſuram, non obſtante Bulla S. Pii V. quæ videtur habere locum in caſu publico; variatum eſt ſententiis; nam e decem Cardinalibus, tres cenſuerunt Bullam intelligendam eſſe etiam in occultis . . . quatuor cenſuerunt, eam Bullam non habere locum in occultis: reliqui autem tres dixerunt, agendum eſſe cum Sanctiſſimo; qui declaravit Bullam S. Pii V. habere locum etiam in occultis ... Unde poſtea Sacra Congregatio generaliter conſulta, an ſi monialis monaſterii juriſdictioni Regularium ſubjecta ſecreto deliquerit in materia Clauſuræ, in foro conſcientiæ abſolvi poſſit, vigore ejuſdem Decreti, ab Epiſcopo, cui tamquam delegato in his quæ ad clauſuram pertinent, auctoritas tributa eſt Decreto c. 5. ſeſſionis 25. de Regularibus; reſpondit non poſſe.* Cui teſtimonio, puto nil poſſe opponi, quoad præfatum caſum.

An aliquando poſſit ab illis abſolvere?

VI. Quamvis autem de jure communi, non amplius competat Epiſcopis facultas abſolvendi a caſibus in Bulla Cœnæ contentis, etiam occultis; nihilominus, tamquam ſpecialiter delegatis a ſummo Pontifice, ipſis competit facultas delegata abſolvendi ab excommunicatione pro foro externo, in caſu, quo aliquis hæreticus notorius hæreſim abjuret, & ad Eccleſiæ gremium revertatur: ita cum pluribus Reiffenſtuel loc. cit. n. 369. & hæc abſolutio ab excommunicatione in hoc caſu ab Epiſcopo impertita hæretico abjuranti, juvat etiam pro foro interno: itaut ſic abſolutus poſſit deinde a quovis confeſſario abſolvi.

* Vide quæ adjecimus *tom. 1. Tract. 4. cap. 2. §. 3. poſt num.* 10.

VII.

Digitized by Google

Item in aliis occaſionibus. VII. Item impeditus vel in perpetuum, vel ad longum tempus adire per ſe Apoſtolicam Sedem, poteſt ab Epiſcopo abſolvi, tam ab hæreſi, quam ab aliis criminibus Bullæ Cœnæ. Ita Sylveſter verbo Abſolutio cap. 4. n. 3. Navarrus in Summa cap. 27. n. 89. quos ut inſigniores alii plures ſequuntur. Ratio eſt, quia hujuſmodi impedimentum, vel perpetuum, vel ad longum tempus relinqueret impeditum in periculo decedendi ſine abſolutione, ut patet; & proinde reſervatio cederet in deſtructionem; non in ædificationem: tum etiam quia cum plura jura, præcipue caput *ea noſcitur* de ſent. excom. conferant Epiſcopo facultatem abſolvendi ab excommunicatione Papæ reſervata ob enormem Clerici percuſſionem illos, qui ob capitales inimicitias, infirmitatem, ſexum muliebrem, *vel alias juſtas excuſationes, quibus in itinere rationabiliter excuſentur, ſine periculo ſe nequeant conſpectui præſentare*; ita ut impediantur ad longum tempus, ne poſſint perſonaliter adire Pontificem, aut ejus Legatum; ita ſimiliter eadem motiva juſtam reddent abſolutionem in hujuſmodi caſu impedimenti a quocumque alio caſu Pontifici reſervato; in quo caſu debet Epiſcopus abſolvens petere juramentum ab eo, qui abſolvitur, ut ceſſante impedimento, adeat Pontificem, vel ejus Legatum, ad audiendum Pontificis, vel Legati mandatum, prout jura ſtatuunt, præcipue in capite *quod de his* 20. in capite *de monialibus* 33. in capite *quamvis* 58. de ſent. excom. Hinc apparet, quod ſi impedimentum obſtet dumtaxat, ne adeatur Pontifex; poſſit autem adiri Legatus, tenebitur quis ad hunc accedere, non ad Epiſcopum, niſi forte Epiſcopus haberet ſpeciale privilegium a Pontifice abſolvendi a præfatis caſibus; quia tunc poſſet immediate adire ipſum.

Qualia ſunt hæc impedimenta? VIII. Hujuſmodi autem impedimenta, uſque ad ſeptemdecim a Sylveſtro recenſentur loc. cit. num. 2. primum eſt ſtatus Regularis, qui vagari non permittit, niſi tamen exceſſus eſſet admodum enormis. Secundum eſt articulus mortis. Tertium eſt ſtatus muliebris, qui plura involvit inconvenientia, ſi diu iter habere permittatur. Quartum eſt gravis inimicitia capitalis, ex qua prudenter timetur mors poſſe imminere. Quintum eſt ætas puerilis. Sextum eſt ſenectus. Septimum eſt infirmitas longa. Octavum eſt debilitas ejus, qui iter facere nequit. Nonum eſt caſus percuſſionis Clerici, dum volens arcere turbam, Clericum fortuito percuſſit, tamen culpabiliter. Decimum eſt caſus percutientis Clericum ſub prætextu ſui Officii, niſi tamen graviter vulneraverit. Undecimum eſt complexio nimis delicata, quæ ſuſtinere non poſſit laborem itineris. Duodecimum eſt paupertas ejus, qui ob nimiam inopiam nequit Romam adire. Decimumtertium eſt ſocialitas Clericorum, qui ſub eodem tecto ſocialiter vivunt, & ſe invicem percuſſerunt, niſi forte atrocitas percuſſionis pœnam graviorem mereatur. Decimumquartum eſt caſus illius, qui non eſt ſui juris, ſed eſt alteri ſubjectus, ut mancipium, filius familias. Decimumquintum eſt caſus illius, de quo publica fama eſt, quod Clericum percuſſerit; nam hic ad arbitrium Epiſcopi vel debet ſe purgare, ſi neget; vel ab Epiſcopo ad cautelam abſolvi. Decimumſextum eſt percuſſio levis, quamvis ſit peccatum mortale, Clerici, quæ poteſt ab Epiſcopo abſolvi. Decimum ſeptimum comprehendit alias juſtas excuſationes, quæ judicio prudentum extare poſſunt, ut impediatur acceſſus ad Pontificem. Jura pro his omnibus afferuntur a Sylveſtro loco cit.

Nonum, decimum, decimumquintum, & decimumſextum inter impedimenta Summum Pontificem adeundi proprie percenſeri non debent, ut liquido conſtat; ſed in illis caſibus abſolvendi facultatem habent Epiſcopi, ſi percuſſio fuerit levis. Poſſunt enim Epiſcopi a percuſſione levi abſolvere, ut patet ex cap. *Pervenit de ſentent. excom.* Poſſunt etiam a mediocri, & ab enormi, ſi fuerit occulta, ut conſtat ex Decreto Trident. *Seſs.* 24. *de Reform. cap.* 6.

IX. Multi cum Navarro cap. 27. n. 90. ad 5. & cum Barboſa par. 2. de offic. & poteſt. Epiſcopi Allegat. 41. num. 7. docent, quod impeditus perſonaliter accedere ad S. Sedem, neque teneatur mittere procuratorem, neque ſcribere ad Sac. Pœnitentiariam ad obtinendam facultatem, ut abſolvatur. Rationem afferunt, quia jura ad id non obligant. Ut verum fatear, circa miſſionem procuratoris non diſſentior. Circa vero miſſionem epiſtolæ, niſi nimia diſtantia ab Urbe, aut periculum grave in mora interveniant, non acquieſco: putarem dirigendam eſſe epiſtolam ad Sac. Pœnitentiariam, ut pluries & ego feci, & faciendum exiſtimo in re- An impeditus teneatur ad aliquid aliud?

gionibus, quæ nimis non diſtant ab Urbe, niſi forte adiri poſſit Legatus Pontificis. Immo P. Kazenberger teſtatur, in Germania morem obtinuiſſe, ſcribendi Romam ad Sacram Pœnitentiariam.

Poteſtas Epiſcopi in caſu impedimenti poteſt delegari.

X. Poteſtatem quam habet Epiſcopus ſuper reſervatis Pontifici in caſu impedimenti, poteſt ipſe delegare alteri confeſſario vel generaliter, qualem delegat Vicario ſuo Generali, vel ſpecialiter, dum eam delegat alicui confeſſario particulari; ita Sanchez lib. 2. moral. c. 11. num. 23. & Bonacina tom. 3. diſp. 1. de Bulla Cœnæ qu. 22. puncto 2. num. 24. quia hujuſmodi poteſtas, in caſu impedimenti convenit Epiſcopo de jure ordinario, & ex vi ſui muneris paſtoralis; poteſtas autem conveniens de jure ordinario poteſt delegari.

* Quamvis Epiſcopi nequeant modo vi facultatis ipſis a Tridentino *Seſſ.* 24. *c.* 6. conceſſæ abſolvere a caſibus etiam occultis, in Bulla Cœnæ Domini contentis; attamen virtute ejuſdem facultatis poſſunt abſolvere ab aliis caſibus occultis Summo Pontifici reſervatis extra eandem Bullam, ut & Auctor docet ſupra *n.* 5. Difficultas ſolum inſurgit, an hæc facultas a Concilio Epiſcopis conceſſa ſe extendat etiam ad caſus, qui poſt Concilium reſervati ſunt Sedi Apoſtolicæ? Non conveniunt inter ſeſe Doctores. Plures ſententiam negantem propugnant: alii non pauci affirmantem ſuſtinent: ac demum nonnulli media via incedunt, aſſeruntque primam ſententiam eſſe veram, ſi in nova Conſtitutione ponatur aliqua clauſula derogans Concilio; ſecus vero ſi talis clauſula non ponatur. Quid igitur in tanta opinionum varietate ſtatuendum? P. Petrus M. Paſſerinus *de elect. Canon. c.* 26. *n.* 35. ubi difficultatem hanc fuſe expendit, relatis præfatis opinionibus, concludit, quod quia Garzias, Suarez, & alii referunt Gregorium XIII. audito voto Congregationis declaraſſe, quod Decretum Concilii non ſe extendit ad caſus de novo poſt Concilium reſervatos, prima ſententia, quæ hoc idem docet, eſt amplectenda. At non acquieſcit Suarez *de Sacram. p.* 2. *diſp.* 30. *ſect.* 2. „ Aliud dubium, *inquit*, circa hoc Decretum, propoſitum legitur, in Congregatione Cardinalium, ſcilicet an hoc Decretum locum habet in caſibus poſt Concilium Tridentinum ex nova lege Sedi Apoſtolicæ reſervatis. Reſponſio autem, quæ ad noſtras manus fide digna auctoritate pervenit, ſic continebat: S. D. N. *Gregorius XIII. audita relatione Congregationis, reſpondit non habere locum.* Quod ſi his verbis ſignificetur Summum Pontificem, quaſi novum quoddam jus hoc ſtatuiſſe, nihil eſt quod amplius quæramus: ſi autem illa ſolum eſt declaratio juris Concilii, videtur profecto valde difficilis. Nam in primis reſtringit favorabile Decretum, ſine cogente fundamento, quod nobis occurrat; ſi enim aliquod eſſe poteſt, maxime eſt quia reſervatio ſubſequens videtur eximere caſum illum ab omni poteſtate prius conceſſa: vel quia Concilium de præterito loquitur de caſibus reſervatis, non etiam de caſibus reſervandis: vel quia per derogationem ſubſequutam derogatur Concilio. At hæc & ſimilia non cogunt. „ Quod oſtendit ipſe & declarat fuſo calamo, ac demum ſic concludit: „ Quapropter quamdiu de mente Apoſtolicæ Sedis certius non conſtiterit, & ſub illius cenſura videtur probabile, reſponſionem illam ſupra citatam, intelligendam eſſe de caſibus poſtea reſervatis cum aliqua clauſula, aut verbis ſufficientibus, per quæ huic Decreto derogari videatur; qualia eſſent ſi in ipſa reſervatione expreſſe adderetur, *etiam in caſibus occultis*; aut ſi adderetur clauſula *non obſtante quocunque decreto, etiam Concilii Generalis*, ut additur in Bulla Cœnæ. At vero ſi ſimpliciter fiat reſervatio, non exiſtimo per Clauſulam generalem derogari ſpeciali decreto Concilii Generalis; ſed reſervationem intelligendam eſſe ſub forma ejus. „ Juxta Suarez itaque ſententiæ jam expoſitæ, quæ media via incedit, eſt adhærendum.

In facultate conceſſa per Jubilæum, non comprehenditur hæreſis.

XI. Quando in Bullis Jubilæi conceditur Confeſſariis facultas abſolvendi ab omnibus caſibus reſervatis Pontifici etiam in Bulla Cœnæ Domini, non conceditur facultas circa hæreſim, niſi diſtincte, & ſpecialiter exprimatur. Ita communior & tenenda in praxi, quam docent Navarrus loc. cit. num. 175. Barboſa loc. cit. num. 31. Sanchez loc. cit. c. 10. n. 12. & alii. Tum quia ita obſervat Stylus Romanæ Curiæ; tum quia S. Pius V. ita declaravit per ſuum motum proprium anno 1572. & Gregorius XIII. ita declaravit ad petitionem Inquiſitorum Hiſpaniæ apud Barboſam, & Innocentius X. ad inſtantiam

In-

Inquiſitoris Toletani anno 1652. apud Dianam ita tenentem in tractatu de Conclavi reſolut. 25.; tum denique quia ita pluries declaravit Sac. Congregatio, & præcipue ſub Alexandro VII. die 15. Maii 1654. his verbis: *Cum crimen hæreſis præ cæteris graviſſimum ſpeciali nota dignum ſit, decrevit, facultatem abſolvendi ab hæreſi in Jubilæis, vel aliis ſimilibus conceſſionibus, non cenſeri comprehenſam, niſi præciſis verbis concedatur facultas abſolvendi ab hæreſi*. Quid clarius?

* Addendum exiſtimamus, quod quando conceditur facultas generalis abſolvendi a cenſuris Papæ reſervatis etiam in Jubilæo, non ideo datur poteſtas abſolvendi a cenſuris contentis in Bulla Cœnæ, ubi illa viget, niſi ſpecialiter exprimatur; quia hæ ſunt ſpecialiter reſervatæ. Specialia autem non continentur in Conceſſione generali niſi exprimantur. Item in generali conceſſione abſolvendi a cenſuris Papæ reſervatis, non intelligitur facultas abſolvendi a caſibus ſpecialiter intra Italiam ipſi Pontifici reſervatis, quos Auctor percenſet *infra* §. 12. *num.* 4. Conſtat id ex Decreto S. Congregat. Cardinalium de mandato S. P. Clementis VIII. edito, quod citat P. Philippus de Carboneano *in not. ad reſp.* 3. *q.* 8. *cap.* 1. *Tract. de Cenſur. P. Antoine*.

Quid in Articulo Mortis? XII. In articulo mortis quis conſtitutus, gravatus reſervatis etiam Pontifici, etiam crimine hæreſis; ſi præſto haberi nequeat Epiſcopus, aut ejus Vicarius, aut Parochus, aut Sacerdos approbatus, aut ſimplex Sacerdos nulla cenſura irretitus, etiam ſimplex Sacerdos, quamvis cenſura detentus, poteſt abſolvere in dicto periculo conſtitutum *a quibuſvis peccatis & cenſuris*, ut loquitur Concilium Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. in decreto de reformatione; & quamvis dicat, quod id poſſint *omnes Sacerdotes*, non tamen excluditur præfatus ordo ſervandus, ſi caſus ſint reſervati; vel ſi tales non ſint, quod præferatur approbatus non approbato; & immunis a cenſuris eiſdem detento; quia eſt miniſter neceſſitatis, quæ neceſſitas non occurrit, dum habilior haberi poteſt. Idem dicendum eſſe docet Barboſa Allegat. 25. n. 81. cum plurimis etiam in caſu prudentis periculi mortis, ob rationem a nobis allatam in §. 6. num. 9. ubi notandum monuimus, quod ſi pœnitens abſolvendus habeat caſus reſervatos, nulla cenſura affectos, ſi ab eo periculo evaſerit, non tenetur ſe præſentare Superiori; quia in dictis eventibus ceſſat reſervatio: ſi autem ſit abſolvendus a reſervatis affectis cenſura, vel a ſola cenſura, tenetur, ſi evaſerit, ſe præſentare Superiori, ad audiendum verbum illius; & circa hoc eſt ab eodem exigendum juramentum de Superiore reſpective adeundo, quamprimum poterit, antequam abſolvatur, ſub pœna reincidendi in eamdem cenſuram, ob novam inobedientiam, ex laudato capite *de cætero*, & ex capite *ea noſcitur*, & ex capite *Quamvis*, & ex capite *de his* de ſentent. excommunic. Item antequam abſolvatur, exigendum eſt etiam juramentum de ſatisfacienda parte læſa, ſi quæ læſa fuerit, quamprimum poterit; Notandum, quod in dicto caſu non tollitur ſuſpenſio, quæ remanet, ſuo tempore, ſi evaſerit, ab habente auctoritatem, tollenda. Vide quæ docentur inferius, nempe §. 13. *n.* 1. quæque eidem addita ſunt.

§. XII. *De facultate Regularium ſuper caſibus reſervatis.*

I. PRælati Regulares, nempe Generales, & Provinciales poſſunt abſolvere ſuos ſubditos ab omnibus caſibus, a quibus poſſunt Epiſcopi de jure communi abſolvere ſubditos ſuæ diœceſis: ita communis omnium doctorum, fundata in Conſtitutione 132. S. Pii V. in qua Priori Conventuali, & Prælatis Superioribus Ordin. Prædicatorum (ne ſint deterioris conditionis, quam ſæculares) conceditur eadem facultas abſolvendi, & diſpenſandi ſuos ſubditos, quam habent Epiſcopi in Clericos, & Laicos ſuæ diœceſis: unde ſicut Epiſcopus diœceſanos ſuos impeditos adire Pontificem, vel Legatum, poteſt abſolvere a caſibus indicatis in paragrapho antecedente; ſimiliter Prælati Regulares poſſunt abſolvere ſubditos ſuos, quippe qui ſint inter impeditos, ab omnibus caſibus Papæ reſervatis, exceptis hæreticis relapſis, ſchiſmaticis, litteras Apoſtolicas falſificantibus, deferentibus prohibita ad partes infidelium, & conſpirantibus in Romanum Pontificem: quam poteſtatem, utpote ordinariam, poſſunt aliis delegare: videatur P. Angelus a Lantuſca in Theatro Regularium, verbo abſolutio, n. 5. Quia vero nomine Prælatorum Regularium multi ſolos Generales, & Provinciales intelligendos eſſe affirmant, & non Quid poſſint erga ſuos ſubditos?

non Conventuum Superiores, quos potius Parochis æquiparant, quam Epiſcopis; idcirco conſultius aliquibus videbatur in praxi, & in caſu, ſi emergat, petere a Provinciali delegationem, ut ſecurius negotium perficiatur. Profecto ſi ſtemus Conſtitutioni S. Pii V. Pontifex in ejuſdem §. 3. quem propriis oculis legi, aperte concedit facultatem memoratam etiam *Priori Conventuali*; quamobrem ignoro, cur ab indicatis Auctoribus hæc facultas Superioribus localibus denegetur. Nihilominus reſponderi poteſt, quod nullus Prælatus Regularis neque Generalis poſſit abſolvere ſuos ſubditos ſaltem ab hæreſi, quamvis occulta, ex Decreto S. Congregationis, ſub die 17. Novembris, anni 1628. ut cum PP. Mendo, & Viva docet P. Lucius Ferraris in ſua Bibliotheca Canonica, Verbo abſolvere, n. 40. Ita profecto dicendum eſſet, poſita veritate laudati Decreti; quod cum ſit poſterius Bullis Sixti V. *Regimini*, Pauli II. *Exponi nobis*, Pauli III. *Licet debitum*, Pii V. *Dum ad Congregationem*, in quibus dicta facultas conceditur, a laudato Decreto revocaretur. At cum Benedictus XIII. in ſua Conſtitutione *Pretioſus*, Anno 1727. die 26. Maii in §. 21. Prælatis Ordinis Prædicatorum ex indicatis ſuorum Prædeceſſorum Bullis, hanc facultatem *cica ſibi ſubditos Fratres ac moniales .... confirmet, innovet, de novo, ut prædictum eſt, concedat, atque decernat, & declaret, prædictos Ordinis Prælatos abſolvere poſſe Fratres ac Sorores ſibi ſubjectos ab omnibus & ſingulis caſibus & cenſuris Sedi Apoſtolicæ, etiam per Bullam Cœnæ Domini, reſervatis; exceptis dumtaxat illis, quæ Sixtus IV. & Julius II. in præmiſſis Conſtitutionibus, excipiendos eſſe voluerunt:* (qui ſunt relapſus in hæreſim, ſchiſma, Falſificatio literarum Apoſtolicarum, Conſpiratio contra Pontificem, Delatio prohibitorum ad partes infidelium) *eoſque diſpenſare poſſe ſuper quavis irregularitate, ex homicidio voluntario orta dumtaxat excepta: poſſe tamen ſolum Magiſtrum Ordinis ab Irregularitate hujuſmodi diſpenſare cum Fratribus ſibi ſubditis, dummodo homicidium non fuerit appenſatum, & intra clauſtra extiterit conſummatum;* videbitur fortaſſe, dictam facultatem adhuc ſubſiſtere. Equidem non me latet, huic Conſtitutioni fuiſſe quoad plura derogatum a Clemente XII. Benedicti ſucceſsore: utrum autem fuerit etiam derogatum quoad hoc punctum abſolutionis ab hæreſi, ignoro; nam Clemens in ſua Conſtitutione data die 30. Maii 1732. quæ incipit *Romanus Pontifex*, aſſerendo motiva litium, turbarum, & contentionum excitatarum inter Epiſcopos & Regulares, nec non inter eoſdem Regulares & Confraternitates &c. occaſione Conſtitutionum a laudato Benedicto emanatarum, Regulares privilegiis cumulantium, inter quas commemorat etiam præfatam Conſtitutionem *Pretioſus*, ita Clemens loquitur in §. 2. ſuę Conſtitutionis: *Statuimus & decernimus de omnibus, & ſingulis prædictis Literis, & Conſtitutionibus, quæ ab eodem Anteceſſore noſtro Benedicto prodierunt, necnon de omnibus privilegiis, gratiis, favoribus, indultis, exemptionibus, facultatibus, & declarationibus in eiſdem contentis, eam deinceps deciſionem, ac judicium, etiam in foro conſcientiæ habendum, quod ſive ex jure communi, ſive ex Concilio Tridentino, ſive ex Decretis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſive alias legitime habebatur, antequam eædem Literæ, & Declarationes ab eodem Benedicto conceſſæ fuiſſent, perinde ſcilicet, ac ſi illæ non emanaſſent; ad quam diſpoſitionem, ejuſque priſtinum ſtatum, ac terminum omnia ſuperius enumerata omnino reducimus, & reducta eſſe volumus.* An autem per hæc verba revocetur etiam ſupradicta facultas abſolvendi ab hæreſi ſubditos in foro conſcientiæ, vel non comprehendatur inter ea, quæ motivum dedere huic Clementinæ Conſtitutioni; perpendant Sapientes & cordati Viri, atque reſolvant: ſed prius animadvertant narrationem Reverendiſſimi D. Secretarii Sacræ Congregationis Indulgentiarum, relatam in Bullario Ordinis noſtri tom. 8. Titulo 15. folio 434. occaſione reſolutionis nonnullorum dubiorum, eidem Sacræ Congregationi Indulgentiarum propoſitorum ſub die 30. Aprilis 1734. qui ita loquitur, declarans mentem ejuſdem Congregationis. *In narrativa Bullæ SS. D. N.* (Clem. XII. a nobis modo relatæ) *ad amovendam litium occaſionem, ad terminos juris communis Benedicti Conſtitutiones reduci, aſſeratur: ac proinde ſolum Privilegia contentioſa, ac juriſdictionem Ordinariorum impedientia videantur revocari.*

* Circa Superiores locales, quibus etiam competit facultas ſuos abſolvendi ſubditos a reſervatis, ut aſſerit Auctor *n. præced.*

Digitized by Google

præced. obſervandum occurrit cum P. Paulo a Lugduno *Append.* 1. *Quæſt. Regul. Quær.* 4. *obſerv.* 3. quod ut talem reapſe habeant ipſi facultatem, neceſſe eſt, ut per electionem canonicam ſint aſſumpti; atque adeo non ſufficit, ut per proviſionem tantum a Definitorio facti ſint, ſeu electi, ut ſunt Guardiani in ſuo Ordine, & ut moris eſt, in quibuſdam aliis Ordinibus. Hi ſiquidem, ait, licet vere ſint Prælati curam animarum habentes, prout declaravere Clemens IV., & Sixtus IV.; juriſdictione tamen ordinaria communi jure Prælatis conceſſa non gaudent, ſed tantummodo ea auctoritate & juriſdictione, quam Religionis ſtatuta eis conferunt. Ideoque nonniſi minora negotia determinare poſſunt, proindeque nec per ſe ipſos a reſervatis abſolvere, virtute Privilegiorum aliis Prælatis conceſſorum. Hoc idem de ſuis Guardianis affirmat contra aliquos P. Felix Poteſtas *tom.* 1. *part.* 1. *de Miniſtro Sacram. Pœnit. cap.* 5. *num.* 3432. ajens, quod quamvis poſſent quantum eſt ex vi privilegii, quatenus eos comprehendit; non poſſunt tamen, inquit, ex jure particulari noſtræ Religionis, quæ in Capitulo Generali tale privilegium quoad Guardianos non acceptavit, fundata in Trid. *ſeſſ.* 14. cap. 7. ubi hæc habentur: *Magnopere vero ad chriſtiani populi diſciplinam pertinere, ſanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt, ut atrociora quædam & graviora crimina non a quibuſvis, ſed a ſummis dumtaxat Sacerdotibus abſolverentur.* Idem ibi eſt conceſſum Epiſcopis in ſuis Diœceſibus, & inde auctoritatem quaſi Epiſcopalem habentibus, cujuſmodi ſunt Provinciales, minime Guardiani. Vicariis etiam Priorum Conventualium, eamdem competere facultatem in ipſorum abſentia cenſent nonnulli, & præſertim Continuator *Prælect. Theolog.* Honorati Tournely *p.* 2. *cap.* 8. *ſect.* 7. *n.* 627. *de Pœnit.* cum hoc tamen diſcrimine quod Provincialis in diſtrictione ſua, & Prior Conventualis in ſuo Conventu delegare poſſunt, Vicarius vero non item, ſaltem in quibuſdam Ordinibus: qua de re quiſque Religionis ſuæ leges conſulere, & exequi debet. In Prologo Conſtitutionum F. F. Ord. Præd. *Text.* 111. *lit.* e, hæc habentur: „ Declaramus quod „ Prælatus hic vocatur ſolus ille qui ha„ bet curam animarum ſicut Prior in Or„ dine noſtro canonice electus, & per „ Superiorem confirmatus, ut dicit Glos. „ Clement. cap. 1. de elect. Supprior ve„ ro, & Vicarius, cum non habeant cu„ ram animarum niſi ex commiſſione Prio„ ris, vel alterius Superioris, neuter eo„ rum poteſt dici Prælatus, nec poteſt ſi„ bi eligere Confeſſorem, nec Priore præ„ ſente in domo poteſt cum Fratribus diſ„ penſare ex virtute Conſtitutionum, ſed „ ſolum ex commiſſione Prælati: niſi for„ te quando, mortuo Priore, vel amoto, „ ipſe ut quaſi Ordinarius vices ejus in „ omnibus gerens. Et ideo in Capitulis „ Pariſiis 1246., & Metis 1251. celebra„ tis, fuit ordinatum, quod cum Priores „ ſunt præſentes in domo, Suppriores & „ Vicarii diſpenſandi non habeant pote„ ſtatem. Cæterum cum contingat Priorem „ a ſuo Conventu abeſſe, declaramus, „ Priorem teneri in primo Capitulo ſui „ Prioratus conferre auctoritatem neceſ„ ſariam Suppriori, & in abſentia illius „ ſuo Vicario pro omnibus caſibus neceſ„ ſariis emergentibus, & præſertim pro „ pertinentibus ad forum conſcientiæ, „ quotieſcumque, & quomodocumque ip„ ſe Prior ſit extra Conventum, præſer„ tim per Dietam abſens, & quamvis hoc „ non habeatur expreſſum in Conſtitutio„ nibus, conforme tamen eſt diſpoſitio„ ni earumdem Conſtitutionum. „ Legatur P. Petrus Paſſerinus *de elect. Canon. cap.* 26. ubi rem hanc fuſo calamo exponit.

II. Regulares abſolvere non poſſunt ſæculares a caſibus Epiſcopo reſervatis; nam Alex. VII. reprobavit theſim n. 12. quæ dicebat, quod *Mendicantes poſſunt abſolvere a caſibus Epiſcopo reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate:* Quod etiam deinde vetuit Clemens X. in Conſtitutione, quæ incipit *Superna:* & quamvis aliqui dicant, theſim damnatam intelligendam eſſe de reſervatis ab Epiſcopo in tabella, non autem de illis eidem reſervatis a jure, quales ſunt Abortus, & percuſſio non enormis Clerici; nihilominus communius, & probabilius in prohibitione comprehenduntur etiam iſti. Immo eſt certa ſententia; cum idem Clemens in §. 6. adiecerit: *Habentes facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, non ideo a caſibus Epiſcopo reſervatis poſſe abſolvere.* Similiter neque ab excommunicatione nominatim ab Epiſcopo inflicta, ex Decreto Pauli V. die 7. Januarii 1617. neque a quocumque delicto ad tribunal Ordinarii delato; quamvis in

Quid quoad caſus Epiſcopo reſervatos?

tabella non deſcripto: neque a caſibus, qui dicuntur a jure Epiſcopo reſervatis, in quibus Epiſcopi ſunt a Sede Apoſtolica delegati, quales ſunt Abortus, & percuſſio non enormis Clerici, certa eſt ſententia Regulares facultate carere; cum ſoli Epiſcopi ad hos caſus ſint a Pontifice ſpecialiter delegati: & ſi privilegiorum prætextu, a caſibus Epiſcopo reſervatis abſolvere præſumant, incidunt in excommunicationem Papæ reſervatam, ex Decreto Clement. VIII. anni 1601. die 9. Januarii. Et nota, quod pœnitens habens reſervatos in ſua diœceſi, ſi extra diœceſim confiteatur, in qua non ſunt reſervati, valide, & licite abſolvitur, dummodo non egerit in fraudem, quæ nemini ſuffragari debet, ad eludendam Superioris auctoritatem.

Non poſſunt abſolvere ſeculares ab hæreſi occulta.

III. Prælati Regulares non poſſunt abſolvere Seculares in foro conſcientiæ ab hæreſi occulta, neque ab excommunicatione propter eam incurſa: ita decernente Alexandro VII. in reprobatione theſis 4. quæ dicebat: *Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcunque ſeculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa*. Urbanus VIII. in Conſt. *Cum ſicut accepimus*, die 3. Nov. 1631. ita loquitur: *Hactenus editas Conſtitutiones generales, diſpoſitiones, Ordinationes Apoſtolicas, concernentes fidem catholicam, illiuſque propagationem, S. Inquiſitionis Officium, præſertim quoad ea, quæ in Congregationibus S. Officii, & de Propaganda fide tractari ſolent, ac in poſterum edendas per Romanos Pontifices in favorem præfatæ fidei catholicæ, illiuſque propagationis, & S. Officii Inquiſitionis, quam ſuper quacumque alia re, negotio, vel materia, comprehendere quoſcumque Profeſſores Ordinum, Congregationum, Societatum, & Inſtitutorum, adeout ſuper his quocumque privilegio, ſeu facultate ſint privati*. Hinc colligitur primo, quæcumque Decreta in quibus damnantur propoſitiones, ac inhibetur, ne quis eas doceat, aut defendat; &c., afficere quoſcumque privilegiatos, ut non poſſint ab excommunicationibus abſolvere, quæ in contrafacientes infliguntur; quæve ſoli Pontifici reſervatæ dicuntur, aut Inquiſitoribus. Secundo alia Decreta, quibus librorum lectio, retentio &c. prohibetur ſub vinculo excommunicationis latæ ſententiæ ſoli Pontifici reſervatæ, aut Inquiſitoribus, eoſdem privilegiatos comprehendere, ut non poſſint abſolvere, qui in eas inciderunt. Tertio, Conſtitutiones vel Decreta in favorem catholicæ fidei edita, in quibus contrafacientes puniuntur excommunicatione Pontifici, aut Inquiſitoribus, reſervata, privare omni facultate abſolvendi Regulares Privilegiatos. Hujuſmodi eſt Conſtitutio Clem. XII. quæ incipit *in eminenti* 4. Kal. Maii 1738. in qua *Francs Maſſons* (italice Liberi Muratori) *cætus, conventicula, quicumque præſumat inire, propagare, receptare, occultare, iis adſcribi*, excommunicatione ſoli Pontifici reſervata innodantur: quam renovavit & confirmavit Benedictus XIV. alia edita Conſtitutione, die 8. Maii 1751. & alia ejuſdem Pontificis Bened. XIV. quæ incipit: *Ex quo ſingulari*, anni 1742. die 9. Auguſti, ubi indicitur excommunicatio latæ ſententiæ ſoli Pontifici reſervata, contra eos, qui non obſervant, aut obſervari non curant, ab ipſo ſtatuta circa ritus ſervandos, in Imperio Sinarum, aliiſque Regnis & Provinciis Finitimis. Quarto loco adjungenda eſt Conſtitutio Alexandri VII. die 8. Julii anni 1660. incipiens; *Licite alias*, in qua excommunicatione ſoli Pontifici reſervata feriuntur quicumque, etiam Privilegiati, qui auſi fuerint, cauſis ad S. Officium pertinentibus ſeſe intromittere, vel quovis prætextu retrahere, diſſuadere, vel retardare aliquem, a denuntiandis apud Ordinarium, vel Inquiſitores etiam leviter ſuſpectis de hæreſi; Super has itaque, hiſque conſimiles excommunicationum ſententias nullam facultatem exercere poſſunt Regulares Privilegiati; cum ſuper his aperte derogatum ſit eorum privilegiis & gratiis ex allata Conſtit. Urbani VIII. & Alex. VII.

Neque ab aliis quibuſdam caſibus Pontificiis.

IV. Nullus Regularis poteſt abſolvere Seculares a viginti caſibus in Bulla Cœnæ contentis, ut patet ex Clauſula, quæ in §. 24. ejuſdem Bullæ continetur, quia derogatur cuicunque privilegio. Et quamvis aliqui dicant, id poſſe fieri a Regularibus perpetuo impeditis ab adeundo Sanctam Sedem; hoc non eſt verum; ſed adeatur Epiſcopus, cujus impeditus eſt ſubditus; cum alioquin non ſit ſubditus Regulari. Neque poſſunt Regulares abſolvere Seculares, intra Italiam, extra Urbem Romanam ab illis ſex caſibus, quos S. Sedi reſervavit Clemens VIII. qui ſunt. 1. Violatio Immunitatis Eccleſiaſticæ, circa confugientes ad Eccleſiam. 2. Violatio Clauſuræ Monialium ad malum finem; nempe impudicitiæ. 3. Injectio manus violentæ

Digitized by Google

lentæ in Clericum. 4. Provocatio, & pugna in duello. 5. Simonia Realis, quoad Ordines, & Beneficia, ſcienter contracta. 6. Confidentia Beneficialis. Quibus omnibus etiam adjunxit excommunicationem ſibi reſervatam. Atque ſi prætextu privilegiorum ab his abſolvant, excommunicationem incurrunt, ſoli Pontifici reſervatam, ex Decreto Clem. VIII. 1601. die 9. Januarii.

Quid poſſint circa Seculares? V. Ex conſequenti poſſunt Regulares, ob indicata privilegia, abſolvere ſeculares, etiam Eccleſiaſticos, ab aliis cenſuris, nempe excommunicationibus, ſuſpenſionibus, & interdictis Papalibus, latis ſive in perpetuum, ſive ad tempus; necnon a privationibus dignitatum, graduum, vocis, activæ, & paſſivæ, quæ pœnæ tamen latæ fuerint a jure; non autem ſi particulariter alicui fuerint inflictæ; quemadmodum neque ab Irregularitatibus de quibus in privilegio nulla fit mentio; cum enim irregularitas ſit inhabilitas, hæc non tollitur, niſi per Superioris diſpenſationem. Notandum quod poſſunt abſolvi a ſupradictis in foro conſcientiæ dumtaxat, ita ut in foro externo abſolutio nullam vim habeat; propterea ſi v. g. contra abſolutum ab excommunicatione procedatur in foro externo, abſolutio impertita, quamvis valeat pro foro Dei, & conſcientiæ; nequit tamen impedire, ne procedatur contra abſolutum, & puniatur; unde ſi, antequam abſolvatur, ſolum etiam citetur in foro externo, cadit omnis facultas privilegiati, ne poſſit illum amplius abſolvere in foro conſcientiæ. Notandum inſuper, quod præfata abſolutio debeat fieri intra Confeſſionem; Paulo III. in Bulla *cum inter cunctas* dicente: *eorum Confeſſionibus diligenter auditis*. Et quamvis Navarrus lib. 5. conſil. 11. quem ſequuntur Suarez, Henriquez, & Rodriquez apud Layman cap. 10. n. 21. dicat, quod abſolutio a ſola excommunicatione poſſit impertiri etiam extra Confeſſionem; fateor, quod id agere non auderem, cum Laymano ſuſtinente impertiendam eſſe intra Confeſſionem.

VI. Demum inquiſitione dignum videtur, num Privilegiati poſſint abſolvere ab aliis caſibus, quos ſibi reſervarunt Romani Pontifices, poſt Decreta Clemen. VIII. & Pauli V., ac deinceps ſibi reſervabunt, ſi non pertineant ad S. Inquiſitionis Officium, & ad Congregationem de Propaganda fide &c. quemadmodum in ſupra laudata Conſtitutione Urban. VIII. *Sicut accepimus* ſtatutum eſt? Pater Dominicus Viva ſupra propoſitionem XII. Alexandri VII. ex verbis Decreti Pauli V. *Ac inſuper ut nulli ex Sacerdotibus, quibuſcumque privilegiis, indultis, ac facultatibus ſuffultis, ab excommunicationibus, vel a caſibus, ... ſedi Apoſtolicæ reſervatis; ... præterquam in mortis articulo, abſolvere audeant vel præſumant*: deducit, ſublatam omnino Privilegiatis facultatem abſolvendi ab hujuſmodi caſibus; clauſula namque illa *Inſuper*, ait ille, videtur indicare novam diſpoſitionem Legiſlatoris, ab antiquis diſtinctam, ex capit. *Statutum*, §. *Inſuper de Reſcriptis* in 6. atque adducit pro ſua opinione Floronum, & Bordonum apud Dianam p. 8. Tract. 7. reſponſ. 71. Idem docet Pater Caſnedi tom. 3. diſp. 30. n. 58. ex verbis Decretorum Clem. VIII. Idem tenet Cardinalis Petra tom. 5. Conſtitutionum Apoſtolicarum, ſuper Conſtitutionem XIX. Sixti IV. n. 15. & pro eadem ſententia affert Pellicionum quæſt. 7. cap. 2. §. dico quarto; & cap. 3. §. reſpondeo: Matthæucium de Officialibus Curiæ, cap. 2. nu. 11: & 12. Barboſam p. 3. de poteſtate Epiſcopi, Alleg. 5. ad Concil. Trident. cap. 1. & P. Viva ſupra relatum. Paſſerinus noſter de Statibus Hominum quæſt. 187. art. 1. Obſervatione 2. n. 443. advertit, quod quantum ad caſus, qui reſervantur Papæ poſt conceſſa Privilegia, ſi in hujuſmodi reſervatione derogetur ſufficienter privilegiis Regularium, non poſſunt ipſi ab illis abſolvere: ita non poſſunt Regulares in vi privilegiorum abſolvere ab excommunicatione lata in Conſtitutione *Æterni Paſtoris* a Gregor. XV. 1621. die 14. Novembris, edita contra violantes ſtatuta circa electionem Romani Pontificis. Rurſus idem Paſſerinus Obſervatione 3. n. 452. docet, ex Conſtitutione Urbani VIII. ad derogandum privilegiis Regularium, nullam ſpecialem derogationem eſſe neceſſariam. Rotarius t. 3. Theologiæ Regularium de Sacr. Pœnit. cap. 1. punct. 9. n. 8. ait: laudati Auctores, nempe Lezana, Paſſerinus, Naldus, Antonius a Spiritu Sancto, Diana, Barboſa, & alii advertunt, quod ſi Papa aliquem caſum ſibi reſervaret, hic virtute privilegiorum non poſſet a Regularibus abſolvi. Hinc mihi mirum eſt, quomodo P. Lucius Ferraris, vir alioquin Doctiſſimus, in ſua Biblioteca Canonica verbo *Abſolutio* concedat univerſim Regularibus facultatem abſolvendi a caſibus Papæ reſervatis; & deinde verbo *Complex* excipiat caſum, abſolventis complicem in peccato

cato

Digitized by Google

cato contra ſextum præceptum; & verbo *Sollicitatio* excipiat caſum, falſo accuſantium Sacerdotes de ſollicitatione, & procurantium ut accuſentur; & verbo *Eleemoſina*, caſum illorum qui Miſſas celebrare faciunt minori eleemoſina, parte ejuſdem ſibi retenta; cum eadem ſit ratio iſtorum, quam cæterorum; unde vel nec iſti ſint excipiendi; vel una cum iſtis etiam alii excipi [illegible]ocant.

VIII. Noviſſime de Regularium Privilegiis librum edidit Romæ Fr. Didacus ab Aragonia, & in Tractatu 6. cap. 5. n. 1. plures caſus recenſet, a quibus Regulares abſolvere nequeunt, quamvis non contineantur in Bulla Cœnæ Domini, neque in Decretis Clem. VIII. unde inferendum videtur, ſaltem non apparere fundamentum, cur aliqui excipiantur, alii vero non, ac proinde tuto ad praxim deduci non poſſe illorum Theologorum ſententiam, qui facultatem Regularium extendere ſtudent ad omnes caſus Pontifici reſervatos, præter illos, circa quos derogatum fuiſſe illorum privilegiis certiſſime oſtendimus. Caſus itaque Papales circa quos verum duco, Regulares abſolvere non poſſe, quique poſt Clementis VIII. Decreta, ſoli Pontifici reſervantur, præter illos, quos ſupra recenſuimus, ſunt ſequentes. Primus: Deprimentes, atque impugnantes opinionem, aſſerentem B. Virginem ſine originali conceptam: & viciſſim contrariam opinionem damnantes hæreſis, peccati mortalis, aut impietatis: Alex. VII. in Conſtitit. *Sollicitudo* die 8. Septemb. 1661. Secundus, Romanæ Curiæ Officialibus, aut Judicibus, ſive Romæ, ſive quocumque loco, in quo dictam Curiam eſſe contigerit, dantes, recipientes, permittentes, deponentes mediate vel immediate aliquid, quodcumque illud ſit, pro juſtitia, vel gratia, ſive in ſpiritualibus, ſive in temporalibus, & mixtis. Alex. VII. Conſtit. *Inter graviſſimas*, 2. Maii 1656. Tertius, audentes quovis modo docere, tueri, aut ad praxim deducere opinionem aſſerentem, poſſe privilegiatos Bulla Cruciatæ eligere confeſſarium non approbatum ab Ordinario loci, in quo ipſi pœnitentes degunt, & confeſſarios eligunt. Innoc. XII. Conſt. *Cum ſicut non ſine* 19. April. 1700. quæ confirmata fuit a Benedicto XIV. an. 1744. Quartus, Chartuſienſium Monaſteriorum Superior, vel alius ejuſdem ordinis Monachus, ſive quælibet alia perſona, quæ permittere audeat veſci carnibus, vel eiſdem uti in Monaſteriis ejuſdem Ordinis, ſive publice, ſive ſecreto. Clem. XI. Conſt. *Ex injuncto*, 11. Maii, 1712. Quintus, miſſarum eleemoſinas qui accipiunt abundantiores, & in minori ſumma conferunt celebrantibus: & Laici quidem, ſeu Seculares excommunicationis pœnam, Clerici vero, ſive quicumque Sacerdotes pœnam ſuſpenſionis ipſo facto incurrunt. Benedictus XIV. Conſtit. *Quanta cura*, 30. Junii, 1741. quam ſupra retulimus cap. III. de Euchariſt. Sacram. §. XIV. n. II. Sextus, abſolvens extra caſum mortis, & deficiente tunc quocumque alio confeſſario (etiamſi approbatus non fuerit) perſonam complicis contra ſextum Decalogi præceptum, niſi adſit periculum ſeipſum infamandi, aliiſque malam ſui ſuſpicionem ingerendi. Bened. XIV. Conſtit. *Sacramentum Pœnitentiæ*, 1. Junii 1741. & in declaratione, ſeu Conſtit. *Apoſtolici muneris* 8. Febr. 1745. de qua ſuo loco locuti ſumus. Septimus, Confeſſarios innocentes apud Eccleſiaſticos Judices falſo ſollicitationis ad turpia, qui inſimulat. Bened. XIV. in laudata Conſtit. *Sacramentum Pœnitentiæ*. Octavus, Clauſuram monaſteriorum quorumcumque Religioſorum virorum Feminæ violantes, quæcunque illæ ſint, & quocunque prætextu; exceptis Fundatricibus, quæ tamen primo habeant privilegium Pontificium nominatum, & ſignatum; ſecundo, oſtenſum Ordinario, & ab eo recognitum; tertio, ad ingrediendam dumtaxat Eccleſiam poſitam intra clauſtra. Benedict. XIV. Conſt. *Regularis diſciplinæ*, 3. Januarii 1742. Nonus, Audentes ſive pro ſe, ſive pro aliis temere uti facultatibus vel a Romanis Pontificibus conceſſis ingrediendi monaſteria monialium; quas quidem facultates omnes, quæcumque ſint, revocat, & irritas declarat Benedict. XIV. Conſt. *Salutare* 3. Januarii 1742. Decimus, Edentes, aut publicantes quamcumque confutationem aut interpretationem Decreti editi circa diminutionem Feſtorum: ſecundo, typis imprimentes, vulgantes, ſeu alia quacumque ratione in lucem edentes libros, libellos, relationes, theſes, folia, epiſtolas, vel alterius cujuſque generis opera, ſive incidenter, ſive ex profeſſo de prædicto argumento tractantia: tertio, quæcumque edita ſunt iterum prælo ſubiicientes, & recudentes; pro laicis eſt pœna excommunicationis; pro Eccleſiaſticis pœna Suſpenſionis a divinis: Benedict. XIV. Conſtit. *Non multi menſes*, 14. Novemb. 1748.

Lau-

Digitized by Google

Laudatus Didacus ab Aragonia ulterius contendit, nonniſi a Romano Pontifice abſolvi poſſe, primo, revelantes ſecretum S. Romanæ Rotæ contra formam Bullæ Urbani VIII. Secundo, revelantes ſecretum S. Officii, juxta Decretum Clem. XI. Tertio, violantes juramentum quod emittunt Officiales S. Congregationis Rituum circa Sanctorum Canonizationem. Quarto, Violantes Interdictum poſitum a Sede Apoſtolica. Quinto, Tractantes de ſucceſſore eligendo, vivente Romano Pontifice; & inquirentes per Aſtrologiam judiciariam de ſtatu Chriſtianæ Religionis; vel de vita & morte Romani Pontificis pro tempore exiſtentis. Sexto, delinquentes contra Conſtitutiones de Romani Pontificis electione editas; ut diximus ſupra cum Paſſerino. Alii fortaſſe erunt caſus, ſupra quibus, jure merito vere creditur, quod Regulares careant facultate: ſed neque tempus, neque opportunitas permittit ulterius inquirere: propterea ſtudioſus Lector eos requirat; atque hic recenſitis adjugat.

§. XIII. *De facultate aliorum Confeſſariorum in reſervata.*

Neque Sacerdos excommunicatus vitandus, neque hæreticus, nec ſchiſmaticus abſolvere poſſunt in articulo mortis.

I. QUid cæteri confeſſarii poſſint in articulo mortis, & qualiter ſe gerere debeant circa reſervata, jam explicuimus in §. XI. num. 12. Hic dumtaxat addendum, quod quamquam Concilium dicat poſſe *omnes Sacerdotes*, *quoslibet pœnitentes* in articulo mortis, abſolvere, hæc poteſtas denegatur Sacerdoti excommunicato vitando, ſive non tolerato, aut hæretico, aut ſchiſmatico; & hoc dico ob auctoritatem Illuſtriſſimi, doctiſſimi, & piiſſimi Proſperi Fagnani, qui in capite *non eſt vobis* de ſponſalibus clare teſtatur, Sacram Congreg. Concilii ita declaraſſe verba citata ejuſdem Concilii, Præſide Cardinali Morono, qui fuerat præſens, & Legatus Apoſtolicus in eodem Concilio, cujus profecto mens ipſi innoteſcebat: teſtimonio igitur adeo gravi, relato a Fagnano ejuſdem Congregationis ſecretario, puto nil detrahi poſſe; eo vel magis, quia ibidem, nempe in quartum Decretalium *De ſponſalibus*, ſuper dictum caput *non eſt vobis*, diffuſiſſime diſſerit ſuper hanc quæſtionem; atque enucleat Tridentini mentem in illis verbis: *Omnes Sacerdotes*; affert fundamenta pro hoc Congregationis reſponſo, & ſolvit argumenta contrarie opinantium, oſtenditque hanc fuiſſe perpetuam Sancti Thomæ doctrinam, qui tam in Commentariis ſuper libros Sententiarum, quam in Summa docuit Sacerdotes ab Eccleſia præciſos carere hac poteſtate. Lege eum, & te legiſſe non pœnitebit.

Equidem Illuſtriſſimus Canonum Profeſſor, atque Interpres Proſper Fagnanus *in* cap. *Non eſt vobis de Sponſalibus* per totum defendit, Moribundum in articulo mortis conſtitutum nec licite, nec valide abſolvi poſſe a Sacerdote excommunicato vitando, ſeu degradato, aut hæretico. Plura ad id evincendum adfert ipſe argumenta, & præſertim expreſſam Sacræ Congregationis Concilii declarationem, cujus auctoritate, ut animadvertit Petrus Ballerinius in *Adnotationibus addendis in tertiam partem* S. Antonini, multi in illius ſententiam tranſiere. Hos percenſet, & ſequitur Joannes Pontas *V. Abſolutio caſ.* 33. *vet. edit.* qui tamen in nova editione *caſ.* 34. ab ea utcumque recedit, cum oppoſitam in praxi tutam eſſe doceat;

Alii vero, quorum longum texit catalogum P. Lucius Ferraris *in ſua Bibliotheca Tom.* 5. *V. Moribundus num.* 33. contrariam opinionem abſolute propugnant, videlicet poſſe pœnitentem in articulo mortis in defectu alterius Sacerdotis habilis, licite & valide abſolvi a Sacerdote excommunicato vitando, ſeu degradato, aut hæretico.

Nuperrime difficultatem hanc ſemel, & iterum ex profeſſo ad examen vocavit Continuator *Prælect. Theolog.* Honorati Tournely. Et quidem *Tract. de Cenſuris part.* 1. *cap.* 5. *art.* 1. ei tam gravia viſa ſunt utriuſque oppoſitæ ſententiæ argumenta, ut nonnihil anceps hæſerit & vix aliam præ alia eligere potuerit. Verum eam denuo diſcutiendam ſuſcipiens *Tract. de Pœnit. part.* 2. *cap.* 8. *ſect.* 8. & maturius perpendens argumenta, queis utraque pars innititur, deprehendit quæ Fagnanus pro ſua opinione in medium adduxit, vi ad extorquendum aſſenſum deſtituta. Quare in contrariam ipſe eo loco conceſſit ſententiam, ſtatuitque abſque hæſitatione quemlibet Sacerdotem etiam ab Eccleſia nominatim præciſum, degradatum, ſchiſmaticumve, vel hæreticum, quemlibet pœnitentem a quovis peccato abſolvere poſſe in articulo mortis. Aſſertionem hanc oſtendit ipſe tum ex Concil. Trid. *Seſſ.* 14.

cap.

Digitized by Google

cap. 7. tum ex D. Thoma *in Suppl. q.* 8. *art.* 6., tum demum ex Inſtructione quam pro Catholicis in fœderato Belgio degentibus adornavit Archiepiſcopus Anconitanus Sedis Apoſtolicæ illis in partibus Nuntius cum poteſtate Legati de latere, quæ Inſtructio extat ad calcem Hiſt. Eccl. Ultrajectenſis *in Appendicibus pag.* 151. In ea porro ſic legitur ſub finem: *Serio monendi ſunt boni Catholici, quod ſicut ſemper vitare debent Refractarios Sacerdotes* (Janſeniſtas nimirum, quorum aliqui excommunicatione nominatim percuſſi erant) *ſic cavere debent, ne ex tali reflexione exponant ſe periculo moriendi ſine Sacramentis: ac propterea in proximo mortis periculo conſtituti, ſi factis opportunis diligentiis habendi Sacerdotem morigerum* (ideſt editis contra Janſenii doctrinam Conſtitutionibus rite obtemperantem) *uti debent opera cujuſcumque Sacerdotis etiam Refractarii, cum in tali caſu ſufficiat character ſacerdotalis ad valide impertiendam abſolutionem ſacramentalem, ſine qua nullo modo decedere debent.* Atqui, *ſubdit*, hic expreſſim in hæreticis etiam publice denuntiatis agnoſcitur facultas in articulo mortis abſolvendi; ergo etiamſi ea de re olim dubitatum ſit, nihil jam ex hac parte ſcrupuli remanere debet.

Nec obſtat declaratio S. Congregationis a Fagnano allegata. Quippe eruditiſſimus P. Franciſcus Maria Campioni *in Inſtructione ad Confeſſarios cap.* 41. *n.* 12. refert ex Cardinali Albitio *Part.* 1. *Operis de Incoſt. Fidei c.* 18. *num.* 39. quod licet illa maxima cum diligentia requiſita fuerit in regiſtris Decretorum Congregationis S. Concilii Tridentini, attamen reperiri non potuit; ſignum quod vel facta non fuerit, vel ſi facta, fuerit a prædictis libris expuncta, tanquam contraria communi opinioni: occaſione cujuſdam Epiſcopi, qui in examine interrogatus, an Sacerdos nominatim excommunicatus poſſet abſolvere in articulo mortis, reſpondit affirmative: Unde fuit excitatum murmur ob doctrinam Fagnani, & cum fuerit in ſacra Congregatione ſuper iſta opinione diſceptatum, dubio delato ad S.P. Innocentium XI. Sanctitas ſua pro ſua prudentia juſſit ſupprimi quæſtionem, nec in dubium amplius revocandam opinionem affirmativam, ſcilicet pœnitentem in articulo mortis in defectu alterius Sacerdotis habilis licite & valide abſolvi poſſe a Sacerdote excommunicato vitando, ſeu degradato, aut hæretico: Lege laudatos Doctores *locis citatis*.

II. In duobus tantum caſibus Confeſſarius non habens poteſtatem in reſervata, ab eiſdem indirecte, & per accidens abſolvit; primo quando pœnitens oblivione innoxia obliviſcitur confiteri peccatum reſervatum; ſecundo quando reapſe illud Confeſſario exponit, at Confeſſarius inculpate non advertit illud eſſe reſervatum, & pœnitentem abſolvit; & eſt communis, quam docuit S. Carolus Borromeus in ſua diœceſi. Ratio eſt, quia in his caſibus nulla intervenit culpa, neque ex parte pœnitentis, neque ex parte confeſſarii, nullaque præſumptio, nulluſque abuſus, ut patet: Remedium tamen adhibeant, quando fieri poterit, nempe pœnitens, illud confitendo, quando recordabitur; Confeſſarius autem redeunte pœnitente, illum moneat &c. *Quid de Abſolutione data pœnitenti oblito reſervatorum; aut a confeſſario non advertente, illa eſſe reſervata?*

III. Quando pœnitens habens reſervata, & eorum inculpate oblitus, confitetur habenti poteſtatem in illa; ſi deinde illorum reminiſcatur, tenetur illa directe confiteri habenti facultatem ſuper illis, ut docet probabilior; nec per priorem confeſſionem ſublata fuit reſervatio; niſi in caſu ſolius jubilæi rite accepti. Ratio eſt, quia, quod poſſit abſolvi a quocunque confeſſario eſt opinio dumtaxat probabilis, quæ non eſt in praxi tenenda contra probabiliorem, & tutiorem, cum agatur de valore Sacramenti. Tum etiam, quia peccata lethalia debent aliquando directe abſolvi, juxta eorum qualitatem, quando illorum oblitorum reminiſcitur; niſi autem teneretur adire confeſſarium habentem facultatem abſolvendi peccatum illud qua reſervatum, numquam directe abſolveretur; non quidem in anteriori confeſſione, cum non fuerit expoſitum; neque in ſecunda in qua exponitur; quia exponitur non habenti facultatem ſuper illud ut reſervatum; igitur prout eſt reſervatum nunquam directe abſolveretur. Tum adhuc, quia ita poſtulant fieri ſcopus reſervationis, qui eſt, ut conveniens ſatisfactio, & monitio a Superiore aut delegato applicetur pœnitenti. Tum denique quia graviores auctores, nobis oppoſitam docentes, nihilominus exigunt, quod primus ille confeſſarius habuerit intentionem abſolvendi pœnitentem etiam a reſervatis, ſi eiſdem gravatur: quis autem divinare poteſt, an Con- *Quid de confitente habent facultatem, ſed obliviſcente eidem fateri reſervata?*

Digitized by Google

Confeſſarius ille hanc intentionem habuerit? Rationabiliter vero excipitur caſus, in quo quis Jubilæum acceperit, & futeri reſervata inculpate oblitus fuerit; qui deinde poteſt illa cuicumque confiteri: quia Pontifex tollit reſervationem a Fidelibus Jubilæum lucrantibus.

Quid de exprimente eidem etiam reſervata, ſed confeſſione ſacrilega?

IV. Probabilior docet, immo mihi vera, quod a confitente reſervata habenti poteſtatem ſuper illis, at faciente confeſſionem culpabiliter nullam, non tollatur reſervatio per abſolutionem illam invalidam, ſed teneatur repetere confeſſionem, habenti poteſtatem ſupra reſervata. Ratio eſt, quia abſolvens pœnitentem intendit abſolvere Sacramentaliter a peccatis, a quibus abſolvit, nempe per abſolutionem veram, & quæ non ſit culpabiliter nulla; atqui in caſu noſtro non eſt Sacramentalis, utpote in confeſſione culpabiliter ſacrilega; ergo non habet effectum neque pro reſervatione tollenda.

Quid de committente reſervata in confidentiam reſervationis tollendæ?

V. Committere peccatum reſervatum in confidentiam facultatis obtinendæ, quamvis ſit circumſtantia gravis, & exponenda confeſſario, non impedit, quominus, obtenta facultate, abſolvi poſſit, niſi in facultate conceſſa exprimatur hæc clauſula, *dummodo non peccaverit in confidentiam gratiæ obtinendæ*: quia non extante hac clauſula, conceditur facultas abſolute. Peccare autem in confidentiam conſiſtit in eo, quod peccans principaliter ad peccandum incitetur, ob facilitatem obtinendæ facultatis, dum alioquin a peccando ſolebat abſtinere: hoc modo peccaret, qui occaſione Jubilæi proxime venturi, aſſentiretur crimini, quod antea repellere ſolebat.

Confeſſarius petens facultatem, nequit eam ſibi applicare.

VI. Confeſſarius petens facultatem pro caſu reſervato alicujus pœnitentis indeterminate, non poteſt illam ſibi applicare, quia concedens illam præſupponit, quod communiter, & ordinarie evenit, nempe quod dum a confeſſariis petitur, petatur pro aliis, & non pro ſe.

Caſus incidens

VII. Quid dicendum, quando pœnitens, antequam abſolvatur, reincidit in eumdem caſum reſervatum, pro quo petita fuit facultas? Reſpondeo cum diſtinctione, ſi in ſupplicatione expreſſus fuit numerus lapſuum, puta dicendo: *qui bis inceſtum commiſit*; profecto pro tertio, & quarto, petenda eſſet nova facultas, ut patet: ſi autem in ſupplicatione facultas petita fuerit abſolute, nempe *abſolvendi ab inceſtu*, valebit etiam pro tertio &c.; quia, utpote conceſſa abſolute, non eſt reſtricta ad numerum, ſed ad ſpeciem caſus.

Semper petenda eſt a Confeſſario facultas abſque ulla limitatione, ut ea in quocumque eventu uti valeat; imo, ut monet Petrus Colet *Inſt. Theol. Tom. 5. Tract. de Pœnit. cap. 5. §. 2. qu. 8.* obtinenda eſt generalis poteſtas a cæteris, qui forte in decurſu confeſſionis occurrent caſibus, abſolvendi.

APPEN-

APPENDIX PRIMA
AD TRACTATUM
DE
SACRAMENTO
PŒNITENTIÆ.

Comprehendens Animadverſiones ſuper Caſibus, qui plerumque, & reſpective ab Ordinariis reſervari conſueverunt in propriis Diœceſibus.

AUCTOR AMICO LEGENTI.

Quemadmodum ab Amicis ſæpius flagitatus, atque ut eiſdem obſequerer, meam Univerſæ Theologiæ Moralis Complexionem evulgavi; ita, eiſdem quoque peurgentibus, hanc Opellam lucubrare, publicæque luci tradere compulſus, eam tibi offero in hac tertia editione memoratæ Complexionis, Lector Amice; & quemadmodum Complexionem ipſam nonniſi Candidatis qualitercumque inſtituendis idoneam cenſui, neutiquam Provectis ullo modo adjuvandis, oblectandiſve; ita iſtam ad Candidatos dumtaxat, circa Caſus Reſervatos, aliquo modo erudiendos concinnavi. Ut autem pluribus prodeſſe poſſem, multarum Diœceſum caſus reſervatos mihi congeſſi, eoſdemque clariori qua potui methodo explicandos ſuſcepi, adhærens graviori auctoritati, & ſolidiori rationi; atque illa ſeligens, quæ ad veritatem magis appropinquare videbantur.

Caſus autem qui reſervari conſueſcunt, illi ſunt, qui adverſantur Divino cultui, rebuſque ad Deum ſpeciali quodam modo ſpectantibus; qui adverſantur reverentiæ debitæ Sacramentis; qui adverſantur Perſonis Deo devotis; qui adverſantur graviori modo juſtitiæ, aut charitati erga Proximum; qui adverſantur deteſtationi, quç debetur dœmonibus; qui adverſantur honori debito Parentibus; qui adverſantur modis abominabilioribus caſtitati: ſub his capitibus regulariter comprehenduntur crimina reſervata, quæ expendenda ſuſcipio, poſtquam nonnulla præmiſero notatu digna, & neceſſaria, partim deſumpta ex tractatu 14., cap. 4. §. 10., & partim addita; & præmiſſa proteſtatione, quod ſi aliquis caſuum a me expenſorum fuerit ab aliquo Ordinario aliter explicatus, vel a conſuetudine alicujus Curiæ Epiſcopalis aliam interpretationem obtinuerit, meæ oppoſitam, mea rejicienda ſit, & ſtandum ſit interpretationi legitimæ Epiſcoporum, aut conſuetudini jam obtinenti illarum Curiarum. Opellam diſtribuam in Capita, Paragraphos, & Numeros marginales.

CAPUT I.

§. Unicus. *Præmittuntur plura ſcitu neceſſaria.*

I. Nomine Caſus Reſervati intelligitur caſus ille, qui in tabella Caſuum Reſervatorum alicujus Diœceſis recenſetur. & a quo nemo confeſſariorum in eadem approbatorum abſolvere poteſt, abſque obtenta facultate ab Ordinario, vel ipſius Vicario Generali; excepto aliquo eventu, de quo infra. Reſervatio proinde eſt mera ademptio facultatis a Confeſſariis, ne ab illis caſibus in ea Diœceſi abſolvere valeant, niſi obtenta prius facultate.

II. Hinc inferas, reſervationem directe afficere Confeſſarium, cujus auctoritas limitatur atque reſtringitur; & indirecte dumtaxat afficere pœnitentem; qui ſi fateatur caſum reſervatum extra ſuam Diœceſim, ſeu in alia, in qua non ſit reſervatus, valide, & licite abſolvitur, dummodo non

non

Digitized by Google

non exierit in fraudem reſervationis; tunc enim invalide abſolveretur, & ſacrilegium committeret; ita deducitur ex declaratione Clementis X. in Conſtitutione, quæ incipit *Superna* §. 6., ubi loquens de Confeſſario Regulari ab Ordinario approbato, dicit: *Poſſe Regularem Confeſſorem in ea diœceſi, in qua eſt approbatus, confluentes ex alia diœceſi a peccatis in ipſa reſervatis, non autem in illa, ubi idem Confeſſarius eſt approbatus; abſolvere; niſi eoſdem pœnitentes noverit in fraudem reſervationis pro abſolutione obtinenda migraſſe.* Decipiuntur igitur docentes abſolute, poſſe abſolvi, quocumque motivo exierit territorio, & Diœceſi. Oppoſitum evenit, quando pœnitens gravatus in ſua diœceſi non reſervato, accedit ad Confeſſarium diœceſis, in qua eſt reſervatum; qui nequit ab hoc confeſſario abſolvi, abſque prius obtenta facultate: ex quo confirmatur, reſervationem directe afficere Confeſſarium.

III. Forte objicies verum quidem eſſe, poſſe Regularem abſolvere ad ſe accedentem gravatum peccato reſervato in ſua diœceſi, non in fraudem reſervationis; & non reſervato in diœceſi Regularis; quia Regulares accipiunt facultatem abſolvendi a Summo Pontifice, exigente tamen prius approbationem Ordinarii illius loci, in quo auditurus eſt confeſſiones; Pontifex autem habet jus ſuper omnes fideles: at alii Confeſſarii non Regulares, qui totam facultatem habent ab Ordinario, cujus juriſdictio non ſe extendit ultra fideles ſuæ diœceſis, non poterunt abſolvere gravatos reſervatis in aliis diœceſibus. Reſpondeo hoc motivum induxiſſe aliquos Doctores graves, quos inter eſt doctiſſimus Fagnanus in Caput *omnis utriuſque ſexus* 12. de Pœnit. & remiſſionibus n. 70. ad ita affirmandum: nihilominus, pace tantorum virorum, non eſt deferenda communis oppoſita Cajetani, Vaſquez, Suarez, & præcipue Cabaſucii in lib. 3. Praxis Juris Canonici cap. 12., ubi plures affert firmas rationes, ut affirmetur idem verificari etiam de aliis Confeſſariis: & revera praxis communis eſt hujuſmodi, id ſcientibus Epiſcopis, neque ullo modo reclamantibus, nec de hoc unquam monentibus Confeſſarios, quos approbant.

IV. Ex his inferas deceptionem docentium, ignorantiam reſervationis, ſaltem pro prima vice, excuſare ab eadem incurrenda. Id verum non eſt, & quidem etiam ex allato fundamento, nempe quod reſervatio afficit Confeſſarium, qui cum careat facultate ſuper eo caſu, nil prodeſt pœnitenti ſive norit, ſive ignoret reſervationem. Inferas inſuper, etiam impuberes reſervationi obnoxios eſſe, ob eamdem rationem; imo eiſdem illam multum prodeſſe, quia cum reſervationis motivum ſit, abſterrere delinquentes a patratione illorum criminum; nequit non fieri, ut impubes valde abſterreatur, audiendo delictum a ſe commiſſum non poſſe ſolvi, niſi prius obtenta ejuſdem abſolvendi poteſtate. Altera item ratio eſt; quia cum Reſervatio non ſit pœna, non requirit notitiam ſui, neque talem aut talem ætatem, ut legitime incurratur.

V. Quæres, an in caſu, quo pœnitens comminaretur grave malum Confeſſario, niſi ipſum abſolvat, poſſet Confeſſarius ad tale malum evadendum, eumdem abſolvere? Miror, ab aliquibus hoc quæſitum proponi; cum certum ſit, hujuſmodi pœnitentem eſſe indiſpoſitum ad abſolutionem recipiendam; & propterea nullo modo, nulloque metu, etiam mortis, excuſari poſſe Confeſſarium, qui ipſum abſolveret, cum ſacrilegium nunquam perpetrandum ſit, quamvis cum vitæ diſpendio.

VI. Quæres denuo, an ſi pœnitens peccatum reſervatum commiſiſſet ex metu cadente in virum conſtantem alicujus graviſſimi mali, reſervationem incurreret? Plures illum ab hocce vinculo eximunt, utpote carentem pleniſſima libertate, cum metus gravis voluntarium minuat. Verum probabilius eſt, quod, niſi in tabella extet aliqua particula ſignificans ad reſervationem illius criminis requiri omnimodam libertatem, hic pœnitens a reſervatione non eximatur; quia non extante in tabella dicta particula, neque ulla declaratione in Curia, Legiſlator denotat, quod quoties in patrando illo peccato extet in peccante libertas ſufficiens ad mortale; reſervatio incurratur: atqui metus, quantumvis gravis, niſi rapiat hominem extra ſe, non tollit voluntarium ſufficiens ad mortale; cum juxta S. Thomam, & communem, relinquat voluntarium ſimpliciter, & efficiat involuntarium dumtaxat ſecundum quid, ut diximus in tractatu 3., cap. 2., §. 3.; igitur hic peccans non effugiet reſervationem.

VII. Sciſcitaberis, an, ſi ignorans peccatum ſuum eſſe reſervatum, & bona fide faciens confeſſionem miniſtro carenti facultate intra Diœceſim, hic pœnitentem aut

ob

Digitized by Google

ob inadvertentiam, aut ob aliud motivum, abſolvat; deinde ipſe pœnitens hoc advertat; teneatur tale peccatum iterum confiteri facultatem habenti? Reſpondeo affirmative. Ratio eſt, quia peccata mortalia cognita debent directe abſolvi, ad differentiam ignoratorum, & oblitorum, quæ indirecte abſolvuntur; eo quod Deus non impertit reo mortalium remiſſionem dimidiatam, remanente tamen obligatione eadem exponendi, quando in notitiam venerint, aut in memoriam; atqui peccatum illud eſt mortale, a quo fuit pœnitens directe abſolutus; quia Confeſſarius carebat facultate ſuper eodem: igitur peccatum illud ſe habet velut ignotum reſpectu primi Confeſſarii, a quo fuit tantummodo indirecte abſolutum; & propterea remanet obligatio, cum innotuerit eſſe reſervatum, illud denuo exponendi confeſſario habenti facultatem, ut directe abſolvatur: niſi malimus dicere cum aliis Doctoribus, in eo caſu tribui ab Eccleſia facultatem confeſſario illi cum onere tamen illud denuo exponendi poſt compertum errorem.

VIII. Peccatum reſervatum debet eſſe certo commiſſum; & propterea dubitans dubio facti, nempe an illud perpetraverit, eximitur a reſervatione; ita communis, quia cum reſervatio accenſeatur odioſis, eſt ſtricte & in proprio ſenſu interpretanda, ne puniatur æqualiter crimen certum, & dubium: peccatum vero dubium dubio juris, videlicet equidem certo commiſſum, at dubitatur an ſit in materia reſervata, controvertitur inter Doctores. Probabilioriſtæ negant, eximi a reſervatione, quia hoc ipſo quod dubitatur, an peccatum illud ſit reſervatum, eo ipſo dubito de mea poteſtate ſuper illud; abſolvere autem cum poteſtate dubia eſt illicitum; igitur fieri non poteſt. Inſuper in caſu, quo aut periclitari debeat innocentis legiſlatoris auctoritas, aut rei certi libertas in aliquo particulari eventu, nonne ſatius erit, ut periclitetur iſta, & non illa? Illa autem ſalvari nequit, ſi abſolvatur memoratus reus, in caſu quo habeat materiam reſervatam; igitur non erit abſolvendus: nam ſi alterutra debeat cedere; cedat libertas certo rei, & ſubſiſtat auctoritas certo innocentis. Accedit etiam, quod Clemens VIII. die 9. Januarii 1601. in ſua Conſtitutione prohibuit abſolutionem a reſervatis in Bulla Cœnæ Domini, nedum *clare* ſed etiam *dubie contentis*: igitur dubie reſervata non erunt abſolvenda.

IX. Hæc fateor erant momenta, quibus detinebar & ego in eadem opinione. Verum poſtquam animadverti, & vidi eumdem Clementem VIII. anno ſequenti 1602. die 19. Novembris alia Conſtitutione moderatum fuiſſe antecedentem anni 1601., atque omiſiſſe in hac ſecunda verba illa *clare vel dubie contentis*, arbitratus ſum ipſum Supremum Legiſlatorem inclinaſſe in opinionem excuſantem a reſervatione peccata dubie contenta in Bulla Cœnæ Domini, ac proinde poſſe deduci, peccata dubia dubio juris eximi poſſe a reſervatione. Non me fugit, poſſe reſponderi, aliam eſſe rationem reſervatorum Pontifici, & aliam reſervatorum Ordinariis; etenim reſervata Pontifici habent adnexam excommunicationem eidem ſimiliter reſervatam, quod non eſt verum regulariter de reſervatis Ordinario; & idcirco noluerit Pontifex tali gravamine afficere caſus dubios etiam dubietate juris; quæ ratio non militat pro reſervatis Ordinario; quam diſparitatem fateor non eſſe ſpernendam, quæque ſaltem admodum probabilem relinquit opinionem judicantium non eſſe abſolvendum dubium dubio juris Ordinario reſervatum. Propterea ſi caſus contingat, explora ſi potes mentem Ordinariii, aut conſuetudinem Curiæ, ne forte erres, ſtante concertatione Auctorum ſuper re adeo gravi.

* Vide quæ addidimus *capit.* IV. §. X. *num.* VI.

X. Ex his deducere debes, nullatenus licitum eſſe abſolvere in caſu, quo probabilius appareret, caſum eſſe reſervatum, & probabiliter dumtaxat non eſſe talem, tum ob fundamenta a nobis allata in Tractatu I. cap. I. §. 6.; tum ob motiva paulo ante adducta.

CAPUT II.

CIRCA

BLASPHEMIAS.

§. I. *Referuntur varii modi reſervationis hujus caſus.*

IN uno dicitur: *Blaſphemia in Deum, B. Virginem, & Sanctos*.. In ſecundo: *Omnis Blaſphemia Hæreticalis* In tertio: *Blaphemia, ſi toties, v. gr. octies prolata*: fue-

fuerit ab ultima confeſſione -- In quarto: *Blaſphemia, ſi publice fuerit prolata, ſaltem coram octo Perſonis.* -- In quinto: *Blaſphemia, ſi ex conſuetudine fuerit.* -- In ſexto: *Blaſphemia, publice prolata.* -- In ſeptimo: *Blaſphematores, aut conſuetudinarii, aut publici.* In octavo: *Blaſphemia, advertenter, & ter in menſe prolata.* In nono: *Blaſphemia hæreticalis, ſcienter prolata, ſciente pœnitente eſſe talem* -- In decimo: *Qui ex profeſſo, vel ex conſuetudine blaſphemaverint.*

§. II. *Expenditur primus dicendi modus, unde cæteri facilius explicabuntur.*

I. Blaſphemia eſt contumelioſa locutio contra Deum: eſt duplicis ſpeciei, videlicet Hæreticalis; & ſimplex: prima continet aliquid contra fidem, de qua in paragrapho ſequenti; ſecunda nihil continet contra fidem, ſed gravem injuriam contra divinam Majeſtatem; exprimi ſolet per verba deteriorativa v. g. *Coſpettaccio, ſanguaccio* &c.; aut augentia, v. gr. *Coſpettone, ſanguenone*, &c.; aut per verba imminutiva, v. g. *Coſpettino, ſanguetto* &c.: item per verba optativa: *ſia maledetto Dio*: item per verba contumelioſa, contemnentia, detrahentia, & ſimilia contra Deum divinaſve perfectiones.

II. Aliquando committitur, quamvis nihil horum dicatur, immo tametſi dicantur vera, v. gr. *Sangue di Criſto*, aut quid ſimile; nempe quando profertur modo adverſus Deum excandeſcente, & graviter irreverente, puta torvis oculis aſpiciendo ejus imaginem, aut brachio in cœlum indignanter extento, exſaturando rabiem contra ejus Majeſtatem, evadunt formalia convicia contra eamdem. Propterea in blaſphemia nedum attendenda ſunt verba, ſed etiam expendendus eſt modus, quo proferuntur; cum multoties, quamvis verba nil blaſphemum reſonent, modus tamen, quo proferuntur, blaſphemus eſt. Profecto verba illa prolata, ut refertur, a Juliano apoſtata contra Chriſtum; *viciſti, Galilæe, viciſti*: quamvis nil ſive falſum, ſive contumelioſum continere videantur, nihilominus ſemper ab omnibus habita fuerunt ut vere blaſphema, quia modo contemnente, & furore pleno prolata fuere. Ob eamdem rationem verba, quibus injurioſe tractantur membra Chriſti, ejus vulnera, Sacramenta, & quæcumque inſtituit, fecit, & docuit, ſunt veræ blaſphemiæ.

III. Quod diximus de blaſphemiis in Deum, affirmamus etiam de blaſphemiis in B. Virginem, & in Sanctos, quia ut docet S. Thomas 2. 2. q. 13. art. 1. ad 2. *Sicut Deus in Sanctis ſuis laudatur, in quantum laudantur opera, quæ Deus in Sanctis ſuis efficit: ita & blaſphemia quæ fit in Sanctos, ex conſequente in Deum redundat.*

IV. Interrogabis, an blaſphemiæ prolatæ modo non contumelioſo, ſed per modum juramenti, ſint blaſphemiæ in hocce caſu comprehenſæ, v. gr. *pel coſpettazio di Dio, ch'ella è così* &c. Reſpondeo, in hoc caſu eſſe comprehenſas; quia cum in ſe ſint locutiones blaſphemæ, etiam in juramento non deſinunt eſſe tales. Non ita dicendum de formulis in ſe non blaſphemis, puta: *sì pel corpo di Dio; no pel ſangue di Criſto* &c.; quia cum hujuſmodi formulæ in ſe non ſint blaſphemæ, neque proferantur modo contumelioſo, non habent, quo judicentur blaſphemiæ; niſi forte modo irriſorio, aut ob motivum provocandi riſum, propter inſuetum modum loquendi, quis diceret v. gr. *per le budela di S. Pietro, per l'anima di S. Paolo* &c.; quia jam ſatis apparet animus ſpernens, & verba evadunt graviter injurioſa eiſdem Sanctis. Videri poteſt Pontas, verbo Blaſphemia.

V. Interrogabis iterum, an etiam actiones, & facta graviter dehonorativa & contumelioſa ſint Blaſphemiæ facto conſummatæ, & in hoc caſu comprehenſæ? Reſpondeo affirmative, & eſt communis opinio, ut teſtatur perdoctus P. Ferraris in ſua Bibliotheca, verbo Blaſphemia: & ratio eſt; quia Blaſphemia ex proprio officio tendit ad graviter inhonorandam Perſonam &c. atqui vera formalis inhonoratio, contumelia, & injuria affertur perſonæ, nedum verbis, ſed etiam factis; puta expuendo, animo irato, in S. Imaginem, eamdem in terram projiciendo, pedibus conculcando &c. non ne hæ actiones longe contumelioſiores ſunt, magiſque injurioſæ Chriſto, S. Petro &c. quam ſi Chriſtus appellaretur homuncio, S. Petrus pediculoſus? igitur ſunt blaſphemiæ facto perpetratæ, atque in hoc caſu contentæ.

VI. Fortaſſe oppones, hoc argumentum nimis probare, & propterea nihil; ex ipſo namque ſequitur, omnia peccata mortalia contra Deum eſſe etiam in ſpecie blaſphemiæ, cum omne peccatum mortale Deum inhonoret: Id autem nemo ſomnia-

Digitized by Google

ſomniavit. Diſtinguas duo inhonorationum genera, unum traſcendentale; aliud peculiare, ſpecificum, & ex officio tale: primum in omni peccato mortali invenitur, teſte Paulo: *per prævaricationem legis, Deum inhonoras*, & de hoc nihil in præſenti; ſecundum, & ſpecificum illud eſt, quod pro objecto proprio, proprioque ſcopo & officio habet ipſam inhonorationem, & de hoc eſt ſermo noſter, qui eſt de blaſphemia; cujus ſcopus ſpecificus eſt inhonoratio Perſonæ, in quam blaſphemia tendit. Me explico: furans habet pro ſcopo ablationem rei alienæ, invito domino, neutiquam dehonorare Deum; immo aliquando, ſi poſſet, nollet Deum inhonorare, ſurripiendo aliena; idcirco furtum non eſt in ſpecie blaſphemiæ, ſed injuſtitiæ: at blaſphemia habet pro ſcopo, & immediato objecto ipſam dehonorationem Dei, Virginis, Sanctorum; & propterea ſi fur ille, furando, etiam intenderet Deum inhonorare, tunc præter malitiam ſpecificam injuſtitiæ, adderetur etiam malitia ſpecifica blaſphemiæ; & ſi intenderet furari ad fornicandum, augeretur nova ſpecies fornicationis. Accipe exemplum a peccato Inobedientiæ: omne peccatum eſt quidem inobedientia legis divinæ, & tamen non omne peccatum eſt in ſpecie inobedientiæ, ſed ſolum peccatum habens pro ſcopo violationem præcepti; & redeundo ad peccatum furti, furans deobedit quidem legi; & tamen furtum non eſt in ſpecie inobedientiæ, quia ſcopus immediatus furti non eſt frangere præceptum, ſed rapere aliena; ſi tamen furando intenderet etiam violare præceptum, eſſet etiam in ſpecie inobedientiæ. En igitur, quomodo argumentum factum non nimis probet, ſed efficaciter convincat, facta ſuperius indicata eſſe veras blaſphemias, quia habent pro ſcopo immediato inhonorationem Dei, vel Sanctorum; quæ eſt objectum ſpecificans, & conſtitutivum blaſphemiæ.

VII. Quæres inſuper, an blaſphemans ex habitu, & conſuetudine, huic reſervationi ſubjaceat? Non me latet, aliquos Recentiores negative reſpondere, putantes, quod blaſphemiæ ex habitu, & conſuetudine erumpentes, non ſint plene deliberatæ & voluntariæ; ac proinde, quod non ſint reſervatæ. Nobis autem longe probabiliorem ſequentibus, quæ manifeſtis S. Thomæ doctrinis innititur, dicendum eſt affirmative, præmiſſa neceſſaria diſtinctione. Vel enim blaſphemator ſerio, & dolenter deteſtatus fuit impiam conſuetudinem, & vivit ſollicitus ad eamdem extirpandam, utendo opportunis ſubſidiis ipſum admonentibus obligationis ſuæ, qua tenetur ad vigilandum ſupra ſe ipſum quoad hoc punctum, ad conſequendam eradicationem vitioſi habitus; vel eſt blaſphemator, qui quamvis deteſtatus fuerit in confeſſione impium habitum, tamen poſt confeſſionem vel nulla, vel dumtaxat leviſſima cura tangitur ad illum extirpandum: in primo caſu verum erit, quod ſi aliquando ex conſuetudine, & ſine advertentia proferat blaſphemias, illæ ſint materiales, neque reſervationi obnoxiæ; in ſecundo autem caſu falſum eſt, quod blaſphemiæ ex tali conſuetudine erumpentes, non ſint veræ formales blaſphemiæ, & omnino voluntariæ, atque ex plena malitia procedentes, quamvis forte abſque ulla conſideratione prolatæ; & exinde ſunt reſervatæ. Ita docet S. Thomas in quæſtionibus diſputatis de malo, artic. 2. *Aliquando voluntas inclinatur in bonum commutabile, cui adjungitur deformitas peccati, ex aliquo habitu, quando per conſuetudinem inclinare in tale bonum* (commutabile) *eſt ei verſum quaſi in habitum & naturam; & tunc ex proprio motu, abſque aliqua paſſione inclinatur ad illud; & hoc eſt peccare ex electione, ſive ex induſtria, & ex certa ſcientia, aut ex malitia*. Quid clarius? Et iterum in prima ſæcundæ q. 78. art. 2. *Quandocumque* (homo) *utitur habitu vitioſo, neceſſe eſt quod ex certa malitia peccet, quia unicuique habenti habitum, eſt per ſe diligibile id, quod eſt ei conveniens ſecundum proprium habitum, quia ſic fit ei quodammodo naturale, ſecundum quod conſuetudo & habitus vertitur in naturam: hoc autem quod eſt alicui conveniens ſecundum habitum vitioſum, eſt id, quod excludit bonum ſpirituale; ex quo ſequitur, quod homo eligat malum ſpirituale, ut adipiſcatur bonum* (apparens) *quod eſt ei ſecundum habitum conveniens, & hoc eſt ex certa malitia peccare: unde manifeſtum eſt, quod quicumque peccat ex habitu, peccet ex certa malitia*. Vides aſſertum noſtrum a S. Doctore nedum approbatum, verum etiam probatum, & quidem ratione ſubtili & metaphyſica, quæ ad hæc pauca verba reduci poteſt: quia peccans ex habitu, (non retractato modis ſupra indicatis) peccat ex cauſa criminoſa jam verſa in naturam, quæ fuit malitioſe & vo-

Digitized by Google

voluntarie genita; voluntarie & malitioſe aucta; voluntarie & malitioſe retenta; ſi igitur blaſphemiæ erumpentes ex habitu & conſuetudine, non retractatis & oppugnatis modo ſupra dicto, ſunt ex S. Doctore *ex certà ſcientia*, *ex induſtria*, *ex certa malitia*, erunt in hoc caſu reſervatæ.

VIII. Ex hoc judicio proficiſcitur aliud circa hominem ebrioſum in ebrietate blaſphemantem, qui ex certa experientia novit, quod dum plena abſorbetur ebrietate, aut ſemper, aut plerumque in blaſphemias prorumpit, & nihilominus identidem voluntarie ſe inebriat; hic excuſari non debet a reſervatione incurrenda; eo quod deliberate velit cauſam, cui, reſpectu ſui, conjungitur certo moraliter hujuſmodi ſacrilegus effectus: & quemadmodum quando quis eſt ebrius ſolet proruere in peccata luxuriæ, & nihilominus voluntarie ſe inebriat, a nemine excuſatur ab illis peccatis luxuriæ; ita neque a peccatis blaſphemiæ, ob rationem allatam.

§. III. *Expenduntur alii modi reſervationis ſuperius relati.*

I. IN ſecundo modo reſervationis, ſupra relato, dicitur: *Blaſphemia hæreticalis*. Diſtinguas igitur inter blaſphemiam Hæreticalem, & blaſphemiam Hæreticam, ſeu Hæreſim: Hæreticalis eſt illa, qua profertur quidem aliquid contra fidem; attamen proferens non tenet mente, & corde errorem, quem profert; in blaſphemia vero hæretica, ſeu hæreſi, & profert quid contra fidem, & mente tenet quod profert: hic eſt hæreticus formalis, incurrens ipſo facto excommunicationem reſervatam Pontifici, quamvis etiam nemine audiente proferat; & a nemine abſolvi poteſt, niſi a Pontifice, vel Inquiſitore hæreticæ pravitatis. Reſervatio præſens cenſetur loqui de Blaſphemia hæreticali explicata, & non de hæreſi; & qui illam profert hac reſervatione tenetur; non autem ſi proferat blaſphemiam ſimplicem, de qua diximus in §. præcedenti.

II. Sciſcitaberis ſtatim, an qui protulit hæreſim, ſive blaſphemiam hæreticam cum errore jam adoptato, & obtinuit a Pontifice, vel Inquiſitore abſolutionem a cenſura, poterit ne abſolvi ab illo peccato a quovis Confeſſario approbato illius Diœceſis, in qua eſt reſervata blaſphemia ſimplex, & a fortiori hæreticalis, & hæretica? Videretur reſpondendum negative, niſi prius a Confeſſario petatur facultas; quia Pontifex, vel Inquiſitor nil aliud tollunt niſi cenſuram, relinquendo peccatum abſolvendum in foro conſcientiæ a Confeſſariis approbatis; atqui in Diœceſibus in quibus eſt reſervata blaſphemia, nullus Confeſſarius eſt approbatus ad abſolvendum ab ipſa, niſi obtineat facultatem: ergo non poterit abſolvi niſi obtenta facultate. Non enim Pontifex tollit reſervationes Epiſcoporum, quemadmodum facit in Jubilæis, in quibus ſe exprimit, concedere Confeſſariis approbatis facultatem ſuper caſibus & ſibi, & aliis Epiſcopis reſervatis; ſed in his reſcriptis particularibus tollit cenſuram ſibi reſervatam, & relinquit intacta jura epiſcopalia circa ſuas reſervationes; ut igitur reus blaſphemiæ abſolvatur a Confeſſario Diœceſis, in qua blaſphemia eſt reſervata, petenda erit facultas. His non obſtantibus, videtur mihi probabilior Reſponſio affirmativa; quia Ordinarii non ſibi reſervant caſus Papæ reſervatos, inter quos præcipuus eſt blaſphemia hæretica, ſeu hæreſis; & proinde poſt obtentam abſolutionem a Pontifice, vel Inquiſitore poteſt ab illa abſolvere quilibet confeſſarius illius Diœceſis, non enim poſt abſolutionem a cenſura evadit blaſphemia ſimplex, vel hæreticalis, quæ reſervantur ab Epiſcopis, ſed adhuc remanet blaſphemia hæretica, quæ tamen poteſt abſolvi a quocunque confeſſario, quia eſt ſublata reſervatio Pontificia.

III. In decimo modo, huic affini dicitur: *Blaſphemia hæreticalis, ſcienter prolata ſciente pœnitente eam eſſe talem*. In hoc caſu igitur tunc dumtaxat incurretur reſervatio, quando pœnitens ſciebat, blaſphemiam, quam proferre voluit, eſſe hæreticalem: propterea aut ſi id ignoravit, aut ſolum dubitavit, eam eſſe talem, non incurret hanc reſervationem; quia revera non ſciebat; qui enim dubitat, non ſcit.

IV. In tertio modo, dicitur: *Blaſphemia, ſi octies ab ultima confeſſione prolata fuerit*. Jam patet, proferentem voluntarie, & advertenter octava vice, teneri reſervatione. Dubitabis forſitan, an ſi confeſſio poſtrema facta fuiſſet in Paſchate, & pœnitens confiteatur in Paſchate ſequentis anni, eſſet ne coæquandus alteri pœnitenti, qui feciſſet ultimam confeſſionem in Paſchate reſurrectionis, & novam faceret in Paſchate Pentecoſtes? Procul

Digitized by Google

dubio quoad hoc eidem judicio æqualiter ſubjaceret: cum lex nil meminerit de hac temporis diverſitate, ſed dumtaxat octies relapſum requirat. At quid dicendum, ſi ſexies plena advertentia blaſphemaſſet, & bis cum non plena advertentia? Reſpondeo, juxta dicta in §. præcedente, quod ſi illæ duæ blaſphemiæ profluxerint ex conſuetudine non ſerio retractata, & curata modis ibidem indicatis, incidet in hanc reſervationem: ſi autem & conſuetudinem deteſtatus fuerit, & eam evellere ſategerit modis dictis; a reſervatione eximetur; quia illæ duæ blaſphemiæ revera non fuerunt plene voluntariæ.

V. In quarto modo ita dicitur. *Si publice fuerit prolata, ſaltem coram decem perſonis*. Nota, in hac reſervatione præſcindendum eſſe a numero perſonarum requiſitarum, ut factum dicatur publicum juridice, & tale habetur in jure factum illud, quod fit coram multis; ad differentiam notorii, quod tranſit in notionem vel omnium, vel ſaltem coram majori parte loci; & ad differentiam manifeſti, quod eſt famoſa inſinuatio, vel proclamatio ex certa ſcientia, & certis auctoribus proveniens: de quibus omnibus accuratiſſime ſcribit doctiſſimus Fagnanus in caput *Veſtra* 7. de Cohabitatione Clericorum. In hoc caſu ly *publice*, ſumendum juxta beneplacitum Epiſcopi Legislatoris, qui poteſt figere limites hujus publicitatis: ſi igitur velit, ut quando blaſphemia eſt prolata coram decem, ſit reſervata; hæc publicitas tali numero menſurabitur; & erit reſervata.

VI. Forte interrogabis, an ad hanc reſervationem incurrendam ſufficiant decem humana individua cujuſcumque ætatis? Reſpondendum putarem, quod debeant eſſe individua capacia percipiendi, & aſſerentia præſentiam moralem; ſi enim adeſſent duo, aut tres parvuli duorum, vel trium annorum, aut duo homines plena ebrietate abſorpti, aut profundo ſomno dormientes, putarem non verificari numerum perſonarum a reſervatione exactarum; quia tametſi ſint præſentes materialiter, & phyſice; non tamen formaliter, & moraliter; quia tunc percipiendi incapaces.

VII. In ſexto dicitur: *Blaſphemia ſi fuerit publice prolata*. Etiam in hoc caſu putarem, ly *publice* non eſſe accipiendum ſecundum jura, ſed quod ſignificet locum publicum, & fuerit prolata in publico, puta in viis publicis; in officinis apertis juxta vias, & in locis propatulis; ita ut poſſit audiri ſive a multis, ſive a paucis; nam revera tunc quis publice blaſphemat, quando in iis locis blaſphemat; etenim ly *publice* ſignificat modum, quo actio fit; quando itaque verificatur quod non fuerit prolata in privato, puta in cubiculo, intra ſepta domus &c. cenſebitur publice prolata, & reſervata.

VIII. In quinto dicitur: *Si ex conſuetudine fuerit*: quicunque ergo blaſphemat quidem, ſed raro, & aliquoties, hic dici nequit blaſphemans ex conſuetudine, quæ juxta omnes, poſtulat multitudinem, & frequentiam talium actionum, quæ conſuetudinarium denominent. Verum interrogabis, an qui habuit conſuetudinem, eamdemque confeſſus, deteſtatus fuit ſicuti oportet; & deinde poſt paucas horas vel infra paucos dies, in blaſphemias erumpat ex anteriori conſuetudine, tenebitur hac reſervatione? Reſpondeo juxta dicta in §. 2. num. 7. & 8.

IX. In ſeptimo dicitur: *Blaſphematores aut conſuetudinarii, aut publici*: De blaſphematoribus utriuſque conditionis, ſatis me dixiſſe arbitror tam in præcedente, quam in hocce paragrapho. Remanet dumtaxat expendendum, quid revera, & moraliter ſignificet proprie vox illa *Blaſphematores*. Etenim quemadmodum *Luſoris* nomine non ſignificatur proprie, & moraliter qui plurium menſium decurſu ſemel aut iterum ludit; nec *concubinarii* qui plurium menſium decurſu ſemel aut iterum fornicatur; nec *negotiatoris*, qui ſemel aut iterum negotiatur; neque *eleemoſinarii* qui ſemel aut iterum eleemoſinam erogat, & ſic de ſingulis; quia hujuſmodi denominationes videntur poſtulare talem actuum frequentiam, quæ reſpective perſonas tali, vel titulo, aut nota prudenter afficere poſſit; ita etiam putarem blaſphematoris notam non mereri, qui plurium menſium decurſu ſemel, aut iterum blaſphemat; & propterea hic certe conſuetudinariis non ſit accenſendus: & quoad hanc partem puto neminem dubitare. Videretur ita etiam dicendum quoad ſecundum, nempe etiamſi in publico ſemel, aut iterum dumtaxat, plurium decurſu menſium blaſpemaſſet; cum ſemel aut iterum tantum actionem facere, non valeat denominare hominem blaſphematorem. Si autem Legiſlator acceperit ly *blaſphematores*, ut idem ſignificet

Digitized by Google

ſcet ac *blaſphemantes* ; tunc etiam ſi ſemel dumtaxat blaſphemet in publico, reſervatione tenebitur ; quia cum *blaſphemantes* indicet actionem blaſphemandi, præſcindendo a frequentia, (quæ videtur ſignificari a voce blaſphematoris,) etiam ſemel blaſphemando publice, reſervationi fiet obnoxius.

X. In Octavo dicitur ; *Advertenter, ac ter in menſe prolata*; ubi circa numerum & tempus nil expendendum occurrit. Aliquid obſervandum videtur ſuper ly *advertenter*. Si enim forte aliquis, laxioribus doctrinis imbutus, putaret, requiri ad peccatum mortale, & etiam ab blaſphemiam, advertentiam actualem ad malitiam actionis, alta deceptione teneretur, quam multis argumentis demonſtrant Probabilioriſtæ omnes in tractatu de peccatis, quorum unum eſt, quod tolleretur a Morali Theologia ignorantia, & inadvertentia mortaliter vincibilis, quod eſt inauditum : poteſt igitur quis peccare mortaliter, & blaſphemare, quamvis peccans actualiter non advertat ad gravem malitiam actionis; dummodo teneatur, & poſſit, advertere ; ac proinde ille qui ter in menſe blaſphemaret ex habitu, & conſuetudine, (non correctis, ut oportet) hanc reſervationem incurreret, quamvis actualiter non adverteret ad malitiam actionis ; quia ageret, ut docet S. Thomas ſupra laudatus, *ex certa ſcientia, ex certa malitia, ex electione*: proinde ly *advertenter* non excuſat niſi illum, qui aut fuit deteſtatus conſuetudinem, ſicuti oportet, & ſatagit vere, ut illam, evellat ; aut revera ſemiplena deliberatione blaſphemat.

XI. In nono tandem hæc habentur: *Qui ex profeſſo, vel ex conſuetudine blaſphemaverint*. De conſuetudine jam ſatis dictum: expendendum occurrit ly *ex profeſſo*; nam legislator videtur aliquid amplius exigere præter plenam voluntatem; non enim proprie, & theologice quis dicitur aliquid ex profeſſo agere, qui illud dumtaxat voluntarie facit, ſed qui illud ita facit, ut illud faciat; unde in caſu noſtro, qui ita blaſphemat, ut blaſphemet, qui & vult blaſphemiam propter ſe ipſam, dicetur ex profeſſo blaſphemare : Me explico : aliquis blaſphemat ut iram ſuam exhalet, aliquis ut terrorem incutiat alteri ; aliquis ut furorem ſuum ſaturet : hi blaſphemias proferunt, & quidem voluntarie, & hujus criminis ſunt rei; cum tamen non dicantur blaſphemare ut blaſphement, quia blaſphemiam non proferunt propter ſe ipſam ; ſed potius propter iram, propter vindictam, propter terrorem &c. ; propterea non videntur blaſphemare ex profeſſo ; ſoli igitur cenſebuntur ex profeſſo blaſphemare, qui, etiam irati, blaſphemant ut blaſphement, ut in blaſphemia delectentur, eademque fruantur; ut ceu blaſphematores habeantur; & hi, etiamſi ſemel blaſphement hoc animo, hac reſervatione tenebuntur. Hæc quoque ſint dicta, ſalva alia explicatione Legislatoris.

CAPUT III.

DE

ALTERO CASU

AD SUPERSTITIONES SPECTANTE.

§. I. *Referuntur varii modi hunc caſum reſervandi.*

I. IN primo ita dicitur : *Divinationes, maleficia, & quodcumque aliud ſuperſtitionum genus, cum abuſu Sacramentorum, Sacrarum rerum, nec non Sacrorum Verborum, aut Rituum.* -- In ſecundo hæc habentur: *Sortilegia, maleficia, incantationes, ubi eſt abuſus rerum Sacrarum, Sacramentalium, aut Sacramentorum.* -- In tertio dicitur : *Sortilegia, divinationes, Incantationes, veneficia, maleficia; denique omnis magia & ſuperſtitio cum invocatione dæmonis, ſive expreſſa, ſive tacita.* -- In quarto dicitur: *Qui ad magicas artes, veneficia, ſuperſtitiones, & alia hujuſmodi generis, Euchariſtia, & quacumque re Sacra, & Sanctorum Reliquiis abuſus fuerit.* -- In quinto dicitur : *Maleficia & incantationes cujuſcumque generis, cum expreſſa, vel tacita dæmonis invocatione.* -- In ſexto dicitur : *Abuſus Sacramentorum, Sacrarumque rerum ad magicas artes, ſuperſtitiones, veneficia, & ejuſdem generis alia, abſque intentione hæreticali.* -- In ſeptimo dicitur : *Adoratio, vel invocatio dæmonis expreſſa, & omne genus maleficii & ſuperſtitionis cum Sacramentorum, vel Sacramentalium abuſu.* -- In octavo dicitur : *Magia, & quodvis genus ſuperſtitionis cum expreſſa, vel tacita dæmonis invocatione, vel*

Digitized by Google

abuſu Sacramentorum vel Sacramentalium. -- In nono dicitur: *Superſtitio cum Sacramentorum, Sacramentalium, ſacrarumque Reliquiarum abuſu, ſeu etiam cum expreſſa, aut tacita dæmonis invocatione. Item recurſus ad ſuperſtitionum hujuſmodi profeſſores.* -- In decimo dicitur: *Magia, divinatio, aut ſortilegium, & quæcumque alia ſuperſtitio cum abuſu Sacramentorum, Sacramentalium, Sacrorum verborum, multo magis, cum dæmonis invocatione.* -- In undecimo dicitur: *Abuſus rerum Sacrarum, Sacramentalium, & Sacramentorum ad maleficia, ſortilegia, ſuperſtitiones, & ſimilia; & in hac re aliorum inſtructio.* -- In duodecimo dicitur: *Qui magicas artes, ſortilegia, ſuperſtitioneſve exercuerint, eiſque uſi ſint, quive Sacramentis, Sacramentalibus, aut ſacris rebus ad id fuerint abuſi.* -- In decimo tertio dicitur: *Abutentes Sacramentis, & Sacramentalibus ad magicas artes.*

§. II. *Præmittuntur nonnulla ſcitu neceſſaria.*

I. JAm ex his quæ modo legiſti, obſervaſti, quomodo omnes fere Ordinarii contra hoc crimen eodem pene modo animadvertant: ut autem tibi innoteſcant actiones in hoc caſu comprehenſæ, admodum utile erit, ſi legeris S. Thomam in 2. 2. q. 92., & 96., in quibus per plures utrobique articulos, ſuper hoc ſubjecto egregie, & clariſſime diſſerit. Interea accipe ab ipſo definitionem Superſtitionis, quæ eſt genus ſub ſe comprehendens omnes actiones in reſervationibus relatis indicatas: *Superſtitio*, ait ipſe loc. cit. q. 92. art. 1., *eſt vitium Religioni oppoſitum ſecundum exceſſum: non quia plus exhibeat in cultum Divinum, quam vera Religio; ſed quia exhibet cultum Divinum, vel cui non debet, vel eo modo, quo non debet.*

II. In articulo 2. aſſignat diviſionem Superſtitionis in ſua membra, dicendo: *Diverſificantur ſuperſtitionis ſpecies primo quidem ex parte objecti; poteſt enim divinus cultus exhiberi vel cui exhibendus eſt ....; modo tamen indebito; & hæc eſt prima ſuperſtitionis ſpecies; vel cui non debet exhiberi, ſcilicet cuicumque creaturæ; & hoc eſt aliud ſuperſtitionis genus, quod in multas dividitur ſpecies, ſecundum diverſos fines divini cultus. Ordinatur enim primo divinus cultus ad reverentiam Deo exhibendam; & ſecundum hoc prima ſpecies hujus generis eſt Idololatria, quæ divinam reverentiam indebite exhibet creaturæ. Secundo ordinatur ad hoc, quod homo inſtruatur a Deo quem colit; & ad hoc pertinet ſuperſtitio divinativa, quæ dæmones colit per aliqua pacta cum eis inita vel tacita, vel expreſſa. Tertio ordinatur divinus cultus ad quamdam directionem humanorum actuum, ſecundum inſtituta Dei, qui colitur; & ad hoc pertinet ſuperſtitio quarumdam obſervationum.* En habes a S. Doctore capita, & radices omnium ſuperſtitionum, quæ ad aliquam harum trium ſpecierum reducuntur, quæque in alias ſpecies infimas ſubdividuntur; & quas legere potes, ſi libet, in S. Doctore locis citatis, & in mea Complexione morali contractas in Tractatu 4. cap. 13. §. §. 1. 2. 3. 4.

III. Ut autem facilius cognoſcere poſſis, quando in actione aliqua, vel aliquo facto ſuperſtitio interceſſerit, trado tibi nonnullas Regulas, ex doctrina S. Doctoris, a probatis Auctoribus depromptas. Prima eſt: Quotieſcunque creditur vis aliqua ineſſe rebus, verbis, actionibus, ſignis, figuris, characteribus &c. ad aliquem effectum, ad quem talem vim neque a natura, neque a Dei, aut Eccleſiæ inſtitutione habent; eſt ſuperſtitio. Secunda: quotieſcunque preces, characteres, ſigna, verba &c. aut ſunt ignota, aut vana, aut frivola, aut falſa; aut, quamvis nota, bona, aut ſancta ſint, tamen admiſcentur eis circumſtantiæ determinati modi, numeri, temporis, loci, perſonæ, aliæque vanæ, inutiles, & omnino ineptæ pro tali effectu, qui deſideratur; eſt ſuperſtitio. Tertia: quotieſcunque ex rebus, verbis, actionibus, ſcriptis, ſignis, &c. tametſi ſanctis promittitur certo effectus intentus; & alioquin nec ex Dei, nec ex Eccleſiæ inſtitutione ineſt ipſis dicta virtus præſtandi certo talem effectum; eſt ſuperſtitio. Quarta: quotieſcunque res ſanctæ, aut ſacræ adhibentur ad effectus vanos, & inutiles: ſive quando res vanæ, aut inutiles adhibentur ad quemvis effectum obtinendum; eſt ſuperſtitio. Quinta: quoties prudenter dubitatur, utrum effectus producendus proveniat a rei naturalis occulta virtute, vel ex vi ſuperſtitionis, poterit credi procedere a vi occulta rei naturalis; quandoquidem multas virtutes con-

tu-

Digitized by Google

tulit Deus rebus naturalibus, nobis ignotas; qui illis uti deliberat, in caſu dicti dubii, proteſtetur ſincere coram Deo, ſe nolle uti, niſi virtutibus a Deo illi rei collatis; immo ſe deteſtari quidquid dæmoniacum forte interveniret, &, ſi hoc eſſet, ſe ullo pacto nolle effectum: hæc autem poteſtatio non excuſat a ſuperſtitione perpetranda, quando probabilius eſt, talem effectum non poſſe profluere a virtute naturali illius rei.

§. III. *Expenditur primus modus hujus reſervationis, unde ſternitur via facilior ad alios brevius explicandos.*

I. PRimus modus reſervandi hunc caſum hæc habet: *Divinationes, maleficia, & quodcumque aliud genus ſuperſtitionum, cum abuſu Sacramentorum, Sacrarum rerum, necnon ſacrorum verborum, & Rituum*. Et ſtatim nota, quod quamvis tria dumtaxat explicentur ſuperſtitionum genera; cæteræ omnes implicite involvuntur in illis verbis, *& quodcumque aliud genus ſuperſtitionum*, dummodo fuerint factæ cum abuſu alicujus rerum indicatarum.

II. Nomine Sacramentorum, intelliguntur ſeptem Eccleſiæ Sacramenta. Hinc opportune memineris, ex Theologia, quomodo nullum Sacramentum omnino completum conſiſtat in re permanente, niſi ſola Euchariſtia; quandoquidem alia ſex Sacramenta conſiſtunt in actione tranſeunte, ut videre eſt in ſingulis, in quibus, applicando materiam, profertur forma; quo peracto, finitur Sacramentum. Propterea ſi verba caſus reſervati eſſent intelligenda de abuſu Sacramenti permanentis, de ſola Euchariſtia deberent intelligi; quod omnino alienum a Legislatoris mente judicandum eſt. Verba igitur caſus accipienda ſunt etiam de abuſu partium Sacramenta componentium, puta ſi quis abutatur formis Baptiſmi, Confirmationis &c. in ſua actione ſuperſtitioſa: ſi abutatur materia conſecrata nonnullorum, puta Oleo Sancto pro morituris reſervato, aut Chriſmate pro confirmandis repoſito &c.

III. Sciſcitaberis, an in hanc reſervationem incidat, qui, volens abuti re aliqua non ſacra ad ſortilegium &c., illam reponeret ſub mappis altaris, ſuper quo eſt celebrandum, ut etiam ſuper illam rem cadat conſecratio, aut celebratio, ita exigente inſtitutione talis ſuperſtitionis? Puto, neminem dubitare, hoc eſſe manifeſtum abuſum Sacramenti; huic reſervationi obnoxium: & ſimili modo reſervationi ſubiici illum, qui ut ſuum maleficium valeat, ad illud operandum conſulto expectaret tempus, quo aut miniſtratur, aut conficitur aliquod Sacramentum: & hujuſmodi ſunt illi, qui expectant horam, in qua celebratur Sacramentum Matrimonii, ut maleficium peragant, quo impediatur conſummatio ejuſdem.

IV. Nomine *Sacrarum rerum* intelliguntur Sacramentalia, Sacræ Reliquiæ, Sacræ Imagines, Cerei Sacri, Roſaria, aliaque grana benedicta benedictione eccleſiaſtica, necnon aliæ res, quæ ad ſuum licitum uſum, benedictione jubentur eccleſiaſtica benedici: talia ſunt Paramenta Sacra poſt benedictionem; & etiam quodvis aliud hujuſmodi rerum, benedictione eccleſiaſtica donatarum. Item ſignum Sanctæ Crucis, cæteraque omnia ſigna, & inſtrumenta, quibus rite utuntur fideles religionis profitendæ gratia, aut ad exhibendum cultum divinæ majeſtati.

V. Nomine Sacrorum Verborum, intelliguntur non modo omnia, & ſingula verba Sacræ Scripturæ utriuſque Teſtamenti, quæ antonomaſtice *Sacra* dicuntur, verum etiam omnes Collectæ, quæ in Eccleſia adhibentur; omnes precationes, quæ ex approbatione ſunt in uſu fidelium; imo etiam ſimplices invocationes alicujus Sancti: etenim hæc omnia vere ſunt verba ſacra.

VI. Nomine Sacrorum Rituum, intelliguntur Ritus, qui in conficiendis, & miniſtrandis Sacramentis in Eccleſia adhiberi ſolent, nec non aliæ omnes ſacræ cæremoniæ, & actiones, quæ in ſacris functionibus, miniſteriis, ſolemniis celebrandis ſunt in uſu Eccleſiæ.

VII. Interrogabis, an ſi quis antequam perficiat aliquam ex actionibus in hocce caſu prohibitis, proteſtaretur, ſe deteſtari omnem dæmonis operam, nullamque velle agere ſuperſtitionem; illam tamen faceret, incideret ne in reſervationem? Reſpondeo, ex ſupra dictis §.2. hujus capitis, affirmative cum communi, docente non excuſari a patranda ſuperſtitione: igitur neque excuſari ab hac reſervatione; nam illa eſt proteſtatio ficta, cujus ſinceritati factum contradicit.

VIII. Interrogabis iterum, an docens aliquam ex dictis ſuperſtitionibus cum aliquo

Digitized by Google

dictorum abuſuum incurrat hanc reſervationem? dico *hanc*, quia jam vidimus hoc docentes in aliqua relatarum reſervationum incluſos. Reſpondeo igitur ſub diſtinctione: ſi doceat aliquem volentem maleficium facere, videtur docens non eximendus ab hac reſervatione; etenim efficaciter cooperatur facturo illam, & in hac hipotheſi illam moraliter efficit. Tum etiam quia verba caſus ſunt indefinita quoad perſonas, & abſtrahunt a faciente, aut docente, aut adjuvante &c., & reſervant ſuperſtitiones, a quocunque, aut quomodocumque efficiantur, dummodo interveniat abuſus &c.; igitur includunt quovis modo influentes. Si autem doceat aliquem nec facturum, nec volentem facere ſuperſtitionem, ſed cupientem theoretice ſcire, quomodo fiat; ex vi hujus caſus non videtur docens teneri reſervatione, quamvis docens ſemper, & forte etiam petens ſemper peccent graviter; neque petens reſervatione hac tenetur; quia docere, & doceri non eſt operari ſuperſtitionem, quæ nunquam ſupponitur eventura. Docens, ut dixi, peccat graviter; quia eſt doctrina ex ſe pernicioſa graviter illam ſcienti, & quia eo magis propagatur. Diſcens quoque peccat, quia eſt velle diſcere id, quod nullam utilitatem ſibi afferre poteſt, & nil aliud, niſi grave nocumentum. Ex his non inferas, etiam merum referentem, & merum audientem peccare graviter; puta ſi Confeſſarius referat caſum a pluribus annis auditum, quæ relatio non fit ad docendum aliquem, ſed potius admirationis, aut compaſſionis, aut deriſionis gratia; & ſimiliter illum audientes, qui non audiunt, ut diſcant, ſed ob dicta motiva: hi, inquam, graviter non peccant, quia, ut dixi, neque docent, neque diſcunt.

IX. Ex dictis inferre potes, quod jubens malefico, ut maleficium operetur, aut conſilians efficaciter maleficium cum abuſu &c., hac teneantur reſervatione; quandoquidem proxime, & efficaciter concurrunt ad ſuperſtitionem in hoc caſu comprehenſam, & tam juſſio quam conſilium ſunt tota ratio agendi: & iterum obſerva, quomodo in hoc caſu reſerventur actiones, a quocumque fiant, & per quemcumque ponantur in eſſe. Idem dicas de poſtulante maleficium; cum poſtulatio evadat tota ratio agendi.

§. IV. *Expenduntur alii modi reſervandi hunc caſum.*

I. Animadverte lector, quomodo cæteri modi proponendi reſervationes hujus caſus fere in idem conveniant, alii aliquantulum reſtringentes, alii non. In ſecundo namque modo ita dicitur: *Sortilegia, maleficia, incantationes, ubi eſt abuſus rerum Sacrarum, Sacramentalium, vel Sacramentorum*. Tria igitur hic ſpecificantur genera ſuperſtitionum cum abuſu dictorum, nec comprehenduntur alia genera, quemadmodum illa comprehendebat reſervatio anterior. Igitur huic reſervationi ſubjicitur ſortilegium cum ſuis ſpeciebus; maleficium cum ſuis ſpeciebus, & Incantatio cum ſuis ſpeciebus; quorum ſpecies videre potes in citato tract. 4. cap. 13. §§. 2. 3. 4., & reſervantur, interveniente *abuſu Sacrarum rerum, aut Sacramentalium, aut Sacramentorum*; ac proinde non videtur comprehendi in hac reſervatione abuſus ſacrorum Verborum; nec ſacrorum Rituum, niſi velimus accipere res, pro verbis, & ritibus ſacris, quod uſurpandum non videtur; eo quod reſervatio, utpote odioſa, ſit in rigore verborum attendenda. Quandocumque igitur peccator delinquet in aliquo ex indicatis tribus generibus ſuperſtitionis cum abuſu alicujus trium dictarum, tunc dumtaxat tenebitur hac reſervatione. Et idem dicas de jubente, conſilente, & poſtulante, ut paulo ante diximus in §. præcedente.

II. Tertius modus hæc habet: *Sortilegia, Divinationes, Incantationes, veneficia, maleficia; denique omnis magia & ſuperſtitio, cum invocatione dæmonis ſive expreſſa, ſive tacita*. His verbis reſervatur quodcumque genus, & quæcumque ſpecies ſuperſtitionis: quamvis ſine abuſu cujuſvis rei ſacræ; & jam præſupponitur invocatio dæmonis ſive expreſſa, quæ eſt deteſtabilior, ſive tacita, quæ eſt conſueta in quacumque ſuperſtitione.

III. In quarto dicitur: *Qui ad magicas artes, Veneficia, Superſtitiones, & alia hujuſmodi generis, Eucharistia, & quacumque re ſacra, & Sanctorum Reliquiis abuſus fuerit*. In hac quoque reſervatione omnis continetur ſuperſtitio, tamen cum abuſu aut Euchariſtiæ, aut cujuſcumque rei Sacræ, inter quas non infimum locum tenent Sanctorum Reliquiæ: in qua reſervatione commodius includi poſſunt etiam

Ver-

Digitized by Google

Verba Sacra, & Ritus Sacri; nam cum vetetur abuſus cujuſcumque rei ſacræ, inter res ſacras, ſacro generaliſſime accepto, & inter res, re tranſcendentaliter ſumpta, veniunt verba, & ritus, præcipue addito ly *quacumque re*.

IV. In quinto modo ita dicitur: *Maleficia & Incantationes cujuſcumque generis cum expreſſa, vel tacita dæmonis invocatione;* quibus verbis videtur reſtringi reſervatio ad illas duas ſpecies ſuperſtitionis, nempe Maleficii, & Incantationis, & quidem cujuſcumque generis, ſeu rationis harum duarum ſpecierum, videlicet ad omnia Maleficia, & ad omnes Incantationes, ita ut ly *cujuſcumque generis* appellare non videatur ad quodcumque genus ſuperſtitionis; eo quod hæc particula diſtributiva ſit appoſita dumtaxat Maleficiis, & Incantationibus. Et etiam in hac reſervatione ſequentes particulæ *cum expreſſa*, *vel tacita* &c. videntur additæ ad majorem declarationem, cum, ut dixi, nulla ſuperſtitio, proprie talis, fiat abſque invocatione dæmonis ſaltem tacita. Et quamvis proteſtaretur, ſe nolle ullo modo invocare dæmonem; faciendo tamen opus ſuperſtitioſum, dæmonem facto implicite invocaret.

V. In ſexto modo hæc habentur: *Abuſus Sacramentorum, Sacrarumque rerum ad magicas artes, ſuperſtitiones, veneficia, & ejuſdem generis alia, abſque intentione hæreticali*. In hac reſervatione videtur mens legislatoris ſibi reſervare quamcumque ſuperſtitionem, tamen cum abuſu Sacramentorum, aut quarumcumque rerum ſacrarum; quibus verbis videtur comprehendere etiam abuſum ſacrorum verborum, & rituum; cum hoc nomen *rei* in hoc caſu videatur accipi tranſcendentaliter, quatenus ſignificat omne ſacrum contrapoſitum nihilo: ad differentiam modi expenſi in num. 1., in quo videbatur, quod nomen *rei* ſumeretur formaliter, prout contradiſtinguitur a Verbis, & Ritibus ſacris. Addit autem *ſine intentione hæreticali*; quia dum hæc extat, & manifeſtatur ſigno ſufficienti externo, tunc, cum ſit crimen hæreſis exterius patefactæ, evadit delictum reſervatum S. Sedi.

VI. In Septimo modo dicitur: *Adoratio vel invocatio dæmonis expreſſa, & omne genus maleficii, & ſuperſtitionis, cum Sacramentorum, vel Sacramentalium abuſu*. Tres partes continet hæc reſervatio: prima circa dæmonem: ſecunda circa ſuperſtitiones: tertia circa abuſum. Quoad primam circa dæmonem duas actiones indicat, prima eſt adoratio exterior dæmonis, quæ ut ad Epiſcopum pertineat, debet eſſe ſine errore mentis in fide; quia ſi hic error adſit, eſt, ut dudum dixi, caſus Papalis: quando ergo eſt ſine hoc errore, quamvis nulla alia ſuperſtitio eveniat, eſt peccatum in hac reſervatione incluſum. In hac reſervatione pariter includitur invocatio expreſſa dæmonis, quamvis ipſe non appareat, & hæc pariter ſine errore in fide, & quamvis nulla alia ſuperſtitio interveniat, puta ſi illum quis invocet, ut det ſibi pecuniam, vel aliquid aliud, (quamvis, Deo ſic diſponente, Dæmon plerumque non appareat, ut ex confeſſionibus auditis pluries inveni). Secunda pars reſervat quaſcumque ſuperſtitiones cujuſvis ſpeciei; dummodo tamen, & hæc eſt tertia pars, interveniat abuſus aut *Sacramentorum*, *aut Sacramentalium*: hic nulla fit mentio Sacrorum Verborum, aut Rituum, aut Sacrarum rerum: eapropter niſi adhibeantur res, vel ſacra verba, quæ inter Sacramentalia recenſentur, ut ſunt Oratio Dominica, vel Aqua luſtralis, vel quidpiam ſimile, erit caſus ab hac reſervatione immunis.

VII. Interrogabis, Candidate, quid ſignificetur Sacramentalium nomine? Reſpondeo ex doctrina S. Thomæ 3. p. q. 65. art. 1., ad 6. Sacramentalia eſſe illa, quæ *ſunt diſpoſitiones quædam ad Sacramenta, vel removendo prohibens, ſicut Aqua benedicta ordinatur contra inſidias dæmonum, & contra peccata venialia: vel etiam idoneitatem quamdam faciendo ad Sacramenti perfectionem, & perceptionem: ſicuti conſecrantur altare & vaſa, propter reverentiam Eucbariſtiæ*. Quidquid ergo diſponit ad perceptionem magis congruam Sacramentorum, vel ad eorumdem confectionem, dicitur Sacramentale. Hæc autem Sacramentalia ſunt ſequentia; nempe Aſperſio devota Aquæ luſtralis; Confeſſio generalis, ſcilicet per *Confiteor* &c., Tunſio pectoris devota, Oratio Dominica, Benedictio Epiſcopalis, Quælibet Sacramentalis unctio, Oratio in Eccleſia conſecrata; *& ſi aliqua alia ſunt hujuſmodi*, concludit S. Doctor, *quæ operantur ad remiſſionem venialium peccatorum, in quantum ſunt cum aliquo motu deteſtationis peccatorum*, 3. p. q. 87., ar. 3. propterea ſi quis, dum Epiſcopus dat benedictionem, faceret aliquod ſignum ſuperſtitioſum cum manibus, vel vocem aliquam ſuper-

ſuperſtitioſam proferret, hanc reſervationem incurreret.

* Vide Appendiculam *de Sacramentalibus*, quam addidimus *tract.* 13. *de Sacramentis in genere.*

VIII. In octavo reſervationis modo dicitur: *Magia, & quodvis genus ſuperſtitionis, cum expreſſa, vel tacita dæmonis invocatione, vel cum abuſu Sacramentorum, vel Sacramentalium*. Circa hunc modum, nil aliud dicendum occurrit, præter ea quæ diximus in numeris antecedentibus.

IX. In nono modo dicitur: *Superſtitio cum Sacramentorum, Sacramentalium, Sacrarumque Reliquiarum abuſu, ſeu expreſſa, aut tacita dæmonis invocatione. Item recurſus ad ſuperſtitionum hujuſmodi profeſſores*. Plura, hic expreſſa, jam innoteſcunt ex dictis. Ut igitur incurratur hæc reſervatio ob abuſum Reliquiarum Sacrarum, debebit eſſe abuſus rei, quæ ſit vere Reliquia Sacra; & ſi ſit Reliquia alicujus Perſonæ, hæc debebit eſſe ab Eccleſia titulo vel Sancti, vel Beati inſignita. Item intelliguntur Reliquiæ rerum pro Sacrificio Miſſæ conſecratarum, puta Calicis, Patenæ, vel etiam Corporalis, quod quamvis non conſecretur, tamen benedicitur, & eſt valde venerandum ob Euchariſtiæ contactum. Circa recurſum ad profeſſores hujuſmodi ſuperſtitionum, cum legislator non dicat *effectu ſecuto*, ſicut dicere poterat, ſed reſervet etiam ſolum recurſum, ſequitur, reccurrentem ad hujuſmodi profeſſores reſervatione teneri, quamvis profeſſor noluerit recurrenti ſatisfacere.

X. In decimo ita dicitur: *Magia, Divinatio, aut Sortilegium, & quæcumque alia ſuperſtitio cum abuſu Sacramentorum, Sacramentalium, Sacrorum verborum, multo magis cum dæmonis invocatione*: de quibus omnibus ſatis dictum puto in præcedentibus. Notandum tamen, quod cum Legislator non meminerit ſacrarum Rerum, nec ſacrorum Rituum, neque explicite, neque implicite, v. gr. dicendo cum abuſu alicujus rei ſacræ; ſequitur, quod niſi quis in ſuperſtitione abutatur aliquo ex indicatis ſacris, non incurrat reſervationem, puta ſi abutatur ſtola Sacerdotali, quæ neque eſt Sacramentum, nec Sacramentale, nec Verbum Sacrum.

XI. In undecimo dicitur: *Abuſus rerum Sacrarum, Sacramentalium, & Sacramentorum ad Maleficia, ſortilegia, ſuperſtitiones, & ſimilia; & in hac re aliorum inſtructio*; his verbis Legislator omnem omnino comprehendit ſuperſtitionem, atque eam reſervat, ubi interveniat abuſus Sacrarum rerum &c.: An autem nomine ſacrarum rerum intelligenda ſint omnia ſacra, tam in Verbis quam in Ritibus? vide dicta in numero 5. Reſervat inſuper *inſtructionem aliorum* circa hujuſmodi res; erit igitur hæc inſtructio certiſſime reſervata, ſi inſtruatur facturus ſuperſtitionem: & etiam probabilius videtur reſervata inſtructio non facturi ſuperſtitionem, tamen de eadem inſtrui cupientis: & nota ly *inſtrui cupientis*; quia proprie non dicitur velle inſtrui, qui tantum ex curioſitate audit narrantem modum, quo ab aliquo facta fuit ſuperſtitio; ſed ille qui cupit illam diſcere, & in hoc caſu inſtructor huic reſervationi ſubiicitur.

XII. In duodecimo dicitur: *Qui magicas artes, ſortilegia, ſuperſtitioneſve exercuerint, eiſque uſi ſint: quive Sacramentis, Sacramentalibus, aut ſacris rebus ad id fuerint abuſi*. Etiam hic comprehendit Legislator omnem ſuperſtitionem factam, & adhibitam: cum autem addat, *quive Sacramentis* &c., ly *quive* videtur facere ſenſum disjunctivum, & augens delictum reſervatum: & ſi ita ſit, ſequitur reſervari omnem ſuperſtitionem, quamvis factam ſine dicto abuſu; ſi vero ly *quive* ponatur ut faciat ſenſum copulativum, & determinetur ut valeat pro *quique*, reſervationem incurrent operantes ſuperſtitionem, eaque utentes, dummodo fiat cum abuſu Sacramentorum, aut Sacramentalium, aut ſacrarum rerum: quæ ultima verba vide expenſa in laudato numero 5.

XIII. In decimo tertio dicitur: *Abutentes Sacramentis, & Sacramentalibus ad Magicas artes*. His verbis videtur comprehendi omnis ſuperſtitio, quæ tamen ſit cum abuſu aut Sacramentorum, aut Sacramentalium; non tamen ſi cum abuſu aliarum ſacrarum rerum: De Sacramentalibus vide numero 6, & 7.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

CIRCA

JURAMENTA.

§. I. *Referuntur varii modii reſervationis hujus caſus.*

I. IN primo dicitur: *Teſtimonium falſum in judicio, etiam officioſum*. -- In ſecundo: *Perjurium teſtis in judicio*. -- In tertio: *Qui falſum teſtimonium in judicio dixerit, aut ibi interrogatus, veritatem occultaverit; cum gravi damno alicujus, etiamſi damnum ſecutum non ſit*. -- In quarto: *Perjurium falſumve in judicio in damnum tertii*. -- In quinto: *Perjurium judiciale*. -- In ſexto: *Malitioſa depoſitio falſi teſtimonii tam in cauſa civili, quam criminali in grave præjudicium tertii; vel ad id ſcienter vel per ſe vel per alios, directe vel indirecte conſilium dantes*. -- In ſeptimo: *Qui falſum teſtimonium, etiam ſine damno, vel titulo defenſionis, in judicio depoſuerint; quive ad illud, incuſſo timore, compulerint, preceve, aut premio perſuaſerint, vel corruperint*. -- In octavo: *Qui falſum in judicio depoſuerint, quamvis ad reorum defenſionem; quique alium induxerint ad deponendum*. -- In nono: *Perjurium in judicio cum alterius damno*. -- In decimo: *Perjurium in judicio cum damno, aut præjudicio tertii*. -- In undecimo: *Perjurium coram judice competente, etiam ad defenſionem, ejuſdemque procuratio, ſecuto effectu*.

§. II. *Expenduntur relati modi reſervationis hujus caſus.*

I. PRæſupponas, teſtem in judicio ſemper præſtare juramentum de veritate dicenda. Primus reſervationis modus, reſervat quodlibet mendacium in judicio, tametſi officioſum. Nil dici poteſt univerſalius, nihilque clarius. Et ſimilia habet etiam ſecundus modus. Tertius autem cum dicat: *Qui falſum in judicio teſtimonium dixerit, aut ibi interrogatus, veritatem occultaverit cum gravi damno alicujus, etiamſi damnum ſecutum non ſit*: Reſervat igitur nedum perjurium, verum etiam occultationem veritatis; & quamvis poſitive falſum non dicatur, tamen etiam ipſamet occultatio veritatis vel per æquivocationes, vel per circumlocutiones, vel per alios loquendi modos tegendi veritatem, in hoc caſu comprehenditur, dummodo intervenerit vel potuerit intervenire grave damnum alicujus; quæ damna aut afficiunt corpus, aut famam, aut bona temporalia, aut ſimilia, quamvis damnum reapſe non fuerit ſecutum.

II. In quarto dicendi modo hæc habentur: *Perjurium, falſumve in judicio in damnum tertii*. Diſtinguas verba illa *in damnum*, ab illis *cum damno*, quia *cum damno* ſignificare videtur damnum effective ſecutum; vel ſaltem quod prolata fuerit ſententia cum damno alicujus, quamvis damnum revera non evenerit: at *in damnum* ſignificat, quod perjurium de ſe tendat in damnum, quamvis revera effective damnum non ſequatur, vel ob remiſſionem partis læſæ, vel quia ſententia non fuit cum damno, vel aliunde: ad hanc igitur reſervationem ſufficit, quod falſitas tendat in damnum.

III. In quinto dicitur: *Perjurium judiciale*; quo nil brevius, nil univerſalius, nil clarius; cum includat omne perjurium in judicio emiſſum, ſive damnoſum, ſive non. In ſexto modo dicitur: *malitioſa depoſitio falſi teſtimonii tam in cauſa civili, quam in criminali in grave præjudicium tertii: vel ad id ſcienter, vel per ſe, vel per alios, directe, vel indirecte conſilium dantes*. Ly *malitioſa depoſitio* denotat plene deliberatam & voluntariam falſam depoſitionem, quacumque ſubreptione ſubmota, quæ tendat in præjudicium grave, quamvis etiam per accidens præjudicium effective non ſequatur: includit etiam in reſervatione, quocumque modo, tamen ſcienter, conſilium dantes. Fortaſſe interrogabis, an jubens, aut laudans tale perjurium, hac reſervatione teneatur? Reſpondeo circa jubentem, diſtinguendo de jubente magnæ auctoritatis, & timorem incutiente juraturo; & de jubente modicæ auctoritatis: jubentem primum non auderem ab hac reſervatione eximere: cum ejus juſſio, utpote magnæ auctoritatis, & timorem juraturo incutiens, ſit vel tota ratio, vel principalis ratio inducens juraturum ad perjurium; propterea quia conſilium ſolet eſſe aut tota aut magna ratio operandi, & ideo reſervatur, videtur a fortiori reſervata etiam juſſio hujuſmodi, quæ majus eſt inductivum.

quam

Digitized by Google

quam merum conſilium, & præcipue ſi indirectum, & per alios. Si autem jubens ſit modicæ auctoritatis, non ſubjicerem huic reſervationi, quemadmodum neque approbantem aut laudantem; quia horum influxus caret ea efficacitate, qua gaudet jubens magnæ auctoritatis. Si autem approbans inveniret juraturum nutantem, nondum plene firmatum in malo propoſito; & ſuis approbationibus ipſi animum adderet, ex quo ſe determinaret ad perjurium; etiam hic approbans utpote efficaciter influens, hac reſervatione tenetur.

IV. In ſeptimo ita dicitur: *Qui falſum teſtimonium etiam ſine damno, vel titulo defenſionis, in judicio depoſuerint; quive ad illud, incuſſo timore, compulerint: preceve, aut præmio perſuaſerint, vel corruperint*. Omnia ſunt clara. At inquires etiam hic, an jubens, aut conſilians includantur in hac reſervatione? Videtur reſpondendum affirmative; & quidem a fortiori: ſi enim ſolus rogans, & ſolis precibus perſuadens eam incurrit; quanto magis jubens auctoritative; & conſilians, quorum efficacitas longe major eſt influxu ſolarum precum? nam jubens ſua vi compellit, & quodammodo cogit; conſilians autem motiva affert & argumenta; qui operandi modi longe efficaciores ſunt ad inducendum, quam ſolæ preces.

V. Octavus ita dicit: *Qui falſum in judicio depoſuerint, quamvis ad reorum defenſionem; quique alium induxerint ad deponendum*: circa primam partem, res jam de ſe clara eſt, & de ea ſatis dictum: in ſecunda pariter clare reſervat etiam actionem inducendi quovis modo, ſive directe, ſive indirecte; dummodo verificetur inductio. Propterea qui inducit ſive hortando, ſive deprecando, ſive provocando, ſive improperando, ſive ſpondendo, (italice *ſcommettendo*) &c. reſervatione tenetur.

VI. Nonus & decimus reſervant perjurium *cum damno alterius*: *& cum damno & præjudicio tertii:* quo in loco verba illa cum damno videntur poſtulare, quod damnum ſit realiter effective ſecutum, vel ſaltem quod prolata fuerit ſententia cum damno tertii, quamvis, ob aliquem eventum fortuitum, damnum reapſe non evenerit.

VII. In undecimo dicitur: *Perjurium coram judice competente, etiam ad defenſionem, & ejuſdem procuratio, ſecuto effectu:* prima & ſecunda pars jam patet ex antea dictis. Quoad tertiam vero partem advertenda ſunt verba, quibus legiſlator reſervat etiam procurationem perjurii, a quocumque fiat, cum neminem excipiat; ſecuto tamen effectu, ideſt ſi procuratio habuerit effectum, nempe quod fiat perjurium, quod ſi hoc non ſequatur, procuratio ejuſdem facta eſt quidem peccatum lethale, at non reſervatum.

C A P U T V.

CIRCA CULTUM SACRORUM FESTORUM.

§. Unicus. *Refertur hæc reſervatio, ſimulque expenditur.*

IN aliquibus Diœceſibus reſervatur hic caſus, in quo dicitur: *Qui in talibus aut talibus diebus feſtis choreis, aut ſpectaculis publicis vacant, per tot v. gr. quatuor horas*. In hoc caſu animadvertendi ſunt dies in quibus hæc prohibentur, *&* ſunt Feſtivitates Chriſti, aut B. V.; aut Sancti Patroni civitatis &c.; ſi ſint dies Feſtivi ſub præcepto. Deinde obſervandum eſt, Choreas, & ſpectacula debere eſſe publica; nam talia non videntur eſſe quæ fiunt intra domeſticos parietes, & in privata domo, cum invitatione determinatarum perſonarum; quandoquidem hæ circumſtantiæ non verificantur de publicis, quæ ſolent fieri in publicis viis, plateis, & quibus interſunt quicumque voluerint, ſaltem illius ordinis perſonarum, puta nobilium, &c., propterea quamvis poſſit fortaſſe committi peccatum mortale ſcandali, non tamen putarem, incurri hanc reſervationem. Quod ſi quamvis locus eſſet privatus, puta domus, tamen fierent hæc modo publico, itaut omnibus pateret aditus intrandi, adhuc publica viderentur, ac proinde a reſervatione minime exempta. Inſuper in publicis obſervandum eſt tempus inſumptum, itaut in hujuſmodi compleantur horæ inhibitæ. Item examinandum ſupereſt, an in reſervatione comprehendantur ſoli jubentes, ordinantes, inſtruentes; pulſantes inſtrumenta, &, ut ita dicam, componentes choreas, atque ſpectacula, an etiam concurrentes

ad

Digitized by Google

ad ſaltandum in choreis, & aſpiciendum in ſpectaculis; putarem etiam hujuſmodi concurrentes reſervatione teneri, tum quia etiam ad ipſos collimat finis legis, tum quia etiam ipſi vere *vacant choreis*, & *ſpectaculis*; tum quia fruſtra ponerentur tot horæ ad reſervationem incurrendam, niſi & ſaltantes in choreis, & ſpectatores ſpectaculorum comprehenderentur.

CAPUT VI.

CIRCA CULTUM LOCORUM SACRORUM.

§. I. *De Pollutione Eccleſiæ*.

IN aliquibus Diœceſibus reſervatur *Pollutio Eccleſiæ, vel Cæmeterii*. Circa hunc caſum eſt notandum, Eccleſiam, vel Cæmeterium pollui per effuſionem voluntariam, & indebitam ſanguinis, vel ſeminis humani; & vide in complexione morali de Sacramento Euchariſtiæ §. 15. explicata hæc crimina, necnon alia, quibus polluitur Eccleſia. Quicumque igitur aliquod criminum Eccleſiam, vel Cæmeterium polluentium advertenter committit, huic reſervationi ſubjicitur.

§. II. *De furto in Eccleſia*.

IN aliqua tabella reſervatum inveni *Furtum rei Sacræ in loco Sacro*. Ut igitur incurratur hæc reſervatio ambæ conditiones requiruntur; videlicet quod ſit furtum rei ſacræ, & quidem in materia gravi, atque perpetratum in loco Sacro. Inquires, quam ſummam importare debebit? Reſpondeo, ſummam ad mortale ſufficientem: & quia in hac ſumma determinanda admodum diſconveniunt Auctores, ut monui dum de furto tractarem; idcirco quando non ſit ſumma certo gravis, conſule prudentes, & reſolve. Interrogabis: quid, ſi quis furetur Reliquias ſacras omni pretio carentes? Reſpondeo illas ab omni pretio abſolvi, quia omne pretium temporale excedunt, & propterea quodlibet furtum cujuſvis Reliquiæ in loco ſacro perpetratum in hac reſervatione includi.

CAPUT VII.

CIRCA HONOREM MAJORIBUS DEBITUM.

§. I. *Referuntur varii modi reſervationis*.

IN aliquibus legitur: *Patris & Matris percuſſio*... Secundus modus hæc habet: *Percuſſio Parentum, & quævis gravis actualis injuria, aut graviſſima verbalis contumelia in eoſdem*... In tertio dicitur: *Injectio manuum violenta in Parentes*... In quarto: *Verberatio Patris, vel Matris, ſeu cujuslibet ex Majoribus aſcendentibus, vel collateralibus*. In quinto: *Percuſſio Parentum, vel alia graviſſima injuria illis illata*... In ſexto. *Patris, vel Matris percuſſio tam ex odio, quam ex contemptu*... In ſeptimo: *Qui Patrem, aut Matrem, aliumque ex aſcendentibus conſanguineis verberaverint, vel eoſdem actuali injuria, aut verbali contumelia graviter affecerint*... In octavo: *Patris, vel Matris verberatio, eorumque injuriæ, & contumeliæ ex gravioribus*... In nono: *Graviſſimæ in Parentes injuriæ, & contumeliæ*.

§. II. *Expenditur primus reſervationis modus*.

I. PRima reſervatio ita dicit: *Patris, & Matris percuſſio*; cum qua coincidunt illæ quæ dicunt: *Verberatio*: *Verberantes Patrem, vel Matrem*. Animadverte lector, quomodo copulativa illa & poſita fuit, ut ſignificet *aut*; non enim eſt neceſſarium, ut hæc prima reſervatio incurratur, utrumque percutere, ſed aut unum, aut alterum.

II. Nomine Patris, & Matris intelligendi ſunt verus Pater, & vera Mater, nempe illi a quibus Filius, vel Filia geniti fuerint, ſive legitimo, ſive illegitimo, ſive ſpurio congreſſu; quomodocumque enim fuerit ab illis genitus, ſemper verum eſt, illum hominem eſſe ſuum Patrem, & illam mulierem eſſe ſuam Matrem: cum igitur in hac reſervatione ſoli exprimantur Genitores; neque Avus, neque conjunctus alius eſt trahendus; & multo minus Vitricus, & Noverca.

III. Quæres, an percuſſio exterior, ut ſubjiciatur huic reſervationi, debeat eſſe in ſe gravis; ita ut ſi percuſſio illa, quæ, inflicta alteri Perſonæ eſſet exterius

rius levis, debeat cenſeri levis etiam reſpectu Parentum, & proinde non reſervata? Reſpondeo, quod percuſſio quælibet, ex indignatione proveniens, & ſufficienti advertentia, inflicta genitoribus, eſt mortalis; quia ſemper cenſetur gravis irreverentia, & dedecoratio exterior contra eoſdem; quæ ſi alteri perſonæ, aut æquali, aut inferiori fieret, eſſet forte judicanda venialis; etenim ſpecialiſſima dignitas Genitorum non admittit, quoad hanc actionem percutiendi ex ira, parvitatem materiæ, ac proinde non requiritur, ut percuſſio exterior ſit in ſe gravis, ut ſubjiciatur huic reſervationi.

IV. Quæres, an irato animo, & cum impetu, repellere, aut impellere Genitores ſit actio in hac reſervatione incluſa? Reſpondeo cum diſtinctione: ſi impulſio, vel repulſio illos parieti fortiter allidat, vel in terram dejiciat, ita ut a pariete. vel ſolo velati repercutiantur, neminem puto excepturum talem actum ab hac reſervatione, cum jam percuſſioni æquivaleat, gravemque injuriam eiſdem afferat. Si autem ſit impulſio, aut repulſio nulli colliſioni adjuncta, putabit quis, non eſſe reſervatam, quia non redolet percuſſionem, quæ ſola in caſu reſervatur. At fateor imbecillitatem meam, huic opinioni non acquieſcentem, ſi talis impulſio, aut repulſio magno impetu fiat; quia hujuſmodi agendi modus non poteſt eximi a quodam genere percuſſionis; cum non raro ex his impulſionibus relinquatur aliqua contuſio in coſtulis, aliave parte corporis: immo ipſa ſola impetuoſa repulſio animo irato facta, eſt in ſe actio injurioſa graviter ſpeciem percuſſionis præſeferens.

V. Ex his inferas, cum communi, huic reſervationi ſubjici percuſſiones illas, quæ fiunt, irato animo, vel pede, vel genu, vel cubito, cum ſingulæ iſtæ actiones ſint veræ percuſſiones inſtrumento naturali inflictæ. Excipe caſum, in quo Filius, vel Filia, repellerent Parentes, volentes illum, vel illam percutere; & ſe defendendi gratia, quamvis aliquantum irati, niterentur repellere volentem percutere.

VI. Quæres, an Filius, aut Filia, elevans animo irato manum vel ſolam, vel fuſte armatam contra Genitores, reus percuſſionis ſit habendus, reuſque hujus reſervationis? Reſpondeo, quod tametſi graviter peccet, non ſubjicitur huic reſervationi, quia quamvis oſtendat hoc actu exteriori propenſionem percutiendi, abſtinet tamen a vibrando ictu, eumdemque ſuſpendens, manifeſtat ſe noluiſſe percutere.

VII. Cave tamen, ne ex his inferas: igitur etiamſi filius ictum vibraſſet, & vacuus evaſiſſet, vel aliquid contra Genitorem projeciſſet, quod ipſum percutere debebat, niſi agilitas Parentes illud declinaſſet, non incurreret hanc reſervationem? cave, inquam, ne id inferas; quia, meo judicio, male inferres; eo quia percuſſio activa ex parte vibrantis ictum eſt tota completa. Permittas, me duplicem percuſſionem diſtinguere, nempe, Activam, & Paſſivam; prima ſe tenet ex parte percutientis; ſecunda ſe tenet ex parte percuſſi: activa illa eſt, quæ jam ex parte percutientis totum ponit, quod requiritur, ut percuſſio habeat ſuum effectum percuſſionis paſſivæ, quæ conſiſtit in receptione ictus, vulneris &c. in patiente: in caſu præſenti agens jam complevit & conſummavit actionem ſuam, pro quanto ad ipſum pertinet, nempe elevando manum, & vibrando ictum; nihil ergo ex parte ſua defuit, ut effective percuteret; & dumtaxat defuit percuſſio paſſiva, quæ revera ſecuta fuiſſet, niſi agilitas Parentis ipſum ſubtraxiſſet: En igitur quomodo percutiens totum poſuit, ut verificetur percuſſio activa, ex parte ipſius conſummata: ad differentiam caſus anterioris, in quo elevans manum, a vibrando ictu abſtinuit; ex quo fit, quod percuſſionem activam non compleverit, eo quod ictum non vibraverit: cum ergo reſervatio agentem afficiat, quoties verificatur percuſſio activa ex parte agentis conſummata, agens a reſervatione non evadet.

VIII. Fortaſſe oppones, vibrans ictum contra Perſonam Clericalem, ſi illam nullo modo tangat, cenſuram non incurrit; ergo ſimiliter &c. Reſpondeo longe diſparem eſſe rationem Cenſuræ, & Reſervationis: illa eſt pœna eccleſiaſtica, & quidem graviſſima, lata in favorem Perſonæ Clericalis; Reſervatio autem non eſt cenſura, ſed mera ademptio facultatis, ad terrendos filios irreverentes primario inſtituta: hinc fit, quod ſi nullo modo vel mediate vel immediate tangatur Perſona Clericalis, non incurratur excommunicatio, quæ, utpote pœna graviſſima, poſtulat ut in toto rigore verba canonis verificentur; eaque non verificantur, ſi deſit percuſſio paſſiva. At reſervatio conſtituta dumtaxat ad abſterrendos filios ab actione adeo injurioſa Parentibus, eorumdemque in-

Digitized by Google

inhonorativa, cum tota habeatur ex parte filiorum, audentium vibrare ictum, qui ſine dubio parentem percuſſiſſet niſi ſe ſubtraxiſſet; propterea hæc percuſſio activa, ſubjicit vibrantem ictum huic reſervationi; quia jam conſummata ex parte agentis.

IX. Quæres: ſi Filius infirmus impotens ad ſe movendum, neque valens brachia elevare, accedente genitrice, aliquid eidem miniſtratura, indignato animo, aliquid in ejus faciem expuat, adjicietur ne huic reſervationi? Reſpondeo affirmative; tum quia hæc actio eſt injurioſiſſima; tum quia eſt actio, reſpectu hujus filii æquivalens percuſſioni, quam manifeſtat ſe fuiſſe executurum, ſi poſſet; & multo magis ſi ſe declararet, quod ita facit, quia a morbo prohibetur ſuam indignationem alio modo effundere.

X. Quæres, ſi filius contra Patrem iratus, & metuens ipſius robur, ſi illum aggredi attentet, immiſceat ipſius epulo, aut poculo aliquid nocivum, a quo vexetur viſcerum doloribus; aut in via per quam pater noctu pertranſire ſolet, conſtruat decipulum, in quod incidens, & proruens in terram contuſionem reportet, incidet ne in hanc reſervationem? Neminem puto inveniri, qui filium, aut filiam in ambobus hiſce caſibus a reſervatione eximat, quandoquidem ſufficit, ut Genitores animo irato in corpore offendat, & illis notabiliter noceat; quod verificatur in duobus propoſitis caſibus, cum plerumque eorumdem corpori magis noceat dolor viſcerum, & contuſio ex lapſu, quam ſi virga ſemel, aut bis percutiantur in dorſo.

§. III. *Expenduntur alii modi reſervationis*.

I. Secundus modus hæc habet: *Percuſſio Parentum, & quævis gravis actualis injuria, aut graviſſima verbalis contumelia in eoſdem*. De percuſſione jam dictum: aliis verbis Legiſlator ſapienter diſtinguit injuriam actualem a verbali graviſſima contumelia: nomine *injuriæ actualis* ſignificare voluit injuriam conſiſtentem in factis, geſtibus aliiſque actibus factam, & quidem gravem, atque irato animo perpetratam: puta manu minitari percuſſionem; facere contra eoſdem omnes illos actus in §. præcedente examinatos; item actus ſubſannationum acute pungentium; irriſionum valde verecundantium; actus aſpernationum ac ſi ſtulti aut ſemifatui eſſent, cum tales non ſint; aliaque ſimilia graviter injuriantia, verecundantia, & mortificationem afferentia; quæ omnia in hac reſervatione comprehenduntur; crederem etiam, quod ex ira publicare de Genitoribus facta occulta infamatoria, & multo magis falſa, ſubjiceretur huic reſervationi utpote actio injurioſiſſima contra eoſdem, quamvis in abſentia. Ly autem *graviſſima verbalis contumelia* denotat injuriam verbalem prolatam coram eiſdem; eo quod hæc ſit natura contumeliæ, videlicet proferre coram, ... ut docet S. Thomas; non reſervatur autem quæcumque ſit mortalis, niſi fuerit *graviſſima*, qualis certe eſſet illa quæ eorumdem famam & honorem graviſſime læderet, puta vocando genitores fures, adulteros, veneficos, vel quid ſimile.

II. Tertius modus hæc habet: *Injectio manuum violenta in Parentes*; qui jam expenſus fuit in §. antecedenti: & clarius nedum comprehenduntur percuſſiones, verum etiam quæcumque gravis violentia illata Perſonis Genitorum, puta ſi filius volens de manu Patris, vel Matris aliquid rapere, & ipſi reſiſtant, ille indignatione commotus, utpote robuſtior, illos graviter manibus agitaret, hac, illac violenter trahendo, donec rapiat, quod ipſi juſte nolunt dare.

III. Quartus modus dicit: *Verberatio Patris, vel Matris, ſeu cujuslibet ex Majoribus Aſcendentibus, vel Collateralibus*. Hæc verba denotant quemlibet majorem ex aſcendentibus, circa quos nullam puto excitari poſſe difficultatem. Comprehendit etiam quoslibet Majores Collaterales; cum autem neminem excipiat, omnes complectitur: igitur dummodo ſit conſanguineus collateralis, & major, & percuſſio ſit gravis, & mortale peccatum, erit reſervata. Putarem, non ſemper percuſſionem, quæ reſpectu Genitorum, aut Aſcendentium poteſt eſſe lethalis, eſſe lethalem etiam reſpectu collateralis; nam eſſe, quod filius a genitoribus recipit tamquam a cauſis ſecundis, & quod nulli alteri debet niſi Deo cauſæ primæ, efficit, ut qualibet illorum percuſſio cum indignatione evadat gravis; quod arbitror, non verificari de aliis Majoribus collateralibus.

IV. Quintus modus, percuſſioni addit: *vel alia graviſſima injuria illis illata*. Jam de percuſſione diximus. Circa injuriam, nota ly *graviſſima*, per quod oſtenditur, non reſer-

Digitized by Google

reſervari injuriam quamcumque mortalem, ſed inter mortales, graviſſimam[1], ex quibus aliquas indicavi num. 1. Obſerva quod ibi dictum fuit de injuriis actualibus, quæ conſiſtunt in actionibus, & etiam de contumeliis verbalibus: hic autem voce injuriæ graviſſimæ, putarem ſignificari injurias illatas tam per actiones, & geſtus, quam per verba; niſi Legiſlator aliter ſe explicaſſet.

V. Sextus modus ita dicit: *Patris, & Matris percuſſio tam ex odio, quam ex contemptu.* Sive ergo percuſſio procedat ex odio, ſive ex contemptu, alterutrum ſufficiet ad hanc reſervationem. Nomine autem odii puto intelligi odium habituale, ita ut neceſſe ſit, quod percuſſio proceſſerit ab hoc odio aliquatenus diuturno; nec ſufficit quod profluxerit ab odio actuali, & de repente exorto, ſeu ex iræ motu ſtatim exurgente, ſeu ex actuali malevolentia; cum id a percuſſione irata videatur inſeparabile: cum igitur Legiſlator requirat odium, intelligetur de eo quod communiter habetur ut tale, quod non conſiſtit in actu tranſeunte averſionis, & malevolentiæ, ſed ſaltem in aliqua diuturnitate hujus impiæ affectionis. Ex Contemptu autem dicetur filius percutere, quando veluti pro nihilo filius habeat Genitorem, vel Genitricem, vel ob modicam habilitatem, vel ob aliquod vitium, animo contemnente illos percutit, & reſervationi ſubiicitur.

VI. Circa alios modos dicendi ſupra relatos, jam ſatis dictum exiſtimo, tam quoad Aſcendentes, quam quoad Injurias actuales, quoad Contumelias graviores, aut graviſſimas, atque quoad injurias actuales, & verbales.

CAPUT VIII.

CIRCA HOMICIDIUM.

§. I. *Referuntur varii modi reſervationis.*

I. PRimus ita dicit: *Homicidium voluntarium, non ſolum quoad Committentes, verum etiam quoad Mandantes, Conſilium, aut Aſſiſtentiam Perſonalem efficaciter præſtantes.* -- Secundus: *Homicidæ voluntarii, & de induſtria Abortum procurantes, etiam fœtus inanimati, licet non ſequatur effectus; nec non ſuffocantes parvulos ex negligentia in lecto, vel extra.* -- Tertius dicit ſicut primus, & tantum mutat ly *Aſſiſtentiam Perſonalem efficaciter*, in *Auxilium efficaciter:* & additur: *Infantium oppreſſio, ſeu ſoffocatio per incuriam, eorumque infra annum in lecto detentio abſque neceſſariis cautelis, & cuſtodia.* -- Quartus: *Homicidium voluntarium, etiam quoad mandantes, & conſilium efficaciter dantes. Procuratio abortus, tum opera, tum conſilio, etiam effectu non ſecuto.* -- Quintus: *Homicidium, & mutilatio voluntaria, nec non eorum mandatum, & conſilium, effectu ſecuto. Abortus autem etiam fœtus inanimati; & ejus procuratio, licet non ſequatur effectus. Detentio infantium in lecto, antequam annum compleant ſine cautione, a propriis Parochis præſcribenda.* -- Sextus: *Homicidium voluntarium, ſeu mandatum, vel conſilium, effectu ſecuto. Procuratio abortus, etiam effectu non ſecuto, mandatumve, conſilium, aut auxilium ad id datum.* -- Septimus: *Homicidæ voluntarii: qui homicidium mandaverint: qui operam ſuam, aut conſilium præſtiterint. Quicumque tam vir, quam mulier, etiam præter matrem, & nutricem, infantem in lecto, anno non expleto, ſine cunis, aut repagulo, tenuerit, ſi periculum ſuffocationis animadvertit.* -- Octavus: *Homicidium voluntarium, ſeu procuratio abortus, aut ſuffocatio parvulorum in lecto, vel extra.* -- Nonus: *Homicidium voluntarium, non ſolum quoad committentes, verum etiam quoad mandantes, vel conſilium efficaciter dantes.* -- Decimus: *Homicidium, vel mutilatio voluntaria, nec non eorum mandatum, ſeu conſilium efficax: atque abortus fœtus etiam inanimati, atque ejus procuratio, etiamſi non ſequatur effectus. Detentio infantium in lecto, antequam annum compleant, cum periculo ſuffocationis.* -- Undecimus: *Homicidium voluntarium, ejus juſſio, & procuratio, & conſilium, ſecuto effectu. Procuratio abortus, ſecuto effectu, & detentio parvulorum in lecto.* -- Duodecimus: *Homicidium voluntarium, membrorumque mutilatio. Abortus ex induſtria, & infantium ſuffocatio.* -- Decimus tertius: *Homicidium voluntarium: procuratio abortus fœtus tam animati, quam inanimati; mandatum, opera, conſilium ad illum procurandum, etiamſi non ſequatur effectus. Detentio infantium in*

pro-

Digitized by Google

proprio lecto ante annum completum, ſine debita cautione ad periculum ſuffocationis evitandum. -- Decimus quartus: *Homicidium voluntarium, & procuratio abortus, tum opere, tum conſilio: detentio infantium, anno minorum in lecto abſque repagulis, quæ ſuffocationis periculum prudenter removeant.* -- Decimus quintus: *Qui homicidium voluntarium commiſerint, vel committi mandaverint, aut conſuluerint: Qui ſtudioſe abortum procuraverint, conſuluerint, operamque præſtiterint; quive filios ex negligentia oppreſſerint.*

§. III. *Expenditur primus dicendi modus, ſterniturque via ad cæteros facilius explicandos.*

I. NEminem latet, Homicidium, theologice acceptum, non verificari de quacumque hominis occiſione; nam & Judex jubet malefactoris ſuſpendium, & Carnifex illud exequitur, quin dicantur homicidæ: ſignificat igitur homicidium hominis injuſtam occiſionem. Primo igitur in hac reſervatione habetur *Homicidium voluntarium*; quæ vox *voluntarii* hoc in loco multum negotii faceſſit, ob variam ſignificationem, quam habere poteſt, & quæ in præſentiarum in duplici ſenſu conſiderari poteſt: nempe vel ut ly *voluntarium* ſignificet illud voluntarium requiſitum ad peccandum mortaliter: & hoc modo videretur vox importuna, immo inutilis; cum jam neminem fugiat, non reſervari, niſi certe mortalia, & proinde niſi certo voluntaria in illa ſpecie: eapropter videtur, quod ly *voluntarium* in hoc caſu aliud ſignificatum habere debeat, videlicet quod ſit voluntarium, ideſt intentum, de induſtria commiſſum, & ex propoſito privandi vita hominem. Cum enim plures ſequantur occiſiones, & quidem lethaliter criminoſæ, quæ tamen non proficiſcuntur ex voluntate determinata occidendi, ſed vel ex culpabili inadvertentia, & negligentia, vel etiam contra intentionem peccantis, qui tam grave malum nec intendit, neque ullo modo vult; quamvis reputentur occiſiones mortales, & proinde ſufficienter voluntariæ; idcirco ly *voluntarium* in hoc caſu videtur depoſcere, quod homicidium ſit intentum, procuratum, & quod agens operetur ex intentione occidendi: quæ doctrina, quam exiſtimo veram, eximit ab hac reſervatione plures occiſiones tametſi lethales.

II. Et primo ab hac reſervatione eximetur mater, vel nutrix illa (niſi aliunde reſervetur, ut videbimus in §. ſequenti) quæ ſuffocat infantem retentum in proprio lecto, quamvis præviſo periculo; nunquam tamen exiſtimato eventuro: quod factum deplorat irremediabilibus lachrymis.

III. Similiter ab hac reſervatione eximetur ille, qui volens vindicari de inimico, eligit ipſum aggredi, & eidem unum, vel alterum vulnus infligere, non grave, neque mortale in aliqua parte corporis, remotiore a partibus vitalibus, nolens ullo modo eidem mortem inferre, ſed quia in facto pugio ſecavit venam, aggreſſore nolente, poſt paucas horas aggreſſus miſerrime moritur. Hic aggreſſor quamvis reus homicidii ab omnibus habeatur, atque obnoxius omnibus damnis ex hac morte ſecutis, non tamen huic reſervationi, ob datam rationem.

IV. Pariter qui aggreſſus ab inimico armata manu, enſem proprium evaginat ſola intentione defendendi propriam vitam, & ut repellat fortiter inſiſtentem, compellitur ipſum ferire; at quia exit limites inculpatæ tutelæ, ex accepto vulnere aggreſſor ille moritur: aggreſſus iſte quamvis ob egreſſos advertenter limites inculpatæ tutelæ ſit occiſor; cum tamen numquam habuerit intentionem aut occidendi, aut vulnerandi mortaliter, non incurret hanc reſervationem, ob allatam rationem. Secus autem, ſi exeundo limites tutelæ, propoſuiſſet illum occidere, quia, ut patet, evaderet occiſio per ſe intenta.

V. Eodem modo Medicus, qui ob negligentiam craſſam, & lethalem in viſitatione infirmi, eſt cauſa, quod hic moriatur, eſt coram Deo reus homicidii, & omnium damnorum ex ejus morte profluentium; non tamen hujus reſervationis; quia nunquam habuit animum privandi vita infirmum; immo nec putabat, quamvis ignorantia graviter vincibili, mortem illius ſecuturam.

VI. Inquires an iſtam reſervationem incurrant Pater occidens aggreſſorem impudicum Filiæ, & Maritus occidens aggreſſorem uxoris, inventos in flagranti? Reſpondeo, juxta paulo ante dicta, quod ſi tam Pater, quam Maritus, ſine animo occidendi, ſed dumtaxat injuriam aliquo modo vindicandi, percutiant aggreſſorem illum,

illum, ex qua percuſſione moriatur, quamvis in foro conſcientiæ homicidæ habeantur, videntur ab hac reſervatione immunes, ob rationem eamdem ſupra allatam; quia in eo actu non habuerunt affectum occidendi: ſecus vero dicendum, ſi dum gladium arripuerunt, ſecum decreverunt occidere impudicos illos: & idem dicas de occiſione Uxoris infidelis, & Filiæ impudicæ ſe proſtituere volentium.

VII. Quid dicendum de illo, qui putans occidere inimicum, per errorem occidit amicum? Reſpondeo hanc occiſionem in hac reſervatione includi; quia dum v. gr. ſclopum explodit, revera intendit occidere illam Perſonam, contra quam diſplodit, & quamvis habituali intentione eam reputet Petrum inimicum, actualiter tamen vult illam, contra quam diſplodit, occidere; & propterea eſt ipſi actualiter voluntaria, & ex propoſito occiſio illa, licet ſit eidem habitualiter involuntaria occiſio illius determinatæ Perſonæ amicæ.

VIII. Sciſcitaberis, an ſi quis, inflicto alicui vulnere lethali, animo deliberato illum occidendi, facti pœnitens, antequam vulneratus moriatur, currat ad pedes Confeſſarii, poterit ne hic illum abſolvere, abſque obtenta facultate? Putarem, eſſe negative reſpondendum; quia in hac reſervatione non ponitur illa particula *effectu ſecuto*, quæ ponitur in quibuſdam aliis; & cum alioquin, ut ſupponitur, vulneratus ſit certo moriturus, hic vulnerator habendus eſt vere homicida, & cauſa efficax illius mortis, jam imminentis; idcirco mors illa cenſenda erit ut certo moraliter præſens, & proinde conſtituens vulneratorem huic reſervationi obnoxium.

IX. In hac reſervatione dicitur, *non ſolum quoad committentes, verum etiam quoad mandantes*. Quis dicatur mandans, omnes norunt: at difficultas eſt, quando qui mandavit, pœnitens retractat, & revocat mandatum; & nihilominus mandatarius illud exequitur, & occidit; quid dicendum de hoc mandante? Reſpondendum videtur ſub diſtinctione: vel enim perſonaliter revocavit mandatum; & tunc jam patet, ſolum mandatarium reum eſſe homicidii, & reſervationis, damnorum &c., cum enim tota ratio agendi reſpectu ipſius eſſet mandatum; hoc ſerio, & perſonaliter ſublato, ratio agendi fuit ſola ipſius perverſa voluntas. Idem pariter dicas in caſu, quo mandans non potuiſſet perſonaliter revocare, (ſi enim moraliter potuit, ad id tenebatur) adhibuit tamen Perſonam fide dignam, vel chyrographum propria manu ſcriptum, charactere jam noto mandatario, quibus hic tenebatur credere, & deſiſtere ab homicidio. Vel mandans uſus fuit nuncio contemptibili, qui nullius, vel modicæ eſſet auctoritatis; cum alloquin poſſet magis idoneum invenire: & tunc non videretur adimpleviſſe ſuas partes, ut impediret homicidium, mandatario urgenter commendatum; & proinde illum a reſervatione non eximerem.

X. Includuntur in hac reſervatione etiam *Conſilium dantes*; proinde ſufficiet ne ad evadendam reſervationem, ſerio revocare conſilium datum? Solutio hujus quæſiti pendet a quæſtione ſimili in materia juſtitiæ circa damna proximi; in qua aliqui excuſant a reſtituendo conſiliantem, qui ſimplici revocatione conſilium datum retractavit: verum alii ſapientius diſtinguunt; & diſtinctio hæc deſervit pro præſentis quæſiti ſolutione: ſi enim conſilium fuerit mere approbativum, in quo nulla fuerit adducta ratio inducens ad homicidium; concedo, quod ſufficiat ſeria ejuſdem retractatio: at ſi in conſilio fuerit adducta ratio aliqua valde movens humanam malitiam ad occidendum; & tunc non eſt verum, ſufficere ſimplicem revocationem conſilii dati, ſed inſuper requiritur, quod in revocatione afferantur rationes elidentes motiva anterius allata, quæ a ſimplici revocatione non eliduntur; & alioquin conſiliatus vi dictorum motivorum fuit inductus, aut confirmatus ad homicidium perpetrandum; & in hoc caſu conſilians non eximetur a reſervatione, niſi afferat dicta motiva, quæ convellant motiva priora: ſi autem revera hæc motiva afferat, quæ tollant & evertere debeant anteriora: tunc cum motiva anteriora non ſint amplius in conſiliato ratio agendi; convincitur, quod ratio agendi ſit ejus malitia & indocilitas, quæ cedere debebant motivis noviter allatis, & quod ipſe, & non conſiliator, teneatur reſervatione. Demum quando conſiliator accedit ad volentem occidere, & illum invenit omnino firmatum in hac intentione, ita ut ejus conſilium ſit penitus ſuperfluum, & aſſerere poſſit coram Deo, quod conſilium nullum influxum habuerit in occiſione; neque in hoc caſu hac reſerva-

tio-

Digitized by Google

tione tenebitur, cum verum ſit, quod ſuum conſilium, *efficaciter*, ut loquitur hæc reſervatio, in occiſionem influxum non habuerit.

XI. In hac reſervatione includuntur etiam *Aſſiſtentiam perſonalem efficaciter præſtantes:* idcirco quæres, an famulus, qui gravi metu adactus, & juſſus ab Hero, comitatur iſtum pergentem ad occidendum, armis inſtructus, qui tamen, nullum habet animum percutiendi, aut Herum adjuvandi, quinimo cupit, ne homicidium ſequatur, quod tamen ſecutum fuit, quin Famulus gladium vagina eximeret; hæc famuli aſſiſtentia perſonalis erit ne cenſenda reſervata? Videtur reſpondendum ſub diſtinctione: vel enim Herus ille, etiam ſine famuli aſſiſtentia, ad occidendum perrexiſſet, vel non: ſi revera perrexiſſet, non apparet, aſſiſtentiam illam, efficacitatem habuiſſe ab hac reſervatione poſtulatam; quia adhuc ſine illa homicidium ſecutum fuiſſet: ſi autem Herus, ſine famuli comitatu non perrexiſſet, hoc ipſo aſſiſtentia famuli influxiſſe convincitur in homicidium, & proinde reſervationi erit obnoxia. Neque opponas: quando ex actione mea, penitus ſine animo facta, indirecte tantum ſequitur homicidium, juxta ſuperius dicta, non ſum reus hujus reſervationis: igitur neque quando ex aſſiſtentia mea penitus ſine animo præſtita, ſequitur homicidium, ero in hac reſervatione incluſus. Reſpondeo, concedendo, quod pro aſſiſtentia tua non eris reus homicidii reſervati in hoc caſu, ob defectum voluntarii ſupra explicati; & negando, quod non evadas reus aſſiſtentiæ Perſonalis reſervatæ: aliud eſt, quod ſis reus homicidii in hoc caſu reſervati; & aliud, quod ſis reus aſſiſtentiæ reſervatæ: homicidii reſervati reus non es, quia nunquam illud intendiſti, es tamen reus aſſiſtentiæ reſervatæ, quippe quod influxum efficacem habueris præſentia tua in homicidium, ut probavi; id autem ſufficit, ut aſſiſtentia tua evadat reſervata, ut apparet ex verbis caſus. Neque te excuſat metus gravis, quo adactus fuiſti; quia metus non tollit voluntarium ſufficiens ad peccatum mortale, ut oſtendimus Tract. 3. cap. 2. §. 3. Cum igitur metus ille relinquat, voluntariam fuiſſe aſſiſtentiam tuam, & ſimul verum ſit, eam efficaciter influxiſſe, non eris immunis ab hac reſervatione, in qua comprehenditur, nedum homicida volens occidere, verum etiam volens efficaciter aſſiſtere perſonaliter.

XII. Procul dubio in hac reſervatione includitur abortus fœtus animati de induſtria procuratus; cum ſit verum homicidium: (de quo dicetur in §. ſequenti). Et nota, ſemper præſumendum eſſe maſculum, juxta praxim Romanæ Curiæ, a Naldo relatam: maſculus autem animatur, ut volunt aliqui, quadrageſimo die a ſui prima conceptione. In hanc igitur reſervationem incidunt, præter agentes, etiam mandantes, & conſulentes, & perſonalem aſſiſtentiam efficaciter præſtantes. At quid de pharmacopola potionem componentem, quam novit ad hunc effectum mandatam? etiam hic, tamquam perſonalem aſſiſtentiam efficaciter præſtans, reſervatione tenebitur, ut patet. Verum quid dicendum de non impediente, cum poſſet, imo etiam interius complacente? Hic quamvis graviter peccet, non includitur in hac reſervatione, in qua nil dicitur de non impedientibus, nec de mere interne complacentibus. Nota demum, contra procurantes abortum fœtus animati extare excommunicationem ſpecialiter Epiſcopo reſervatam, ut monui in Tractatu 8. cap. 2. §. 3. n. 5.

✠ Vide etiam, quæ eidem loco addita ſunt ad uberiorem explicationem.

§. III. *Expenduntur alii modi reſervandi ſuperius relati.*

I. IN ſecundo modo, præter *Homicidium voluntarium*, de quo late diximus, reſervatur *Abortus de induſtria procuratus, etiam fœtus inanimati, licet non ſequatur effectus: necnon ſuffocantes parvulos, ex negligentia, in lecto, vel extra.* Reſervatur ergo etiam ſola attentatio abortus cujuſvis fœtus humani, quamvis inanimati, etiam effectu non ſecuto: nil clarius dici poteſt. Quid autem ſignificetur nomine *procurationis*, putarem, quod nedum agens, verum etiam mandans, conſulens, & quovis modo efficaciter adjuvans, in hac reſervatione includatur; nam de unoquoque iſtorum verificatur *Procuratio abortus*. Item reſervatur *Suffocatio parvulorum ex negligentia in lecto, vel extra:* id quoque clarum eſt. Quando autem dicetur id evenire ex negligentia? putarem, tunc extare hanc negligentiam, quando quis infantem ſecum tenet, qui necdum annum explevit, nec apponit re-

Digitized by Google

pagula quæ hoc periculum avertere queant: & intelligitur hic caſus effectu ſecuto, & reſpectu cujuſcumque perſonæ.

II. In tertio, homicidio voluntario additur: *Auxilium efficaciter præſtans*: igitur in hac reſervatione includetur qui quovis modo efficaciter auxiliatur ad homicidium patrandum, tum opere, tum verbo. Additur etiam: *Infantium oppreſſio, ſeu ſuffocatio per incuriam; eorumque infra annum in lecto detentio, abſque neceſſariis cautelis, & cuſtodia*: igitur etiam ſola detentio in lecto ſine dictis cautelis, etiam effectu ſuffocationis non ſecuto, eſt reſervata, ſi infans annum non expleverit: & reſervatio comprehendit quamcumque perſonam retinentem in lecto infantem.

III. In quarto modo reſervatur *homicidium voluntarium, etiam quoad mandantes, & conſilium efficaciter dantes*; de quibus ſatis dictum in §. primo; cum alioquin in hac reſervatione nihil dicatur de præſtantibus aſſiſtentiam perſonalem, ſicut dicebatur in primo. Additur: *Abortus procuratio tum opere, tum conſilio, etiam effectu non ſecuto*. Quæ verba intelligenda putarem de quocumque abortu, nempe fœtus etiam inanimati; quandoquidem legislator nil diſtinguat: igitur procuratio abortus, cum verificetur etiam de inanimato, huic reſervationi ſubjicietur.

IV. In quinto dicitur: *Homicidium, & mutilatio voluntaria; nec non eorum mandatum, & conſilium, effectu ſecuto*. Mutilatio eſt reciſio alicujus membri: igitur etiam hæc; effectu mutilationis ſecuto, reſervatur. Additur: *Abortus autem etiam fœtus inanimati, & ejus procuratio, licet non ſequatur effectus. Detentio infantium in lecto, antequam annum compleant, ſine cautione a propriis Parochis præſcribenda*. Quoad abortum clariſſime exprimitur; & intelligitur de quovis procurante, quocumque modo. Quoad detentionem infantium in lecto, non reſtringitur reſervatio ad ſolum lectum, ſed extenditur ad quemvis alium locum; quo ſimul dormiatur cum infante, & cum dicto periculo, & ſine dictis cautelis. At inquires, utrum, qui bona fide uteretur aliis cautelis, ab ipſo putatis ſecurioribus, quam ſint illæ a Parocho præſcriptæ, incideret in hanc reſervationem? Reſpondeo, quod ſi revera bona fide ageret, & abſque ulla dubitatione, a reſervatione evaderet; quis enim dicat, hunc peccare mortaliter, dum procurat in conſcientia ſua negotium ſecurius agere? eſſet tamen monendus, ut præſcriptis utatur.

V. Modi ſextus, & ſepimus ex hactenus dictis remanent expenſi, ut conſideranti conſtabit. Solum in ſeptimo additur: *Si periculum ſuffocationis animadverterit*. Igitur in reſervationem hanc non incidunt, niſi tale periculum animadvertant? Ita loquitur Lex. Verum cum non animadvertere oriri poſſit ex inadvertentia craſſa, & moraliter vincibili, excuſabit ne iſta ab hac reſervatione incurrenda? Reſpondeo diſtinguendo, quod ſi ſint perſonæ revera infantem illum diligentes, & nullam omnino dubitationem mens eorum paſſa fuerit, crederem eos immunes a reſervatione: quia forte in nullo moraliter peccaverunt: ſi autem aliqua, etiam levis dubitatio eorum mentem pulſaverit, eamque diſſimulaverint; reſervatione tenebuntur; quia illa ſufficit, ad inducendam malam fidem.

VI. Quæ in octava reſervatione continentur, ſatis arbitror explicata fuiſſe quoad primam partem homicidii voluntarii. Quoad ſecundam vero partem, in qua dicitur: *Procuratio abortus*, & nil aliud, intelligitur reſervata procuratio abortus etiam fœtus inanimati; cum & hic ſit vere abortus; & intelligitur ſive ſequatur effectus, ſive non; etenim reſervatur *procuratio*, quæ vere extat, quamvis non ſequatur effectus: & extenditur ad quoſcumque quovis modo procurantes, dummodo reapſe procuraverint ſive facto, ſive dicto, ſive aſſiſtentia &c. Quoad tertiam partem, in qua dicitur: *Suffocatio parvulorum, ſive in lecto, ſive extra*: non ſufficiet igitur periculum ſuffocationis, niſi hæc ſequatur aut in lecto, aut extra.

VII. Nonus, & decimus modi reſervationis, cum ſint jam expoſitis omnino ſimiles, unus, primo expenſo in §. 1.; alter quinto, & aliis in hoc paragrapho conſideratis; ideo prætermittuntur, ne dicta repetamus. Undecimus modus, quoad homicidium, apponit: præter alias particulas in aliis expenſas, aliam peculiarem, nempe *Procurationem* homicidii; quo verbo, cum ſit ampliſſimæ ſignificationis, comprehenditur in hac reſervatione quicumque actus, quodcumque verbum, officium, ſignum, obſequium &c., qui actus ſint directi ad movendum, incitandum, promovendum, ſtabiliendum homicidium, tamen *effectu ſecuto*. Ita or-

Digitized by Google

iam reſervatur *Procuratio abortus*, *effectu ſecuto*: igitur quilibet abortus etiam fœtus inanimati, quomodocumque procuratus, & a quocumque, effectu ſecuto, erit incluſus in hac reſervatione. Tandem reſervatur *detentio parvulorum in lecto*. Hæc abſoluta locutio, puto, quod non ſignificet quamcumque detentionem, etiam ſubmoto periculo, ſicuti neque quamcumque ætatem parvuli, in qua non ſolet eſſe periculum; ſed intelligenda erit, juxta conſuetudinem Diœceſis, vel juxta explicationem legislatoris; & ſi nullæ extent, putarem, intelligi debere de detentione cum periculo, & de infante, qui annum non compleverit, ut vidimus in aliis.

VIII. Duodecimus reſervationis modus ſimiliter reſervat *Homicidium voluntarium*, *membrorumque mutilationem*; & cum nullum perſonarum genus ſignificet, ſive mandantis, ſive conſiliantis &c., compellimur dicere, quod comprehendat ſolos occidentes, & mutilantes. Additur *Abortus ex induſtria*, *& infantium ſuffocatio*: & hæc quoque duo crimina, ex vi verborum, reſervata videntur reſpectu dumtaxat illa operantium; eo quia, ut notavi, nullum indicetur perſonarum genus. Suffocatio autem, ſive in lecto, ſive extra contingat, reſervatur, quæ videtur poſtulare effectum ſecutum; nam verbum *ſuffocatio* denotat factum, & non ſolum periculum.

IX. Decimus tertius ita dicit: *Homicidium voluntarium. Procuratio abortus fœtus ſive animati, ſive inanimati, mandatum, opera, conſilium ad illum procurandum, etiamſi non ſequatur effectus. Detentio infantium in proprio lecto, ante annum completum, ſine debita cautione ad periculum ſuffocationis evitandum*. Omnia ſunt expenſa in anteadictis. Circa homicidium, videtur, ſolos occidentes comprehendere: non ita circa abortum; cum expreſſe comprehendantur nedum agentes, verum etiam cooperantes, mandantes, conſiliantes ad illum procurandum pro quovis fœtu, etiam effectu non ſecuto. Circa detentionem infantium, nil addendum ſuperius dictis. Similiter loquitur modus decimus quartus circa homicidium: circa abortum autem comprehendit ſolos agentes, & conſiliantes: & circa detentionem infantium, eodem modo loquitur ac modus præcedens, eodem pariter modo explicandus.

X. Decimus quintus circa Homicidium, comprehendit committentes, mandantes, & conſiliantes; de quibus ſatis dictum. Circa Abortum reſervat ſtudioſam ejuſdem procurationem, conſilium, & cooperationem; quæ putarem intelligenda effectu ſecuto; & quidem fœtus etiam inanimati, cum Legislator nil diſtinguat. Circa Infantium detentionem, reſervat oppreſſionem ex negligentia, & reſtringit ad oppreſſionem filiorum: eapropter ſi quis ex dicta negligentia (de qua ſupra dictum fuit) parvulum, qui non ſit filius, opprimat, crederem eximi ab hac reſervatione; quod ſapientioribus judicandum ſubmitto.

* Auctor *ſupra num.* 6. expendens & explicans ſecundam caſus octavi partem hiſce conceptam verbis: *Procuratio abortus*, aſſerit, quod incurritur reſervatio ſive ſequatur effectus, ſive non; etenim, *ait*, reſervatur *procuratio*, quæ vere extat, quamvis non ſequatur effectus, & extenditur, *ſubdit*, ad quoſcumque quovis modo procurantes, dummodo reapſe procuraverint ſive facto, ſive dicto, ſive aſſiſtentia. *Num.* autem *præced.* ad examen vocans, ac declarans ſecundam partem caſus decimiquinti ita expreſſam: *Qui ſtudioſe abortum procuraverint*, *conſuluerint*, *operam præſtiterint*, putat hæc intelligenda effectu dumtaxat ſecuto, ſeu cenſet quod reſervationi non reddatur obnoxius, qui revera ſtudioſe abortum procuraverit, conſuluerit, operamque præſtiterit, niſi effectus ſequatur. Hæc inter ſeſe minime congruere videntur; eundem namque ſenſum omnino referunt utriuſque caſus verba; ac etiam in hoc poſtremo verificatur, quod extet ſtudioſa procuratio &c. quanquam non ſequatur effectus. Itaque vel in neutro, vel in utroque caſu incurritur reſervatio. In his vero ſimilibuſve caſibus, noſtro quidem judicio, mens inveſtiganda eſt Reſervantis, ut omnis de medio dubitatio auferatur. Vide quæ in anteriori Editione addidimus inferius, nempe *cap.* 11. §. 3. *poſt. num.* 2.

CAPUT IX.

CIRCA

PECCATA LUXURIÆ.

§. I. *Referuntur varii modi Reſervationis.*

PRimus modus ita loquitur: *Fœdiſſimum Sodomiæ ſcelus, & quicumque concubitus conſummatus contra naturam*, -- In ſecundo dicitur: *Fœdiſſimum Sodomiæ ſcelus; Abuſus Fœminarum; & crimen beſtialitatis*. -- In tertio dicitur: *Qui cum Brutis coierint; & qui fœdiſſimum ſodomiæ etiam imperfectæ ſcelus commiſerint*. -- In quarto dicitur: *Beſtialitas, crimenque Sodomiæ*. -- In quinto dicitur: *Puberum Sodomia, & Beſtialitas*. -- In ſexto dicitur: *Omnis carnalis concubitus contra naturam conſummatus*. -- In ſeptimo dicitur: *Crimen Sodomiæ: item Beſtialitas, & etiam tactus cum beſtiis ſi refertur ad pollutionem, & pollutio ſequatur*. -- In octavo dicitur: *Fœda cum beſtiis commixtio, & omnes concubitus contra naturam conſummati, quoad mares puberes*. -- In nono dicitur: *Beſtialitas, Sodomia quoad agentes; nec non quilibet concubitus contra naturam cum fœminis, quoad mares tantum*. -- In decimo dicitur: *Beſtialitatis, & Sodomiæ peccatum conſummatum, & active commiſſum*. -- In undecimo dicitur: *Qui nefandum Sodomiæ peccatum tam active, quam paſſive commiſerint, vel cum brutis coierint*.

§. II. *Expenditur primus modus; aperiturque via ad cæteros brevius explicandos.*

I. SOdomia communiter cum Cajetano in Summula verbo *Sodomia*, definiri ſolet: Coitus inter perſonas ejuſdem ſexus. Cum igitur hæc ſit ſodomiæ eſſentia, quamvis mihi ſit approbanda diſtinctio ſodomiæ in ſodomiam proprie talem, & in improprie talem; & dumtaxat proprie talis cenſeatur reſervata; non tamen mihi approbanda videntur omnia exempla a multis allata, ad hanc diſtinctionem explicandam. Nam quoties verificatur coitus conſummatus inter perſonas ejuſdem ſexus, toties reputanda erit vera & propria ſodomia: igitur quando inter duos maſculos, aut inter duas fœminas id contingat, ſive præpoſtere, ſive anterius ſe conjungant, erit verum. & proprium ſodomiæ ſcelus conſummatum, & reſervatum. Etenim, ut optime obſervat Joannes della Val in ſuo Compendio Bonacinæ, verbo *Sodomia*, in ſodomia proprie accepta peccatur contra ſexum, & inde infert, quod quando mas præpoſtere conſummat copulam cum fœmina, quamvis non ſervet vas debitum, ſervat tamen ſexum debitum, nempe fœmineum; & ideo hæc eſt ſodomia impropria: quando ergo neque ſervatur vas, neque ſexus, tunc erit ſodomia proprie dicta, & reſervata; ac proinde quando duo mares, vel duæ fœminæ congrediuntur modis ſupradictis, erit ſodomia proprie accepta, & reſervata. Vide P. Gabrielem Antoine de Luxuria, ubi de Sodomia diſſerit.

II. Nomine *Concubitus contra naturam* ſignificantur, præter omnes paulo ante dictos congreſſus, etiam quicumque alii congreſſus non naturales, ſive cum perſonis humanis, ſive cum quibuſvis aliis ſuppoſitis viventibus diverſæ ſpeciei ab humana, puta cum beſtiis ſive mares ſint, ſive fœminæ, quod peccatum vocatur beſtialitas; ad quam reducitur etiam congreſſus cum dæmone, ſive incubo, ſive ſuccubo; qui congreſſus habent etiam ſpeciem peccati, juxta qualitatem perſonæ, ſub cujus forma diabolus apparet; puta adulterii, ſi perſonæ conjugatæ; inceſtus, ſi conjunctæ &c. contrahit; hi omnes congreſſus conſummati, ſunt in hac reſervatione incluſi.

III. Quæres an Irrumatio, quæ eſt quidam congreſſus immanis deformitatis, quo membrum virile introducitur in os humanum ſive maris, ſive fœminæ, & in eo conſummatur pollutio, (heu monſtra humanæ libidinis!) ſit in hoc caſu reſervata? Affirmative reſpondendum arbitror; quia eſt quoddam horribile ſcelus, genuſque copulæ contra naturam a diabolo excogitatum, atque in corda quorumdam hominum, qui ſunt portenta libidinis, inductum. Et nota, quod ut reſervatio in omnibus hactenus indicatis modis peccandi incurratur, ſufficit, ut in agente conſummatio ſequatur.

IV. Interrogabis: an quando duo mares, vel duæ fœminæ a parte ante congrediuntur, ſit neceſſaria conſummatio in utriſque, pro reſervatione? Reſpondeo negative, ſed ſufficit, ut in alterutro eo-

Digitized by Google

rum ſequatur; quia cum uterque eorum ſit ſimul agens, & patiens, ſufficiet, ut in alterutro conſummatio ſequatur, ut crimen verificetur conſummatum.

V. Fortaſſe deduces: igitur quando impuberes vel ſodomitice, vel aliquo ex dictis modis congrediuntur, non incident in hanc reſervationem? Reſpondendum videtur concedendo; nam ſi conſummatio conſiſtat in ſeminis reſolutione, cum impuberes ſint inhabiles ad illam, non poterit verificari peccatum conſummatum. Conſulto locutus ſum ſub conditione, ſi conſummatio conſiſtat &c.; nam quibuſdam videtur, quod conſummare peccatum carnis in eo formaliter conſiſtat, quod ſaturetur præſens libido, ſive ſemen effluat, ſive non: dummodo præſens libido exſaturetur, pro quanto ſtatui illius perſonæ poteſt convenire: quod an verum ſit, Sapientioribus decernendum relinquo; cum alioquin huic doctrinæ non adverſer.

VI. Poſito quod conſummatio conſiſtat in ſeminis reſolutione, ſi impubes, malitia in ipſo ætatem ſupplente, ſemen emittat in aliquo relatorum caſuum, tenebitur ne hac reſervatione? Vidi aliquos reſpondentes negative; quia dicunt ipſi, per accidens eſt quod impubes ille operetur ut pubes. Sed longe probabilius reſpondendum eſt affirmative; de ipſo namque verificatur totum id quod ab hac reſervatione poſtulatur; cur igitur erit eximendus? an forte ſalacius ejuſdem temperamentum, & procacior libido eidem favere debebunt?

VII. Quid dicendum de carentibus utroque teſte, ſi perpetrent aliquod ex ſupra dictis criminibus? Putarem reſpondendum, eos non eſſe ab hac reſervatione eximendos, tum quia; etiam concubitus naturalis pro ipſis eſt contra naturam; cum ſint inhabiles ad propagationem ſpeciei; tum quia illum conſummant pro quanto poſſunt, ut dixi num. 5. neque de facili putandum eſt, Legiſlatorem favere voluiſſe concupiſcentiæ effræni hujuſmodi generis hominum; ſed de hoc iterum in capit. ſequenti.

VIII. Quæres, utrum qui ad ſupradicta flagitia committenda abutitur cadavere humano, aut belluino, huic reſervationi ſubjaceat? Reſpondeo negative: peccat quidem coram Deo, & affective peccato ſpeciei correſpondentis individuo, quo abutitur, & ſpecie illius peccati, quale eſſet ſi corpora illa eſſent animata; & tenetur in confeſſione explicare actus impudicos a ſe factos, & ſpeciem cadaveris, quo abuſus fuit; immo etiam qualitatem perſonæ, ſi eſſet cadaver humanum, puta Virginis, conjugatæ; minime tamen hanc reſervationem incurreret, quæ afficit dumtaxat actus proprie, & formaliter tales, qui niſi cum viventibus proprie perpetrantur. Dices, in qua ergo ſpecie peccati reponendus eſt actus hujuſmodi? Reſpondeo in ſpecie mollitiei, ſicut contingit in eo, qui abutitur ſtatua aliqua, aliove inſtrumento inanimato; tenetur tamen fateri qualitatem ſtatuæ, ob ſpeciem quam tribuit affectui pravo, ſicuti qui ſe polluit cum imaginatione alicujus perſonæ; qui & realiter mollitiem committit, & mentaliter, v. g. adulterium, perpetrat.

§. III. *Expenduntur alii modi reſervationis ſupra relati.*

I. IN ſecundo præter ſcelus Sodomiæ, reſervatur *abuſus fœminarum, & crimen beſtialitatis*. De ſodomia, ſatis dictum. Quoad abuſum fœminarum, putarem intelligendum eſſe de ſolo actu fœdiſſimo cum illis perpetrato; alioquin nimis extenderetur hæc lex, ſi de omni actu, de quo verificatur abuſus fœminæ, eſſet intelligenda, ut patet; igitur ad ſolam ſodomiam eſt reſtringenda: & pariter de crimine beſtialitatis dicendum eſt, nempe reſervationem reſtringi ad ſolum coitum beſtialem. Eodem modo loquitur etiam tertius modus dicens: *Qui cum brutis coierint, & fœdiſſimum ſodomiæ, etiam imperfectæ, ſcelus commiſerint*. Intelligendo nomine ſodomiæ imperfectæ illam, quæ dici ſolet impropria, ut animadvertimus in §. 2. n. 1. nempe viri cum fœmina, in quarto modo reſervatur Beſtialitas, crimenque ſodomiæ, de quibus jam ſatis dictum in §. 2.

II. Sciſcitaberis, an quando reſervatur Sodomiæ ſcelus, quin aliud addatur, comprehendantur tam agentes, quam patientes? Reſpondendum puto affirmative; nam quando Legiſlator non ſe declarat, nec reſtringit, ſicut aliqui faciunt, ut vidimus, & videbimus; ſed loquitur abſoluae; & cum alioquin ſodomiæ ſcelus utrumque requirat, nempe tam agentem, quam patientem; uterque ergo in reſervatione includentur.

III. In quinto ſimiliter reſervatur ſodomia, & beſtialitas; at in ſodomia, ut re-

ſervetur, requiritur pubertas, dicendo *Puberum ſodomia:* verum inquires, an uterque debeat eſſe pubes? Putarem ſufficere, ut agens ſit pubes, ut ipſe reſervationi ſubjiciatur; a quo eximendum crederem patientem, ſi ipſe pubes non ſit. In ſexto dicitur: *Omnis carnalis concubitus contra naturam conſummatus*, de quibus ample diximus in §. 2. In ſeptimo reſervatur præter ſodomiam, & beſtialitatem, *etiam tactus cum brutis, ſi referatur ad pollutionem & pollutio ſequatur*: omnia ſunt clara, quin indigeant explicatione.

IV. In octavo reſervatur beſtialitas, ſodomia, & quicumque concubitus contra naturam, quæ debent eſſe *conſummata*: reſervatur item ſodomia impropria viri cum fœmina; quæ omnia reſervantur dumtaxat *quoad mares puberes*. Et nota quod in aliquibus Diœceſibus reſervatur *beſtialitas etiam conſummata*. Nonus modus ſimiliter reſervat beſtialitatem, & ſodomiam *quoad agentes* tantum: reſervat item *quemcumque concubitum contra naturam cum fœminis*, ſed ſolum *quoad mares*. At inquires, utrum; quod non raro evenit; quando mas incipiendo copulam naturalem ob aliquod motivum, deſiſtendo a conjunctione, conſummat extra vas naturale, debeat cenſeri concubitus contra naturam, & inde reſervatus? crederem, ita eſſe affirmandum; cum certe ſit concubitus, qui evadit contra naturam, utpote a generatione data opera devius. In Decimo reſervatur crimen beſtialitatis, & ſodomiæ conſummatæ, ſolum *active commiſſæ*, In undecimo demum reſervatur *ſodomiæ peccatum tam active, quam paſſive commiſſum, & coitus cum brutis*.

C A P U T X.

CIRCA

CRIMEN INCESTUS.

§. I. *Referuntur varii modi reſervationis.*

I. PRimus modus ita dicit: ***Inceſtus in primo, & ſecundo gradu Conſanguinitatis & in primo Affinitatis, & Cognationis ſpiritualis: & quicumque actus, vel attentatio malitioſa cum filia ſpirituali***. -- Secundus dicit: *Inceſtus in primo, & ſecundo gradu Conſanguinitatis; & etiam concubitus inter cognatos ſpirituales; quilibet actus inboneſtus, & quælibet attentatio malitioſa ad turpia cum filia ſpirituali*. -- Tertius hæc habet: *Inceſtus in primo, & ſecundo gradu Conſanguinitatis, vel Affinitatis, nec non cognatione ſpirituali conjuncti; quo in caſu comprehendi etiam volumus peccatum, ſeu quemcumque actum luxuriæ externum inter Confeſſarium, & Filiam Spiritualem*. -- In quarto ita dicitur: *Inceſtus, quoad mares, in primo & ſecundo affinitatis, vel conſanguinitatis gradu; & quæcumque impudicitia peracta, aut quovis modo attentata cum perſona, cujus confeſſionem Sacramentalem audierit*. -- In quinto dicitur: *Inceſtus puberum in primo, & ſecundo conſanguinitatis gradu, & in primo affinitatis, etiam ex ſpirituali cognatione; & omnis actus luxuriæ Confeſſarii cum ſua pœnitente, vel pœnitentis cum ſuo Confeſſario, ſive ſæpius, ſive ſemel tantum Sacramentum pœnitentiæ ab eo ſuſceperit*. -- In ſexto dicitur: *Inceſtus in primo, & ſecundo gradu conſanguinitatis, aut affinitatis, vel inter ſpirituali cognatione attinentes*. -- In ſeptimo dicitur: *Inceſtus tam in primo quam in ſecundo gradu. Quælibet impudicitia peracta, vel quomodolibet malitioſe attentata cum filia ſpirituali; necnon ſollicitatio in confeſſione ad turpia ex parte pœnitentis*. -- In octavo dicitur: *Quælibet impudicitia, etiam ſolum attentata, vel etiam verbalis cum propria pœnitente; hæc etiam quoad maſculos*. -- In nono dicitur: *Inceſtus, quoad mares puberes, ex conſanguinitate in primo, & ſecundo, affinitate in primo gradu; ac etiam ex cognatione ſpirituali. Lapſus carnis, & omnes actus venerei externi Confeſſarii cum ſua pœnitente*. -- In decimo dicitur: *Inceſtus in primo, & ſecundo gradu conſanguinitatis, & affinitatis, necnon copula cum cognata cognatione ſpirituali, vel legali*.

§. II. *Expenditur primus modus, ut exinde cæteri brevius explicentur.*

I. NOmine Inceſtus ſignificatur congreſſus, & quidem conſummatus inter marem, & fœminam, conſanguinitate,

Digitized by Google

te, vel affinitate conjunctos intra eos gradus, intra quos nequit matrimonium valide iniri; contractique uſus prohibetur. Quoad conſanguinitatem, poſt legem Conciliorum Lateranenſis IV., & Tridentini, gradus illi ſunt tantummodo quatuor: quoad affinitatem autem ortam ex copula conjugali, ſunt ſimiliter quatuor: ortam vero ex copula illicita, ſunt duo tantum gradus: & de his omnibus videre potes Tract. 14. Capite de Matrimonio §. 18., & §. 25., ne hic inutiliter repetantur.

II. Cum Conſanguinitas ſit vinculum, ſeu conjunctio Perſonarum, quæ per carnalem generationem ab eodem propinquo ſtipite, ſeu principio deſcendunt; idcirco in hoc caſu reſervatur inceſtus in primo, & ſecundo gradu conſanguinitatis, videlicet copula conſummata inter Patrem, & Filiam, vel inter Matrem, & Filium, ſive legitimi ii ſint, ſive non: en primus gradus conſanguinitatis in linea recta: tum inter fratrem, & Sororem, itidem ſive tales ſint ex legitimo matrimonio, ſive extra matrimonium legitimum, modo progeniti ſint ab eodem Parente, quamvis ab altero Parente tantum, ut colligitur ex *Cauſ.* 35. *q.* 10. *c. ſi cujus*: En primus gradus, ſed in linea collaterali. Reſervatur præterea copula conſummata inter Avum ſive Paternum, ſive Maternum, & inter Neptem, vel inter Aviam itidem ſive Paternam, ſive Maternam, & Nepotem: en ſecundus conſanguinitatis gradus in linea recta: tum inter Patruum, & Filiam Fratris, vel inter Amitam, & Filium Fratris; ac rurſus inter Avunculum, & Filiam Sororis, vel inter Materteram, & Filium Sororis; ac denique inter Filium, & Filiam vel duorum Fratrum, vel duarum Sororum, vel inter Filium Fratris, & Filiam Sororis, ſeu inter Filium Sororis, & Filiam Fratris, qui Patrueles, vel Conſobrini vulgo, ſeu italice *Germani* appellari ſolent; qui omnes conjuncti invicem ſunt ſecundo conſanguinitatis gradu in linea collaterali, vel æquali, ut ſic dixerim, ut contingit in Patruelibus, ſive Conſobrinis, vel aſcendentium, & deſcendentium, ut accidit inter Patruum, vel Avunculum, & Neptem, vel inter Amitam, vel Materteram, & Nepotem.

III. Circa Affinitatem, cum ipſa ſit propinquitas perſonarum, orta ex copula carnali conſummata; & oriatur dumtaxat inter mulierem, & conſanguineos viri, & inter virum & conſanguineos mulieris; quando oritur, ut dixi, ex copula licita, ſeu conjugali, extenditur uſque ad quartum gradum incluſive: in hoc caſu reſervatur inceſtus inter affines tantum in primo gradu, puta inter Privignum, & Novercam, inter Socerum & Nurum, inter Virum uxoris, & iſtius Sororem, ideſt Fratriam, vulgo *cognata*, vel inter Uxorem Viri, & iſtius Fratrem, ideſt Levirum, vulgo *cognato*: & hæ affinitates, ut vides, oriuntur ex copula licita conjugali. Reſervatur etiam inceſtus in primo gradu, ortus ex copula illicita: puta ſi homo copulam habeat cum Matre, aut Sorore, aut Filia mulieris a ſe carnaliter cognitæ; ſicut etiam quando mulier copulam habeat cum Patre, aut Fratre, aut filio hominis, qui cum illa copulam habuit; quia cum in hac reſervatione reſervetur inceſtus in primo tantum gradu affinitatis; quin dicatur ex qua copula ortus, ſequitur, quod iſta, cum ſit vera affinitas, includatur in reſervatione.

IV. Interrogabis, an maritus, qui copulam conſummatam habet cum Sorore uxoris ſuæ, vel uxor quæ talem copulam habuit cum fratre mariti ſui, poſſint, donec diſpenſentur, licite petere debitum ab uxore, vel marito reſpective? Reſpondeo cum communi quod reus non poſſit licite petere debitum; eo quia petat inceſtuoſe; quandoquidem evaſerunt, ex vi dictæ copulæ, ſibi invicem affines, & ſi petant, & conſumment, incidunt in hanc reſervationem. Reddere autem debitum innocenti, & petenti, non eſt reo illicitum; quandoquidem innocens non amitat jus ſuum petendi. Conſulto dixi *innocenti*: ſi enim vel uxor, vel maritus operam ſuam contuliſſet ad talem inceſtum, tum revera participaſſet in reatu illius inceſtus, neque petenti reddendum eſſet debitum; quia non eſſet amplius innocens, & jus petendi amiſiſſet, donec diſpenſetur ab habente facultatem diſpenſandi.

V. Inquires, quis habeat facultatem diſpenſandi cum conjuge reo inceſtuoſo? Reſpondeo, hanc diſpenſationem impertiri ab Epiſcopo, noviſſime probat ex multis auctoribus doctiſſimus Pater Ferraris in ſua Bibliotheca Canonica Verbo *Debitum conjugale* Artic. 2. num. 9. Poſſe eam largiri etiam Regulares, & illos præcipue, qui a Generali, vel Provinciali deputati fue-

re,

Digitized by Google

re, non minus docte quam mature, omnibus perpenſis, probat idem Auctor loco citato num. 12. uſque ad 22., ubi concludit his verbis: *Hinc dicto privilegio Confeſſarii Regulares, abſque ulla ſpeciaſi licentia, in foro conſcientiæ uti poſſunt; præſertim cum in diſpenſatione ad petendum debitum non agatur de valore Sacramenti, ſed tantum de honeſtate actus:* hæc ille ex Reiffenſtuel. Ego tamen eo non uterer ſine deputatione ſupradicta.

VI. Quæres, an inceſtus ortus ex conſanguinitate mere uterina, ſeu ex parte ſolius matris, huic reſervationi ſubjaceat? Reſpondeo cum communi affirmative, ex Cauſa 35., quæſt. 10., canone *ſi cujus*; quia etiam conſanguinitas mere uterina dirimit matrimonium; igitur ſunt veri conſanguinei; & proinde inceſtus inter eoſdem eſt reſervatus.

VII. Quæres denuo, an copulam habens cum perſona, quæ ignoratur eſſe conſanguinea, aut affinis, & poſt factum dignoſcitur eſſe talis, incidat in reſervationem? Reſpondeo, juxta qualitatem hujus ignorantiæ, eſſe diverſo modo reſolvendum: ſi enim hæc ignorantia fuerit affectata, & veluti conſulto quæſita, procul dubio juxta omnes non eximit a reſervatione, quia hæc ignorantia in jure æquivalet ſcientiæ. Si fuerit ignorantia revera invincibilis, juxta omnes eximit a reſervatione; quia efficit inceſtum non formaliter, & in ſpecie morali talem, ſed mere materialiter. Si vero fuerit ignorantia craſſa, & vincibilis, quia imprudenter dubium repulerit, cum haberet motivum dubitandi; cenſetur mala fide egiſſe; & idcirco poſt compertam veritatem, reſervatione tenetur.

VIII. Circa ſecundam partem hujus caſus, quæ eſt de inceſtu ſpirituali inter conjunctos affinitate ſpirituali, quæ definitur: *Propinquitas perſonarum, orta ex Sacramentis Baptiſmi, vel Confirmationis, quæque exurgit inter baptizatum & baptizantem; inter baptizantem & baptizati genitores; inter Patrinos & baptizati genitores; (& idem eſt de Confirmatione)* copula conſummata inter has perſonas eſt reſervata.

IX. At ſciſcitaberis, an quando tenetur infans per Procuratorem, contrahat hanc cognationem Procurator, aut Principalis abſens; & conſequenter ſi copula committatur, quis eorum reſervationi ſubjiciatur? Reſpondeo juxta dicta loco ſupracitato n. 7. cum probabiliori, Principalem contrahere cognationem; quia Procurator non agit nomine proprio, ſed nomine principalis, qui dicitur tangere phyſice baptizatum, per tactum phyſicum ſui Procuratoris. Imo ita declaraſſe Sacram Congregationem Concilii in una Veronenſi 29. Martii 1582., & 15. Martii 1631. referunt Gallemart, Nicolius, & alii apud laudatum Ferraris Verbo Baptiſmus artic. 7. n. 17. Solus ergo Principalis in caſu reſervatione tenetur.

Ex hac ſententia, quam Auctor propugnat, quæque verior nobis apparet, ut & communior, nempe quod qui per Procuratorem puerum ſuſcipit, ſpiritualem contrahat cognationem, ſequitur, quod ſi Civitas aliqua infantem de fonte ſacro per aliquem a ſe deputatum levaret, tunc ſinguli, qui ejuſdem Civitatis corpus conſtituunt, prædictam cognationem contraherent, ſingulique proinde huic reſervationi forent obnoxii, ſi crimen, de quo agitur, perpetrarent, vel cum baptizato, vel cum illius Parente.

X. Interrogabis item, an qui perſonaliter tenet infantem in Baptiſmo privato, cognationem contrahat, ut exinde, accedente copula, &c.? Reſpondeo, quod quamvis multi Doctores graves, nempe Sotus, Navarrus, Suarez, & alii docuerint hujuſmodi Patrinum contrahere cognationem; & propterea etiam ego in prima editione ita ſcripſerim loc. cit. n. 8., tamen reſpondendum eſt, in dicto Baptiſmo privato cognationem a Patrino minime contrahi, ut & ego emendavi in ſecunda editione; quia ita definitum fuiſſe a Sac. Congregatione Concilii refert laudatus Ferraris loc. cit. n. 20.: illam tamen contrahit baptizans in dicto baptiſmo privato quamvis ſit perſona laica, & quamvis baptizet in neceſſitate: ita ex Capite *Pervenit* 1., Cauſa 30., quæſt. 1. Propterea ſi concubinarius baptizet filium ſuæ concubinæ, ne obeat ſine baptiſmo, contrahit cum illa cognationem; & ſi poſt hoc factum illam carnaliter cognoſcat, hanc reſervationem incurrit. Excipitur dumtaxat legitimus maritus, qui in neceſſitate baptizat propriam prolem, qui cognationem non contrahit cum ſua uxore, ex privilegio expreſſo in Capite *ad limina* 7. Cauſa 30., quæſt. 1.

XI. Cum, ex ſupradictis, tenens infantem in baptiſmo privato cognationem non contrahat, inquires tertio, an illam contrahat Patrinus, qui, non in baptiſmo jam privatim collato, ſed in ſolis ſolemni-

tatibus

Digitized by Google

tatibus tenet infantem, ne dicatur infans carere patrino: ac proinde ſi accidat copula &c., incidat in hanc reſervationem? Reſpondeo cum Communi, neque hunc tenentem in ſolis ſolemnitatibus contrahere cognationem; ita declarante Sac. Congregatione Concilii 13. Julii 1624. & in his caſibus per accidens eſt, infantem carere patrino: ea propter ſi copula accidat, non eſt reſervata.

XII. Inquires iterum. Cum ad munus Patrini non poſſint deſignari duo ejuſdem ſexus ex Tridentino, quid dicendum in caſu, quo eſſent duo ejuſdem ſexus, quorum unus ageret nomine proprio, alter eſſet Procurator alterius?

Reſpondeo ex Declaratione Sacræ Congregationis Concilii 29. *Martii* 1582. cum diſtinctione. Si Perſona illa, cujus vices Procurator gerit, ſit diverſi ſexus a Perſona, quæ nomine proprio agit, tunc & hæc Perſona, & illa Principalis, cum duo ſint diverſi ſexus, cognationem cum infante baptizato, hujuſque Parentibus juxta leges Eccleſiæ contrahent. Si autem præfata Perſona principalis agens per Procuratorem, ſit ſexus ejusdem cum Perſona, quæ agit nomine proprio, cum ex Eccleſiæ legibus, duæ Perſonæ ſexus ejuſdem nequeant in Patrinos eligi, ſola illa, quæ agit nomine proprio, cognationem prædictam contrahet; rationabilius enim eſt, ut cum una ſola contrahere poſſit, illa quæ agit immediate contrahat potius, quam illa, quæ agit per alium; proinde juxta hanc diſtinctionem, ſi præfati copulam committant incurrent, aut non hanc reſervationem.

XIII. Interrogabis ulterius: quando ex duobus Patrinis diverſi ſexus deſignatis unus tangit infantem, & alius tantum aſſiſtit, quin tangat, contrahet ne hic cognationem? Reſpondeo cum Sac. Congregatione, ſolum tangentem contrahere illam, ita in una Cremonenſi, teſte doctiſſimo Fagnano in Capite *Veniens* 6., de Cognatione ſpirituali n. 8. Sed quid dicendum, ſi ille qui non tangit, dum infans baptizatur, illum tamen detulit ad Baptiſmum? Reſpondetur ex Sac. Congregatione Epiſcoporum, in una S. Marci 13. Februarii 1593., neque hunc contrahere cognationem, niſi tangat, dum baptizatur. Imo declaravit Congregatio Concilii, contrariam conſuetudinem eſſe abuſum. Demum quid dicendum, dum v. gr. Commater ſuſcipit infantem jam baptizatum de manu Compatris, contrahet ne cognationem? Reſpondetur negative, quia nec levat, neque ſuſcipit de ſacro fonte ſed poſt completam baptiſmi functionem: ita Sac. Congregatio Concilii 27. Septembris 1602: unde ſi ſequatur copula, non incurret hanc reſervationem.

XIV. Sciſcitaberis: ſi Fidelis baptizet, vel teneat ad Baptiſmum filium infidelium non baptizatorum, (ut paſſim evenit, dum baptizantur filii Judæorum, & Turcarum) vel e contra infidelis baptizet, vel teneat filium genitorum fidelium, contrahent ne reſpective cognationem cum Genitoribus eorumdem? Reſpondetur cum S. Thoma in 4. ſent. diſt. 4. q. 2. art. 3., quæſtiuncula 1., ad 3. negative, contra Gloſſam Canonis 1., Cauſa 30. quæſt. 1. Angelico adhærent quamplurimi graves, quos inter Navarrus, Barboſa, Fagnanus, Valentia, Sanchez, Gonzalez, & noviſſime Cardinalis Petra, & præcipue Sotus, qui in 4. ſent. diſt. 42., quæſt. 1. art. 3. Concluſione 2. ita breviter & urgenter digerit rationem allatam a S. Doctore his verbis: „ Gloſa Canonis 1., Cauſa 30.. quæſt. „ 1. illud affirmat; at vero S. Thomas hic „ meritiſſime negat; neque in dubium re„ vocari debet: quoniam fundamentum co„ gnationis ſpiritualis eſt eſſe ſpirituale, „ quod per regenerationem Baptiſmi ſuſci„ pi - us; & ideo ſicut non baptizatus ba„ ptizans nullam contrahit cognationem cum „ baptizato; ita ex adverſo nec baptiza„ zatus ullam cognationem contrahit cum „ non baptizato: hæc ille. “

XV. At quid dicendum, ſi Genitores, poſt factum, convertantur ad fidem, & baptizentur, tunc germinaret ne noviter iſta cognatio? Varia eſt Doctorum opinio: videtur Gravioribus niti opinio affirmans; qui ſunt Archidiaconus, S. Antoninus, Roſella, Angelus, Cajetanus, Paludanus, Toletus, & alii. Sotus autem, Petrus de Ledeſma, & alii negant. Nota, quod ſi vellent iſti contrahere matrimonium, profecto exponendus eſſet caſus S. Sedi, & inde attendere oraculum, quid agendum eſſet. Pro caſu autem noſtro, cum probabilior, ſaltem probabilioritate extrinſeca, videatur opinio affirmans, petenda eſſet facultas pro abſolutione in caſu copulæ.

XVI. De Hæreticis autem communiter aſſeritur, quod ſi invitentur, & quidem illicite, ad munus Patrini, cognationem contrahant, ut inter cæteros docent Thomas Sanchez, Reginaldus, Bonacina, Fagna-

Digitized by Google

gnanus, Petra, & alii; quia jam baptiſmum ſuſceperunt, ſuper quo, ut audivimus ex S. Thoma, fundatur cognatio ſpiritualis; eapropter copula perpetrata ſubjiceretur huic reſervationi.

XVII. Quoad tertiam partem hujus caſus in qua reſervatur *quicumque actus, vel attentatio malitioſa ad turpia cum Filia ſpirituali*. In primis jam vides, Legiſlatorem expreſſe loqui de Filia, non de Filio ſpirituali. Nomine autem Filiæ ſpiritualis putarem intelligi de filiatione fundata in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ, (ut videre eſt in aliis reſervationibus). Propterea ſi quis Sacerdos dirigeret mulierem aliquam in via ſpirituali, & nunquam illius confeſſionem audiſſet, neque ipſe vere diceretur illius Pater ſpiritualis, neque ipſa ejuſdem ſpiritualis filia. Ut autem quis dicatur Pater ſpiritualis, pro certo exiſtimo cum aliis Scriptoribus, quod ſufficiat etiam ſemel audiviſſe confeſſionem mulieris; quæ idcirco vere dici poteſt Filia, maxime ſi ſe declaraſſet, velle ipſum in Patrem ſpiritualem; propterea ſi hic aliquid, poſt hanc confeſſionem & declarationem, attentaret impudicum cum eadem, procul dubio huic reſervationi ſubjiceretur; & ſimiliter dicendum de eo qui ejuſdem mulieris plures confeſſiones audivit, etiamſi nulla declaratio interveniſſet.

XVIII. Verum inquiri ſolet, an etiam per unicam confeſſionem contrahatur hæc filiatio, nulla expreſſione adjuncta electionis in Patrem, neque ullo ſigno dato volendi eum habere in Confeſſarium habitualiter? Varia eſt Doctorum opinio, quæ varietas fundatur in varia reſolutione alterius quæſtionis, quæ eſt: an impudicitia perpetrata cum perſona proprii Confeſſarii, ſit circumſtantia mutans ſpeciem, an ſolum notabiliter aggravans? In qua quæſtione mihi ſemper placuit, mihique fuit probabilior reſolutio P. Thomæ Sanchez in tractatu de Matrimonio libro 7. diſput. 55. n. 4. videlicet quod mutet ſpeciem, & ſi acciderit copula, ſit inceſtus quidam ſpiritualis, & ſi ſit alia impudicitia, reductive pertineat ad hunc inceſtum; quam ſententiam plures ſequuntur. Hoc igitur præſuppoſito, reſolvendum videtur quæſitum propoſitum, dicendo, quod contrahatur filiatio ſpiritualis, & propterea quod attentando turpia, & multo magis perficiendo cum muliere, cui etiam ſemel miniſtravit Sacramentum Pœnitentiæ, incidat in hanc reſervationem; quia etiam per unicam confeſſionem ſubſiſtet hæc filiatio: cum enim, loquendo per quamdam analogiam ad paternitatem naturalem, iſta contrahatur per unicum actum completum, ita quoque filiatio ſpiritualis, & paternitas ſpiritualis contrahetur etiam ex una confeſſione completa.

XIX. Reſervatur autem *quicumque actus, vel attentatio malitioſa ad turpia cum filia ſpirituali*. Hæc verba, ut palam eſt, comprehendunt quamcumque actionem, quæ provocare, incitare, allicere valeat ad turpia; propterea includunt, nedum facta, & opera: ſed etiam geſtus, verba, litteras, nutus, & quodcumque aliud ſignum exterius, quod judicetur mortale, & provocans ad turpia. Ubi etiam nota, quod ly *malitioſa* intelligitur de malitia exterius ſignificata, nam malitia mere interior non ſolet reſervari; ex antedictis, præcipue in tract. 14. cap. 4. §. 10. n. 5., (niſi forte verba legis demonſtrent etiam actum interiorem reſervari, de quo dicam in cap. 12., §. 3., num. 2.) eapropter quantavis ſit malitia interior, ſi actus exterior gravis non ſit, neque malitiam interiorem ſignificet, non cadet ſub reſervatione. Exempli gratia Confeſſarius inviſit filiam febricitantem, & ardens concupiſcientia interiori erga eamdem, pulſum ejuſdem tangit, fingens ſe explorare gradum febris, imo aliquantiſper tactum malitioſe protrahit, quin aliquo ſigno ſuam malitiam, interius mortalem, denotet; hic tactus non cadit ſub reſervatione, quia totam impudicitiam interius retinet, licet in confeſſione teneatur illum exponere: ad differentiam illius, qui in dicta hypotheſi, ſine gravi malitia interiori, actum aliquem exteriorem erga eamdem infirmam, gravi malitia exteriori refertum faceret, puta detrahendo velum tegens mammillas, vel tollendo tegmina ipſam in lecto jacentem cooperientia, vel quidpiam ſimile agendo, quod a gravi attentatione exteriori, aut provocatione immune eſſe non poteſt.

XX. Verum inquires, quænam eſſe poterunt hujuſmodi ſigna provocantia, cum jam de actionibus, & attentationibus, quæ facto, aut petitione peraguntur, non remaneat locus dubitandi? Reſpondeo in primis, magnam rationem habendam eſſe ad multas circumſtantias, priuſquam definiatur quænam ſit attentatio reſervata, videlicet ad circumſtantiam ſermonum præcedentium, ad qualitatem actionum, ad ætates, & con-

& conditiones perſonarum, atque ad alia adminicula, quæ actionem, alioquin indifferentem, tamquam provocantem, condemnare poſſunt; ſicuti ex adverſo actionem alioquin forte ex natura ſua provocantem tamquam indifferentem a reſervatione abſolvere: idcirco, ſalvo ſapientiori judicio, reſervationi ſubjectum crederem illum, qui cum filia ſpirituali, etiam extra confeſſionale, loqueretur de factis, & actionibus graviter obſcœnis modo nimis aperto, terminis lubricis, quamvis nihil ab ea peteret, neque aliquid ab ea exigere velle ſignificaret; quia hujuſmodi ſermones, verbis apertis, & inverecundis expreſſi, inter perſonas diverſi ſexus, & præcipue inter Confeſſarium, & mulierem pœnitentem, graviter incitant ad libidinem, turpeſque delectationes. Item illum, qui Filiam induceret ad ſibi nudandum pectus, quamvis ſe declarando, nil aliud velle, niſi venuſtatem illius admirari; quia etiam hæc actio ex parte utriuſque eſt vehementer alliciens, nedum ad impuras delectationes, verum etiam ad turpia peragenda; & reſpectu talium perſonarum graviter turpis. Item illum, qui, quamvis ſub joci ſpecie, manum de repente injiceret in ſinum filiæ ad tangendum mammillas; quia etiam actio iſta præcipue in talibus perſonis, eſt graviter provocans ad turpia. Item illum, qui filiæ diceret, ſe illam ardenti amore deperire, vel ipſam diu noctuque fixam in corde retinere, vel de ipſa in ſomniis delectari; jam patet vehemens provocatio ad turpes delectationes, & affectiones ſenſuales. Item illum, qui ejuſdem pulchritudinem extollendo, diceret adeo eximiam eſſe, ut oculos intuentium obſtringat, & cunctorum corda rapiat; ſeſeque vulneratum fateretur: ex his loquendi modis jam liquet bitumen venereum exhalari. Item illum, qui annueret oculo, vel aliquo alio exteriori ſigno, ut filiam ſeorſim traheret, indicando ſe velle ſecum aliquid agere, quod ſaltem prudentem ſuſpicionem ingerat alicujus impudicitiæ attentandæ: quandoquidem omnes iſti modi tractandi cum Filia, aliique conſimiles, videntur non poſſe purgari a gravi provocatione ad impudicas delectationes, affectiones, atque actiones, unde a reſervatione non eximunt, etiamſi per ſolam epiſtolam ſignificentur.

XXI. Quid dicendum in caſu, quo non Confeſſarius, ſed Filia prima eſſet ad illum incitandum ad turpia, ipſeque aſſentiretur, vel ſtatim facto, vel condicto tempore? Putarem etiam in hoc caſu ipſum incidere in reſervationem; nam cum reſervatio includat *quemlibet actum impudicum*, nec poſtulet, quod ipſe ſit primus, nec ne, cum vere aſſenſu ſuo, & facto compleat impudicitiam a filia promotam, reſervationi ſubjicitur; immo etiam ſi facto non compleret, ſed dumtaxat ſolo aſſenſu exterius explicato promitteret; quia etiam tunc peccat peccato gravi externo impudicitiæ cum Filia, exterius eidem ſignificando, ſe velle eidem aſſentiri.

XXII. Quæres demum an Parochus, peccans aliquo ex dictis modis cum ſua parochiana, includatur in hac reſervatione; cum videatur Pater ſpiritualis omnium ovium ſuæ parœciæ? Reſpondendum videtur, quod, niſi Sacramentum Pœnitentiæ ſaltem ſemel eidem miniſtraverit, vel illam Sacro Baptiſmate abluerit, ex mero titulo Parochi, non teneatur hac reſervatione; quia non videtur extare fundamentum hujus filiationis. Paternitas namque, & Filiatio, ex ſolo titulo Parochi, eſt nimis late accepta: eapropter Parochus, ut talis, magis proprie dicitur Paſtor, Rector, & Cuſtos Parœciæ, non vero in tota proprietate Pater, eo quod fœminam illam nullo modo ad gratiam regenerarit: in quo ergo fundabitur filiatio, quæ ſit proprie talis? Tum etiam, quia in aliis reſervationibus ſtatim explicandis, nominantur *Confeſſarius*, *Pœnitens*; unde putarem, Legiſlatores loqui de filiatione fundata in Sacramento Pœnitentiæ, vel, ad ſummum etiam in Sacramento Baptiſmi.

§. III. *Expenduntur alii modi ſuperius relati hujus reſervationis.*

I. IN ſecundo modo hujus reſervationis ſupra relato continentur ea omnia, quæ in primo hactenus tradidimus; & additur dumtaxat *ſecundus gradus affinitatis:* proinde reſervatur nedum copula ver. gr. inter Socerum & Nurum, verum etiam inter Socerum & filiam Nurus ex altero marito; & ita reſpective applices ad alios affines in ſecundo gradu. Dicitur inſuper: *ac etiam concubitus inter cognatos ſpirituales*. Ubi obſervandum occurrit, quomodo Legiſlator non utitur verbo *inceſtus*, ſicuti vidimus in primo caſu;

Digitized by Google

caſu, ſi enim reſervaret has turpitudines inter cognatos ſpirituales ſub nomine *inceſtus*, cum hic nequeat verificari proprie, niſi inter virum, & mulierem, non daretur locus dubitandi, an de iſtis ſolis loquatur; at cum, relicto verbo *inceſtus*, aſſumat verbum *concubitus*, ſub quo nomine comprehenduntur etiam conjunctiones impudicæ inter mares, relinquitur locus prudenter dubitandi, utrum in hac reſervatione includantur etiam concubitus innaturales inter mares; &, ut verum fatear, puto eos includi; non enim Legiſlator uſus fuiſſet ea voce, niſi hos concubitus contra naturam ſignificare voluiſſet, cum vox *inceſtus* ſatis ſignificaret ſola crimina inter marem, & fœminam: utendo igitur voce *concubitus*, deveniendo ad Cognatos ſpirituales, nedum inceſtuoſam copulam ſpiritualem, ſed etiam concubitus innaturales inter mares ſpirituali cognatione conjunctos comprehendere voluit.

Itidem hoc in caſu comprehendi cenſemus ſodomiam imperfectam inter ipſas Perſonas cognatione ſpiritali fœderatas perpetratam; ſiquidem & hæc dubio procul eſt concubitus innaturalis.

II. In tertio modo nil eſt dicendum, quod iu primo & ſecundo modo non fuerit expenſum. In quarto modo manifeſte reſervatur inceſtus in primo, & ſecundo gradu conſanguinitatis, & affinitatis, dumtaxat *quoad mares*: & quod attinet ad Filiam ſpiritualem, jam dictum habes in §. antecedente, limitando expreſſe filiationem ortam ex Sacramentali confeſſione, dicendo: *cujus confeſſionem Sacramentalem audierit*. In quinto modo quoad Filiam ſpiritualem reſervatur peccatum nedum reſpectu Confeſſarii, verum etiam reſpectu Filiæ; cum clare dicat; *& omnis actus luxuriæ confeſſarii cum ſua pœnitente, vel pœnitentis cum ſuo confeſſario*: & majoris claritatis gratia, addit: *ſive ſæpius, ſive ſemel tantum Sacramentum Pœnitentiæ ab eo ſuſceperit*. In ſexto modo, nil ſupereſt expendendum.

III. In ſeptimo modo additur: *necnon ſollicitatio in confeſſione ad turpia ex parte pœnitentis*, quibus verbis Legiſlator manifeſte intendit ſollicitationem, quæ a pœnitente fieret erga confeſſarium, & quidem ex confeſſione. Ex quibus verbis inquires duo; primum, an ſi mulier ſollicitet quidem confeſſarium in confeſſionali: ſed non in confeſſione; incurrat reſervationem? Secundum, an ſi ſollicitans confeſſarium in confeſſione ſit mas, ſubjiciatur huic reſervationi? Ad primum videtur reſpondendum negative; nam ſtando in verbis legis, ſollicitare in confeſſionali, non eſt idem ac ſollicitare in confeſſione; etenim ſi ſollicitans eſſet infirma lecto detenta, & in confeſſione ſollicitaret confeſſarium, dubio procul reſervatione teneretur, quamvis non eſſet in confeſſionali: Ulterius ſollicitare in confeſſionali eſt profanare locum; ſollicitare autem in confeſſioue eſt profanare Sacramentum; quæ quantum ab invicem diſtent, non eſt qui non videat. Ad ſecundum reſpondendum videtur pariter negative; quia quamvis ly ex parte pœnitentis æque ſignificet tam marem, quam fœminam; tamen ſi conferantur anterius dicta cum his quæ ſequuntur, videtur Legiſlator loqui velle ſupra idem ſubjectum; ſubjectum autem anterius fuit fœmina, & non mas; ideo de fœmina quoque locutus prudenter, & rationabiliter creditur etiam in hac poſtrema parte; & pœnitentis voce ſignificare voluiſſe fœminam pœnitentem. Nihilominus ab aliquibus judicatur, comprehendi etiam marem; quia Legiſlator uſus fuit voce pœnitentis, comprehendente & fœminam, & marem.

IV. Octavus modus hæc habet: *Quælibet impudicitia, etiam ſolum attentata; vel etiam verbalis cum propria pœnitente, hæc etiam quoad maſculos*. Jam patet, quoad pœnitentem fœminam; cum in §. primo explicaverimus has attentationes. At forte dubitabis, an particula *hæc etiam quoad Maſculos*, ly *hæc* referatur ad ſolam impudicitiam verbalem, aut ſignificet, quod omnia illa reſerventur etiam quoad maſculos? Reſpondetur, verba illa eſſe intelligenda in hoc ſecundo ſenſu, videlicet quod tota illa reſervatio extendatur etiam reſpectu maſculorum: & rationabiliter: ſi enim ly *hæc* denotaret ſolam impudicitiam verbalem, & non actualem, imprudens appareret reſervatio; dum reſervaret quod judicatur minus, & a reſervatione eximeret, quod eſt gravius; id autem de ſapiente Legiſlatore nec ſuſpicandum eſt.

V. Nonus modus includit in reſervatione ſolos mares puberes, dicendo: *Inceſtus quoad mares puberes ex conſanguinitate in primo, & ſecundo, ex affinitate in primo gradu*. Igitur ab hac reſervatione eximuntur mulieres quoad inceſtum carnalem; & addit: *& etiam ex cognatione ſpiri-*

tual.

tuali. Hinc ſtatim exurgit dubium, an etiam in inceſtu ſpirituali ſoli mares in reſervatione includantur? Putarem, affirmative reſpondendum, cum hæc reſervatio immediate ſequatur primam, & eadem periodo concludatur; prima pars expreſſe ſolos mares puberes afficit; per copulativam illam *& etiam ex cognatione ſpirituali* in eodem ſenſu, & de eodem perſonarum genere apparet quod Lex loquatur; ac proinde ſolos mares puberes huic reſervationi eſſe obnoxios.

VI. Decimus modus reſervat inceſtum carnalem in primo, & ſecundo gradu conſanguinitatis, & affinitatis, de quibus diximus ſupra num. 1. deinde reſervat copulam *cum cognata ſpirituali, vel legali.* Circa cognatam ſpiritualem, jam ſatis dictum. Circa Cognatam legalem, vide quæ tradidimus in Tract. 14. cap. 7., §. 18.; ex quo loco quædam neceſſaria huc transfero. Cognatio legalis eſt conjunctio, ſeu propinquitas Perſonarum, orta ex adoptione perfecta; qua perſona aliqua aſſumitur in Filium, aut Filiam, aut Nepotem, & deinceps, tamquam hæredem neceſſarium; & perſona ita aſſumpta tranſit in patriam poteſtatem aſſumentis, ſeu adoptantis, & hæc cognatio legalis, ſicuti pro ſemper dirimit matrimonium inter adoptantem & adoptatam, inter adoptantem & adoptatæ poſteros uſque ad quartum gradum incluſive; inter adoptantem, & uxorem adoptati, & inter adoptatum & uxorem adoptantis; inter adoptatum vel adoptatam, & filios vel filias adoptantis, at non pro ſemper, ſed dumtaxat quouſque liberentur a patria poteſtate, aut per mortem adoptantis, vel per legitimam emancipationem; quæ omnia ſunt deprompta *ex capite unico de Cognatione legali*: ſicut igitur hæc cognatio inter indicatas perſonas dirimit matrimonium; ita efficit, ut copula inter eaſdem ſit legaliter inceſtuoſa, quæque in hac reſervatione includitur. Nota, quod ut hæc cognatio contrahatur, requiritur adoptio perfecta, legaliter facta auctoritate Principis &c., de quo videre potes, ſi libet, S. Thomam in Supplemento qu. 57.

* Vide etiam inferius *cap. 7. de Matrimonio* §. 18.

CAPUT XI.

CIRCA ALIA PECCATA CARNALIA

SPECIALIBUS DEFORMITATIBUS AFFECTA.

§. I. *Recenſentur hæc peccata, a pluribus diverſimode reſervata.*

PRimus modus ita loquitur: *Carnalis copula cum Infidelibus.* -- Secundus: *Qui Virgines vi, aut dolo defloraverint.* -- Tertius: *Parentes qui poſt ſponſalia induxerint, vel conſenſerint, filias ſuas cum ſponſis commiſceri, ante contractum matrimonium in facie Eccleſiæ; & ipſimet Sponſi, ſi ſe ita cognoverint.* -- Quartus: *Copula carnalis, poſt ſponſalia, ante legitimum matrimonium.* -- Quintus: *Virginum, aliarumque fœminarum Raptus.* -- Sextus: *Stuprum violentum.* -- Septimus: *Copula, poſt ſponſalia, etiamſi clandeſtina, matrimonio nondum celebrato, quoad mares tantum.* -- Octavus: *Qui Virginem, aut honeſtam mulierem rapuerit, aut per vim vitiarit.* -- Nonus: *Defloratio Virginum per vim, deceptionem, aut falſam promiſſionem facta: Fornicatio inter ſponſos ante celebratum in facie Eccleſiæ matrimonium; & multo magis conſenſus Parentum, aut Majorum, puellæ cuſtodum, in hoc delicto.* -- Decimus: *Carnalis copula cum muliere quacumque ſoluta, ante contractum in facie Eccleſiæ matrimonium, ſub ſpe, aut cum promiſſione futuri matrimonii.* -- Undecimus: *Stuprum, aut vi, aut dolo commiſſum. Raptus cujuſcumque honeſtæ fœminæ aut vi, aut dolo. Lenocinium Parentum ad deflorationem filiæ, aut mariti ad adulterium uxoris. Cohabitatio eorum, qui vixerunt in concubinatu, dum copula fuerit cum ſcandalo; etiamſi aſſerant, ſe caſte vivere. Copula ſponſorum, ante matrimonium, etiamſi ſequatur ex privata promiſſione.* -- Duodecimus: *Copula inter ſponſos ante contractum matrimonium per verba de præſenti; quoad mares.* -- Decimus tertius: *Defloratio Virginis cum ficta promiſſione nuptiarum.*

Digitized by Google

tum. *Publicus concubinatus*. *Parentes filias*, *mariti uxores*, *cæterique honeſtas fœminas proſtituentes*. - - Decimus quartus: *Pater*, *aut Mater*, *aut Vir*; *qui conſenſerint*, *ut filia*, *aut uxor ſe proſtituant*.

§. II. *Expenditur primus reſervationis modus circa infideles*.

I. Nomine copulæ carnalis intelligitur copula naturalis conſummata; nomine vero Infidelium, intelliguntur ſoli non baptizati, nempe Judæi, Turcæ, Gentiles, ſeu Pagani; & etiam Apoſtatæ baptizati, ſi univerſæ Chriſtianæ fidei, & legi abrenunciarint; ut profiterentur Judaiſmum, Maometiſmum, Paganiſmum: & propterea nullius ſectæ hæretici verum baptiſmum admittentes hic ſignificantur. Nota, huic reſervationi ſubjici tam hominem fidelem habentem copulam cum fœmina infideli, quam mulierem fidelem congredientem cum homine infideli.

II. De duobus dumtaxat Perſonarum generibus ſciſcitandum occurrit, nempe de Catechumenis, & de Spadonibus: de Catechumenis quidem, quia nondum ſunt fidelium cœtui aggregati per Baptiſmum; & alioquin fide ſunt imbuti, eamdemque etiam profitentur, & Sacramentum deſiderant. De Spadonibus etiam; qui cum non valeant copulam conſummare, videntur exempti a reſervatione, quæ loquitur de copula conſummata. Quoad Catechumenos, profecto infidelibus, ſtricto in ſenſu acceptis, accenſeri non debent, cum & myſteria revelata credant, & Baptiſmo flaminis, & forte etiam perfecta contritione ſint donati, gratiaque habituali: & propterea ſub hoc aſpectu conſiderati, infideles dici minime debent; tamen hæc omnia procedunt in foro interiori, & divino: at ſi ſpectentur relative ad forum Eccleſiæ, quamvis locum ſegregatum teneant in Eccleſia, eoſdem Fidelium agmini nondum accenſet Eccleſia, donec ſancto lavacro expientur; ea propter ſi caſu contingat, Catechumenum repentina morte corripi, illius cadaver in Eccleſia non ſepelitur; unde ſi homo fidelis cum catechumena, vel e contra, copulam habeant, puto reſervatione teneri.

III. Quod attinet ad Spadones, ne ſingulariter opinari videar, dico, Auctores eoſdem a reſervatione ſubtrahere. At fateor, mihi incredibile apparere, Legiſlatorem æquiſſimum ac piiſſimum velle exemptionis privilegio donare homines iſtos, quia quamvis ſeminis effuſione copulam perficere nequeant, eam tamen complent & conſummant expleta ſua libidine: imo hujuſmodi homines, quibus venus dominatur, quo remotiores ſunt a prægnationis periculo, eo audaciores ſunt in aggrediendis matronis, & virginibus; teſte Spiritus Sancti oraculo, Eccleſiaſtici cap. 20. ver. 2. *Concupiſcentia Spadonis devirginabit juvenculam*; idcirco in caſu, eoſdem non abſolverem ſine obtenta facultate.

§. III. *Expenduntur alii modi Reſervationis circa alia peccata, ſuperius relati*.

I. In ſecundo reſervationis modo reſervatur *Defloratio Virginum*, *vi*, *aut dolo*: Materia igitur hujus reſervationis, eſt Virginum defloratio. Hæc defloratio contingit per copulam etiam non conſummatam, dummodo frangatur ſigillum virginale. Pro hac reſervatione requiritur, quod hæc defloratio contingat vi, aut dolo. Nomine vis non intelligitur ſola violentia actualis exterior, ſeu corporalis, puta quod puella retineatur, ligetur &c., ſed ſufficit quod vis moraliter inferatur per minas, incutiendo ei timorem alicujus gravis mali, aut damni, niſi aſſentiatur; puta quod diffamabitur, calumnia gravi affligetur; lucris, quibus vitam honeſte tranſigit, privabitur; aut per conſimiles modos, libertati graviter nocentes. Nomine *doli* intelligitur quæcumque fraus, quodcumque mendacium, quodcumque falſum artificium, valens renitentem inducere ad aſſenſum, qui alioquin non daretur, niſi extaret *vis*, aut *dolus*. Itaque ſi vir, alias actiones impudicas perpetret citra deflorationem; aut ſi deflorans crimen committat abſque ulla vi, aut ullo dolo, ſed utatur ſolis precibus, non incurrit hanc reſervationem. At inquires: ſi preces eſſent valde inſtantes, & importunæ? Reſpondendum ex his quæ traduntur a Theologis in tractatu de matrimonio, & diſtinguentibus preces in communes, & qualitatibus quibuſdam affectas: preces communes, quantumvis inſtantes, neque vim, neque dolum ullum afferunt: at preces qualitate aliqua affectæ, vim quandam afferre poſſunt. Exempli gratia preces prodeuntes a viro gravi, qui pluries indicavit verbis a ſe prolatis, ſe velle hanc virginem pau-

pe-

Digitized by Google

perem dotare, quin promiſerit: ipſamque precibus aggrediatur, & inſtet ad copulam ſecum habendam; ipſaque timens, ſi illum abſolute, & repetitis viribus repellat, ne amplius illam dotet, hoc timore ſubacta, cedat; putarem, hunc rogantem vim quamdam ſuis precibus virgini attuliſſe, & huic reſervationi ſubjectum: ex hoc exemplo alia deducas.

II. Tertius reſervationis modus hæc habet: *Parentes, qui poſt ſponſalia contracta induxerint, vel conſenſerint, filias ſuas cum earum ſponſis commiſceri, ante contractum matrimonium in facie Eccleſiæ; & ipſimet ſponſi, ſi ſe ita cognoverint*. Clara ſunt omnia: & nota, quod ad reſervationem incurrendam reſpectu Parentum, ſufficit ut conſenſerint, etiamſi per accidens copula non ſequatur; quia jam conſummarunt actionem, nempe conſenſum, qui eſt actio pro ipſis reſervata. Nota item, ſolos Parentes, & non alios Majores hic notari; & reſpectu Sponſorum requiri copulam. In quarto modo patet, ſolos ſponſos committentes copulam reſervatione affici: & nota, toties ab ipſis incurri reſervationem, quoties renovatur copula. In quinto additur: *Nec non Raptus Virginum, aliarumque Fœminarum*. Raptus nomine, intelligitur abductio violenta fœminæ de loco ad locum, vel matrimonii contrahendi, vel explendæ libidinis cauſa. Præterquam quod Raptus ſit impedimentum dirimens matrimonium, afficitur etiam hac reſervatione. Debet igitur eſſe violenta abductio contra voluntatem fœminæ raptæ; ſi enim ipſa voluntarie ſinat, ſe rapi, raptor ab hac reſervatione evadit. In quinto dicitur: *Stuprum violentum Virginum, aliarumque fœminarum raptus*: Jam de utriſque diximus, dum explicuimus deflorationem violentam, in qua proprie conſiſtit ſtuprum: & Raptum pariter explicuimus paulo ante: Verum inquires, an ſi quis raperet Virginem, cum qua tamen ſtuprum non committeret, aut mulierem raperet, cum qua nil impudicum perpetraret, teneretur ne hac reſervatione? Reſpondeo, quod cum in hac reſervatione reſervetur ſtuprum reſpectu Virginum; qui illam raperet, abſque ſtupro, videretur ab hac reſervatione eximendus; quia in caſu reſervatur ſtuprum violentum, & non raptus, reſpectu virginum. Ad ſecundum reſpondeo, quod ſi mulierem raperet, quamvis nil impudicum committeret, afficeretur reſervatione, in qua reſervatur raptus reſpectu mulierum, quin aliquid dicatur de actibus impudicis. In ſexto, jam ſatis dictum circa *ſtuprum violentum*.

Auctor ſupra cap. VIII. §. III. n. X. expendens caſum reſervatum his verbis, ut refertur §. I.: *Qui homicidium voluntarium commiſerint, vel committi mandaverint, aut conſuluerint. Qui ſtudioſe abortum procuraverint, conſuluerint, operamque præſtiterint &c.* putat quæ circa abortum exprimuntur eſſe intelligenda duntaxat effectu ſecuto, atque adeo reſervationem minime incurrere qui abortum ſtudioſe procurant, conſulunt, operamque præſtant, ſi effectus non ſequatur: hic vero æſtimans, momentoque ſuo ponderans caſum tertium ſic §. I. expoſitum: *Parentes, qui poſt ſponſalia induxerint, vel conſenſerint, filias ſuas cum ſponſis commiſceri ante contractum matrimonium in facie Eccleſiæ &c.* cenſet quod ad reſervationem incurrendam reſpectu Parentum ſufficit, ut conſenſerint, etiamſi per accidens copula non ſequatur, quia jam conſummarunt actionem, nempe conſenſum, qui eſt actio pro ipſis reſervata; quæ profecto inter ſe cohærere non videntur; cum, ut nobis quidem apparet, in utroque caſu ſit idem omnino ſentiendum ob omnimodam, quæ inter utrumque intercedit, ſimilitudinem. Nam & qui ſtudioſe abortum procurant, conſulunt, operamque præſtant, conſummant actionem quæ reſervata eſt. Quare vel in utroque, vel in neutro caſu reſervatio incurritur, ſi ſola actio ponatur, & non ſequatur effectus. Sententia autem noſtra eſt, in his ſimilibuſve caſibus exquirendam eſſe, atque indagandam Reſervantis mentem, an velit ſolummodo reſervatam actionem dum ſequitur affectus, an etiam dum effectus non ſequitur.

Cum juxta D. Thomam 2. 2. *q.* 154. *art.* 7. *qualitercumque violentia adſit, ſalvetur ratio raptus*; ſi raptus fiat contra voluntatem Parentum, ſeu Tutorum dumtaxat, etſi non contra voluntatem fœminæ abductæ, inveſtiganda quoque videtur mens Reſervantis, an velit reſervatum ſolummodo raptum, quo fœmina invite per violentiam abducitur, an vero etiam raptum, in quem fœmina abducta ſponte & libere conſentit, & in quo ſolum violentia parentibus, vel Tutoribus infertur, Nam in quinto caſu *raptus Virginum*, *alia-*

aliarumque Fœminarum abſolute, & abſque ulla diſtinctione reſervatur.

III. In ſeptimo dicitur: *Copula poſt ſponſalia, etiamſi ſint clandeſtina, matrimonio non celebrato, quoad mares tantum*. In hac reſervatione duo ſunt peculiaria; nempe quia reſervat copulam poſt celebrata ſponſalia, quamvis clandeſtina; quod Legiſlator poſuit majoris claritatis gratia, ne tranſgreſſores a clandeſtinitate evaſionem ſperarent. Cæterum in omnibus reſervationibus hujus caſus, quamvis non apponatur hæc particula, quod reſervatur copula poſt ſponſalia etiam clandeſtina, & privata, nihilominus etiam in aliis reſervationibus ſubintelligitur reſervata; nam eo ipſo, quod in omnibus dicitur; *copula inter ſponſos* &c., reſervata, intelligitur copula inter quoſcumque ſponſos, ſive ſint tales per ſponſalia ſolemnia, ſive per privata inter ipſos ſolos celebrata, cum etiam iſta ſint vere ſponſalia valida. Secundum peculiare eſt, quod hanc copulam reſervat quoad mares tantum.

IV. In octavo dicitur: *Qui Virginem, aut honeſtam Fœminam rapuerit, aut per vim vitiarit*. De raptu jam ſatis diximus ſupra, tam Virginis, quam honeſtæ Fœminæ: ubi notandum, quod ut hæc reſervatio incurratur, Fœmina rapta debet eſſe honeſta; nam ſi eſſet ſcortum, non incurreretur reſervatio: quod non eſt verum in aliis reſervationibus, in quibus dicitur, ut in quinto: *Raptus Virginum, aliarumque fœminarum;* quo verbo ſignificatur raptus cujuſcumque fœminæ, quantumvis impudica fuerit; quia per hanc reſervationem voluit Legiſlator tueri in aliis fœminis libertatem, quæ, per raptum, qui eſt violenta abductio, ſemper gravi injuria afficitur; unde cum nullam qualitatem requirat in fœmina, quæ rapitur, ſufficiet, eſſe fœminam violenter abductam; ut reſervatio incurratur: In iſta autem reſervatione requiritur in rapta honeſtas. Quoad ſecundam partem in qua dicitur, *aut vi vitiarit*, requiretur vis in copula habita cum virgine, aut honeſta fœmina, ideſt quod copula habeatur, ipſa nolente, & reſiſtente; nec ſufficiet ſolus dolus, aut ſola fraus, aut deceptio falſæ promiſſionis &c., quarum hæc reſervatio non meminit, cum ſolius vis mentionem faciat.

V. In nono dicitur: *Defloratio Virginum per vim, deceptionem, aut falſam promiſſionem*, de quibus ſatis dictum ſupra. *Fornicatio inter ſponſos, ante celebratum in facie Eccleſiæ matrimonium:* etiam de hoc ſatis dictum, animadvertendo, comprehendi tam mares, quam fœminas, ut patet; *& multo magis conſenſus Parentum, aut Majorum puellæ cuſtodum in delicto*; etiam de hoc ſatis diximus; notando, in hac reſervatione comprehendi non tantum Genitores, ſed etiam alios Majores quoſcumque puellæ cuſtodes. Decimus modus hæc habet: *Carnalis copula cum muliere quacumque ſoluta, ante celebratum in facie Eccleſiæ matrimonium, ſub ſpe aut promiſſione futuri matrimonii*: quæ reſervatio, ut puto, eſt intelligenda de copula obtenta ſub ſpe falſo, aut vere inſinuata, aut promiſſione ſive vera, ſive ficta matrimonii.

VI. In undecimo plura dicuntur: *Stuprum aut vi, aut dolo commiſſum*, de quo ſatis dictum n. 1. *Raptus cujuſcumque honeſtæ fœminæ, aut vi, aut dolo*; etiam de hoc ſatis dictum; dummodo applicentur ad hunc raptum dicta de vi, aut dolo reſpectu ſtupri n. 1. *Lenocinium Parentum ad deflorationem filiæ:* hæc ſunt de ſe clara, dummodo obſerves, Legiſlatorem loqui de defloratione filiæ, quæ ſi caſu fuiſſet jam deflorata, lenocinium parentum ad novam copulam non caderet ſub reſervatione: ſicut nec lenocinium aliarum perſonarum non Genitorum, reſervatur: quemadmodum neque lenocinium pro altera virgine, quæ non ſit filia: *Aut mariti ad adulterium uxoris*. Interrogabis: quid dicendum, ſi tam parentes, reſpectu filiæ, quam maritus, reſpectu uxoris diſſimularent, permitterent, fingerent, ſe non animadvertere? Puto, quod non poſſet dici vere lenocinium: nam, leno cooperatur poſitive, & non mere negative ſe habendo. *Cohabitatio eorum qui vixerunt in concubinatu, dum copula fuerit cum ſcandalo, etiamſi aſſerant, ſe caſte vivere*. Jam apparet his verbis, Legiſlatorem velle eradicare ſcandalum concubinatus notorii, quod revera nunquam penitus tollitur, niſi ſequatur integra totalis, & conſtans ſeparatio, abſque eo quod quidquam proſit proteſtatio de caſto contubernio; idcirco ſapiens Legiſlator, judicans hanc cohabitationem grave ſcandalum gignere, eam reſervationi ſubjacet. *Copula Sponſorum ante matrimonium, etiamſi ſequatur ex privata promiſſione ſponſalium, vel matrimonii*: de quibus omnibus ſatis jam diximus. In modo duodecimo hæc copula reſervatur *quoad mares* tantum.

VII. In decimo reſervatur *Defloratio Virgi-*

Digitized by Google

ginum cum ficta promiſſione nuptiarum: ſi igitur deſloretur ob alia motiva, declinatur hæc reſervatio. *Publicus concubinatus*, de quo & jam patet, & dictum fuit. *Parentes Filias, mariti Uxores, cæterique honeſtas fœminas proſtituentes*; de quibus omnibus jam dictum fuit. Solummodo nota, quod quicumque proſtituens honeſtam fœminam ſive virgo ſit, ſive non, huic reſervationi ſubiicitur; atque ſtrictiori jure Parentes reſpectu filiarum, & mariti reſpectu uxorum. Neque putes, hanc reſervationem declinare, ſi proſtituens ſit Mulier, quæ alteram honeſtam, aut virginem, aut non, proſtituat; quia revera includitur in hac reſervatione; cum lex reſervet Actionem proſtituendi, quin eam alliget Mari, vel Fœminæ.

VIII. In decimo quarto reſervatur: *Pater, aut Mater, aut Vir, qui conſenſerint, ut Filia, aut Uxor ſe proſtituant*; de quibus quamvis ſatis dictum, nihilominus adverte quomodo ad hanc reſervationem incurrendam non requiritur inductio, ſed ſufficit conſenſus, qui non ſolum ſit expreſſe datus, verum etiam tacitus, & implicitus, puta dum quis diſſimulat ſcire: quia quando ſilentium advertenter obſervatur a perſonis, quæ alioquin loqui, & impedire tenentur ex vi ſtatus, & officii, quo potiuntur, habetur in jure pro conſenſu expreſſo: hinc regula juris eſt: qui tacet, conſentire videtur. At ſciſcitaberis, etiam pro caſu anteriori, an proſtitutionis nomine intelligatur reſpectu filiæ etiam unica copula, & reſpectu uxoris etiam unicum adulterium: an vero requiratur continuatio in meretricatu? Reſpondeo, quod ſi attendatur ad vim vocis latinæ *proſtituere*, per illam ſignificatur agere meretricium, quod de unico lapſu proprie verificari non poteſt: proinde putarem, quod niſi Genitores, aut mariti permittant, & Filiam, & Uxorem vere ſe proſtituere, non teneantur hac reſervatione: Quandoquidem certum ſit, longe aliud eſſe concedere ut filia, aut uxor ſemel labatur cum uno tali, & aliud, quod aut cuilibet v. gr. Nobili volenti ſe tradat, aut uni tantum ad ejus libitum & quoties voluerit, complaceat; ſi enim Legiſlator voluiſſet ſibi reſervare etiam permiſſionem unius lapſus, dixiſſet, ſibi reſervari permiſſionem deſlorationis, aut copulæ filiæ, & adulterium uxoris, quod etiam de unico actu verificaretur: at cum uſus ſit voce *proſtitutionis*, quæ ſine multiplicatione actuum proprie verificari non poteſt, propterea puto, quod niſi permittatur proſtitutio, non incurratur hæc reſervatio.

CAPUT XII.

CIRCA

PECCATA

CUM MONIALIBUS ATTENTATA.

§. I. *Recenſentur varii modi reſervandi hujuſmodi crimina.*

I. Cum in omnibus pene Diœceſibus Catholicis extent Cænobia Sacrarum Virginum Deo devotarum, & hæc ſint delicatior pars corporis Eccleſiæ: propterea ab omnibus Ordinariis, ſollicitioris cuſtodiæ earumdem gratia, ſolent reſervari peccata, quæ earum caſtitati inſidiantur: Aliqui ita primo loquuntur: *Quælibet impudicitia cum Monialibus peracta, vel quocumque modo attentata.* -- Alii ſecundo dicunt: *Violatio Monialium, nec non quælibet impudicitia cum eiſdem, colloquio, literis, nunciis, muneribus, aut aliis modis attentata.* -- Tertio alii dicunt: *Mittentes literas, munera, aut quid aliud Monialibus, vel accipientes ab ipſis ad malum finem.* -- Quarto alii dicunt: *Quodlibet colloquium cum Monialibus ad malum finem: miſſio, vel delatio literarum, aut munerum, ſeu invicem acceptatio, ad eumdem finem.* -- Quinto alii dicunt: *Accedentes ad monaſteria Monialium ad malum finem; vel in colloquiis cum Monialibus, aut Puellis educandis, dicentes verba turpia, & amatoria, aut qui mittunt, vel recipiunt, vel deferunt literas amatorias.* In ſexto dicunt: *Actus impudici, ſeu laſciva colloquia, vel literæ amatoriæ cum Monialibus.* -- In ſeptimo dicunt: *Sollicitatio, cujuſcumque Monialis, ſeu mulieris in monaſterio degentis, tam ex parte ipſarum Monialium, vel mulierum, quam aliarum perſonarum cujuſvis generis, aut conditionis ſint, colloquiis, literis, muneribus, vel quocumque alio modo ad malum finem.* -- In octavo dicunt: *Quodlibet colloquium cum Monialibus; miſſio vel delatio literarum, aut munerum, dum ſint ad malum finem.*

Digitized by Google

-- In nono dicunt: *Acceſſus ad Moniales, ſine licentia noſtra, vel abuſus licentiæ.* -- In decimo dicunt: *Quælibet impudicitia, etiam dumtaxat attentata, necnon quilibet ſermo ad inhoneſtum finem cum Monialibus, vel aliis fœminis, intra Monialium ſepta degentibus.* -- In undecimo dicunt: *Profanos ſermones, qui venerem redoleant, coram Monialibus inſtituere: coram eis turpia verba proferre; literas, aut libros id continentes ad eas mittere.* -- In duodecimo ajunt: *Qui Moniales, etiam extra clauſtra, violaverint, aut violare tentaverint.*

§. II. *Expenditur primus reſervationis modus, ſterniturque via ad alios explanandos.*

I. PRimus dicendi modus hæc habet: *Quælibet impudicitia cum Monialibus peracta, vel quocumque modo attentata.* Monialium nomine in hoc caſu ſignificantur Moniales profeſſæ cujuſcumque Inſtituti ab Eccleſia approbati. An etiam intelligantur Novitiæ, jam habitu indutæ, & annum probationis percurrentes? Videtur quod non; eo quia hæc lex ſit per ſe odioſa, & ideo non trahenda extra proprietatem ſignificationis verborum: Vide Donatum Laynenſem tom. 4. tract. 16. quæſt. 17. num. 2. Neque in hac reſervatione denotari videntur illæ Oblatæ, vel Converſæ, quæ alicubi profeſſionem trium votorum ſolemnium non emittunt, quamvis forte votis ſimplicibus teneantur; quia revera non ſunt Moniales Profeſſæ: nec multo minus quæcumque aliæ mulieres, quamvis habitu indutæ, in Monaſterio inſervientes.

II. Impudicitiæ nomine intelligitur, ut ex verbis patet, *quælibet impudicitia*. Hæc multiplex eſt, multiſque modis genericis peragitur. Datur impudicitia Oris, conſiſtens in ſermonibus graviter obſcœnis; quibus adjunguntur epiſtolæ, ſchedulæ &c. Datur impudicitia viſus, conſiſtens, reſpective ad hanc reſervationem, in viſu graviter impudico, qui a Moniali poſſit cognoſci ut talis. Datur impudicitia Oſculorum, ita ut in oſculo exterius appareat impudicus animus. Datur impudicitia Tactus, manifeſtata in tactu exterius facto graviter impudico. Qui igitur cum Moniali habet, vel eidem ſcribit, vel per nuncium mittit ſermones, & verba impudica actuum obſcœnorum, amorum, aliarumque rerum venerearum, ſubjacet huic reſervationi; quia peragit cum eadem immediate, aut mediate actionem externam graviter impudicam. Similiter qui viſu illam ita ſtudioſe intuetur, ut eidem ſignificet, ſe illam amore venereo proſequi, puta figendo oculos in illius pectus, taliſque oculorum nutibus, ut concupiſcentiam ſuam ipſa animadvertere queat, hac reſervatione tenetur, ob eamdem rationem. Impudicitia oſculorum, quæ præterquamquod etiam inter perſonas ſolutas diverſi ſexus, quamvis ſine expreſſo animo impudico, ſemper tamen eſt ſuſpecta alicujus affectus venerei, proculdubio in oſculo dato in facie Moniali a perſona virili, non ſtricte conjuncta, (de qua iterum inferius) tanquam attentatio impudica reprobanda eſt; & multo magis, qui tactu aliquo ex circumſtantiis impudico Monialem tangit.

III. Interrogabis, an dum quis de jocoſis cum Moniali tractans, extemplo inicit manum in ſinum illius, ut jocando mammillas tangat, huic reſervationi ſubiiciatur? Reſpondeo affirmative: quandoquidem hæc actio, præcipue erga hujuſmodi genus perſonarum, non videtur poſſe purificari a notabili impudicitia, & a gravi attentatione ſcandaloſa, provocante in Moniali venereas complacentias: idque eo magis verum eſſet, ſi ludicris illis ſermonibus antecedentibus, immixtum fuiſſet quidpiam venereum; aut circa mulierum venuſtatem, elegantiam, vivacitatem, & multo magis ſi de ipſius pulchritudine actum fuiſſet. Si enim etiam in muliere laica, & etiam magis in Virgine, dicta actio, quamvis jocoſe facta ab homine non marito, reputatur exterior gravis provocatio ad impudicitiam; eo quod, juxta Medicorum doctrinam, tactus mammillarum admodum mulieres commovere ſolent; quanto magis in Moniali?

IV. Quid dicendum de tactu faciei? jam præſuppoſitur, quod in hoc tactu nil præceſſerit, aut in verbis, aut in geſtibus, quod impudicitiam redoleat; quia tunc non videretur dubitandum de reſervatione: dubium igitur reſtringitur ad actionem conſideratam in ſe, & factam ab homine reſpectu Monialis? Et reſpondeo, quod tactus hujuſmodi vel fit ſerio, & cum aliquo rationabili motivo, puta ad tangendam duritiem tumoris in gena exorti, aut ob quidpiam ſimile; & tum nil ad reſervationem. Vel fit ſerio, abſque

Digitized by Google

ullo rationabili motivo, ſed ex impetu affectionis; & tunc cum videatur, non poſſe non eſſe indicium amoris non puri, & actio provocans complacentiam veneream, putarem in hac reſervatione includi. Vel fit ex joco; verum hoc pejus videtur; quia hæc excedens familiaritas circa perſonam Monialis, nequit depurgari a nota attentationis, & provocationis impudicæ. Excipe Genitorem, vel Avum genam filiæ, vel neptis Monialis, blanditiei filialis gratia, tangentem.

V. Tangens pulſum Monialis, non Medicus, affectu interius venereo, includeturne in hac reſervatione? Reſpondeo; quod ſive tangat ad petitionem Monialis, ſive ad petitionem ſuam, dummodo nullum ſignum exterius impudicitiæ adjungatur, immunis eſt a reſervatione; quia quantavis ſit interior immunditia, non vitiat actum illum in ordine ad reſervationem. Si vero tactum ſociet alicui ſigno exteriori impudico, puta nimis moroſe, & affectato pulſum tota manu ſtringendo, & hoc modo protrahendo tactum illum, ita ut Monialis aut advertat, aut advertere poſſit, & ſuſpicetur impudicitiam tangentis; aut tactui adjungat ſuſpiria, vel intuitus amorem ſpirantes, reſervationi ſubjicietur; quin alio ſigno exteriori ſufficienter provocante manifeſtet animum impudicum erga eandem.

VI. Quid dicendum de Oſculis impudicitia dumtaxat interiore affectis? Putarem nonnullas diſtinctiones præmittendas eſſe: Si deoſculans ſit mulier; cum earumdem mos ſit, viſitationes ſuas oſculis reciprocis in facie datis, & receptis inchoare, oſculiſque concludere; quamvis erga Moniales non videatur mos laudabilis; nil tamen exterius reſervatum in illis reperio. Si deoſculans ſit Vir, qui oſculum det Moniali petenti, vel recipiat a Moniali petita, vel reciproce ſimul oſculum detur, & recipiatur; videntur diſtinguendæ perſonæ ſe oſculantes: ſi enim ſit Genitor, qui Filiæ Moniali oſculum dare velit in fronte, aut ab ipſa recipere, aut ſibi invicem reddere; quamvis imprudenter agatur, ex circumſtantiis harum perſonarum, niſi aliud adſit, non puto actionem reſervatam. Si vir oſculans ſit Frater, qui Sororem ſuam oſculatur in fronte, vel viciſſim in fronte ſe oſculentur, quamvis imprudentiſſime agant, ſi nil aliud acceſſerit, a reſervatione abſolverem. Quemcumque vero alium virum, ſive conjunctum, ſive non, qui oſculum a Moniali petat, vel petenti det, quamvis in fronte, a reſervatione non eximerem. Ratio eſt, quia actio iſta etiam inter ſolutos laicos diverſi ſexus eſt incentivum non leve affectionum venerearum, & niſi conſuetudo Patriæ excuſet, eſt ſtricte prohibenda. Propterea extat propoſitio confixa ab Alexandro VII. n. 40. quæ dicebat: *Eſt opinio probabilis, quæ dicit, eſſe tantum veniale, oſculum habitum ob delectationem carnalem & ſenſibilem*, (nota quod non dicit veneream, aut ſenſualem, ſed ſenſibilem) *quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo ulterioris conſenſus*, (nempe venerei,) *aut pollutionis*. Eo quia talis actio eſt nimis proxima delectationi venereæ, & falſum eſt quod excludatur periculum ulterioris conſenſus; propterea oſculans voluntarie hoc modo, ſe exponit voluntarie periculo proximo delectationis venereæ; & idcirco reprobatur a S. Sede quod ſit peccatum veniale, ſed ab ipſa judicatur lethale. Si igitur ita res habet reſpectu laicorum diverſi ſexus; quanto magis id verum apparebit inter virum & Monialem? Forte dices, quod in caſu noſtro nequidem quæritur delectatio ſenſibilis, quæ proxime diſponat ad veneream; ſed quæritur dumtaxat manifeſtatio affectus amicabilis. Reſpondeo, dicendo, eſto, quod oſculans, nil aliud intendat; nihilominus natura ipſius actionis in talibus perſonis non leviter ad venerem incitat, & illicit; & idcirco illam ab hac reſervatione eximere non audeo. At quid dicendum, ſi vir in ſignum reverentiæ oſculetur manum Monialis? Reſponderem, quod ſi Monialis, cujus manum vir deoſculatur, eſſet Abbatiſſa, aut Anus aliqua veneranda, nec quidquam omnino præceſſiſſet, aut comitaretur, quod ſolam reverentiam obſcuraret, nulli putarem reſervationi obnoxium: ſi autem Monialis non eſſet hujuſmodi, ſed ſpecioſa, vivida, florens ætate, & homo peteret manum exoſculandam, difficilius a reſervatione eximerem; quia in his circumſtantiis videtur actio non poſſe depurgari ab omni inductione in tentationem aliquam caſtitati importunam.

VII. Si Monialis aliquid turpe committeret, vel attentaret cum altera Moniali, & iſta aſſentiretur, inciderent ne ambæ in hanc reſervationem? Affirmative reſpondeo cum communi, quia in caſu nullum genus perſonarum excipitur; quod ſi ten-

tata reſpuat tentatricem, hæc ſola reſervatione tenebitur, ut patet.

VIII. Sciſcitaberis: ſi Monialis ſit prima, quæ impudicitiam cum homine, vel muliere attentet, & homo ille, vel mulier illa mere paſſive ſe habeat, puta permittat ſe impudice tangi, iſti permittentes labuntur in hanc reſervationem? Reſpondeo affirmative; quia efficaciter cooperantur actui impudico Monialis, & vere perficiunt, & peragunt impudicitiam cum Moniali; eo enim ipſo quod, id permittendo, ſacrilege peccant, eo, inquam, ipſo reſervationem incurrunt. Si autem homo ille, vel mulier illa Monialem repellat, nulla incurritur reſervatio, ut patet; non a Moniali, quia non attentat cum alia Moniali; non a laicis illis, qui laudem promerentur.

§. III. *Expenduntur alii modi Reſervationis ſupra relati.*

I. SEcundus modus explicite dicit, quæ implicite continet primus explicatus; dicit enim: *Violatio Monialium, nec non quælibet impudicitia cum eiſdem, colloquio, litteris, nunciis, muneribus, aut aliis modis attentata.* Quæ diximus in §. antecedente, deſerviunt pro hac reſervatione: ſolum hic addo, quod in eo prætermiſeram, nempe etiam attentantem per nuncium reſervationi ſubjacere, quemadmodum & ipſum nuncium, ſi advertit, in littera contineri attentationem; & multo magis ſi verbis attentet, quamvis non pro ſe, ſed pro alio; cum & ipſe his modis Monialem provocet.

II. Tertius modus hæc habet: *Mittentes litteras aut munera, aut quid aliud Monialibus, vel accipientes ab ipſis, ad malum finem.* Jam patent actiones, quamvis non indicatæ, tamen in hac reſervatione contentæ, nempe facta impudica. Patent item actiones in ea expreſſæ, quæ conſiſtunt in miſſione litterarum, & munerum: ly *quid aliud*, putarem ſignificari nuncium, verba referentem. Ly vero *ad malum finem*, videtur hic præſupponere, talem finem aliquo modo fuiſſe exterius ſignificatum; nam quouſque interius conſiſtit, & v. gr. munera ſint de re aut bona, aut indifferente, dicent forte multi, quod reſervationi non ſubdantur. Ego vero, quamvis concedam, peccatum mere internum plerumque non reſervari, tamen cum aliis rationabilius cenſeo, poſſe reſervari etiam mortalia interna; non enim reſervatio eſt de crimine in foro Eccleſiæ judicando, aut puniendo; ſed eſt mera ademptio poteſtatis abſolvendi in foro Dei & conſcientiæ; inde comprehendere poteſt quodlibet peccatum quod poteſt abſolvi, & inter peccata, quæ poſſunt abſolvi extant etiam mortalia interna: & ita videtur eſſe in hoc caſu: nam cum malus finis impudicitiæ ſit ſacrilegium internum, huic reſervationi ſubjacere poteſt; & cum Legislator dicat reſervari munera ad malum finem miſſa, aut recepta, dico, quod tametſi munera illa exterius ſint indifferentia, ſi tamen ad malum finem ſint miſſa, aut recepta, reſervatio proculdubio incurratur. Circa deferentem litteras, aut munera indifferentia, ſi ignoret omnino malum finem, eximitur, ut dixi ſupra, a reſervatione. Sed quid dicendum in caſu, quo eidem innoteſceret hic malus finis? Revera cum Legislator meminerit tantum mittentium, & recipientium, & omnino ſileat de deferentibus, quamvis ſacrilege peccaret deferens conſcius, a reſervatione evaderet.

III. Quartus modus hæc habet: *Quodlibet colloquium cum Monialibus ad malum finem; miſſio, vel delatio litterarum, aut munerum; ſeu invicem acceptatio ad eumdem finem.* De quibus omnibus ſatis dictum: & nota, quod hic comprehenduntur etiam deferentes conſcii de malo fine, recipientes quoque a Monialibus eadem, & per conſequens etiam conſcii deferentes quæ a Moniali mittuntur ad accipientem. Quintus modus ita dicit: *Accedentes ad Monaſteria Monialium ad malum finem; vel in colloquiis cum Monialibus, aut Puellis educandis, dicentes verba turpia, & amatoria, aut qui mittunt, recipiunt, vel deferunt litteras amatorias.* Hic reſervatur etiam ſolus acceſſus ad Monaſteria ob finem impudicum, cum, ut ſupra dixi, etiam hic poſſit reſervari, & reapſe in hac clauſula reſervetur: comprehenduntur attentantes illas actiones etiam cum Puellis educandis, & illi, qui ad eaſdem deferunt litteras amatorias, vel a Puellis miſſas deferunt ad alios.

IV. Sextus modus ſic dicit: *Actus impudici, ſeu laſciva colloquia, vel litteræ amatoriæ cum Monialibus:* in hac reſervatione pauciora continentur, quam in antecedentibus: nam hic Legislator ſolum clare exprimit Actus impudicos, colloquia impudica, & litteras amatorias cum ſolis Mo-

Digitized by Google

Monialibus: quidquid igitur eſt extra hæc genera rerum, non cadit ſub hac reſervatione. Quid denotetur nomine actuum impudicorum, tradidimus in §. 2., necnon laſcivorum colloquiorum, ibidem, & alibi. An autem ultima pars, videlicet *litteræ amatoriæ*, intelligenda ſit ſolum de miſſis ad Moniales, an etiam de receptis ab ipſis; putarem quod intelligi ſolum debeat de miſſis ad eaſdem, quamvis reſponſionis gratia, dummodo amatoria contineant, & multo magis ſi obſcœna.

V. Septimus modus hæc profert: *Sollicitatio cujuſcumque Monialis, ſeu Mulieris in Monaſterio degentis, tam ex parte ipſarum Monialium, vel Mulierum, quam aliarum perſonarum, cujuſvis generis, aut conditionis ſint, colloquiis, litteris, muneribus, vel quocumque alio modo, ad malum finem.* Pro materia igitur, ſupra quam cadunt actiones hic reſervatæ, veniunt nedum Moniales, verum etiam quæcumque aliæ mulieres in monaſterio degentes, ideſt commorantes in eo, ut commenſales, noctuque in eodem dormientes, & multo magis Puellæ in eo educandæ; propterea etiamſi eſſent famulæ ſæculares Monaſterii, quæ identidem exirent pro ſervitiis ejuſdem, in illudque redirent ad commorandum in illo diu noctuque; etiam iſtas ſollicitare, dum ſunt in Monaſterio, cadit ſub reſervatione, ut patet ex verbis ſollicitare modis expoſitis, videlicet colloquiis, litteris, muneribus, quæ omnia in antedictis tradita habes; *vel quocumque alio modo ad malum finem*; qua clauſula denotatur, quod quicumque alius ſollicitandi modus adhibeatur, dummodo fiat ad malum finem, in hac reſervatione includitur: propterea etiam utendo actione de ſe bona, puta donando librum ſpiritualem, aut Sanctam Imaginem, ſi fiat intentione, & fine impudico, cadit ſub hac reſervatione, ut probavi in numero 2.

VI. Octavus hæc habet: *Quodlibet colloquium cum Monialibus, miſſio, aut delatio litterarum, aut munerum, dum ſint ad malum finem.* Hæc omnia habes explicata in antecedentibus; præcipue in num. 2. Nonus ita dicit: *Acceſſus ad Moniales ſine licentia noſtra, vel abuſus licentiæ.* Prima pars eſt manifeſta: ſecunda autem continet quemcumque abuſum licentiæ, qui ſit cum peccato mortali; propterea continet nedum omnia peccata mortalia explicata in modis ſupra relatis ad impudicitiam ſpectantibus, verum etiam quodcumque aliud colloquium, & quamcumque aliam actionem, ſcriptionem &c., in quibus involvatur peccatum mortale alicujus generis; nam de his omnibus verificatur mortalis abuſus licentiæ. Putarem, hac reſervatione non prohiberi acceſſum Conjunctorum ſtrictiſſimorum ſine licentia. Decimus ita loquitur: *Quælibet impudicitia, etiam dumtaxat attentata, necnon quilibet ſermo ad inhoneſtum finem cum Monialibus, vel aliis fœminis, intra Monialium ſepta degentibus.* Hic reſtringitur materia reſervationis ad ſolam impudicitiam, quamvis dumtaxat attentatam, de qua diximus tam in §. 2., quam explicando modos ſupra relatos; & memineris, quod impudicæ attentationes fiunt etiam per litteras; quemadmodum puto, quod nomine *ſermonis cujuſlibet*, denotetur etiam ſermo ſcriptus, qui cum pluries legi poſſit, ſæpius efficacius movet, ſermone audito. Circa alias fœminas in monaſterio degentes, diximus in numero 5.

Auctor §. *antecedenti* expendens caſum in Veneta Diœceſi reſervatum hiſce conceptum verbis: *Quælibet impudicitia cum Monialibus peracta, vel quocumque modo attentata*, cenſet num. v. quod quantavis ſit interior immunditia, non vitiat actum exteriorem ad reſervationem, adeoque immunem fore putat ab hac reſervatione illum qui tangeret pulſum Monialis affectu interius venereo, dummodo nullum ſignum exterius impudicitiæ adjungeret. In hoc autem perpendens caſus in aliis Diœceſibus reſervatos circa eamdem materiem, oppoſitum prima fronte docere, atque proinde, paucis interjectis, pugnantia loqui videtur, cum pluries repetat munera ad malum finem miſſa, aut recepta &c. tametſi exterius ſint indifferentia, vel etiam bona, cadere ſub reſervatione. Verum nullo negotio a contradictionis nota eximitur, atque purgatur. Etenim animadvertendum occurrit, in caſu reſervato in Veneta Diœceſi nil eſſe quod indicet reſervari in ipſo actum internum; immo in comperto eſt ſolum reſervari actum exteriorem; atque adeo optime, noſtro quidem judicio, exiſtimat Auctor reſervationi obnoxium non eſſe actum exteriorem, ſi nullo modo impudicitia in ipſo appareat, quantavis ſit interior immunditia, ex qua proficiſcitur. Nam juxta communem Doctorum ſententiam, ut peccatum externum cenſeatur reſervatum, ſatis non eſt quod

Digitized by Google

habeat mortalem malitiam ex actu interno, ſed inſuper requiritur, ut ipſa actio externa habeat malitiæ gravitatem. Quippe reſervatio (niſi verba legis aliter prodant) præcipue cadit in actum externum malum; ac proinde exigit actum externum mortaliter malum ex objecto. At in caſibus in aliis Diœceſibus reſervatis, quos hic ad examen vocat, ſupponit Auctor ipſum etiam actum internum reſervationi ſubjici: unde *num.* 2. in primis doctrinam præmittit, quam unanimiter amplectuntur Theologi, videlicet quod etiamſi reapſe ſola peccata externa communiter reſerventur, quia hæc reſervatio ordinarie ſufficit ad bonum regimen animarum: attamen & peccata mere interna poſſint abſolute reſervari, cum ad ea remittenda requiratur juriſdictio, quæ poteſt a Prælatis Eccleſiæ reſtringi, & denegari. Deinde aperte aſſerit, quod, cum malus finis impudicitiæ in his caſibus expreſſus ſit ſacrilegium internum, reſervationi ſubjacere poteſt; ac tandem pronuntiat, atque concludit omnia in iiſdem caſibus percenſita ratione pravi, & impudici finis, qui ſpeciatim in ipſis reſervatur, reſervationi eſſe obnoxia, licet in ſe indifferentia ſint, vel etiam bona. In hoc ſane ſenſu, ut nobis quidem videtur; intelligenda ſunt quæ hic habet Auctor, atque ideo vindicatus remanet a dicta contradictione, quæ ipſi ab aliquibus impingitur. Legantur etiam ea, quæ ipſet docet ſupra *cap.* 10. §. 2. *num.* 19., quæ hucuſque dicta confirmant.

,, * At illud, præ ceteris, cavere de-
,, bet Epiſcopus, ſic tamen monet S. P.
,, Benedictus XIV. *De Synodo Diœceſana*
,, *Lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 5. *E. R.* 1758., ne
,, peccata, quantumvis gravia, ſed mere
,, interna ſibi reſervet; licet enim etiam
,, hæc reſervari queant, ſicuti docent
,, Vaſquez *quæſt.* 19. *art.* 3. *dub.* 4. Cardina-
,, lis de Lugo *diſp.* 20. *ſect.* 2. *n.* 13., &
,, Suarez *de Fide diſp.* 21. *ſect.* 4. *n.* 2.
,, ubi hæc habet: *Solent aliqui Epiſcopi*
,, *etiam hæreſim mentalem reſervare,*
,, *quod quidem in ſummo rigore juris fa-*
,, *cere poſſunt, quia reſervatio non eſt*
,, *uſus juriſdictionis externi fori, ſed eſt*
,, *ablatio juriſdictionis pro Foro Sacra-*
,, *mentali, quam Epiſcopus ſicut dare pot-*
,, *eſt, ita etiam auferre*; non eſt tamen
,, in praxi receptum, ut unquam reſerven-
,, tur, veluti proſequitur Suarez *loc. cit.*
,, *Nihilominus Doctores communiter non*
,, *conſulunt, neque laudant talem reſer-*
,, *vationem, propter animarum pericu-*
,, *lum; nam actus interiores frequentes,*
,, *& moleſti ſunt; & difficile cognoſcun-*
,, *tur; & ita etiam ego credo regulari-*
,, *ter non expedire*: quinimmo Sotus *in* 4.
,, *diſt.* 18. *quæſt.* 2. *art.* actus mere in-
,, terni reſervationem acriter reprehen-
,, dendam exiſtimat; & revera, uti bene
,, de Lugo obſervavit, ſolos, ſcimus, Præ-
,, latos Regulares, quædam peccata ſive
,, externa, ſive interna, ſibi olim indiſcre-
,, te reſervaſſe. Ceterum nec Epiſcopi,
,, nec Summi Pontifices actus mere inter-
,, nos ſuis reſervationibus complecti un-
,, quam conſueverunt: unde, etſi pecca-
,, tum hæreſis graviſſimum ſit, & cum in
,, externum prodit Summo Pontifici reſer-
,, vetur, quamdiu tamen intra animum
,, conſiſtit, reſervationem effugit. "

Hoc idem cenſet & P. Daniel Concina *Lib.* 2. *de Sacram. Pœnit. cap.* 6. *n.* 2., poſtquam enim oſtendit reſervari poſſe peccata mortalia interna, ſtatim ſubdit: " Ejuſ-
,, modi tamen reſervatio expediens mini-
,, me eſt. Nec hactenus aut Romanus
,, Pontifex, aut Epiſcopus aliquis ejuſmo-
,, di interna mortalia peccata reſervavit.
,, Hinc juxta communem ſententiam om-
,, nes Confeſſarii abſolvere valent ab hæ-
,, reſi, vel occiſione mere *mentali*. "

Auctor tamen, ut jam advertimus, ſupponit aliquos Epiſcopos revera aliquando etiam actus internos ſibi reſervaſſe; &, hac admiſſa ab ipſo ſuppoſitione, diverſimode caſus ſuperius allatos declaravit, noſque propterea ipſum a contradictione, quam aliqui in doctrinis expoſitis ſe deprehendere arbitrabantur, jure vindicavimus. Dum autem dubium exoritur, in quo ſenſu caſus aliquis ſit reſervatus, mens Superioris reſervantis, ut & alibi monuimus, inquirenda eſt, & exploranda, ut omne errandi periculum abſit.

VII. Undecimus reſervationis modus hæc habet: *Profanos ſermones, qui venerem redoleant, coram Monialibus inſtituere, coram eis turpia proferre, litteras, & libros id continentes mittere.* Si igitur ad reſervationem iſtam ſufficit talia agere coram Monialibus, multo magis talia cum illis habere. Quoad litteras, & libros, includit ſolos mittentes. At dices: quid de aliis muneribus venerem redolentibus? puta Monialis effigiem ſeminudam, & delicate depictam, aut aliquid geſtientem quod ad venerem incitet? Vel effigiem amaſii, quidpiam impudicum repræſentantem? Re-

ve-

Digitized by Google

vera, ſtando verbis reſervationis hujus, non comprehenduntur, niſi epiſtolæ, & libri; unde videretur reſpondendum, alia munera eximi: ſi autem animadvertatur Legiſlatoris ſcopus, putarem, etiam alia munera manifeſte venerem redolentia, & provocantia, non eſſe eximenda: etenim libri aut manuſcripta, de venereis tractantia, ſunt munera venerem provocantia, quod eſt formale in eo munere: atqui plerumque magis venerem provocant præfatum munus, vel aliud ſimile, quam liber, vel manuſcriptum; igitur rationabiliter exiſtimandum eſt, hujuſmodi in hac reſervatione includi.

VIII. Duodecimus modus ait: *Qui Moniales, etiam extra clauſtra violaverint, aut violare attentaverint*. Ex his verbis apparet, Legiſlatorem loqui de impudicitia actionum, aut peracta, aut etiam ſolum attentata. Verum cum attentare violationem Monialis plures præeuntes actiones depoſcere ſoleat, aut epiſtolarum, aut colloquiorum, aut ſimilium; propterea putarem, quod omnia hæc reſervationi illi adjiciantur, cum tales agendi modi proficiſcentes ex animo iniquo ſeducendi Monialem, ſint inchoare, & proſequi attentationem, etiam plurium menſium decurſu; nec puto, verba hujus legis eſſe intelligenda de ſola attentatione actuali, conſiſtente in aggreſſione repentina Monialis, ſed de attentatione, ſicuti plerumque diſponi, & evenire conſuevit, videlicet per indicata media.

CAPUT XIII.

CIRCA

ALIA PECCATA

IN GRAVE DAMNUM PROXIMI TENDENTIA.

§. I. *Recenſentur nonulli caſus, vario modo reſervati.*

In primo dicitur. *Dilatio ultra biennium ſolvendi legata pia*. In Secundo. *Negligentia, & malitia Notariorum non denunciantium intra bimeſtre legata pia: necnon ſuppreſſio, vel diſperſio ſcripturarum, concernentium intereſſe Eccleſiarum, vel Eccleſiaſticorum, etiamſi delinquentes non fuerint Notarii: & falſificantes ſcripturas, etiam continentes intereſſe ſæcularium*. -- In tertio: *Negligentia gravis eorum, qui poſſunt, in ſolutione legatorum piorum. Negligentia eorum, qui ſuorum Majorum tabulas teſtamentarias, poſt octo menſes, aperiri non curaverint*. - In quarto: *Omiſſio reſtitutionis incertorum, quæ injuſte retinentur, ultra octo menſes, ſi excedant ſummam triginta librarum nummariarum*. - In quinto: *Incenſio domus, vel frugum, aliarumque rerum, & mandatum, & auxilium ad illam*. In ſexto: *Adulteratio, vel occultatio, vel diſperſio ſcripturarum, quæ pertinent tam ad jura piorum locorum, quam aliorum & Eccleſiaſticorum, & Sæcularium. Item negligentia culpabilis, vel malitia Notariorum, non denunciantium intra trimeſtre legata pia. Dilatio ultra biennium ad perſolvenda legata pia*. - In ſeptimo: *Falſificatio ſcripturarum cum damno tertii, & occultatio, ſuppreſſio, vel deſtructio pariter ſcripturarum, concernentium bona, vel jura Eccleſiarum. vel piorum locorum*. - In octavo: *Damnum datum incendio voluntario, arborumve injurioſa ſucciſione, ſi exceſſerit ducatos decem, vel etiam in viis prædatio, & agrorum depopulatio*. - In nono: *Occultatio piorum legatorum, ſi fuerit doloſa: item occultatio, ſive uſurpatio, ſive retentio doloſa rerum, bonorum, aut ſcripturarum, ſpectantium ad Eccleſias, vel Beneficia Eccleſiaſtica*. - In decimo: *Incenſio domus, frugum, aliarumque rerum, & mandatum, conſilium, auxilium ad illam*. - In undecimo: *Legatorum piorum intra ſemeſtre non ſolutio*. In duodecimo: *Qui pauperie non impediti, ſolutionem ex legato pio debitam longius biennio diſtulerint*. - In tertiodecimo: *Qui Notarii, intra duos menſes a morte teſtatoris, legata pia non denunciaverint*. - In quarto decimo: *Qui priorum locorum bona, quæ adminiſtrant, conduxerint, vel aliis, adbibita fraude, locaverint*. - In decimoquinto: *Negligentia craſſa in executione piarum voluntatum*. - In decimoſexto: *Quicumque occultaverint, aut quovis modo detinuerint ſcripturas pertinentes ad quamcumque Eccleſiam, legata pia, Menſam, Juriſdictionem, & Curiam Epiſcopalem*. - In decimoſeptimo dicitur: *Uſura manifeſta*. In decimooctavo: *Uſurarii publici, vel uſuras ex profeſſo exercentes, & Incendiarii*. In decimo nono:

Pu-

Digitized by Google

Publicarum Scripturarum falſificatio. In vigeſimo: *Qui integre non ſolvit Decimas, Quarteſia, Canones, & penſiones Eccleſiæ aut Locis piis*. In vigeſimoprimo: *Decimarum, ſeu primitiarum non facta ſolutio, non ſolum quoad non ſolventes, verum etiam quoad auxilium, conſiliumque præſtantes*.

§. II. *Expenduntur iſti modi varii reſervationum*.

I. IN primo in quo dicitur: *dilatio ultra bimeſtre ſolvendi legata pia*; jam intelligitur de iis qui moraliter potuerunt ſolvere, aut ſe habiles reddere ad ſolvendum: ſi enim impotentia aut phyſica, aut morali impediti fuerint, ita ut omiſſio ſolvendi nequeat judicari certe mortalis, neque dici poterit reſervata. Perpendat ergo prudens Confeſſarius motiva omiſſionis, & juxta eadem cenſeat de reſervatione.

In ſecundo dicitur: *Negligentia, & malitia Notariorum, non denunciantium intra bimeſtre legata pia: nec non ſuppreſſio, vel diſperſio ſcripturarum concernentium intereſſe Eccleſiarum, vel bonorum eccleſiaſticorum, etiamſi delinquentes non fuerint Notarii: & falſificanter ſcripturas, etiam concernentes intereſſe ſæcularium*. Hæc reſervatio habet plures partes. In prima reſervatur nedum malitia, ſed etiam negligentia, & quidem mortalis Notariorum, non denunciantium intra bimeſtre legata pia; qui etſi mortaliter peccent, quamvis non attingant terminum bimeſtris, tamen hanc reſervationem non incurrunt, niſi ipſe terminus expiraverit. Secunda pars reſervationis reſervat ſupprimere, occultare, & multo magis diſpergere ſcripturas, concernentes intereſſe Eccleſiarum, vel bonorum Eccleſiaſticorum, quo nomine ſignificantur etiam bona Beneficiorum, & quæ in titulo eccleſiaſtico fundantur, non vero bona alterius generis; & hæ actiones reſervantur nedum ſi fiant a Notariis, verum etiam a quibuſcumque. Tertia pars reſervat Falſificationem Scripturarum, in damnum cujuſcumque Perſonæ. Nota, hanc tertiam partem reſervare reſpectu ſæcularium ſolam falſificationem, non ſuppreſſionem, vel occultationem, quemadmodum eas reſervat reſpectu Eccleſiaſticorum una cum falſificatione. Hic exſurgit quæſtio, an ſi quis habens ſcripturam legitimam jura ſua valide protegentem, illam inculpate amittat, & ipſe habens alia folia ejuſdem characteris, peritus in imitandis characteribus, aliam omnino ſimilem in folio vetuſto efformet, eademque utatur, ad ſe, ſuaque bona protegenda in notabili quantitate, quibus certo moraliter a Judice privaretur, niſi ſe dicto folio tueretur, hic tali folio, alioquin veriſſima continente, utens, cenſebitur ne falſificator ſcripturarum, & in hac reſervatione incluſus? Reſpondeo dicendo, quod poſſit dari ignorantiam invincibilis in aliquo homine, qui putet ſe recte egiſſe ita faciendo, eo quod revera folium quo utitur nil omnino falſi contineat, ſed dumtaxat verum, unde putavit, ſe neque venialiter deliquiſſe; & propterea non ſit falſificator formalis ſcripturarum, cum nil omnino alteret de veritate ſcripturæ deperditæ, ſed dumtaxat unum folium materiale, alteri materiali ſubſtituat: propterea ita agentem hac ignorantia invincibili ab hac reſervatione eximerem. An autem licite agat utendo tali folio in tribunali, eſt quæſtio pertinens ad tractatum de Reſtitutione, de qua egimus ſuo loco.

II. In tertio dicitur: *Negligentia gravis eorum, qui poſſunt, in ſolutione legatorum piorum: Negligentia eorum, qui ſuorum Majorum tabulas teſtamentarias, poſt octo menſes aperiri, non curaverint*. Hæc reſervatio duas partes habet, in prima punitur negligentia gravis eorum qui poſſunt, & non ſolvunt legata pia: jam noveris, ea legata nuncupari pia, quæ diriguntur ad pias cauſas, videlicet ad celebrationem Miſſarum, Officiorum, Sacrorum, Precum, ad erogationem eleemoſinarum quocumque titulo diſtribuendarum quibuſvis Perſonis etiam Eccleſiaſticis, aut Eccleſiis, aut pauperibus puellis dotandis, aut pauperibus ſæcularibus, aut carceri detentis, aut captivis redimendis &c. Duas tamen conditiones Legislator requirit, prima, ut negligentia ſit gravis; quæ gravitas non poteſt definiri determinata regula, ſed expendenda eſt juxta circumſtantias rerum, Perſonarum, locorum, & temporum; ita ut quando prudens Confeſſarius poteſt illam certe cenſere gravem, ab abſolvendo abſtineat; gravitatem vero quam maxime deducere poterit ex ſecunda conditione a Legislatore ſtatuta, videlicet ex poteſtate ſolvendi; nam dicit: *eorum qui poſſunt*; quæ poteſtas, ut jam dixi ſuperius, debet eſſe & phyſica, & moralis; & proinde putarem, quod quando revera

poſſunt

Digitized by Google

poſſunt moraliter , etiam dilatio duarum hebdomadarum ſit mortalis, cum nulla ſit differendi ratio; & alioquin legata pia cedant in ſuffragium Animæ Teſtatoris, cui injuſte , & crudeliter differtur , quando nulla eſt ratio juſta differendi . In ſecunda autem parte animadvertit contra negligentiam hæredum , qui , poſt octo menſes, non curaverint , ut aperiantur teſtamenta ſuorum Majorem: ubi ne putes, quod ante terminum octo menſium non peccaverint mortaliter; quia multo minus ſufficit ad hunc reatum gravem , ſed ante octo menſes non incurrunt reſervationem.

III. Quartus dicit: *Omiſſio reſtitutionis incertorum ultra octo menſes , ſi excedat ſummam triginta librarum nummariarum*. Jam præſupponitur potentia moralis ad hanc reſtitutionem faciendam . Præſupponitur item , quod peccaverint graviter , etiam ante octo menſes, eam omittendo , ſi debitum excedat dictam ſummam . Nota , quod hic ly *debita incerta* non ſignificat debita dubia, de quibus videlicet dubitetur an extent, quia dubitetur an fuerint contracta: vel ſi contracta , an fuerint ſoluta ; ſed nomine incertorum ſignificantur debita quidem certa , ſed aut ignoratur quibus ſint ſolvenda , utpote plurimis, & paulatim aucta uſque ad ſummam notabilem , aut quamvis ſciantur creditores , neſcitur ubi ſint , nec ſciri moraliter poteſt; aut quamvis ſciantur creditores , & ubi ſint, tamen ob moralem impotentiam tranſmittendi pecuniam abſque prudenti periculo infamiæ, aut abſque ſumptu longe majori, & debitum excedente, aut ob periculum prudens illam amittendi , deſtinatur eroganda aut in Sacrificia pro creditoribus, aut inter pauperes , itidem pro animabus creditorum . Quintus modus dicit: *Incenſio domus , vel frugum , aliarumque rerum , & mandatum , & auxilium ad illam*. Intelligitur de incenſione ex propoſito , & non caſuali , quamvis ex negligentia mortali; nam qui ſine voluntate directa incendit , vere non eſt incendiarius: reſervatur item jubens, & auxilium præſtans aliqua actione , etiam attendendo ne quis ſuperveniat, & impediat , aut diſtrahat . Quæres an conſilians poſſit vere dici auxilium præſtans? Reſpondeo, quod ſtando rigori & proprietati locutionis conſilians diſtinguitur ab auxiliante ; quandoquidem in connumeratione concauſarum ad damnum proximi, Conſilians diſtinguitur ab auxiliante : & quamvis etiam conſilians quodammodo auxilietur ; nihilominus hic videtur denotari auxilians proprie tale , nempe opera & actione.

IV. Sextus modus dicit : *Adulteratio, vel occultatio, vel diſperſio Scripturarum, quæ pertinent tam ad jura piorum locorum , quam aliorum, & Eccleſiarum, & Sæcularium*: de quibus ſatis dixiſſe puto in numeris præcedentibus: ſequitur: *Item negligentia culpabilis , vel malitia Notariorum, non denunciantium intra trimeſtre legata pia:* etiam de hoc ſatis dictum: Proinde non eximitur ab hac reſervatione ſola malitia Notarii non denunciantis, ſed etiam negligentia , quoties a prudente Confeſſario judicabitur mortalis. Sequitur: *Dilatio ultra biennium ad perſolvenda legata pia*: etiam de hoc ſatis dictum , nempe niſi vera impotentia, aut phyſica , aut moralis excuſet a culpa mortali hujuſmodi dilationem, de qua late diximus ſupra. In ſeptimo dicitur: *Falſificatio ſcripturarum in damnum tertii; & occultatio, ſuppreſſio, vel deſtructio Scripturarum concernentium bona, vel jura Eccleſiarum, vel piorum locorum* . Expende , Lector, diverſitatem actionum , quæ hic reſervantur , necnon Perſonas , reſpectu quarum reſervantur. Prima actio reſervata eſt *falſificatio* Scripturarum, continentium quidquid ſit, dummodo falſificatio iſta redundet in damnum cujuſvis Perſonæ . Aliæ actiones reſervatæ ſunt *occultatio , ſuppreſſio , vel deſtructio ſcripturarum* , non in ordine ad quoſcumque, neque quodvis concernentium, ſed dumtaxat concernentium bona, aut jura Eccleſiarum , vel piorum locorum: igitur , ſtando verbis reſervationis, falſificatio ſcripturæ , concernentis quidvis , erit reſervata , dummodo fiat in damnum Tertii . Et hic inquires, an intelligatur, effectu ſecuto damni , vel ſufficiat falſificaſſe ſcripturam? Reſpondeo, ſufficere falſificationem factam ; quia hæc eſt actio reſervata , dummodo tendat in damnum Tertii; quod quamvis per accidens non ſequatur , jam poſita fuit actio reſervata, & in ſuo eſſe conſummata . *Occultatio* autem , *Suppreſſio, diſperſio ſcripturarum*, ut ſint reſervatæ, debent eſſe ſcripturarum concernentium bona , & jura Eccleſiarum, aut piorum locorum : & etiam iſtæ non eximentur a reſervatione , quamvis non ſequatur effective damnum iſtorum locorum: quia hoc damnum ſecutum ab hac reſervatione non poſtulatur : cum reſerventur actiones jam factæ.

V.

Digitized by Google

V. In Octavo dicitur: *Damnum datum incendio voluntario, arborumve injurioſa ſucciſione, ſi exceſſerit ducatos decem: vel etiam in viis prædatio, & agrorum depopulatio.* In hac reſervatione omnia ſunt clara. De incendio jam diximus ſupra. De arborum ſucciſione injurioſa, jam patet valor damni reſervati. Circa prædationem in viis, omnem prædationem includit, factam in viis; quæ cum variis modis exerceri poſſit, omnes modos includit. Circa agrorum *depopulationem*, notanda eſt vis hujus verbi, quod non ſignificat quodcumque furtum mortale, ſed ſignificat tale damnum, ut verificetur *depopulatio*, nempe italice *saccheggio*, *diſtruzione*, *disfacimento*, *dar il guſto*. -- In Nono dicitur: *Occultatio piorum legatorum, ſi fuerit doloſa. Item Occultatio, ſive uſurpatio, ſive retentio doloſa rerum, bonorum, aut ſcripturarum, ſpectantium ad Eccleſias, aut Beneficia Eccleſiaſtica.* Occultare igitur legata pia doloſe (nota bene) quod nullum præſcribitur tempus in hac reſervatione, ſed ſufficit occultatio doloſo animo facta; quamvis poſt factum & legata manifeſtentur; nihilominus occultatio illa eſt reſervata; quia actio a Legiſlatore reſervationi ſubjecta. Item occultare, aut uſurpare, aut retinere doloſe res, bona, aut ſcripturas, ſpectantes ad Eccleſias, aut Beneficia Eccleſiaſtica. Diſtingue iſtas actiones, & res, circa quas exercentur, & Subjecta contra quæ exercentur, ne decipiaris in lege, alioquin clara: & accenſe reſervationi actiones graviores hic denotatas; puta comburere, aut lacerare doloſe ſcripturas, quamvis hic prætereantur, collimant enim ad eundem finem. In Decimo modo idem omnino dicitur ac in quinto jam expenſo; ſicut etiam Undecimus ſupra expenſus fuit.

VI. In duodecimo dicitur: *Qui pauperie non impediti, ſolutionem ex legato pio debitam longius biennio diſtulerint.* Lex clariſſima: at inquires, quomodo pauperies excuſare poterit a reſervatione? Fateor & ego imbecillitatem meam, quod neſcio ſatis percipere, quomodo pauperies excuſare poſſit a reſervatione, ſi non ſolvantur legata pia ante biennium: cum enim legata pia ſemper ſint ſolvenda ex bonis hæreditariis, vel hæc bona extant, vel non; ſi non extent, jam cadit obligatio; ſi extent, ſunt ſolvenda quamprimum fieri poteſt: propterea, ſive pauperies antecedat adventum hæreditatis, ſive hæreditatem ſubſequatur, videtur non poſſe excuſare a mortali omiſſione non ſolvendi; cum, ut dicebam, legata ſint ſolvenda ex bonis hæreditatis; qua adveniente, ſtatim ſeparanda erant bona pio legato affecta, quibus legatum ſolveretur. Fortaſſe benignus Legiſlator excuſare voluit a reſervatione caſum, in quo hæredes pauperie valde afflicti, animo ſincero ſupplendi quam primum, bonis etiam legato pio affectis uſi fuerint, ut ſe a gravamine propriæ pauperiei ſubtraherent; & deinde a ſpe ſupplendi decepti, ob alias ingruentes adverſitates, ſupplere non potuerint, & biennium exceſſerint, quin ſupplerent. Verum ne Confeſſarius fallatur, exiſtimarem, ſatius eſſe in caſu occurrente, humiliter petere a Legiſlatore ſuæ legis explicationem. Modus decimus tertius expenſus fuit in ſexto, cum eadem verba contineat.

VII. Decimus quartus modus hæc habet: *Qui piorum locorum bona, quæ adminiſtrant, conduxerint, vel aliis, adhibita fraude, locaverint.* In prima parte hujus reſervationis putarem, Legiſlatorem loqui de conductione fraudulenta, ſicut in ſecunda parte loquitur de locatione. Si enim adminiſtrator conducat bona loci pii eodem juſto pretio, abſque ulla omnino fraude, & abſque ullo pii loci detrimento, nullum invenitur peccatum, & ita nullam incurrere poteſt reſervationem; non enim adminiſtrator, quia talis, debet eſſe deterioris conditionis aliis conductoribus: propterea ſi v. g. prædium illud locari ſolet pro centum argenteis annuis, cur ipſe adminiſtrator non poterit, erogato eodem pretio, ſibi conducere? cur hoc commodo privandus erit? Si igitur nulla adhibeatur fraus, poterit illud conducere; & proinde dumtaxat reſervatione tenebitur, ſi fraude interveniente conducat; ſicuti ſi fraude adhibita aliis locet. Modus decimus quintus, ita dicit: *Negligentia craſſa in executione piarum voluntatum.* Quando igitur prudens Confeſſarius cenſebit interveniſſe negligentiam craſſam, reſervationi ſubjectum agnoſcet pœnitentem. Hujus autem negligentiæ reum recte judicabit, ſi potens dictas voluntates exequi, diſtulerit notabiliter; ſi aut nulla, aut levi tantum ſollicitudine tactus, oblitus fuerit, oblivione quidem graviter culpabili; quia hujuſmodi obligationum aliquod ſignum exterius eſt adhibendum, ne recordatione elabantur: ſi diſtractus ab anxietate conquirendi bona ſibi relicta, ultimum locum deſtina-

Digitized by Google

ſtinarit executioni piarum voluntatum; aut ſimilibus modis ſe geſſerit.

VIII. Decimus ſextus hæc habet: *Quicumque occultaverint, aut quovis modo detinuerint Scripturas ad Eccleſiam quamcumque, legata pia, menſam, Juriſdictionem, & Curiam Epiſcopalem pertinentes*. Iſtæ igitur ſunt actiones in hac reſervatione comprehenſæ reſpectu indicatarum Perſonarum, & dictorum locorum: Horum aliqua habes in antedictis explicata; poſtrema vero, nempe quoad Menſam, Juriſdictionem, & Curiam Epiſcopalem, ſtatim trado. Menſa Epiſcopalis ſignificat quæcumque bona temporalia pertinentia ad reditus, & proventus hujus Beneficii Epiſcopalis, quicumque ſit juſtus titulos, ob quem ad eamdem ſpectent. Juriſdictio ſignificat poteſtatem ſpiritualem regendi ſuam Diœceſim, & etiam poteſtatem temporalem regendi loca huic Sedi ſubjecta. Curia Epiſcopalis ſignificat totum miniſterium Curiæ Epiſcopalis, & quidquid pertinet ad miniſtros ejuſdem, atque ad Miniſtrorum munera. Nota, quod huic reſervationi ſubjacet, nedum occultans, detinens ſcripturas ſolis temporibus, quibus ſunt proferendæ, ſed etiam quocumque tempore, itaut ſtatim ac noverit, ſe tales ſcripturas habere, ſtatim debeat eas tradere illis, ad quos pertinent; aliter hac reſervatione tenetur. Decimus ſeptimus hæc habet: *Uſura manifeſta*. Ly *manifeſta* dupliciter intelligi poteſt, videlicet vel reſpectu notitiæ aliorum, vel reſpectu facti uſurarii, & certitudinis ejuſdem, quamvis non innoteſcat, niſi mutuanti, & mutuatario. Putarem quod in hoc ſecundo ſenſu non ſit accipiendum verbum illud, ſed in primo; nempe quod Perſona illa, uſuras faciens, ſit in loco illo manifeſte hujus criminis rea ſaltem pluribus; quia cum in ſecundo ſenſu non afferat ſcandalum, niſi ſoli mutuatario, & contingere poſſit, quod mutuans ille vel tunc tantum, vel raro uſuras fecerit, poſſumus interpretari, mentem Legislatoris noluiſſe illum includere, niſi per frequentiam manifeſtus fiat, & propterea in modo Decimo octavo clare dicitur: *Uſurarii publici, vel uſuras ex profeſſo exercentes, & Incendiarii*: Igitur hæ duæ reſervationes loquuntur de uſurariis notoriis. Inquires, an uſurarius ſemel, vel iterum uſuras committens, ſi loquacitate culpabili mutuatarii, per totum locum diffametur, & evadat notorius in eo loco, erit ne in hac reſervatione includendus? Reſponderem negative; quia Legislatores videntur loqui de illis, qui manifeſti evadunt ex frequentia ſuarum uſurarum, & ex vi repetitionis earumdem, quas cum quibuſcumque advenientibus perpetrant, & non de notorio per accidens, qui evaſit ex injuſta diffamatione alicujus. Quoad Incendiarios, jam diximus: & nota, quod hic comprehenduntur incendiarii cujuſcumque rei notabilis.

IX. Decimus nonus dicit: *Scripturarum publicarum falſificatio*: de qua jam ſupra diximus: & ſolum expendendum remanet ly *Publicarum*: etenim ſi ſtandum ſit in rigore vocabuli, publica ſcriptura videtur illa, quæ prodit a publica Poteſtate Principis, Magiſtratus, Tribunalis &c. Verum crederem, in ampliori ſignificatione eſſe accipiendam illam vocem, videlicet etiam per ſcripturas privatim factas inter contrahentes, quæ tamen deſervire poſſint publicæ notitiæ Tribunalis, in quo lis, aut cauſa aliqua judicanda ſit, v. gr. Chyrographum, quo quis fatetur ſe debitorem Petro &c. &c.; quæ ſcripturæ non incongrue vocantur publicæ, ratione finis, ad quem ſcribuntur; quas falſificans, hac reſervatione tenetur.

X. Vigeſimus hæc habet: *Qui integre non ſolvit Decimas, Quarteſia, Canones, & penſiones Eccleſiæ, aut Locis piis*. Circa has obligationes plura diximus in quinto Eccleſiæ præcepto, ubi non pauca invenies, quæ poſſunt afferre lumen ad recte intelligendam materiam hujus reſervationis. Itaque præſupponitur, quod omiſſio voluntaria ſolutionis debeat eſſe mortalis, ex quantitate rei non ſolutæ, quæ aut ſit notabilis etiam in una vice, aut evaſerit notabilis ex repetitione plurium omiſſionum, quæ tandem coaluerint in materiam notabilem. Præſupponitur item potentia ad ſolvendum, nam ſi extaret impotentia inculpabilis, non teneretur. Neque excuſes omittentem, qui contendat, ſe non teneri, & interea non ſolvat; nam is tenetur in conſcientia, proferre ad Tribunal competens ſua motiva, ut a judice dirimatur hæc cauſa; ſi enim taceat, & interea omittat, non eſt ſecurus in conſcientia. Tandem in vigeſimo primo modo dicitur: *Decimarum, ſeu Primitiarum non facta ſolutio, non ſolum quoad non ſolventes: verum etiam quoad auxilium, conſiliumque præſtantes*. Hæc reſervatio continet non ſolutionem duarum rerum, ſcilicet

cet Decimarum , & Primitiarum ; itaut non ſolutio aliarum rerum , quæ revera neque ad Decimas , nec Primitias pertinent, non includitur in hac reſervatione; quandoquidem in aliquis locis vigeat , aut non vigeat conſuetudo ſolvendi , aut non ſolvendi quaſdam res, ut videre potes in Tract. 12. cap. 4.

Hactenus ſcripta in his animadverſionibus cenſeantur ſubmiſſa , nedum correctioni S. Eccleſiæ , verum etiam cujuſvis Theologi , me ſapientioris; & , quæcumque aſſerui ita recipiantur, ut ſi qua explicatio Epiſcoporum reſpective extaret in contrarium , illi , utpote legitimæ, ſtandum ſit , & nullatenus meæ interpretationi.

APPENDIX SECUNDA AD TRACTATUM *DE* SACRAMENTO PŒNITENTIÆ,

QUÆ EST DE INDULGENTIIS.

§. I. *De notione Indulgentiæ, & de Poteſtate Illam conferendi.*

Notio, & Diviſio indulgentiæ.

I. CUm confeſſarium deceat , ſaltem ſummatim ſcire , quæ ad Indulgentias ſpectant , idcirco capiti de Sacramento Pœnitentiæ adnectimus hanc Appendicem, ob nexum quemdam , quem habere poteſt cum ſatisfactione Sacramentali . Itaque Indulgentia eſt remiſſio pœnæ temporalis peccatis jam quoad culpam remiſſis debitæ, per applicationem meritorum Chriſti, & Sanctorum; quæ remiſio fit extra Sacramentum, & Sacrificium Miſſæ . Dividitur Indulgentia in totalem, ſeu Plenariam , qua tota pœna peccatis debita remittitur; & in partialem, qua pœna ex parte tantum remittitur . Hæc partialis ita intelligitur, puta indulgentia centum annorum, quæ rite ſuſcepta, demit in foro Dei de debitis, quantum demeret pœnitentia canonica , ſi per centum annos quis illam decurriſſet.

Poteſtas concedendi Indulgentias.

II. Poteſtas concedendi indulgentias reſpectu univerſæ Eccleſiæ reſidet in ſolo Summo Pontifice de Jure Divino, cui ſoli, S. Petri ſucceſſori, collata fuit ſuprema poteſtas ligandi , & ſolvendi , ſub Clavium nomine ſignificata ; & ideo illas concedere poteſt eo gradu, eaque menſura, quæ ſibi in Domino videbitur . Archiepiſcopi in tota ſua Provincia, & Epiſcopi in ſna Diœceſi , jure communi ex decretis Pontificum proficiſcente , poſſunt concedere dumtaxat indulgentias unius anni in Dedicatione Eccleſiæ , & in anniverſario Dedicationis; ex alia autem cauſa ſolum quadraginta dierum: ita ex Concil. Lateranenſi 4. cap. 62. Cardinales , qui non ſunt Epiſcopi , poſſunt ex conceſſione ſaltem tacita Pontificis, concedere Indulgentias tantummodo centum dierum . Poteſtas concedendi Indulgentias non eſt ordinis, ſed juriſdictionis, & idcirco Indulgentiæ concedi non poſſunt, niſi ſubditis , & quamvis Regulares ſint exempti ab Epiſcoporum juriſdictione , poſſunt tamen Indulgentias ab Epiſcopis conceſſas lucrari: quia in favorabilibus poſſunt ſe ſubjicere juriſdictioni Epiſcoporum , ne privilegium exemptionis eiſdem hanc ſpiritualem jacturam afferat.

✠ Eſt in Eccleſia Theſaurus, cujus diſpenſatio illi credita eſt. Theſaurus autem iſte non aliud eſt, quam valor ſatisfactionum Chriſti, quæ ſuperabundantes, & infini-

fini-

Digitized by Google

finitæ fuerunt; & etiam Martyrum, & aliorum Sanctorum, qui ad expiationem propriorum peccatorum neceſſarius eis non fuit manens in conſpectu Dei. Merita tamen & ſatisfactiones Martyrum, & Sanctorum non aliunde quam ex meritis, & ſatisfactionibus Chriſti, quæ in eis operantur, valorem, & efficaciam habent. Legatur Em. Gottus *Tract. de Indulg. q. 3. dub. 1. §. 3. & 4.* Indulgentiæ igitur nituntur meritis & ſatisfactionibus Chriſti, & Sanctorum, quibus Theſaurus Eccleſiæ conſtat.

§. II. *De requiſitis ad acquirendas Indulgentias pro viventibus.*

Quid requiritur pro indulgentiis viventibus conceſſis? & primo ſtatus gratiæ.

I. AD acquirendas Indulgentias viventibus conceſſas, requiritur ſtatus gratiæ, ſaltem quando ponitur ultimum opus a Bulla pro acquirenda indulgentia præſcriptum; quia perſonæ inimicæ Divinæ Majeſtati nulla ſit remiſſio pœnæ; cum enim pœnæ æternæ reatui obnoxia ſit, indigna prorſus eſt, cui remittatur ulla pœna temporalis; ut igitur vivens indulgentiam acquirat, niſi in Bulla præſcribatur inter alia opera, ponenda etiam confeſſio Sacramentalis; requiretur, quod ſaltem par contritionem perfectam de ſtatu peccati in ſtatu gratiæ ſe conſtituat.

Saltem dum ponitur ultimum opus præſcriptum.

II. Conſulto dixi, ſaltem dum ponitur ultimum opus præſcriptum; quia tunc tantummodo applicatur indulgentia. Dixi ſaltem; quia non ſine gravi motivo aliqui cenſent, quod omnia opera injuncta facienda ſint in ſtatu gratiæ; nihilominus communior ſaltem exigit, ut ultimum opus fiat in gratia; reliqua autem opera injuncta fieri debent, ſaltem ſine actuali affectu ad peccatum lethale; immo animo pœnitente, atque ea intentione, ſe transferendi ad ſtatum gratiæ.

Opera injuncta facienda modis præſcriptis.

III. Opera injuncta pro acquirenda indulgentia fieri debent tempore, loco, & ordine, quo præſcribuntur, atque integre, & dirigi ad eum finem, propter quem conceditur indulgentia: puta ad avertendam peſtilentiam, ad pacem a Deo obtinendam, ad Deum placandum &c., quia indulgentia non operatur effectum, niſi juxta intentionem expreſſam in verbis illam concedentis: eapropter quocumque modo, etiam ex ignorantia invincibili, omittatur aliquod ex injunctis, & præſcriptis, indulgentia non acquiritur.

Requiſita ad Plenariam conſequendam.

IV. Cum itaque indulgentia Plenaria ſit plena, & totalis remiſſio pœnæ peccatis debitæ, ut hanc quis conſequatur, neceſſe eſt, ut nedum omnia ſua peccata lethalia; verum etiam venialia omnia ſincere deteſtetur; ita ut non ſolum ad nullum mortale, ut ſupponitur, ſed neque ad ullum veniale affectionem habeat, & a quolibet eorum ſincere abhorreat; quandoquidem impoſſibile ſit, plenariam pœnæ remiſſionem conſequi, ſi retineatur affectus etiam ad unum veniale; quia hujuſmodi affectus excludit plenariam pœnæ remiſſionem: Quinimmo nonnulli graves Theologi laudati a S. Antonino 1. p. tit. 10. cap. 3. §. 3. & ab eodem approbati, docent, quod ad hanc plenariam conſequendam, requiratur præterea ſincerum propoſitum; & ſedula cura ſatisfaciendi Deo per opera pœnalia, Chriſtiano homini vere dolenti congrua; & hanc opinionem præ aliis tenent doctiſſimi Cajetanus, & Navarrus, quorum motiva ſunt; quia extat præceptum Divinum de agenda pœnitentia pro peccatis commiſſis, nempe faciendi fructus pœnitentiæ dignos, qui fructus pœnitentiæ interioris ſunt opera pœnalia exteriora, eleemoſinarum, jejuniorum, precum &c. Tum etiam, quia aliter indulgentiarum uſus redundaret, non in ædificationem populi fidelis, ſed in deſtructionem ſpiritus pœnitentiæ, ſi paucis actionibus, & non magni momenti interpoſitis, plenariam quis conſequeretur remiſſionem pœnæ pro innumerabilibus mortalibus a ſe patratis; unde dilataretur aditus libertati peccandi ſub ſpe conſequendæ remiſſionis plenariæ a cunctis pœnis tot criminibus debitis; & exinde foveretur tepor, & deſidia circa pias actiones; atque occaſio a pravis hominibus arriperetur diſſolute vivendi. Momenta profecto non ſpernenda.

✠ Vide ſupra §. 5. *De Satisfactione Sacramentali poſt n. 3.*

Licet igitur a Pontifice concedatur Indulgentia plenaria, ille tamen qui habet affectum actualem venialiter malum, vel ſua pœccata venialia non retractavit aliquo dolore univerſali, lucratur indulgentiam ſolum partialem, ſeu tantum quoad pœnam illorum peccatorum venialium, quæ quoad culpam jam fuerunt remiſſa. Si quis tamen dolet de omnibus peccatis in genere, & debite peragit omnia requiſita ad lucrandas indulgentias plenarias, ei propter talem dolorem remittitur omnis culpa venialis. Sic Pater Marcus M.

Strug-

Struggl. Ord. Serv. B. M. V. *Tract.* 13. *q.* 1. *art.* 4. *n.* 38.

An ſem. per requiratur confeſſio?

V. Quando in Bulla conceſſionis indulgentiæ exprimitur , quod ea conceditur *contritis & confeſſis*, probabilius videtur requiri confeſſionem etiam ab eo , qui alioquin ſperat, ſe eſſe in gratia ; quandoquidem confeſſio in dicto caſu præſcribitur , non eo fine , ut homo peccator redeat ad ſtatum gratiæ , ſed præſcribitur ut opus pium , & religioſum injunctum volenti acquirere indulgentiam. Non me latet , plures contrarium docere reſpectu habentis gratiam : at ſi verum ſit , Bullas tantum valere , quantum ſonant ; profecto verbis Bullæ dicentis *contritis* , *& confeſſis* , aut dumtaxat *confeſſis* , non concordat , qui confeſſionem omittit.

Nunc ſublata remanet diſſenſio , quæ inter Theologos effervebat , ac firmata ſententia , quam Auctor propugnat ex Decreto S. Cong. Indulgentiis , & Reliquiis præpoſitæ a Sanctiſſimo Domino Noſtro P. Clemente XIII. feliciter regnante approbato *die* 19. *Maii* 1759. , quod integrum hic exſcribere lubet : *Ut Chriſtifideles ſcire poſſint , quid ſibi tenendum foret pro acquirendis Indulgentiis in ſententiarum varietate ſuper intelligentia verborum* : qui vere pœnitentes , confeſſi , ac ſacra Communione refecti Eccleſiam viſitaverint ; *quæ in Indulgentiarum Brevibus inſeri ſolent , in Sacra Congr. Indulgentiis , ſacriſque Reliquiis præpoſita diſcuſſis die 31. Martii proxime præteriti , nonnullis dubiis , eadem Sacra Congregatio fuit in voto , Confeſſionem ſacramentalem , quando in Brevibus apponitur pro Indulgentiarum conſecutione , peragi omnino debere etiam ab iis , qui ſibi lethalis peccati conſcii non ſunt , nec non præfatam confeſſionem ſuffragari etiam poſſe , ſi expleatur in vigilia Feſtivitatis . Quod autem ad Eccleſiæ viſitationem ſpectat , eam impleri poſſe ſive ante , ſive poſt aliorum piorum operum implementum* . Duo itaque fuere ſancita , nempe 1. ad Indulgentiam *contritis , & confeſſis* conceſſam acquirendam , neceſſariam eſſe confeſſionem ſacramentalem iis etiam qui nullam mortalis peccati conſcientiam gerunt . 2. ad lucrandam Indulgentiam ſufficere confeſſionem ſacramentalem in vigilia Feſtivitatis peractam . Hinc amplius audiendi non ſunt Theologi , qui aſſerebant Confeſſionem . (quod etiam de Communione affirmabant) ad indulgentiam lucrandam requiſitam aliquot diebus præcedere poſſe ; quam quidem diſtantiam aliqui ex illis ad quatriduum , quidam vero etiam ad ſex dies extendebant : Non , inquam , ſunt amplius audiendi : cum ex relato S. Cong. Decreto exploratum ſit ad Indulgentiam conſequendam ſolummodo prodeſſe poſſe Confeſſionem factam die , qui Feſtivitatem antecedit. Et quidem , ut probabilius videtur , non modo veſpere , ut certum omnino ſemper fuit , ſed etiam mane ejuſdem diei præcedentis.

* Verumtamen aliud poſtea , nempe *die* 9. *Decembris* 1763. ad rem hanc ejuſdem Sacræ Congregationis Decretum emanavit , quod etiam modo hic integrum oculis ſubjicere opportunum cenſemus .

,, Quum Sacra Congregatio (hiſce eſt con-
,, ceptum verbis) Indulgentiis , & Sacris
,, Reliquiis præpoſita die 31. Menſis Mar-
,, tii anno 1759. fuerit in voto , Confeſ-
,, ſionem Sacramentalem quando in Bre-
,, vibus apponitur pro Indulgentiæ con-
,, ſecutione , peragi omnino debere , et-
,, iam ab his , qui ſibi lethalis peccati con-
,, ſcii non ſunt , necnon præfatam Con-
,, feſſionem ſuffragari etiam poſſe , ſi in
,, Vigilia Feſtivitatis expleatur , Votum-
,, que Congregationis Sanctiſſimus Domi-
,, nus Noſter CLEMENS P. P. XIII. be-
,, nigne approbaverit , illudque typis pu-
,, blicari ſub datum 19. Maii prædicti an-
,, ni mandaverit ; quamplures ſupplices li-
,, belli tum Regularium Communitatum ,
,, & præſertim Monialium ; tum etiam
,, Parochorum , & nonnullorum Epiſcopo-
,, rum pro ſuis Diœceſibus porrecti ſunt ,
,, quibus maxima exponebatur difficultas ,
,, quæ interdum , imo perſæpe incidit pro
,, Sacramentali Confeſſione ſive in Feſto ,
,, vel ad minus in Vigilia peragenda .
,, Quamobrem , ut adeo proficuus Indul-
,, gentiarum Theſaurus reddatur Fideli-
,, bus accomode comparandus , enixis pre-
,, cibus ſupplicabant Sanctitati ſuæ , ut
,, opportuno aliquo remedio de Apoſtoli-
,, ca benignitate providere dignaretur :
,, quibus ad prædictam S. Congregatio-
,, nem remiſſis , propoſitum in ea fuit du-
,, bium : -- *An & quomodo ſit conſulen-*
,, *dum Sanctiſſimo ſuper præfati Decreti*
,, *executione , vel declaratione in caſu*
,, *ec.* -- & reſponſum fuit -- *Conſulen-*
,, *dum Sanctiſſimo Domino Noſtro , ut*
,, *concedere dignetur Indulgentiam omni-*
,, *bus Chriſtifidelibus , qui frequenti pec-*
,, *catorum confeſſione animum ſtudentes*
,, ex-

Digitized by Google

„ *expiare ſemel ſaltem in hebdomada ad* „ *Sacramentum Pœnitentiæ accedere*, *niſi* „ *legitime impediantur*, *conſueverunt*; *&* „ *nullius lethalis culpæ a ſe poſt pera-* „ *ctam ultimam Confeſſionem commiſſæ ſi-* „ *bi conſcii ſunt*, *ut omnes & quaſcum-* „ *que Indulgentias conſequi poſſint*, *etiam* „ *ſine actuali confeſſione quæ ceteroquin* „ *juxta præfati Decreti definitionem ad* „ *eas lucrandas neceſſaria eſſet*. *Nihil* „ *tamen innovando circa Indulgentias Ju-* „ *bilæi tam ordinarii quam extraordina-* „ *rii*, *aliaſque ad inſtar Jubilæi conceſ-* „ *ſas*, *pro quibus aſſequendis*, *ſicut &* „ *alia opera injuncta: ita & ſacramen-* „ *talis confeſſio*, *tempore in earum con-* „ *ceſſione præſcripto peragantur*, -- & fa- „ cta per me infraſcriptum ejuſdem Sacr. „ Congregationis Secretarium de præmiſ- „ ſis omnibus Sanctiſſimo Domino Noſtro „ relatione, Sanctitas ſua piis bonorum de- „ ſideriis ac votis ſatisfacere, & indulgen- „ tiarum gratias, iis potiſſimum, qui pie „ ſancteque vivendo donis divinæ miſeri- „ cordiæ digniores efficiuntur, elargiri „ quam maxime cupiens, benigne annuit, „ & præfatum Indultum in forma ſupra- „ ſcripta expediri, & publicari mandavit, „ quibuſcumque in contrarium non ob- „ ſtantibus. “

Itaque ex benigna S. P. conceſſione, nunc omnes Chriſtifideles, qui ſemel ſaltem in hebdomada ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, niſi legitime impediantur, conſueverunt, & nullius lethalis culpæ a ſe poſt peractam ultimam confeſſionem commiſſæ ſibi conſcii ſunt, omnes, & quaſcumque Indulgentias conſequi poſſunt ſine actuali confeſſione.

Ex his autem colligendum 1. eſt, ad conſequendas Indulgentias, quæ conceduntur *vere pœnitentibus & confeſſis* neceſſariam eſſe confeſſionem actualem iis, qui ſemel ſaltem in hebdomada ad Pœnitentiæ Sacramentum accedere non conſueverunt, etſi poſt ultimam ab ipſis peractam Confeſſionem nullum mortale peccatum admiſerint, atque ideo circa hos firmum & in ſuo robore permanere primum Decretum.

Colligendum 2. eſt, ad lucrandas Indulgentias iis quoque neceſſariam eſſe confeſſionem, qui, quamvis ſaltem ſemel in hebdomada ſoleant peccata ſua confiteri; attamen poſt ultimam confeſſionem alicujus lethalis criminis ſontes evaſerunt; ideoque ſatis non eſſe ad illas conſequendas, ſi actum perfectæ contritionis eliciant.

Colligendum 3. eſt, neceſſariam non eſſe confeſſionem ad acquirendas Indulgentias iis, qui conſueſcunt confiteri ſaltem ſemel in hebdomada, licet quandoque legitimo aliquo detenti impedimento, id omittant. Hoc liquido conſtat ex verbis ipſius Decreti. Quodnam autem legitimum cenſeri debeat impedimentum? fortaſſis non una erit omnium ſententia. Salvo meliori judicio exiſtimamus, non requiri tale impedimentum, ob quod quis abſolute nequeat ad confeſſionem accedere, ſed ſufficere arbitramur tale impedimentum, ob quod quis commode non valeat in aliqua hebdomada peccata ſua confiteri.

Obſervandum tandem ſpeciatim occurrit quod in poſtrema laudati Decreti parte continetur, nempe nihil innovatum eſſe circa Indulgentias Jubilæi tam ordinarii, quam extraordinarii, aliaſque, quæ ad inſtar Jubilæi conceduntur; atque ita ad illas acquirendas opus eſſe, ut ſacramentalis peragatur confeſſio tempore in earum conceſſione præſcripto.

Quæres, num in pervigilio Feſtivitatis, pro qua Indulgentia conceditur, fieri poſſit Communio ad Indulgentiam lucrandam.

Reſp. negative; idque colligitur ex primo relato S. C. Decreto *anni* 1759.; quippe in eo dumtaxat exprimitur, *confeſſionem ſuffragari poſſe*, *ſi expleatur in vigilia Feſtivitatis*; *& Eccleſiæ viſitationem impleri poſſe ſive ante*, *ſive poſt aliorum piorum operum implementum*. De communione autem nullum verbum occurrit. Videtur itaque ea differenda ad diem ipſum Feſtivitatis, pro qua Indulgentia conceditur.

VI. Quando inter opera injuncta præſcribitur oratio, hæc debet fieri attente, devote, & vocaliter, neque adeo brevis, ut etiam in hac appareat actus pœnitentialis: debet item fieri intra tempus præſcriptum, & in loco, ſeu Eccleſia præſcripta, atque ea intentiones, quam habet concedens indulgentiam; quæ eſſe ſolet pro Eccleſiæ ſanctæ profectu, præcipue ſpirituali; pro hæreſum extirpatione, & infidelium converſione, pro pace, & concordia Chriſtianorum Principum, & pro felicitate S. Sedis. Quid de oratione præſcripta?

VII. Quando præſcribitur jejunium, debet obſervari ſaltem ut alia Eccleſiæ jejunia, & diebus in Edicto determinatis. Quando injungitur eleemoſina, cum injungatur ut opus pœnale ponendum, debet eſſe Quid de jejuniis, & eleemoſinis injunctis?

Digitized by Google

eſſe talis, quæ correſpondeat ſtatui, & conditioni perſonæ, & cujus elargitio aliquam pœnam afferat; propterea ſi dives duos, vel tres obolos erogaret, non videretur eleemoſina pœnalis, & idonea ad indulgentiam; quidquid aliqui nimis molliter dicant.

Quid de indulgentiis viſitatione Eccleſiarum acquirendis? VIII. Indulgentiæ, quæ acquiruntur viſitatione Eccleſiarum, Altarium &c., talem poſtulant viſitationem, ut ex ſignis appareat, illud Altare viſitari: & quidem viſitari prece vocali coram illo effuſa, quæ non ſit adeo brevis, ut viſitationis nomine ſit indigna; puta ſi recitatione unius Pater, vel Gloria Patri abſolvatur; ſed debet eſſe talis, ut prudenter cenſeatur Eccleſiam, aut altare per congruas preces effuſas viſitata fuiſſe.

§. III. *De acquiſitione Indulgentiarum pro defunctis.*

Quomodo intelligitur Indulgentia pro defunctis? I. INdulgentiæ, quæ in Bullis conceduntur pro defunctis, aut ut applicabiles etiam defunctis, conceduntur non per modum judicii, ſed ſolius ſuffragii; quia Eccleſia ſuper animabus, quæ ex hac vita migrarunt non amplius judicat, ſed dumtaxat offert ſatisfactiones illas Deo, ut quatenus juſtitiæ, & miſericordiæ ſuæ libuerit, illas defunctorum animabus applicet in purgatorio degentibus. Cum autem ipſe dixerit, quod eadem menſura, qua alios menſi fuerimus, remetietur & nobis; propterea illis animabus parum prodeſſe timendum eſt, quæ dum in præſentì vita degerent, aut nihil, aut modicum de operibus miſericordiæ, præſertim erga defunctos fuerunt ſollicitæ, ut proinde a Divina Providentia aliis animabus applicentur, quæ, ut ait S. Auguſtinus, *dum hic viverent, ea ſuffragia ſibi prodeſſe poſſe meruerunt.*

Requiſita, ut fructuoſe defunctis applicentur. II. Ut autem fidelis fructuoſe indulgentiam applicet animabus defunctorum, præter intentionem dirigendi opera illa, quibus indulgentia acquiritur, ad levamen defuncti, ſicut & ipſam indulgentiam; & præter exactam injuncti operis executionem; exigitur juxta rationabiliorem opinionem Bellarmini, Angeli, & aliorum, ab Emmanuele Sa relatorum, verbo Indulgentia num. 1., ut & ipſe applicans ſit in ſtatu gratiæ; videtur namque repugnare, quod inimicus Dei, qui pro ſe ipſo inhabilis eſt ad ſatisfaciendum Deo, valeat ſatisfacere pro alio; & quod actiones ab inimico elicitæ, quæ nunquam ſunt futuræ gratæ Deo, poſſint eidem eſſe acceptæ pro alio, quamvis amico, oblatæ. Nihilominus, quia contraria opinio, nempe quod etiam homo peccator poſſit fructuoſe acquirere indulgentias defunctis applicandas, eſt eiſdem defunctis favorabilis; quandoquidem multi peccatores, qui pro defunctis ſunt ſolliciti, ab hoc pietatis opere averterentur, ſi ad ſe juſtificandos tenerentur, ut fructuoſa fieret eorum pro defunctis ſollicitudo; & quia a gravibus Auctoribus hæc opinio protegitur, nempe a Corduba lib. 5. q. 26. propoſitione 7. Naldo verbo Indulgentia num. 6. Suarez diſp. 53. ſect. 4. num. 5. 6. Navarro notabili 17. de Indulgentiis nu. 4., & notabili 19. num. 6. Toleto lib. 6. cap. 26. num. 5. præter alios non paucos a Bonacina citatos de Indulgentiis puncto 7. num. 11., & multo magis quia hæc traditur ex profeſſo a Divo Thoma in Supplemento quæſt. 71. art. 3. afferente etiam auctoritatem S. Auguſtini; idcirco dicamus & nos, peccatores poſſe defunctis fructuoſe indulgentias applicare, dummodo actualem affectum ad mortale non habeant: hortamurque illos, ut ſaltem diſplicentiam aliquam de ſuo malo ſtatu concipiant. Et tandem ſciat peccator, quod quamvis poſſit pro defunctis eas indulgentias applicare, quæ ſunt directe pro eis ab Eccleſia conceſſæ; non tamen fructuoſe applicare poteſt illas, quæ pro illis indirecte ſunt applicabiles; nempe quæ directe conceduntur viventibus, cum facultate tamen eaſdem applicandi etiam defunctis. Ratio eſt: quia cum peccator in ſtatu lethali non valeat fructuoſe applicare ſibi; ita neque aliis; in tantum enim poſſet aliis, in quantum conceditur, quod cedere poſſit aliis utilitatem ab ipſo percipiendam; cum autem ipſe ullam percipere nequeat, ita, neque aliis ullam applicare.

Digitized by Google

CAPUT V.

DE

SACRAMENTO

EXTREMÆ UNCTIONIS.

§. I. *De Inſtitutione, Materia, Forma, & Miniſtro Extremæ Unctionis.*

Ejuſdem inſtitutio. I. SAcramentum Extremæ Unctionis fuiſſe a Chriſto inſtitutum, & voce tenus Apoſtolis conſignatum, dum *per dies quadraginta poſt reſurrectionem apparens eis, loquebatur de regno Dei*, quod regnum eſt Eccleſia, conſtans eſt, & ſemper fuit Traditio Apoſtolica divina, & definitum fuit a Tridentino ſeſſ. 7. can. 1.: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta... videlicet Baptiſmum ... Extremam Unctionem &c. Anathema ſit*. Hujus Sacramenti primum Promulgatorem fuiſſe S. Jacobum Apoſtolum, conſtat ex ejus Epiſtola cap. 5. Eſſe autem verum Sacramentum, ex eo liquet, quod & fuerit a Chriſto inſtitutum, & ſit ſignum ſenſibile, & ſit collativum gratiæ; dicit namque Jacobus de infirmo uncto; quod *ſi in peccatis ſit, remittuntur ei.*

Materia ejuſdem II. Materia remota ejuſdem eſt oleum olivarum ab Epiſcopo benedictum, & quidem eo anno; propterea, qui uteretur oleo non benedicto eo anno, quamvis valide, illicite tamen graviter miniſtraret; quin in re gravi ageret contra Eccleſiæ conſuetudinem, niſi forte neceſſitas illum excuſaret. Si autem oleo conſecrato admiſceatur aliud non conſecratum, & hoc ſit in minori quantitate, totum evadet conſecratum; illicite tamen notabiliter ageretur, niſi iterum neceſſitas id fieri poſtularet. Materia proxima eſt unctio, facienda digito pollice in forma crucis, & quidem neceſſitate præcepti Eccleſiæ, ita fieri jubentis.

✠ Utique Sacramenti extremæ Unctionis materia remota eſt oleum, liquor videlicet ex baccis olivarum expreſſus, qui ſolum in communi modo loquendi, abſolute, & ſine addito, *oleum* nuncupatur. Debet autem ejuſmodi oleum eſſe ſimplex, hoc eſt abſque ulla alterius liquoris admixtione. Nihil tamen detraheretur Sacramenti validitati, ſi, contra communem cæteroquin, & perpetuam Eccleſiæ praxim, infirmorum oleo admiſceretur aliquid balſami; modo admixtio tanta non eſſet ut deſtrueret exteriorem olei ſpeciem, ita ut, non amplius oleum, ſed potius unguentum, aut alterius generis mixtum artificiale cenſeretur. Debet præterea oleum, in extrema Unctione adhibendum, eſſe Epiſcopi benedictione antea ſacratum. Sed quæſtio eſt, num Epiſcopi benedictio ſit neceſſaria ex Chriſti Domini inſtitutione, an ſolum ex Eccleſiæ præcepto. Diverſæ ſunt hac in re Theologorum ſententiæ, ut obſervat S. P. Benedictus XIV. *de Synodo Diœceſ. lib. 8. cap. 1. E. F.* 1760. Nonnulli autumant, benedictionem fuiſſe oleo ſuperadditam ab Eccleſia, non vero inſtitutam a Chriſto Domino; ac proinde illicitum quidem, ſed validum pronunciant Sacramentum oleo non conſecrato adminiſtratum: quin immo, urgente neceſſitate, etiam abſque culpa ita adminiſtrari poſſe exiſtimat Victoria *in Summ. de Sacram. n. 216.* Alii e contra ſuſtinent, olei conſecrationem, non tantum præcepti, ſed etiam neceſſitate Sacramenti requiri; eamque præterea conſecrationem ita a Chriſto Domino Ordini Epiſcopali annexam aſſerunt, ut ſimul aſſeverent, ne a Summo Pontifice quidem eam poſſe ſecundi ordinis Presbyteris delegari. Inter haſce duas extremas ſententias, medii quodammodo incedentes quidam, tria ſtatuunt: nimirum 1. aliquam conſecrationem ex Chriſti inſtitutione requiri, ut oleum fiat apta materia Sacramenti extremæ Unctionis. 2. nunquam in Eccleſia Latina fuiſſe ægrotantes oleo inunctos, ab Epiſcopo antea non conſecrato, 3. denique ad Sacramenti validitatem ſatis eſſe affirmant, oleum a ſimplici Sacerdote benedictum. Et profecto poſſe, ſaltem ex commiſſione ſive expreſſa, ſive tacita Romani Pontificis, a ſimplici Sacerdote præparari materiam aptam ad conficiendum Sacramentum extremæ Unctionis, res videtur exploratiſſima, quam nemini liceat in quæſtionem adducere; ſiquidem in Eccleſia Orientali mos viget, a mille & amplius annis in ea receptus, ut ipſimet Presbyteri, cum ſe accingunt ad infirmum inungendum, oleum in ea Sacramentali Unctione adhibendum, benedicant. Hanc autem Orientalium conſuetudinem Eccleſia Latina non ſolum non improbavit, ſed ratam habuit.

R 2 Sic

Digitized by Google

Sic laudatus S. P. Benedictus XIV. *loc. c.* ubi alia plura ad rem hanc protulit ſcitu digna, quæ tamen nos brevitati conſulentes miſſa facimus.

Forma ejuſdem & quomodo adminiſtranda? III. Forma ejuſdem Sacramenti eſt: *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum &c. amen*, exprimendo ſemper ſenſum, qui ungitur; dicendo per auditum, quando aures; per tactum, quando manus; per odoratum, quando nares; per inceſſum, quando pedes; per ardorem libidinis, quando renes inunguntur. Mulieres tamen, propter honeſtatem, non unguntur in renibus; unde unctio illius partis in ipſis ommittitur. Sacerdotes vero, quia in palma manus ſemel fuerunt uncti, dum ordinationem ſacerdotalem ſuſceperunt; ideo non unguntur in palma, ſed in exteriori parte manus. Exprimitur autem forma modo deprecativo, tum quia ita docemur a S. Jacobo: *& orent ſuper eum*; tum quia, ut ait S. Thom. in 4. d. 23. quæſt. 1. art. 4. q. 2. *infirmus indiget aliorum deprecatione:* & propterea, ſi quis eam proferret modo indicativo, nedum graviter peccaret; verum etiam, juxta communiorem, invalide ageret. In caſu quo non vacet, ſingulos inungere ſenſus, quia infirmus jam moritur; poſſunt ita uniri omnes formæ, uncta una parte corporis, quæ pluribus æquipolleat, puta fronte, dicendo: *Per iſtam ſanctam unctionem &c. indulgeat tibi Deus quidquid per viſum, auditum, odoratum, guſtum, tactum, greſſum, & renes deliquiſti.*

* Ultro Doctores omnes fatentur, ut animadvertit S. P. Benedictus XIV. *de Synod. Diœc. lib. 8. cap. 3. num. 2. nov. edit.* duas poſtremas Unctiones, pedum ſcilicet & renum neceſſarias non eſſe ad validam Sacramenti confectionem; tum quia non ſunt in uſu apud omnes Eccleſias, tum quia illa renum, honeſtatis, & pudoris cauſa, ſemper omittitur in fœminis, & interdum etiam in viris, qui propter labefactatas corporis vires, morbique labores, dimoveri nequeunt ſine gravi incommodo, quod adnotatur a Rituali Romano, atque a Cardinali Sanctorio *in ſuo Rituali pag.* 325. Haud difficulter quoque iidem admittunt, cæteras quinque ſenſuum Unctiones neceſſarias eſſe neceſſitate præcepti: ſed diſſentiunt; & diſputant, num etiam neceſſariæ ſint neceſſitate Sacramenti. Antiquiores Scholaſtici exiſtimarunt, omnes pertinere ad ſubſtantiam, & integritatem Sacramenti, quod ex ſingulis, tamquam ex ſuis partibus eſſentialibus conſtitui, atque integrari, ſunt opinati. Ita docuerunt S. Bonaventura, Richardus, Paludanus, Sotus, quibus ſubſcripſere Bellarminus, Gregorius de Valentia, Gonettus, aliique plurimi, præcipue ex Theologis Moralibus.

Alii ex adverſo validum cenſent Extremæ Unctionis Sacramentum, ſi vel una tantum inungatur corporis pars, unica prolata forma univerſali, omnes ſenſus complectente. Ita Sylvius, Serarius, Becanus, Eſtius, Natalis Alexander, Juveninus, Tournely, Vanroy, Piette, aliique recentiores paſſim. Huic opinioni validiſſimum fundamentum præbet diverſa in Unctionum numero diſciplina, quæ in diverſis Eccleſiis olim viguit; & majus adhuc argumentum eidem ſuppeditant, recentiora peculiarium Eccleſiarum Ritualia, unicam Unctionem fieri permittentia, ſi omnes perfici nequeant.

D. Thomas *in Suppl. q.* 32. *art.* 6. circa hanc difficultatem dubitanter loqui videtur: *Dicendum* (ait *in corp.* aſſignans rationem, cur determinentur partes ungendæ) *quod principia peccandi in nobis ſunt eadem, quæ & principia agendi, quia peccatum conſiſtit in actu. Principia autem agendi in nobis ſunt tria. Primum eſt dirigens ſcilicet vis cognoſcitiva. Secundum eſt imperans, ſcilicet vis appetitiva. Tertium eſt exquens, ſcilicet vis motiva. Omnis autem noſtra cognitio a ſenſu ortum habet, & quia ubi eſt in nobis prima origo peccati, ibi debet unctio adhiberi, ideo inunguntur loca quinque ſenſuum, ſcilicet oculi propter viſum, aures propter auditum, nares propter odoratum, os propter guſtum, manus propter tactum, qui in pulpis digitorum præcipue viget: & propter appetitivam unguntur alioqui renes: pedes unguntur propter motivam, qui ſunt principalius ejus inſtrumentum: & quia principium primum operationis humanæ eſt cognoſcitiva, ideo illa unctio ab omnibus obſervatur, quæ fit ad quinque ſenſus quaſi de neceſſitate ſacramenti: ſed quidam non ſervant alias; quidam vero ſervant illam, quæ ad pedes, & non quæ ad renes, quia appetitiva, & motiva ſunt ſecundaria principia.* Ait itaque Angelicus quod illa unctio ab omnibus obſervatur, quæ fit ad quinque ſenſus,

Digitized by Google

ctus, *quaſi de neceſſitate Sacramenti*: non aſſerit abſolute quod ſit de neceſſitate Sacramenti, ſed *quaſi de neceſſitate Sacramenti*. Quo limitato loquendi modo ſatis mentem ſuam indicat S. D.

„ Sed, quoniam (ſic tandem concludit „ laudatus S. P. Benedictus XIV. *loc.cit.* „ *num.* 5.) neque de hac quæſtione, quæ „ ſane graviſſima eſt, ulla hactenus ab A- „ poſtolica Sede prodiit ſententia, non de- „ bet Epiſcopus in ſua Synodo aliquid de „ ipſa decernere : ſed duntaxat Parochos „ monebit, ut cum prudenter timent, æ- „ grotum deceſſurum, priuſquam omnes „ abſolvantur quinque ſenſuum Unctiones, „ unicum ſenſum inungant, formam uni- „ verſalem pronunciando : quinimmo in „ prædicto eventu conſultius eſſe, ut ca- „ put, e quo omnium ſenſuum nervi de- „ ſcendunt, ſub eadem forma univerſali „ inungatur, non immerito advertit Co- „ ninch *de Sacram. diſp.* 19. *dub.* 3. *n.* 2. „ Ne vero Parochi hac libertate abutan- „ tur, expedit ut Epiſcopus ſerio eoſdem „ admoneat, a gravis culpæ reatu non ex- „ cuſari, qui, extra caſum veræ neceſſi- „ tatis, vel unam ex quinque ſenſuum „ Unctionibus prætermittit. “

Miniſter hujus Sacramenti.

IV. A Tridentino ſeſſ. 14. can. 4. de fide docemur, miniſtrum hujus Sacramenti eſſe ſolum Sacerdotem pro valido, pro licito autem eſſe Parochum, vel ſimplicem Sacerdotem de illius licentia. Ratio primi eſt; quia juriſdictio non eſt principium hujus adminiſtrationis, ſed character Sacerdotalis. Ratio ſecundi eſt, quia ad Paſtorem proprie pertinet miniſtrare Sacramenta ex vi ſui miniſterii, quod a nemine uſurpari debet cum illius injuria: Ceſſat autem omnis injuria in caſu neceſſitatis, ne infirmus decedat ſine hoc Sacramento : in quo caſu excuſantur etiam Regulares illud Sæcularibus miniſtrantes, ſi deſit alius Sacerdos; alioquin ipſi Regulares extra hunc caſum, in Clement. I. de Privilegiis, excommunicantur excommunicatione Pontifici reſervata, ſi illud adminiſtrent ſine Parochi licentia.

* Clementinam ab Auctore, *n. præced.* citatam, in qua Regulares ægrotum ungentes, nulla petita a Parocho venia, excommunicationi Summo Pontifici reſervatæ ſubiiciuntur cum tanta ſeveritate accepere nonnulli, ut aſſeruerint eadem cenſura ipſos Regulares irretiri, ſi extremam Unctionem miniſtrent ægroto conſtituto in mortis periculo, etiam dum Parochus abeſt. Sed jure ac merito alii ipſos refellunt, ut advertit, S. P. Benedictus XIV. *loc. cit. num.* 7. Etenim cum Eccleſia, urgente mortis periculo, cuilibet Sacerdoti poteſtatem fecerit abſolvendi, a quibuſlibet cenſuris & peccatis, veroſimile certe non eſt, quod cuipiam Sacerdoti interdixerit, ne in eodem ſtatu ac vitæ diſcrimine conſtituto, cum Parochus abeſt, adminiſtret extremam Unctionem, quæ eſt perfectio, & complementum Pœnitentiæ, neque ad ſui validitatem requirit in Miniſtro poteſtatem juriſdictionis, ſicuti Sacramentum Pœnitentiæ. Quare S. Carolus Borromæus, etſi Parochorum jura ſtudioſe ſemper tutatus fuerit, nihilominus in Concilio Mediolanenſi V. *part.* 1. *Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis pag.* 223. deficiente Parocho, cuilibet Sacerdoti integrum eſſe voluit, ſacro oleo inungere infirmum in mortis periculo conſtitutum.

Duo adhuc ſuperſunt obſervanda circa Regulares in re, qua de agimus. 1. extra caſum neceſſitatis ipſos non poſſe ſine licentia Epiſcopi, vel Parochi adminiſtrare extremam Unctionem neque Advenis, qui in eorum Conventibus infirmantur. Sic ſtatuit *Sac. Congreg. Concil. in Menopolitana* 27. *Sept.* 1670. 2. poſſe autem ipſos ſine ulla licentia miniſtrare extremam Unctionem famulis, domeſticis & continuis commenſalibus intra eorum Monaſteriorum ſepta reſidentibus. Vide P. Lucium Ferraris *V. Extrema Unctio*, *num.* 27. & 28.

Confeſſarium.

V. Hinc deducitur, quod ſi infirmus ſine confeſſione decedat, teneatur Parochus, etiam cum ſuæ vitæ periculo, illud moribundo miniſtrare, puta tempore peſtilentiæ: quia caſu, quo eſſet interius dumtaxat attritus, virtute Sacramenti evadet contritus. In caſu item neceſſitatis poteſt a pluribus Sacerdotibus, proferente unoquoque formam ſenſui, quem ungit correſpondentem, miniſtrari.

* Quanquam extrema Unctio valide conferri a pluribus ſimul Sacerdotibus valeat, modo tamen ſinguli diverſum infirmi ſenſum cum forma eidem debita inungant; uſus tamen jam inde a pluribus ſeculis in Latinam Eccleſiam invectus extra articulum neceſſitatis fert, ut unus tantummodo ſacro Oleo liniat, totamque perficiat Sacramentum; cui mori citra lethalem culpam ſe non conformare nemo poteſt; quippe nemini integrum eſt in Sacramentis adminiſtrandis a norma recedere in Rituali præſcripta. Laudabile tamen valde fuerit, ſi dum res ſacra pera-

gitur, plures adſiſtant Sacerdotes, vel ſaltem probi viri ob rationem, quam adducit D. Thomas *lib. 4. cont. Gentes cap. 43.* nempe ut *oratio totius Eccleſiæ ad effectum hujus Sacramenti coadjuvet*. Quod autem dictum eſt de extrema Unctione, per unicum Sacerdotem adminiſtranda, locum tantum habet in Eccleſia Latina; non vero in Græca, in qua mos eſt, nec a Romanis Pontificibus improbatus, ut in hoc Sacramento conferendo ſeptem Sacerdotes, vel ſaltem tres præſto ſint. Legatur S. P. Benedictus XIV. *loc. ſupra cit. cap. 4. n. 5. & 8.* qui etiam in Bulla, quæ incipit *Etſi Paſtoralis*, quæque habetur *Bullarii tom. 1. n. 57.* ſanxit, neceſſe eſſe, ut Sacerdos Græcus, qui ungit, idem & formam pronunciet.

§. II. *De ſubjecto, effectu, & neceſſitate hujus Sacramenti.*

Conferendum eſt ſolis Infirmis.

I. HOC Sacramentum, juxta definita a Conciliis Florentino, & Tridentino, conferendus eſt ſolis infirmis; ſic enim docuit Apoſtolus Jacobus: *Infirmatur quis in vobis &c.*: & propterea communiter a SS. Patribus appellatur oleum infirmorum. S. Thomas in Supplem. q. 42. a. 2. docet, quod non cuilibet infirmo ſit miniſtrandum, ſed infirmo conſtituto in mortis periculo, ut juvetur, & diſponatur ad Gloriæ ingreſſum: & proinde ab aliis SS. Patribus vocatur oleum exeuntium. Non tamen eſt expectandum, quod omni ſpe vitæ, & ſenſibus ſit deſtitutus; cum valde proſit animæ infirmi illud ſuſcipere, dum poteſt per congruos actus interioris devotionis ad illius effectum magis ſe diſponere. Immo tenetur, quantum eſt in ſe, procurare ſtatum gratiæ, ſi eo careat vel per confeſſionem, ſi fieri poſſit, vel per contritionem perfectam, ſi non poſſit confiteri.

Amentibus qualiter miniſtrandum?

II. Debet igitur, ſi fieri poteſt, miniſtrari infirmo, dum eſt compos ſui. Hinc docet Angelicus loc. cit. art. 3., furioſis, & amentibus, qui ſemper rationis uſu caruerunt, non eſſe adminiſtrandum, cum illud nunquam noverint, & addit, quod ſi lucidis intervallis donentur, ſit illis infirmis eo tempore conferendum: ſi autem in infirmitate dictis lucidis priventur, nihilominus ſit eis adminiſtrandum, ſi abſque irreverentiæ periculo fieri poſſit, & maxime ſi conſtet illud eos optaviſſe, aut taliter vixiſſe, ut ſperetur illud optaturos, ſi compotes ſui eſſent.

* Relege quæ adjecimus *tract. 13. cap. 2. §. 3. n. 1.*

An peſte infectis?

III. Peſte infectis adminiſtrari poteſt, utendo aliqua virga argentea, aut lignea, cujus extremitate tangatur oleum, & ſignetur infirmus, ut ait Parochiale Ruremundenſe, & peracta unctione, ſi virga ſit argentea, linteolo purgetur, & ad ſimilem uſum ſervetur; ſi vero ſit lignea, poſtquam fuerit purgata, comburatur; nam, ſecundum communiorem, Parochus tenetur illud miniſtrare peſte infectis cum aliquo ſuæ vitæ periculo, cum ſit Sacramentum valde utile animæ decumbentis. Si autem medicorum judicio valde magnum ſit ſuæ vitæ periculum, Suarez, Tannerus, & alii a Sylvio citati in 3. part. quæſt. 32. Supplem. art. 3. concl. 4. illum ab hoc onere eximunt, excepto caſu, in quo infirmus Sacramentum Pœnitentiæ non ſuſcepiſſet, ut diximus.

An Pueris?

IV. Pueris annum diſcretionis nondum attingentibus, non eſt hoc Sacramentum miniſtrandum, ait S. Th. loc. cit. art. 4. cum reſpectu ipſorum nequeat verificari ſenſus verborum formæ; eo quod ſint doli incapaces.

Effectus præcipuus hujus Sacramenti.

V. Effectus primarius hujus Sacramenti non eſt remiſſio venialium, ut expreſſe docuit S. Thomas loc. cit. quæſt. 8. a. 5. ad 2. *Extrema unctio non datur directe contra veniale*, & 3. part. quæſt. 65. a. 1. ad 8. generatim docet: *Nullum Sacramentum novæ legis directe inſtitui contra peccatum veniale; quia poteſt tolli per Sacramentalia, puta per aquam benedictam, & alia hujuſmodi:* Quandoquidem contra peccatum tam mortale quam veniale eſt inſtitutum Sacramentum Pœnitentiæ: immo ſi eſset inſtitutum contra venialia, poſset etiam a ſanis ſuſcipi, qui a venialibus emundari indigent. Hac ergo opinione quorundam antiquorum rejecta, effectus præcipuus Extremæ Unctionis eſt gratia ſanctificans, afferens jus ad auxilia, quibus anima infirmi corroboretur, & confirmetur contra diaboli tentationes, & morbi moleſtias. Alter eſt mundare animam a reliquiis peccatorum, nempe a languore, & torpore ad opera bona, necnon a pœnis peccato debitis, juxta gradum diſpoſitionis illud ſuſcipientis: item excitare animam ad actiones virtutum, patientiæ, reſignationis &c., & ad repellendum timo-

Digitized by Google

morem noxium, quo morituri non raro exagitantur. Alter effectus eſt peccatorum venialium remiſſio, ſicut commune eſt aliis Sacramentis vivorum, & etiam per accidens remiſſio mortalium, eo modo quo explicuimus in tractat. 13. cap. 1. §. 4. num. 2. Alter demum effectus, & quidem ſecundarius, & contingens, juxta ordinem Divinæ Providentiæ, eſt convaleſcere ab infirmitate, ſi ita expediat animæ decumbentis.

Alii effectus.

Ejus neceſſitas. VI. Extremam Unctionem *non eſſe de neceſſitate ſalutis* docet S. Thomas in Supplem. quæſt. 29. art. 3. & 3. part. quæſt. 65. art. 4. illam recenſet inter Sacramenta utilia, & convenientia. Plerique item docent, eam non eſſe neceſſariam neceſſitate præcepti ſive Divini, ſive Eccleſiaſtici, cum hæc præcepta nullibi legantur. Qui tamen poſitive nollet illam recipere, juxta omnes, lethaliter peccaret, tum propter ſcandalum, quod fidelibus daret hac poſitiva repulſa, tum propter virtualem contemptum, in hujuſmodi repulſa apparentem.

Certum eſt apud omnes Theologos, Sacramentum extremæ Unctionis non eſſe neceſſarium abſolute, & neceſſitate, ut vocant, *medii* ad ſalutem æternam conſequendam. Quia lege ordinaria ſupponit gratiam juſtificantem jam infuſam per Sacramentum Pœnitentiæ; cujus perfectio eſt ac conſumatio. Sunt etiam, quemadmodum & Auctor refert, qui docent neque neceſſarium eſſe neceſſitate præcepti aut Divini, aut Eccleſiaſtici; ac proinde verba S. Jacobi, *Infirmatur quis in vobis &c.* interpretantur non de præcepto, ſed de conſilio, & adhortatione. Verum alii graviſſimi Doctores oppoſitum defendunt, aſſeruntque, Fideles periculoſe decumbentes jure ac præcepto tum Divino, tum Eccleſiaſtico teneri ſacram infirmorum Unctionem percipere, idque pluribus argumentis evincunt, & præcipue oſtendunt relata S. Jacobi verum præceptum continere; quod & docet D. Thomas in 4. diſtinct. 17. q. 3. art. 1. q. 4. Lege inter cæteros, qui hanc ſententiam propugnant, Honoratum Tournely de Sacramen. Extr. Unct. *qu. ult. art.* 2. P. Renatum Hyacintum Drouven de re Sacramentaria *Lib.7.c.2.*, & P. Danielem Concina *Tom.* 10. *Lib.* 1. *Differt.* 1. *de Extr. Unct. cap.* 4.

Quandonam poſſit iterari? VII. Hoc Sacramentum iterari poteſt; non tamen in eadem infirmitate, eodemque periculo: hinc ſi infirmus ita convaluerit, ut relapſus cenſeatur nova infirmitas vel ſaltem novus infirmitatis ſtatus, ut ait Angelicus quæſt. 33. art. 2., tunc reiterari poterit. Ex omnibus hactenus dictis, ejuſdem Sacramenti hæc dari poteſt definitio. Sacramentum Extremæ Unctionis eſt ſignum rei ſacræ, quo aliquæ partes corporis unguntur oleo per Epiſcopum conſecrato, ſub præſcripta verborum forma, ad valetudinem animæ, & corporis.

* Utique, ut Auctor cenſet, eodem morbo & periculo perſeverante, repetere Sacramentum iſtud non licet: ſi vero morbi vis ita remiſerit, ut receſſiſſe periculum mortis videatur, iterumque recrudeſcat, & novum mortis periculum urgeat, tunc iterum unctio peragenda eſt, ut docet D. Thomas *loco* ab Auctore *citato*. At quid agendum dum ambigitur, an revera morbi ſtatus ſit mutatus, ſeu num idem, vel diverſum ſit vitæ periculum, in quo ægrotus verſatur? In hoc caſu expedit, ut ad Sacramenti iterationem Parochus propendeat; eo quod hæc iteratio conformior ſit veteri Eccleſiæ conſuetudini, & per eam novum ſpirituale ſubſidium, & levamen infirmo obveniat. Legantur Van-Eſpen *part.* 2. *tit.* 8. *cap.* 3. & S. P. Benedictus XIV. *loco pluries citato cap.* 8. *num.* 4.

CAPUT VI.

DE

SACRAMENTO

ORDINIS.

§. I. *De nomine, notione, materia, forma, & effectu Ordinis generatim accepti.*

I. ORdinis nomine in præſenti, primo denotatur gradus Eccleſiaſticus, quos inſignitus homo ſuper laicorum lineam evehitur, & in ſerie Clericorum conſtituitur. Secundo, & magis proprie denotatur quidam officii Eccleſiaſtici gradus, qui ſacro, ſolemnique ritu confertur, necnon miniſterium, quo ſervitium aliquod in ſacrificii celebratione exhibetur. Hinc Sanctus Thomas qu. 34. Supplem. art. 2. Ordinem generatim definit: *Signaculum quoddam Eccleſiæ, quo ſpiritualis poteſtas traditur ordinato:* Ordinis nomen, & definitio.

 quæ

Digitized by Google

quæ definitio cum generica ſit, optime applicatur cuilibet Ordini; quandoquidem in quovis ordine conferendo, ſignum aliquod exterius exhibetur, verbiſque talibus aſſociatur, ut talem, aut talem poteſtatem ordinato conferri ſignificetur.

Ordo eſt Sacramentum.

II. Ordinem autem verum eſſe novæ legis Sacramentum ita evincit Synodus Tridentina ſeſſ. 23. cap. 3. *Cum Scripturæ teſtimonio, Apoſtolica Traditione, & Patrum unanimi conſenſu perſpicuum ſit, per ſacram Ordinationem, quæ verbis, & ſignis exterioribus perficitur, gratiam conferri; dubitare nemo debet, Ordinem eſſe vere, & proprie unum ex ſeptem Eccleſiæ Sacramentis: inquit enim Apoſtolus: admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum*. Quibus verbis Synodus indicat, Ordini tria illa convenire, quæ ad conſtitutionem vere & proprie dicti Sacramenti ſunt requiſita; nempe Signum exterius, Inſtitutionem Chriſti, & Promiſſionem gratiæ in digna ſuſceptione ejuſdem. Ordo namque fuit a Chriſto inſtitutus in Cœna, ut colligitur ex perpetua, & conſtanti Traditione: ſignum exterius apparet in manuum impoſitione, aliiſque exterioribus inſtrumentis, & verbis, quæ in illius collatione exhibentur, & proferuntur: & tandem Promiſſio gratiæ denotatur in relatis Apoſtoli verbis 2. Timoth. cap. 1. & in aliis Scripturæ locis; tum 1. ad Timoth. cap. 4. tum Actor. 13. Ex Patribus autem unum ſufficiat afferre Auguſtinum (quem Calvinus ipſe lib. 3. Inſtitut. cap. 2. §. 20. recognoſcit Antiquitatum Eccleſiæ ſincerum depoſitarium) lib. 2. contra Parmenianum cap. 13. loquentem de Baptiſmo, & Ordinatione: *Utrumque Sacramentum eſt, & quadam conſecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, iſtud cum ordinatur; ideoque in Catholica neutrum licet iterari*.

Materia & Forma.

III. Cum igitur Ordo ſit Sacramentum compoſitum ex ſignis ſenſibilibus, nempe rebus, & verbis; indicatur, quod conſtet materia, & forma: & quod materia, quidem remota, ſint ipſæ res, quæ traduntur; proxima vero ſit ipſa rerum traditio; forma autem ſint verba, quæ in ſingulis conferendis proferuntur.

Doctrina ſcitu neceſſaria.

IV. Ut autem omnis confuſio, & æquivocatio tollatur, ſciendum eſt id, quod etiam indicavimus in tract. 13. cap. 1. §. 2. nu. 2., nempe quod ſicuti quorumdam Sacramentorum materiam remotam præſcripſit ſpecifice Chriſtus, puta Aquam naturalem pro Baptiſmo, Panem triticeum pro Euchariſtia; ita aliquorum ſpecifice determinandam reliquit Eccleſiæ. Dixi ſpecifice determinandam; nam determinatio generica, nempe quod debeat eſſe aliquod ſignum ſenſibile, ipſe Chriſtus inſtituit; hoc autem, aut illud ſenſibile, in aliquibus, ut dixi, Sacramentis ipſe determinavit, in aliquibus vero Eccleſiæ determinandum reliquit; & præcipue in Sacramento Ordinis; quam profecto materiam, ſi ipſe in ſpecie præſcripſiſſet, ipſa, & non alia uti neceſſe eſſet. Cum autem manifeſte appareat, diverſam eſſe materiam remotam Sacramenti Ordinis in Eccleſia Græca, & Latina, abſque eo quod Ordinatio peracta ſit invalida, aut illicita; recte infertur, Chriſtum illam relliquiſſe determinandam in ſpecie beneplacito Eccleſiæ, dummodo ea in aliquo ſenſibili poſita ſit: Videmus namque Græcos ordinare ſuos Diaconos, & Sacerdotes per ſolam manuum impoſitionem, & orationem, quin inſtrumentis ullis offerendis utantur: videmus quoque, Eccleſiam Latinam, præter manuum impoſitionem, & orationem, tradere etiam inſtrumenta, nempe pro Diaconatu librum Evangeliorum, & pro Presbyteratu tradere etiam calicem cum vino, & patenam cum hoſtia; & exinde colligitur, Eccleſiæ beneplacito relictum a Chriſto fuiſſe, determinare in ſpecie materias pro Ordinibus conferendis; & pro Græcis approbare illam, pro Latinis illam.

Quomodo tangenda materia?

V. Materia, quæ in ordinationibus tangenda exhibetur ab Epiſcopo, debet ab ordinandis tangi tactu phyſico; eo quod tactus phyſicus ſit conformior naturæ Sacramentorum, quæ conſiſtere debent in aliquo ſenſibili; tum quia hæc ſententia ſit communior, & probabilior, & in praxi tenenda; quandoquidem agitur de re ſpectante ad valorem Sacramenti.

Effectus Ordinis.

VI. Effectus Sacramenti Ordinis ſunt duo, nempe Gratia habitualis, & Character. Gratia habitualis, per ſe quidem ſecunda, ſeu augmentum ejuſdem, per accidens autem prima, ſeu ut primo ſanctificans, modo explicato in tractatu 13. cap. 1. §. 4. numer. 2. Gratia iſta Sacramentalis Ordinis affert digne ordinato jus ad conſequenda auxilia Divina, ut pie, devote, & bene obeat munera Ordinis ſuſcepti. Character eſt ſpiritualis poteſtas

Digitized by Google

ſtas, quæ ordinato confertur, qui imprimitur in anima, de quo vide tradita loc. cit. §. 5.

§. II. *De ſubjecto Ordinis.*

Subjectum pro valida Ordinatione.

I. Subjectum validæ Ordinationis debet eſſe maſculus, & Baptizatus: & ſi ſit adultus, debet habere intentionem ſaltem virtualem ſuſcipiendi Ordinem. Debet eſſe maſculus; quia Chriſtus ſolos viros elegit ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum, idque patet ex omnibus Scripturis, quæ afferri ſolent, qualſque ſupra indicavimus. Baptizatus autem, quia Baptiſmus confert capacitatem ad cætera Sacramenta valide ſuſcipienda, ut conſtat ex perpetuo ſenſu Eccleſiæ. Intentio autem juxta doctrinam Concilii Tridentini ſæpe allatam.

Requiſita ad licitam ordinis ſuſceptionem

II. Ut vero quis licite ordinetur, requiruntur ſequentia. Primo quod ſit Confirmatus: 2., ut habeat legitimam ætatem: 3., ut habeat primam Tonſuram, & Ordines anteriores, dum vult ſuſcipere poſteriores: 4., ut habeat ſcientiam ſufficientem, & requiſitam pro Ordine reſpective ſuſcipiendo: 5., ut habeat Titulum, ſi ſacrum Ordinem debet recipere: 6., ut habeat litteras Teſtimoniales probitatis morum: 7., ut ſervet interſtitia præſcripta, a quibus diſpenſare, ſpectat ad Epiſcopum; 8., ut ſit in ſtatu Gratiæ: 9., quod nec ſit irregularis, neque ulla cenſura irretitus: 10., ut ſit veſtibus ſuo ſtatui convenientibus indutus.

* Duo adhuc præter recenſita requiruntur, ut quis licite ordinetur, videlicet 1. ut ordinetur a ſuo proprio Epiſcopo, vel ab alio de ejus licentia, & cum ſuis dimiſſoriis: 2. ut ordinetur debito loco, & tempore. Videantur P.P. Salmanticenſes *tract.* 8. *De Ordine cap.* 4. *punct.* 4. & 5. & P. Lucius Ferraris *V. Ordo &c. art.* 2. His ſummatim poſitis.

Obſervationes ſervandæ circa Confirmationem, & ætatem.

III. Circa confirmationem, & ætatem requiſitam hæc obſervanda occurrunt. Et primo quoad Confirmationem. Quamvis qui Ordines ſuſcipit non confirmatus non incurrat ſuſpenſionem, tamen graviter peccat, tum quia communiter Auctores illam poſtulant pro licita ſuſceptione Ordinis, tum quia non poteſt non videri notabilis deordinatio, ſi advertenter prætermittatur. Quoad ætatem legitimam; qui ſcienter illam non obſervat, eſt ipſo facto ab Ordinis ſuſcepti exercitio ſuſpenſus; quem ſi advertenter exerceat, incurrit Irregularitatem; peccat præterea mortaliter, qui ignoranter ſuſcipit, quia ignorantia eſt culpabilis: Qui eſt ſuſpenſus ab executione Ordinis ſuſcepti, non poteſt, ſine gravi peccato alterum ſuſcepto majorem recipere, etiamſi ætatem ad iſtum requiſitam attigerit; quia Ordo major virtualiter continet inferiorem, a quo exequendo jam eſt ſuſpenſus; unde cenſetur ſuſpenſus a ſuſcipiendo majore. Hæc ſuſpenſio tolli poteſt ab Epiſcopo; quia neque ſuſpenſio, neque irregularitas, quæ incurritur propter executionem, ſunt reſervata: non tamen ceſſat ſuſpenſio, adveniente ætate, ſed requirit abſolutionem; cum ſit cenſura.

Obſervanda circa Ordinationem per ſaltum, circa tempora, & interſtitia

IV. Suſcipiens Ordinem per ſaltum, ex. gr. ſuſcipiens Diaconatum, antequam fuerit ordinatus in Subdiaconum, incurrit ſuſpenſionem; & ſi exerceat, incurrit Irregularitatem. A dicta ſuſpenſione poteſt Epiſcopus abſolvere, quamvis delictum ſit publicum; dummodo tamen ita ordinatus Ordinem non exercuerit, ut ſtatuit circa hoc Synodus Trid. Seſſ. 23. cap. 14. de refor. Suſcipiens Ordinem extra tempora conſtituta, ſine diſpenſatione, incurrit ſuſpenſionem ipſo facto, per quam ſuſpenditur ab exequendis Ordinibus ſuſceptis; a qua poteſt per Epiſcopum abſolvi. Ita etiam ſuſpenſionem incurrit a fortiori, qui plures Ordines ſacros ſuſcipit eodem die, ſine diſpenſatione: ſicut illam incurrit, qui eadem die ſuſcipit minores Ordines cum Subdiaconatu, abſque diſpenſatione, incurrit, inquam, ſuſpenſionem ab exequendo Subdiaconatu. Requiritur autem pro collatione Ordinum ſacrorum eadem die licentia Papæ, ſicut requiritur licentia Epiſcopi pro omnibus Minoribus. Poteſtas diſpenſandi ab Interſtitiis ſpectat ad Epiſcopum; qui majorem habere debet rationem utendi hac poteſtate, dum diſpenſat ab interſtitiis a Minoribus ad Subdiaconatum, & a Diaconatu ad Sacerdotium, quam in reliquis Ordinationibus. Hac diſpenſatione uti poteſt etiam reſpectu Regularium, ſi motiva ab eorum Superioribus expoſita in ſupplicatione rationabilia ipſi videantur: Ita ex variis Juribus.

* Cum male promotis ad Ordines, & ſignanter cum promotis per ſaltum in caſibus occultis Major Pœnitentiarius diſpenſare poteſt ad effectum, ut omiſſos Ordi-

nes

Digitized by Google

nes occulte ſuſcipiant a quolibet Antiſtite, etiam extra tempora, non ſervatis interſtitiis, & abſque Dimiſſoriis, non tamen ut plures Ordines ſacros eodem die ſuſcipiant. Benedictus XIV. in Bulla, quæ incipit *Paſtor bonus*, quæque habetur tom. 1. Bullarii *n.* 95. §. 10.

Obſervanda circa Titulum.

V. Qui ſuſcipit Ordines ſine Titulo, vel cum Titulo Fictitio, aut ab aliis commodato, cum pacto, ut poſt Ordinationem reſtituatur, incurrit ſuſpenſionem ab executione Ordinum: immo, ſi obtineat litteras dimiſſoriales, ut ordinari poſſit ab alio Epiſcopo, duas ſuſpenſiones incurrit, unam pro defectu Tituli, alteram pro dimiſſorialibus ſubreptitie obtentis; & ſi Ordinem exerceat, incurrit, ut dictum fuit, Irregularitatem. Qui ſuſcipit Ordinem cum Titulo Patrimonii vere ſibi donati, & poſt Ordinem redonet illi, qui ſibi donaverat, invalide donat ex Tridentino ſeſſ. 21. cap. 2. de reform.: neque incurrit ſuſpenſionem, ſi alios Ordines recipiat; quia revera non caret Patrimonio, utpote invalide donato. Si autem habeat Patrimonium hypothecæ obnoxium pro debitis, revera caret titulo habili ad alimenta; unde ſuſpenſionem incurrit. Qui ordinatur Titulo Beneficii, ſi ipſi nondum collatum fuerit, ſuſpenſionem incurrit; quia ſola ſpes habendi, non efficit revera poſſeſſionem Tituli; ſi autem jam collatum fuerit, ſed nondum illud adierit, cum revera habeat Titulum, illam non incurrit. Titulus, ſub quo quis ordinatur, debet eſſe perpetuus reſpectu ipſius Ordinati, & qui alienari nequeat, & talis, ut congruæ ſuſtentationi ſufficere poſſit: & cum triplex ſit Titulus, nempe aut Beneficii, aut Patrimonii, aut Paupertatis religioſæ regularis; ſequitur; quod ſi Beneficium, aut non ſit perpetuum, aut inſufficiens ad ſuſtentationem, non poſſit quis Ordinem licite ſuſcipere juxta Tridentinum loco citato. In aliquibus diœceſibus additur quidam Titulus, qui eſt titulus ſervitutis Eccleſiæ, quæ talis eſſe debet, ut honeſtam ſuſtentationem ſubminiſtret, de quo viderint Epiſcopi. Qui habet Beneficium inſufficiens, & ſimul tale Patrimonium, unde ſufficiens titulus aſſurgere queat, licite ordinatur; ſicuti licite alienare poteſt Patrimonium, qui certe habet bona, quibus per totam vitam honeſte ali poſſit. Qui autem ex infortunio, aut aliqua cauſa inculpabili, quæ prævideri non potuit, amittit Patrimonium, & jam eſt Sacerdos, non idcirco ſuſpenditur ab executione Ordinum; quia jam ordinatus fuit cum vero Titulo, quem abſque culpa amiſit.

Em. Cardinalis Lambertiuus poſtea S. P. Benedictus XIV. *Inſtit.* 26. plura habet ſcitu digna circa materiem, qua de agit Auctor *num. præced.* Pauca hæc ex ipſo utpote magis neceſſaria oculis ſubjicere operæ pretium cenſemus. „ Illud monemus, „ *inquit n.* 26., duas jure Canonico ſen„ tentias in eos pronuntiari, qui fructus „ Beneficii ſe minime percepturos pollice„ antur, ut hoc modo faciliorem ſibi ad „ obtinendos Ordines viam ſternant, pa„ ctione ſcilicet expreſſe vel tacite inter„ jecta cum eo, per quem ad Beneficium „ nominantur, vel etiam cum eo, qui Be„ neficium reſignat. Prima quidem cap. „ *Per tuas* 37. *de Simonia* continetur, ubi „ Innocentius III. illis, qui hæc commiſe„ rant, & tamen ſe nulli crimini obno„ xios putabant, his verbis reſpondet: *Hoc „ inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, „ quod niſi cum eo fuerit miſericorditer „ diſpenſatum, nec ad ſuperiores aſcen„ dere, nec in ſuſcepto debet ordine mi„ niſtrare.* Altera legitur *cap. si quis* „ 49. eodem titulo *de Simonia*, in quo „ Gregorius IX. memorata ſuſpenſionis pœ„ na neminem, niſi per Sedem Apoſtoli„ cam diſſolvi poſſe conſtituit: *Donec diſ„ penſationem ſuper hoc per Sedem Apo„ ſtolicam obtinere meruerint, noverint„ que ſe ſuſpenſos* „.

Poſt exhibitam vero *num.* 27. Tridentinæ Synodi ſanctionem, quæ habetur *Seſſ.* 21. *cap.* 2. nempe quod Patrimonium debita ratione confectum ſine Epiſcopi conſenſu alienari nequeat, donec Ordinatus Beneficium Eccleſiaſticum adeptus ſit, quod pro vita ſuſtentanda ſatis judicetur; hæc ſubdit *num.* 28. „ Qui Patrimonium diven„ dit, nec ullam mentionem facit, ſe e„ jus titulo Ordines ſuſcepiſſe, ſi nullam „ incurrit cenſuram, certum tamen eſt, „ quod ejuſmodi alienatio inanis, atque „ irrita *ipſo jure* decernitur „. Ita pluries ſancitum fuit a Sacra Congregatione Concilii interprete, præſertim *die* 6. *Martii an.* 1638.

„ Quoniam vero, *ait num.* 30., ſponſio„ nes nimis libere fiunt, quæ Patrimonii „ bonis innituntur, noverint omnes, ſi for„ te pro ſponſione pecunia ſolvenda ſit, „ in illa bona jus tantum exerceri poſſe „ quæ poſt honeſtam vitæ ſuſtentationem „ Ordinato ſuperſunt. Sciant etiam poſſe „ Cre-

Digitized by Google

„ Creditorem accipere *in ſolutum*, ac ven„ dere jus ſibi conveniens in ejuſmodi Pa„ trimonium, quod poſt mortem Ordinati „ ad hæredes transferri deberet „. Et hoc etiam probat ex ejuſdem S. Congregationis decreto die 15. *Martii* 1642.

* Libet præterea hic ſummatim exhibere quæ habet idem S. P. Benedictus XIV. *de Synod. Diœceſ. lib.* 12. *cap.* 9. *nov. edit.* nimirum, quod Beneficium, ad cujus titulum Ordines conferuntur, debet tantum ex reditibus ferre, quantum ſufficit ad Clerici ſuſtentationem honeſtam, juxta taxam ab Epiſcopo definiendam; detractis tamen oneribus, quibus Beneficium prægravatur; non tamen detracta ſtipe reſpondente numero Miſſarum, ad quas celebrandas Clericus adigitur lege ſibi indicta a Fundatore Beneficii, quod poſſidet, ſaltem niſi aliter Epiſcopus ſtatuerit. Si vero Clericus ordinetur in loco domicilii, & Beneficium obtineat in alia Diœceſi, tunc ſi Beneficium poſcit perpetuam reſidentiam, ſuſtentatio iſta dirigenda eſt juxta taxam ſynodalem loci, ubi eſt Beneficium; ſecus vero determinandum eſt, ſi reſidentiam non expoſcat juxta ac decrevit Innocentius XIII. in ſua Conſtitutione, quæ incipit *Apoſtolici Miniſterii*.

Obſervanda circa Dimiſſoriales. VI. Qui, ſine ſui Epiſcopi dimiſſorialibus, ordinem recipit ab alio Epiſcopo, ſuſpenſionem incurrit, & hanc probabilius incurrunt etiam Regulares, qui ſine dimiſſorialibus ſuorum Superiorum Ordines ſive a Diœceſano, ſive ab alio Epiſcopo recipiunt. Dimiſſoriales debent obtineri ab Epiſcopo, vel ejus Vicario ſpeciale mandatum habente; vel a Capitulo Cathedralis, ſi Sedes vacaverit ultra annum; aut, etiamſi non vacaverit tanto tempore, quis indigeat præfatis litteris ratione Beneficii obtenti, vel obtinendi, & compellitur ad ſuos Ordines ſuſcipiendos. In his dimiſſorialibus quatuor exprimendæ ſunt conditiones: nempe legitimum examen cum approbatione; cauſa cur a proprio Epiſcopo non conferantur Ordines; Ordines ad quos recipiendos, dimiſſoriæ conceduntur; & reſtrictio, vel ampla facultas illos recipiendi vel a tali, vel a quocunque Epiſcopo Catholico. Facultas in dimiſſorialibus conceſſa non expirat morte concedentis, ſi impertiatur ab Epiſcopo, ſicuti nec conceſſa a Capitulo, caſu quo Sedes impleatur per novum Epiſcopum.

§. III. *De Miniſtro Sacramenti Ordinis*.

Ordinarius Miniſter Sacramenti Ordinis. I. SOlum Epiſcopum, ex proprio munere, eſſe Sacramenti Ordinis miniſtrum ordinarium, certa res eſt, & definita de fide a Concilio Tridentino ſeſſ. 23. cap. 4. & can. 7., poſt Concilium Florentinum. Idemque oſtendit perpetua Eccleſiæ praxis, quæ ſatis probat exordium ab Apoſtolis ſumpſiſſe, eoſdemque illam a Chriſto accepiſſe, ut Scripturæ tum Actor. 6., & 14. tum 1. Timoth. 4. & 2. Timoth. 1., & ad Titum 1. manifeſtant. Epiſcopus namque eſt Princeps Sacrorum; ad quem proinde ſpectat inſtitutio miniſtrorum eorumdem Sacrorum; quandoquidem iſta poteſtas inſtituendi miniſtros eſt poteſtas Ordinis Epiſcopalis, & non juriſdictionis; quamvis enim ut illam Epiſcopus licite exerceat, debeat in ſubditos exercere, vel in extraneos de ſuorum Superiorum licentia, valide tamen illam exercet in quoſcumque baptizatos.

Quis dicatur proprius Epiſcopus? II. Proprius Epiſcopus talis dicitur ex triplici capite, nempe aut Originis, in cujus Diœceſi quis natus eſt; aut Domicilii, in cujus Diœceſi commoratur, & fixum habet Domicilium; aut Beneficii, in cujus Diœceſi beneficium poſſidet, & tenet.

* Etiam ratione familiaritatis, ſeu commenſalitatis poteſt quis fieri ſubditus alicujus Epiſcopi quoad Ordines ab ipſo licite recipiendos. Ad hoc autem requiritur, quod ſit vere familiaris & commenſalis Epiſcopi, ideſt dominicæ poteſtati Epiſcopi vere ſubjiciatur, ejuſque expenſis tamquam Domeſticus commenſalis continue alatur. Item requiritur, quod ipſum ſecum retinuerit per integrum, & completum triennium. Item requiritur, quod is ante receptionem Ordinum obtineat Teſtimoniales Litteras proprii, originis ſcilicet, aut domicilii Epiſcopi, ſuper ſuis Natalibus, ætate, moribus, & vita, & eas Epiſcopo ordinanti conſignet in Actis illius Curiæ conſervandas. Item requiritur quod Epiſcopus ordinans ſuum familiarem ſtatim, ideſt ſaltem intra terminum unius Menſis a die Ordinationis, quacumque fraude ceſſante, reipſa conferat illi Beneficium ſufficiens ad ejus congruam ſuſtentationem, ac in Ordinationis hujuſmodi Teſtimonio expreſſam itidem Familiaritatis ac Litterarum prædictarum mentionem faciat. Hæc omnia pa-

Digitized by Google

patent ex Concil. Trid. *ſeſſ.* 22. *c.* 9. & ex Conſtit. Innocentii XII. quæ incipit *Speculatores domus Iſrael* edita 4. *Novembris* 1694.

Tali autem facultate ordinandi ſuos triennales Familiares non gaudent Epiſcopi Titulares, adeoque nequeunt ipſos ordinare abſque ſui proprii Prælati expreſſo conſenſu, & Dimiſſoriis. Sic expreſſe idem Tridentinum *Seſſ.* 14. *cap.* 2. *de reform.* addens quod; *Contrafaciens ab exercitio Pontificalium per annum: taliter vero promoti ab executione Ordinum ſic ſuſceptorum, donec ſuo Prælato viſum fuerit, ipſo jure ſint ſuſpenſi.* Vide P. P. Salmanticenſes *tract.* 8. *cap.* 4. *punct.* 3. & P. Lucium Ferraris *V. Ordo &c. art.* 3. qui etiam fuſo calamo ſingillatim exponunt conditiones, quæ requiruntur ad hoc ut quis dicatur proprius Epiſcopus vel ratione Originis, vel ratione domicilii, vel ratione beneficii.

An alius poſſit ex commiſſione Pontificis? III. Dixi, Epiſcopum ex vi proprii muneris eſſe miniſtrum &c.; nam S. Thomas qu. 38. Supplementi art. 1., & alibi docet, quod ſimplex Sacerdos poſſit, ex Pontificis commiſſione Minores Ordines conferre, quod deinde negat de Majoribus, & quoad Presbyteratum fere omnes ſubſcribunt; quoad Diaconatum aliqui non aſſentiuntur; quoad Subdiaconatum plures item diſſentiunt: ſed viderit Pontifex quid poſſit, vel non. Abbates habentes uſum Mitræ, & Paſtoralis, poſſunt conferre ſuis ſubditis primam Tonſuram, & Ordines minores.

Caſus alter. IV. Si quis a Sede Apoſtolica obtinuerit privilegium recipiendi Ordinem a quolibet Epiſcopo, non indiget litteris dimiſſorialibus proprii Epiſcopi, ſed dumtaxat teſtimonialibus de ſua vita, ſuiſque moribus, ſine quibus licite a nemine ordinari poteſt; & ſi ordinetur ſine iſtis, incurrit ſuſpenſionem ab Ordinibus ſuſceptis; & collator remanet ſuſpenſus per annum a conferendis Ordinibus.

* Notandum etiam hic eſt, quod Epiſcopus alienos ſubditos per dimiſſorias ad ſe directas ordinaturus, non tenetur quidem ex communi & recepta ſententia ordinandum novo examini ſubjicere, cum id a proprio Epiſcopo ſit præſtandum; at ſi velit, poteſt novæ diſcuſſioni illum ſubmittere, ut ſæpius a Sacra Congregatione Concilii definitum eſt. Epiſcopus vero Suffraganeus ad ſupplendas Diœceſani vices aſſumptus, nec tenetur, nec poteſt, ut ab eadem Congregatione deciſum eſt in cauſa *Elboren. Dubior. die* 22. *Auguſti* 1721. cui tamen fas eſt ab ordinatione illius abſtinere, ſi aliqua juſta cauſa ſuppetat ad eum removendum. Legatur S. P. Benedictus XIV. *de Synod. Diœc. lib.* 12. *cap.* 8. *num.* 7.

V. Epiſcopus, qui in diœceſi alterius Epiſcopi, de iſtius licentia, Ordines confert, non poteſt illos conferre Clericis, qui non ſunt ſubditi vel ipſius Epiſcopi ordinantis, vel illius Epiſcopi, de cujus licentia Ordines confert; niſi habeant litteras dimiſſoriales ſuorum Ordinariorum. Hæc omnia ex variis juribus depromuntur, citatis a probatis Doctoribus. Caſus alter.

S. P. Benedictus XIV. die 27. *Februarii* 1746. Conſtitutionem edidit incipientem *Impoſiti nobis* de Regularibus ab Epiſcopo Diœceſano ordinandis. In ea primo commemorat Summus Pontifex, quæ paſſim ſancita fuerint a ſuis Prædeceſſoribus, ad tollendam controverſiam de Ordinationibus Regularium, an ſcilicet Regulares a quolibet Catholico Epiſcopo indiſtincte ordinari poſſent, an vero id juris competeret Epiſcopo illius Diœceſis, intra quam ſita eſt religioſa domus, quam Regularis ordinandus inhabitat. Præcipue vero commemorat Conſtitutionem Gregorii XIII. quę incipit: *In tanta rerum*; ſuper hoc negotio editam: Decretum Sixti V. juſſu editum, quod hujuſmodi eſt: *SS. D. N. Sixtus V. ex ſententia Congregationis reſpondit, Regulares, poſſe concedere dimiſſorias ad Epiſcopum Diœceſanum, eoque abſente, vel etiam præſente; & Ordinationem non tenente, ad quemcumque, dummodo ab eo Epiſcopo, qui Ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam.* Decretum item ſequens, editum juſſu Clementis VIII. *De mandato SS. D. N. Clementis Papæ VIII.* „ tenore præſentium mandatur omnibus, & ſingulis quorumcumque Regularium Superioribus, ut de cætero obſervent, & obſervari faciant ea, quæ in Decreto S. Congregationis Concil. Trid. continentur, cujus tenor eſt talis: Congregatio Concilii cenſuit, Superiores Regulares poſſe ſuo ſubdito itidem Regulari, qui præditus qualitatibus requiſitis Ordines ſuſcipere voluerit, litteras Dimiſſorias concedere, ad Epiſcopum tamen Diœceſanum, nempe illius Monaſterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, Regularis poſitus fuerit, & ſi Diœceſanus abſuerit, vel non eſſet habiturus Ordina-

„ tio-

Digitized by Google

„ tiones, ad quemcumque alium Epiſco-
„ pum; dum tamen ab eo Epiſcopo, qui
„ Ordines contulerit, examinetur quoad
„ doctrinam, & dum ipſi Regulares non
„ diſtulerint de induſtria conceſſionem di-
„ miſſoriarum in id tempus, quo Epiſco-
„ pus Diœceſanus, vel abfuturus, vel nul-
„ las eſſet habiturus ordinationes. Verum
„ cum a Superioribus Regularibus, Epi-
„ ſcopo Diœceſano abſente, vel ordinatio-
„ nes non habente, litteræ dimiſſoriæ da-
„ buntur, in eis utique hujuſmodi cauſam
„ abſentiæ Diœceſani Epiſcopi, vel Ordi-
„ nationum ab eo non habendarum expri-
„ mendam eſſe. Quod qui non fecerint,
„ Officii, & dignitatis, ſeu adminiſtratio-
„ nis, ac vocis activæ, & paſſivæ priva-
„ tionis, ac alias arbitrio ejuſdem SS. D.
„ N. Papæ reſervatas pœnas incurrant.
„ In quorum fidem &c.

Datum Romæ die 15. Martii 1596.

Præterea refert, eamdem Congregationem reſcripſiſſe hac ſuper re die 28. Feb. 1654. *Regulares volentes ſe promoveri ad Ordines non teneri oſtendere Dimiſſorias Ordinariorum propriæ originis, ſed ſufficere ut obſervent formam præſcriptam in Decreto S. Memor. Clementis VIII.* Innocentium vero XIII. in ſuis Apoſtolicis litteris, quæ incipiunt: *Apoſtolici miniſterii*; die 30. Maii 1723. declaraſſe, ad effectum eximendi Regulares ab obſervantia allati Decreti Clementini, ſufficere, quod privilegia ſuſcipiendi ordines a quocumque ipſis conceſſa fuerint poſt Concil. Trident. (ſatis jam conſtat hujuſmodi antiqua privilegia a Concil. Trident, abrogata fuiſſe) quamvis ſupra allato Decreto Clementino poſteriora non ſint, dummodo tamen directe conceſſa fuiſſe conſtet, non vero in communicatione privilegiorum de uno in alium Ordinem derivata; idque ſimilibus datis litteris die 23. Septembris 1724. quarum initium eſt: *In ſupremo* a Benedicto XIII. confirmatum.

Volens autem Summus Pontifex conſueta Apoſtolicæ Sedis clementia uti; declarat, ſe quæcumque hac in re inordinate admiſſa fuiſſent uſque ad diem datæ hujus Conſtitutionis, a diſtrictioris judicii inquiſitione liberare, quin immo omnes, qui in hoc deliquiſſent ſive Superiores Regulares, ſive Regulares ad Ordines promotos, ſive Antiſtites, qui eos ordinaverint, a quibuſcumque ſententiis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, quas hac de cauſa reſpective ante editam hanc Conſtitutionem incurriſſent, quibuſcumque innodati forſan extitiſſent, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium abſolvit, & abſolutos eſſe decrevit; & cum iiſdem ſuper quacumque irregularitate per eos forſan hac eadem cauſa, & occaſione quomodolibet contracta, ad omnes etiam Sacros & Presbyteratus Ordines, eorum exercitium, atque ad omnia eorum reſpective Religionum munera, eadem auctoritate diſpenſavit. Ut autem in poſterum omnia hoc in negotio rite fiant, hæc quæ ſequuntur ſtatuit.

Primo confirmat & innovat quæcumque hac in re a Gregorio XIII. Sixto V. Clemente VIII. & Innocentio XIII. in ſupracitatis ipſorum litteris, ſeu decretis ſtatuta ac definita fuerunt; eaque omnia ut ab omnibus, ad quos ſpectat, inviolabiliter obſerventur, præcipit. Tranſgreſſores vero omnibus pœnis in iiſdem litteris, ſeu decretis contentis, aliiſque per Apoſtolicas Conſtitutiones, & per Sacros Canones latis, atque ſtatutis cum effectu ſubjacere, eaſque ipſo facto, & abſque aliqua declaratione incurrere decernit. Superiores nimirum Regulares eas omnes, quas ſupradictus Clemens VIII. in allato Decreto ſanxit, Regulares autem, qui contra illius Decreti præſcriptum promoti fuerint, & Antiſtites eos promoventes Canonicas pœnas, atque Cenſuras, quæ in ſuſcipientes ordines ab Epiſcopo, qui proprius ad hunc effectum dici nequit, & in Epiſcopos alienos ſubditos indebite ordinantes in jure Canonico, & in Conſtitutionibus Apoſtolicis ſtatutæ habentur.

Secundo decernit, ut Superiorum Regularium Dimiſſoriæ, quæ ideo ad alium Antiſtitem directæ fuerint, quia Epiſcopus Diœceſanus extra Diœceſim commoratur, vel Ordinationem non ſit habiturus, nullius ſint roboris, niſi illis juncta fuerit authentica atteſtatio Vicarii Generalis, vel Cancellarii, aut Secretarii ejuſdem Epiſcopi Diœceſani, ex qua conſtet, vel ipſum a Diœceſi abeſſe, vel Ordinationem habiturum non eſſe proximo legitimo tempore ab Eccleſia ſtatuto. Quod expreſſe declarari opus eſſe, dicit Summus Pontifex, ad excludendam eorum arrogantiam, qui, cum privilegio gaudeant ſuſcipiendi Ordines extra tempora, exiſtimarunt Epiſcopos ipſorum voluntati adeo addictos eſſe debere, ut ſi, quandocumque ipſis placuiſſet ad Ordines promoveri, non ſtatim, ipſoque die ab ipſis deſignato voti compo-

tes fierent, jam dici poſſet, Ordinationem ab Epiſcopo non haberi, proindeque alius Epiſcopus adeundus eſſet. Quod ſi aliquis Antiſtes Regularem virum, in ſua Diœceſi proprium domicilium non habentem, ſolis ipſius Superioris dimiſſorialibus litteris contentus, ſine adjuncta præfata atteſtatione in forma probante, ad Ordines promovere præſumpſerit, decernit, & declarat, hunc in pœnas canonicas incurrere in eos ſtatutas, qui alienum ſubditum legitimis dimiſſoriis deſtitutum ordinaverint.

Tertio, quemadmodum declarat, & vult, eorum Ordinum Regularium privilegia firma & rata eſſe, quibus indultum eſt, ut eorum alumni a quolibet Catholico Antiſtite Sedis Apoſtolicæ gratiam, & communionem habente ordinari valeant, dummodo hæc privilegia poſt Concil. Trid. & ipſis nominatim & directe, non autem per communicationem conceſſa fuerint, ita prorſus omnia ſimilia privilegia, quæ aliis Ordinibus, & formis indulta ſint, vel etiam poſt ipſum Concilium non ipſis directe conceſſa, ſed per communicationem, ad eos extenſa eſſe dicantur, nulla, & irrita, ac omni robore ad effectum, de quo agitur, penitus deſtituta eſſe, vult, & ſtatuit. Decernit autem, nec privilegia nequaquam poſt Concil. Trid. indulta cenſeri, niſi vel poſt ipſius Concilii confirmationem reipſa fuerint conceſſa, vel niſi quæ antea conceſſa, & poſterius confirmata eſſe aſſeruntur, hujuſmodi confirmationes in *forma ſpecifica* cum litterali veteris indulti inſertione, ejuſque expreſſa innovatione factæ dignoſcantur; declaratque alterius generis confirmationes, quæ *in forma communi* nuncupantur, nemini ad prædictum effectum ullo modo ſuffragari. Quod vero ad uſum eorumdem privilegiorum ſpectat, addit, monendos eos eſſe, quibus eadem pleno jure competunt, ut nec ſine juſta cauſa, nec extra debitas circumſtantias pro libito ipſis utantur; nec ad oſtentandam dumtaxat ipſorum privilegiorum ſingularitatem; aut eo ſolo prætextu, ut jurium ſuorum indemnitati conſulant; quaſi vero Apoſtolica privilegia, non niſi cum Epiſcopi Diœceſani contemptu, ſuum robur habitura ſint.

Poſtremo omnes tum Antiſtites, tum Regularium Ordinum Profeſſores hortatur obteſtaturque, ut tam in hoc negotio, quam in ceteris ſolliciti ſint unitatem ſpiritus, & ſinceræ dilectionis ſervare: memores eorum, quæ inculcat S. Synodus Lateranenſis ſub Leone X.: *Una eſt Regularium, & Sæcularium, Prælatorum, & Subditorum exemptorum univerſalis Eccleſia, extra quam nullus omnino ſalvatur, eorumque omnium unus Dominus, una fides, & propterea decet eos, qui ejuſdem ſunt corporis, unius etiam eſſe voluntatis*. Extat *Tom.* 2. *Bullarii num.* 27.

§. IV. *De Ordinibus in ſpecie; & primo de quatuor Minoribus.*

I. SEptem eſſe Ordines, videlicet Preſbyteratum, Diaconatum, Subdiaconatum, Accolythatum, Exorciſtatum, Lectoratum, & Oſtiariatum, indubitabile eſt, quorum ab Eccleſiæ primordiis mentionem fieri, affirmat Tridentina Synodus ſeſſ. 23. cap. 2. Et reapſe nobile teſtimonium habetur in Epiſtola S. Cornelii Papæ, & Martyris, ad Petri ſedem evecti anno 251. ſcribentis ad Fabium Antiochenum apud Euſebium lib. 6. hiſt. cap. 43. in qua S. Pontifex loquens de Novatiano, dicit: *Ille ignorabat unum Epiſcopum eſſe oportere in Eccleſia Catholica, in qua tamen ſciebat Presbyteros eſſe quatuor, & quadraginta; ſeptem autem Diaconos, totidemque Subdiaconos; Accolythos duos, & quadraginta; Exorciſtas, & Lectores, & Oſtiarios quinquaginta duos*. Quodnam teſtimonium luculentius deſiderari poteſt pro antiquitate numeri Eccleſiaſticorum Ordinum. Numerus Ordinum.

II. Quamvis autem ſeptem ſint Ordines; immo vero octo, ſi comprehendatur etiam Epiſcopatus; non tamen dicenda ſunt totidem Sacramenta Ordinis; quia, ut ait S. Thomas q. 37. Supplementi a. 1. ad 2. *Diſtinctio Ordinis non eſt totius integralis in partes, neque totius univerſalis; ſed totius poteſtativi, cujus hæc eſt natura, quod totum ſecundum completam rationem eſt in uno, in aliis autem eſt aliqua participatio ipſius; & ita eſt hic: tota enim plenitudo Sacramenti hujus eſt in uno Ordine, ſcilicet Sacerdotio, ſed in aliis eſt quædam participatio Ordinis; & hoc eſt ſignificatum in eo, quod Dominus dixit Numerorum* 11. *Moyſi: auferam de ſpiritu tuo, & tradam eis, ut ſuſtentent tecum onus populi; & ideo omnes Ordines unum ſunt Sacramentum*: & aliud affert exemplum in reſponſione ad 3.: *In regno quamvis tota poteſtatis plenitudo reſideat.* Non tamen ſunt plura Sacramenta Ordinis.

Digitized by Google

deat apud Regem, non tamen excluduntur miniſtrorum poteſtates, quæ ſunt participationes quædam Regiæ poteſtatis; & ſimiliter eſt in Ordine.

De Tonſura, & de Oſtiariatu.

III. Tonſura non eſt Ordo; nam per illam non datur ſpecialis poteſtas circa Euchariſtiam; per illam tamen homo fit capax juriſdictionis Eccleſiaſticæ, & Beneficiorum, & eſt quoddam præambulum, & diſpoſitio ad Ordines. Oſtiariatus materia remota ſunt claves Eccleſiæ; proxima vero eſt porrectio earumdem per Epiſcopum: Forma ſunt illa verba ab Epiſcopo prolata; *Sic agite &c.* idque patet etiam ex Concil. Carthagin. 4. c. 9. celebrato anno 398. cui interfuit etiam S. Auguſtinus, magnum illud Eccleſiæ lumen. Oſtiarii munera ſunt, aperire, & claudere Eccleſiam, res ejuſdem cuſtodire, fideles admittere, infideles, & excommunicatos modeſte repellere, convocare populum ad præſtandum Deo cultum, & fœminas ab altari, in quo celebratur, diſcrete arcere: quæ munera indicantur a S. Iſidoro Epiſcopo Hiſpalenſi lib. 2. offic. c. 14.

De Lectoratu.

IV. Lectoratus materia remota, eſt liber divinarum lectionum; proxima, porrectio ejuſdem: forma verba illa *accipe, & eſto relator &c.* ex laudato Concilio Carthag. c. 8. Lectoris munera ſunt legere alta voce populo Scripturarum Divina eloquia, ſive ad horas nocturnas, ſive ad concionem; nam dum Epiſcopus erat concionaturus, lector ſtabat, & lectionem illius ſcripturæ præmittebat, quæ erat ab Epiſcopo in concione exponenda; ut habetur ex S. Cypriano in Epiſtolis 24. 33. & 34. Item explicare catechumenis fidei rudimenta, ut ait S. Thom. opuſcul. 5.

De Exorciſtatu.

V. Exorciſtatus materia remota eſt exorciſmorum liber; proxima, porrectio ejuſdem; forma ſunt illa verba; *Accipe, & commenda memoriæ &c.* Ex laudato Concil. cap. 7. Munus Exorciſtæ eſt, invocato nomine Domini, imponere manus ſuper Emergumenos ad Dæmones ex eorum corporibus depellendos: a quo munere exercendo, ob juſta motiva, Exorciſtæ modo ſuſpenduntur. Hoc officium deducitur ex Actibus Apoſtolorum cap. 19.; quod viguiſſe etiam apud Judæos, deducitur ex cap. 9. & 12. S. Matthæi.

Exorciſtæ munus eſt, ſicut aſſerit Auctor, invocato nomine Domini, imponere manus ſuper vexatos a ſpiritibus immundis, ad illos adjurandos, & ejiciendos. Ad hoc autem munus licite exercendum tria neceſſaria ſunt 1. ut fiat exorcizatio ex cauſa gravi, non ex levitate, non ad aliquid a Dæmone addiſcendum, ſed ad liberandos Energumenos ab ipſius Tyrannide. Sic S. Thomas 2. 2. *q.* 90. art. 2. 2. requiritur, ut adjuratio fiat abſque precibus, ſed cum imperio, & objurgatione, ut docet idem S. D. ibidem; ita enim ſuperbia Dæmonis magis compeſcitur, & confunditur. 3. opus eſt, ut exorcizatio ſolemnis fiat ab habente poteſtatem, quæ non omnibus conceditur, ſed dumtaxat aliquibus, ſecundum prudentiam Epiſcoporum, Eccleſiaſtico Ordine Exorciſtatus inſignitis. Unde nullus poteſt exorcizare ſine facultate Ordinarii, etiamſi ſit Regularis, ut decrevit *S. Congregatio Epiſcoporum, & Regularium in Florentina* 22. *Februarii* 1625., & expreſſe confirmavit *S. Congregatio S. Officii die* 5. *Julii* 1710. per Litteram Encyclicam directam omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque Ordinariis Italiæ & Inſularum adjacentium, quam italico idiomate exaratam de verbo ad verbum exſcripſit P. Lucius Ferraris *V. Exorcizare n.* 10.

De Accolythatu.

VI. Accolythatus materia remota ſunt urceoli vacui, proxima, porrectio eorumdem: Forma ſunt illa verba; *Accipe urceolum &c.* ex laudato Concil. c. 6. Additur & Candelabrum cum cereo; ſed ut notat S. Thomas in art. 5. non eſt materia eſſentialis, ſed additur ad ampliorem miniſterii ſignificationem. Accolythorum fit mentio non raro in hiſtoria Eccleſiaſtica, etiam antiquorum temporum, apud S. Cyprianum, & alios Patres. Accolythi nomen ſignificat aſſectatorem, quia aſſectatur miniſtros ſacros ad altare, quibus miniſtrat urceolos pro ſacrificio; & idcirco cum per urceolos Accolythi miniſterium magis accedat ad Euchariſtiam, quam per candelabrum cum cereo, ideo illi, & non iſtud, ſunt materia eſſentialis. Munus igitur illius eſt urceolos mundare, vino, & aqua replere ad celebrandum, & lumen deferre ad Evangelium.

An Minores ſint Sacramenta?

VII. Minores ordines eſſe Sacramenta, fuit veterum Theologorum cum S. Thoma fere communis opinio; tum quia eorum collatio vocitatur Ordinatio, tum quia ſinguli reſpective ad Euchariſtiam referuntur; tum quia pro ſingulis præſcribitur a Conciliis materia, & forma, quæ omnia non niſi Sacramentis attribui conſueverunt. Plurimi tamen Eruditi recentiores, concedentes eos eſſe Ordines Eccleſiaſticos, Sacra-

Sacramenta eſſe inficiantur, quorum momenta in Theologia Scholaſtico dogmatica legat, qui voluerit.

§. V. *De Ordinibus Majoribus, ſeu Sacris.*

De Subdiaconatu.

I. DIcuntur tres alii Ordines Majores, & Sacri; tum quia propius accedunt ad Euchariſtiam, tum quia perſonam conſecratam Deo efficiunt per votum ſolemne caſtitatis perpetuæ. Subdiaconatus materia remota ſunt Calix, & Patena vacui: proxima porrectio eorumdem; forma, verba illa: *Videte cujus miniſterium &c.* ex laudato Concil. Carthagin. cap. 5. Traditur etiam liber Epiſtolarum ad ampliorem miniſterii ſignificationem, non ut materia eſſentialis; calix namque, & patena magis ad Euchariſtiam accedunt. Hinc neque a Concilio Carthaginenſi, neque a Florentino libri Epiſtolarum fit mentio. Munus igitur præcipuum Subdiaconi eſt patenam cum hoſtia, & calicem cum vino Diacono in altari porrigere; ſecundum vero ſolemniter legere Epiſtolam in Miſſa.

S. R. C. *in Collen.* 5. *Julii* 1698. ſanxit, quod deficiente Subdiacono pro Miſſa ſolemni, data neceſſitate, poteſt permitti per Superiores, ut ſubſtituatur conſtitutus in Minoribus Ordinibus ad cantandam Epiſtolam paratus abſque Manipulo. Decretum hocce adfert P. Lucius Ferraris *V. Reſol. Sac. Cong. In Indice Decretorum num.* 531.

Obligationes Subdiaconi.

II. Ex inſtituto Eccleſiæ addita fuere Subdiaconatui votum ſolemne caſtitatis, & onus Horarum Canonicarum, quæ onera ſuſcipere implicite Subdiaconus cenſetur eo ipſo, quod Sacram Ordinationem voluntarie recipit. Propterea, ſi expreſſe, quamvis impie, non intenderet votum emittere, profecto non emitteret; cum votum ſit eſſentialiter voluntaria, ſaltem implicita, promiſſio: ſi igitur expreſſe nollet, profecto neque implicite emitteret: peccaret tamen graviter, & teneretur quamprimum illud emittere. Neque obeſt, quod qui vult principale, nempe Ordinem, velit etiam acceſſorium, nempe votum; id namque verificatur quando utrumque eſt inſeparabile, & independens a voluntate ſuſcipientis; ſecus autem quando ſunt reapſe ſeparabilia, & dependentia a voluntate ſuſcipientis: conſtat autem, eſſe ſeparabilia, cum onus voti additum fuerit Subdiaconatui, aliquot ſæculis poſtquam conferebatur ſine tali onere. Si itaque interea peccaret contra caſtitatem, non committeret ſacrilegium, ſed grave peccatum inobedientiæ contra legem Eccleſiaſticam, quæ mandat ſpeciali modo Subdiaconis caſte vivere etiam ex voto ſolemni. Circa Horas nil addendum ſupereſt dictis in tract. 9. c. 11. per totum.

Juxta Sylvium *in* 2. 2. *q.* 88. *art.* 7., qui ſacros Ordines recipiunt, non emittunt, proprie loquendo, votum ſolemne caſtitatis; „ quia, *inquit*, non ſe tradunt, neque etiam acceptantur ad continentiam perpetuam, ſed ad ſacrum miniſterium. „ Interpretative quidem promittunt ſervare continentiam hoc ipſo, quod ſacrum Ordinem recipiunt, non quomodocumque, ſed tum juxta ritum Eccleſiæ Romanæ, tum poſt declarationem eis ab Epiſcopo factam, quod deinceps neceſſe ipſis erit caſtitatem ſervare. At „ hæc eorum ſive promiſſio, ſive ad legem Eccleſiaſticam ſubjectio, non eſt „ conjuncta traditioni, & reciprocæ acceptationi ad ſervandam caſtitatem; ſed „ ad miniſterium ſacrum: ac proinde ad „ illud idem miniſterium ſolemnizatur eorum promiſſio, non autem ad caſtitatem. Unde Concilium Tridentinum Seſſ. 24. can. 9. damnans eos, qui dixerunt, „ *Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe Matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto*, clare „ diſcernit votum ſolemne caſtitatis, a lege, qua in ſacris conſtituti obligantur, „ ſervare continentiam.

„ Dicitur tamen, *ſubdit*, votum caſtitatis ſolemnizari per ſuſceptionem Ordinis ſacri; quia votum illud ſaltem implicitum, quamvis ſit ſimplex, annectitur alicui ſolemnizationi, ſeu ſolemni conſecrationi, ſacræ ſcilicet ordinationi, ex conſtitutione legis Eccleſiaſticæ; atque ita ex vi ejuſdem „ conſtitutionis aliquo modo eſt ſolemne, „ non ſimpliciter, ſed quantum ad dirimendum matrimonium poſtea contractum.

* At S. P. Benedictus XIV. *de Synod. Diœceſ. lib.* 13. *cap. XII. n.* 13. *nov. edit.* cenſet, caſtitatis votum Sacris Ordinibus adnexum, ſolemne eſſe, & haberi, juxta Decretalem *in Cap. unic. de voto, in* 6. cujus hæc ſunt verba: *Illud ſolum votum debere dici ſolemne &c. quod ſolemnizatum fuerit per ſuſceptionem Sacri Ordinis*,

Digitized by Google

nit, aut per Profeſſionem expreſſam, vel tacitam factam alicui de Religionibus per Sedem Apoſtolicam approbatis.

An Subdiaconatus ſit verum Sacramentum? III. Quamvis Subdiaconatus admittatur ab omnibus Catholicis inter Ordines Sacros, magna tamen eſt inter eos contentio, an ſit verum Sacramentum? Antiqui Theologi, ut dixi de Ordinibus minoribus, affirmant, plerique recentiores eruditi negant; quorum momenta, & quidem non ſpernenda, videſis apud eoſdem, confinia inſtituti noſtri prætergredientia.

De Diaconatu. IV. Diaconatus materia in Eccleſia Latina eſt impoſitio manus Epiſcopi; forma vero verba illa: *Accipe Spiritum Sanctum &c.* & inſuper liber Evangeliorum, & quidem remota; proxima vero porrectio ejuſdem: forma vero: *Accipe poteſtatem &c.* Prima namque, nempe manus impoſitio, ſemper legitur adhibita, tum in Actibus Apoſtolorum, tum in utraque Eccleſia Orientali, & Occidentali; eſt igitur reputanda eſſentialis; multo magis quod ſæpe laudatum Concilium Carthaginenſe 4. cap. 4. expreſſe docet: *Diaconum conſecrari per impoſitionem manus Epiſcopi*, neque alterius materiæ meminit, quod profecto omittere non debuiſſet, niſi impoſitio manus eſſet eſſentialis. Secunda autem materia, nempe liber Evangeliorum pro Latinis credenda eſt eſſentialis integralis, tum quia in decreto Eugenii in Concilio Florentino ſola exprimitur; judicavit namque ſuperfluam mentionem impoſitionis manus, utpote jam notiſſimæ. Dixi pro Latinis, nam pro Græcis nil additur impoſitioni manus. Hoc autem confirmat doctrinam datam in §. 1. num. 4. Et revera in primordiis Eccleſiæ, quando nondum ſcripta habebantur Evangelia, liber ille exhiberi non poterat, cum tamen Diaconi ordinarentur. At inquies, quando igitur in Diaconis Latinis imprimitur Character? Salvo meliori judicio, putarem in manus impoſitione, quippe quæ intimior, ſignificantior, & univerſalior materia eſt, niſi forte aliquis cum Bellarmino malit dicere, duos imprimi Characteres partiales; unum, in dicta manus impoſitione, quo confertur poteſtas miniſtrandi immediate Sacerdoti celebranti; ſecundum, dum traditur liber Evangeliorum, quo confertur poteſtas canendi ſolemniter Evangelium.

☞ Diſſident Theologi, ut nemo neſcit, circa materiam Diaconatus. Exiſtimant plures, Libri Evangeliorum traditionem conſtituere adæquatam hujus Sacramenti materiam. Nonnullis arridet opinio, qua aſſeritur, ſolam manuum impoſitionem eſſe materiam eſſentialem ipſius. Non pauci demum ſententiam amplectuntur, quæ utrumque ritum, nempe impoſitionem manuum, & traditionem Libri Evangeliorum conjungit, ſeu quæ ſtatuit ex utroque ſimul ſumpto coaleſcere eſſentialem, & adæquatam Diaconatus materiam.

Ad formam vero quod attinet, qui primam ſententiam propugnant, cenſent formam ſitam eſſe in verbis Epiſcopi, quæ traditionem Libri Evangeliorum comitantur, nempe, *Accipe poteſtatem legendi Evangelium &c.* Ex iis, qui ſecundam ſuſtineut, autumant aliqui formam illis dumtaxat verbis contineri, quæ proferuntur ab Epiſcopo, dum ordinando manus imponit, videlicet, *Accipe Spiritum Sanctum &c.* Alii vero contendunt eſſe præfationem, ſive orationem, quæ immediate poſt illorum verborum, *Accipe Spiritum Sanctum &c.* prolationem, funditur ab Epiſcopo extenſam tenente manum dexteram, nempe, *Emitte in eos, quæſumus &c.* Qui tertiam demum defendunt, putant Epiſcopi verba, quæ duplicem illum ritum comitantur, ex æquo ſpectare ad eſſentialem Diaconatus formam. Hanc tertiam ſententiam aliis prætulit Auctor.

V. Diaconatum eſſe Sacramentum, non eſt ita de fide, ut hæreticus ſit, qui hoc neget; cum id negarint duo graviſſimi Auctores Cajetanus, & Durandus, abſque hæreſeos nota; eſt tamen modo adeo certum, ut ſine gravis temeritatis piaculo vix negari queat. Tum quia communis eſt Doctorum ſententia, fundata in Actibus Apoſtolor. cap. 6. ubi leguntur Diaconi ordinati per manuum impoſitionem quæ adjuncta verbis *accipe Spiritum Sanctum* in novo Teſtamento Sacramenti collationem ſignificat, ut patet ex 1. ad Timoth. 4. Tum quia laudatum Concil. Carthaginenſe 4. cap. 4. docet, Diaconos *conſecrari*. Tum quia S. Hieronymus contra Vigilantium, Diaconatum appellat *Sacramentum Chriſti*. Tum denique, quia Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 6. definit, Hierarchiam Eccleſiaſticam, *Divina ordinatione conſtitutam, conſtare ex Epiſcopis, Presbyteris, & miniſtris*; quo nomine ſaltem Diaconi denotantur. — Diaconatus eſt Sacramentum.

VI. Eſt igitur, Diaconus miniſter antonomaſtice dictus, ut deducitur ex Epiſtola S. Ignatii martyris ad Trallianos; cujus munera ſunt, ex vi ſuæ Ordinationis, miniſtrare immediate Sacerdoti ſolemni- — Nomen, & munera Diaconi.

Digitized by Google

ter celebranti, præcipue porrigendo eidem calicem cum vino, & patenam cum hoſtia in altari; ſecundo canere ſolemniter Evangelium cum inſignibus ſui Ordinis; inter quæ præcipuum eſt ſtola tranſverſim accommodata; & etiam ſacra vaſa Euchariſtiam continentia extrahere, & reponere in ſacro loco. Munera autem ex commiſſione Epiſcopi, vel Parochi ipſi competentia ſunt prædicare verbum Dei; Baptizare ſolemniter; &, neceſſitate ita compellente, etiam miniſtrare Euchariſtiam: idcirco autem ad has actiones requiritur commiſſio, quia ſunt actus juriſdictionis; & in carente juriſdictione, exigunt commiſſionem habentis juriſdictionem.

De Preſbyteratu ejuſque materia, & forma.

VII. Preſbyteratus materia remota duplex eſt, & utraque eſſentialis, juxta duas poteſtates, quæ Ordinato conferuntur; una in ordine ad conficiendum Corpus Chriſti verum, altera ſuper Corpus Chriſti myſticum, nempe ſuper fideles abſolvendos a peccatis. Itaque prima materia remota pro Sacerdotibus Latinis, & cujus porrectione, addita forma, quis conſtituitur ſimplex Sacerdos, eſt patena cum hoſtia, & calix cum vino: Forma vero ſunt illa verba: *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium &c.* Altera materia, qua confertur poteſtas ſuper Corpus Chriſti myſticum, eſt manuum impoſitio Epiſcopi, quæ fit poſt communionem; Forma vero ſunt illa verba: *Accipe Spiritum Sanctum; quorum remiſeris peccata &c.* Circa primam, ita habetur ex decreto Eugenii ad Armenos; ubi S. P. idcirco impoſitionis manuum non meminit; quippe quod notiſſima eſſet omnibus, & ipſis quoque Armenis, ad quos inſtructionem ſuam dirigebat.

Magnum & circa materiam Preſbyteratus vigere inter Doctores diſſidium, neminem fugit. Plures ſentiunt, traditionem calicis cum vino & aqua, & patenæ cum pane ſuperimpoſito eſſe ſolam materiam eſſentialem Preſbyteratus. Alii exiſtimant, impoſitionem manuum eſſe dumtaxat materiam eſſentialem Sacramenti, de quo ſermo eſt. Cum autem triplex fiat in Preſbyterorum Ordinatione manuum impoſitio, una videlicet ſtatim poſt Litanias ab Epiſcopo, & Preſbyteris adſtantibus, abſque ulla verborum prolatione; altera immediate poſt illam ab omnibus, qui adſunt, Sacerdotibus, & ab Epiſcopo, qui in Diaconum electum in Preſbyterum divinam omnipotentiam invocant (quæ nonnullis videtur eſſe eadem cum præcedenti continuata); tertia denique quæ poſt communionem fit a ſolo Epiſcopo ita Preſbyterum alloquente: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccata remittuntur eis, & quorum retinueris retenta ſunt;* ſecundam dumtaxat, ſeu eam, quæ fit ſecundo loco ad eſſentialem materiam Preſbyteratus pertinere cenſent. Nonnulli tandem media via incedunt, contenduntque, materiam Preſbyteratus ex utroque ritu conſurgere, nempe impoſitione manuum, & vaſorum traditione. Et ex his alii putant materiam adæquatam Ordinationis, ut collativæ poteſtatis Sacerdotalis coaleſcere ex impoſitione manuum quæ fit ab Epiſcopo, & Sacerdotibus adſtantibus ſuper caput ordinandi, nec non ex traditione inſtrumentorum; materiam vero ordinationis Preſbyteri, ut judicis, eſſe tertiam impoſitionem manuum ſuper caput ordinandi factam a ſolo Epiſcopo. Alii vero autumant adæquatam materiam ordinationis, ut collativæ poteſtatis Sacerdotalis ad offerendum Sacrificium eſſe ſolam calicis cum vino, & patenæ cum hoſtia traditionem; materiam autem ordinationis, ut judicis, eſſe ultimam manuum impoſitionem.

Circa formam totidem ſunt Theologorum ſententiæ. Qui cenſent, porrectionem inſtrumentorum eſſe adæquatam materiam Preſbyteratus, docent illius formam adæquatam hiſce verbis contineri, quæ eam porrectionem comitantur: *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium Deo, Miſſamque celebrandi tam pro vivis, quam pro defunctis. In nomine Domini. Amen.* Qui contendunt, manuum impoſitionem, quæ ſecundo loco fit ab Epiſcopo, & Sacerdotibus adſtantibus, eſſe ſolam Sacramenti, de quo agitur, materiam, ſentiunt illis formam adæquate comprehendi orationibus, quibus Epiſcopus Spiritum Sanctum tunc invocat in eum qui ordinatur. Qui demum tertiam ſententiam propugnant, quemadmodum duplicem materiam, ita & duplicem formam eſſentialem agnoſcunt. Et illi quidem, qui cenſent materiam adæquatam ordinationis, ut collativæ poteſtatis Sacerdotalis coaleſcere ex ſecunda impoſitione manuum, & ex traditione inſtrumentorum; materiam vero ordinationis Preſbyteri, ut judicis, eſſe ultimam manuum impoſitionem, ajunt primam formam conſiſtere in illis verbis: *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium &c.* ſecundam autem in iſtis: *Accipe Spiritum Sanctum &c.* Illi ſve-

ro

Digitized by Google

ro qui aſſerunt adæquatam materiam ordinationis, ut collativæ poteſtatis Sacerdotalis eſſe ſolam calicis cum vino, & patenæ cum hoſtia porrectionem; materiam autem ordinationis Sacerdotis, ut judicis, ultimam manuum impoſitionem, affirmant primam repoſitam eſſe in verbis illis, quæ profert Epiſcopus dum inſtrumenta porrigit, ſcilicet: *Accipe poteſtatem &c.* ſecundam in iſtis aliis, quæ ultimam manuum impoſitionem comitantur, nimirum; *Accipe Spiritum Sanctum &c.*

Utramque hanc ſententiam ſatis probabilem judicat Em. Gotti *Quæſt.* 6. *Dub.* 2. §. 2. & 3. & poſtremæ etiam Auctor ſubſcripſit.

Cæterum, cum nihil certi hic definiri poſſit, ait Ludovicus Habert *de Ordine Part.* 1. *c.* 7. caute obſervandum eſt quidquid præſcribitur in Pontificali Romano; & ſi quid fuerit incaute omiſſum, illud ſupplendum eſt, ut docent Innocentius III., & Gregorius IX., quia ritus integer neceſſarius eſt, ſaltem neceſſitate præcepti.

Cur autem in Sacramento Baptiſmi, & Pœnitentiæ manus impoſitio non requiratur, bene vero in Sacramento Confirmationis, & Ordinis rationem aſſignat D. Thomas 3. *p. q.* 84. *art.* 4. *in corp.* quam abs re non erit hic ob oculos ponere: *Dicendum*, ait, *quod impoſitio manuum in Sacramentis Eccleſiæ fit ad deſignandum aliquem copioſum gratiæ effectum, quo illi, quibus munus imponuntur, quodammodo per ſimilitudinem quandam continuantur Miniſtris, in quibus copia gratiæ eſſe debet. Et ideo manus impoſitio fit in Sacramento Confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus Sancti, & in Sacramento Ordinis, in quo confertur quædam excellentia poteſtatis in divinis Myſteriis. Unde & 2. ad Timot. 1. dicitur: Reſuſcites gratiam Dei quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum. Sacramentum autem pœnitentiæ non ordinatur ad conſequendam aliquam excellentiam gratiæ, ſed ad remotionem peccatorum. Et ideo ad hoc Sacramentum non requiritur manuum impoſitio, ſicut etiam nec ad baptiſmum; in quo tamen fit plenior remiſſio peccatorum.*

Poteſtas Sacerdotis.

VIII. Hinc inferendum eſt, duos imprimi characteres, unum in ordine ad conſecrandum, ut clare docet S. Thomas qu. 37. Supplem. a. 5. *ideo in datione calicis ſub forma verborum determinata character Sacerdotalis imprimitur*: alterum in ordine ad abſolvendum, dum Epiſcopus manus imponens dicit: *Accipe Spiritum Sanctum &c.* qua actione aliam, & novam confert poteſtatem; character enim nil aliud eſt, niſi poteſtas ſpiritualis. Immo non videtur abſonum affirmare, quod tunc novum fiat partiale Sacramentum, quandoquidem extat novum ſignum exterius a Chriſto inſtitutum, cum nova collatione gratiæ, definiente Tridentino ſeſſ. 23. can. 4. per prolationem illorum verborum *dari Spiritum Sanctum*, ideſt ejus gratiam. Eodem modo egerat Chriſtus; quandoquidem Apoſtolos Sacerdotes inſtituit in Cœna ante paſſionem; & deinde poſt Reſurrectionem, poteſtatem eiſdem contulit per indicata verba remittendorum peccatorum: & in hoc conſentiunt SS. Patres: nec diſcordat S. Thomas, dum loc. cit. dicit; quod *per manuum impoſitionem datur plenitudo gratiæ*: & in reſp. ad 2. *Poſt reſurrectionem dedit Apoſtolis poteſtatem Sacerdotalem, quantum ad actum ſecundarium, qui eſt ligare, & ſolvere*: ſi igitur contulit novam poteſtatem, novum contulit characterem. Hæc autem poteſtas abſolvendi, cum non ſolum ſit Ordinis, ſed & juriſdictionis, ut etiam alibi monuimus, in Sacerdotibus ſuſpenſa remanet, quouſque eiſdem aſſignentur ab Epiſcopo ſubditi, per approbationem ad audiendas confeſſiones in ſua Diœceſi.

Oppoſitio ſoluta.

IX. Nec quidquam negotii faceſſit diverſitas materiæ, & formæ, quæ ab Eccleſia Græca in ordinandis ſuis Presbyteris adhibentur, nempe ſola manuum impoſitio pro materia, & ſola prolatio horum verborum: *Divina gratia, quæ ſemper infirma ſanat, & quæ deſunt ſupplet, creat, ſeu promovet N. venerabilem Diaconum in Presbyterum*, pro forma, abſque eo quod ab Eccleſia Romana improbetur hæc Ordinatio, immo ut valida admittatur. Hoc enim confirmat doctrinam traditam in §. 2. n. 4. nempe Chriſtum reliquiſſe Eccleſiæ determinare nonnullorum Sacramentorum materias, & formas in ſpecie. Neque tamen inferas, quod ſi Sacerdos Latinus ordinaretur Græcorum more, valide ordinaretur; quia quemadmodum pro ſolis Græcis Eccleſia ritum illum approbat; ita pro Latinis alium ritum ſtatuit neceſſario obſervandum.

Presbyteratus eſt verum Sacramentum.

X. Presbyteratum verum eſſe Sacramentum, eſt de fide: Cum enim de fide ſit ex Tridentino, ſeptem eſſe Eccleſiæ Sacramenta, quibus accenſetur Ordo; de Presbyteratu ſaltem id verum eſſe debebit:

Digitized by Google

cum ſit vertex, ad quem cæteri ordines ut ad ſupremum referuntur.

Munera Sacerdotis. XI. Hinc deducas, ſimplicis Sacerdotis munus ex vi proprii Ordinis eſſe dumtaxat celebrare ſacrificium: ex commiſſione autem miniſtrare Sacramenta Baptiſmi, Euchariſtiæ, Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis, & Matrimonii.

Nota. Sacerdos ex vi ſuæ ordinationis non ſolum poteſtatem habet Sacrificium offerendi, & abſolvendi a peccatis; ſed etiam ſolemniter baptizandi, ideoque eſt etiam ordinarius Miniſter Baptiſmi. Compertum eſt hoc tum ex Concilio Florentino in Decreto Eugenii, ubi agens Pontifex de Miniſtro Baptiſmi ait: *Miniſter hujus Sacramenti eſt Sacerdos, cui ex officio competit baptizare*: tum ex D. Thoma 3. p. q. 67. a. 2., in quo hæc habentur: *Dicendum quod Sacerdotes ad hoc conſecrantur, ut Sacramentum corporis Chriſti conficiant, ſicut ſupra dictum eſt. Illud autem eſt Sacramentum Eccleſiaſticæ unitatis, ſecundum illud Apoſtoli 1. Cor. 10. Unus panis, & unum corpus multi ſumus, omnes, qui de uno pane & de uno calice participamus. Per baptiſmum autem aliquis fit particeps Eccleſiaſticæ unitatis, unde & accipit jus ad menſam Domini accedendi. Et ideo ſicut ad Sacerdotem pertinet conſecrare Euchariſtiam (ad quod principaliter Sacerdotium ordinatur) ita ad proprium officium Sacerdotis pertinet baptizare. Ejuſdem enim videtur eſſe operari totum, & partem in toto diſponere*. Hucuſque S. D.; quæ clare oſtendunt, Sacerdotem ex vi ſuæ ordinationis poteſtatem habere ſolemniter baptizandi. Quod & docuit Auctor *Cap. 1. de Sacramento Baptiſmi* §. 1v.

Licet autem Sacerdoti ex vi ſuæ ordinationis competat ſolemniter baptizare, atque ideo ſit baptiſmi ordinarius miniſter; attamen hoc munus exercere licite nequit niſi cum dependentia a Superiore, ejuſque deputatione. Quemadmodum enim quilibet Sacerdos ex vi ſuæ ordinationis, valet ex officio abſolvere a peccatis; ita poteſt etiam ex officio baptizare: ſed ſicut quilibet Sacerdos non poteſt quemcumque, & a quibuſcumque peccatis abſolvere, niſi a Pontifice, vel ab Epiſcopo ad id exponatur; ita nec poteſt quilibet Sacerdos quemlibet ſolemniter, & ex officio baptizare; ſic ut ſupra quoſcumque, in quibuslibet Diœceſibus, vel Paræciis poſſit id muneris ex officio exercere; ſed, ut licite id poſſit, vel ubique vel in certis locis, ex deſignatione ſuperioris pendet. Ratio eſt; quia per baptiſmum fideles introducuntur in Eccleſiam, & conſtituuntur in hac, vel illa Diœceſi, vel Paræcia: ideoque ad Paſtores Eccleſiæ ſpectat diſponere, quinam Sacerdotes debeant baptizando in Eccleſiam inducere; eoſque in hac, vel illa Diœceſi, aut Parochia conſtituere. Quapropter Eccleſia ſtatuit, ut hoc officium regulariter a ſolis Parochis exerceatur. Eſt tamen diſcrimen inter facultatem abſolvendi, & baptizandi, quod Sacerdos qui non eſt ad abſolvendum deſtinatus, inutiliter & incaſſum abſolvit; Sacerdos vero qui non eſt deſtinatus ad baptizandum ſolemniter, baptizans, baptizat quidem illicite, ſed valide. Lege Em. Gotti *Quæſt.* 1v. *de Miniſtro Baptiſmi Dub.* 1. §. 1. *n.* v11.

* Non promoti ad Presbyteratum, ſi Miſſam celebrent, tradendi ſunt a Judicibus S. Inquiſitionis curiæ ſæculari puniendi ex Conſtitutionibus Pauli IV. Sixti V. & Clementis VIII. Item Urbanus VIII. in Conſtitut. *Apoſtolatus Officium* iis pœnis ſubjicit etiam minores annis viginti quinque, dummodo vigeſimum annum expleverint. Has Conſtitutiones approbavit, confirmavit, & innovavit Benedictus XIV. in Bulla incipit. *Sacerdos in æternum*, quæ habetur *Bullarii tom.* 1. *num.* 97. & addit §. 4. ſingulas teſtium depoſitiones, nempe quando teſtes in ſuis depoſitionibus ſunt ſingulares, valere ad reorum torturam, ſi non ad pœnam. Valere autem etiam ad pœnam, ſi Ordinarius declaraverit per ſimplices litteras reum a ſe non eſſe promotum, decernit §. 5. Deinde §. 6. ampliat pœnas Conſtitutionum Apoſtolicarum contra celebrantes unius tantum Miſſæ partem, dummodo Elevationem peregerint. Quod ſi non peracta Elevatione, Reum ab Altari diſceſſiſſe probetur, tunc ſolum concedit, ut contra ipſum ad mitiorem pœnam deveniatur arbitrio, & prudentia Judicis Eccleſiaſtici præfiniendam. Subdit vero §. 7. omnes denique exceptiones ſupra expreſſas, quæ ab hujuſmodi reis, eorumque Defenſoribus, in ipſorum excuſationem prætendi ſolent, ſeu ſingulatim, ſeu conjunctim conſiderentur, nullatenus attendi, ſeu eiſdem reis ſuffragari debere ſtatuimus, quominus ad realem eorum traditionem brachio ſæculari, vel ſi de Clericis in aliquo Eccleſiaſtico Ordine conſtitutis agatur, ad eorum degradationem, & traditionem pariter brachio ſæculari, etiam pro prima vice, procedatur.

Digitized by Google

tur, ad hoc ut condignis tantæ impietatis pœnis a jure, ſeu alias ſtatutis, & comminatis, cum effectu puniantur, & afficiantur.

Demum §. 8. declarat insuper idem Sum. Pontifex eiſdem pœnis ſubmitti quoſcumque non Sacerdotes, qui confeſſiones ſacramentales audire, & abſolutionem pœnitentibus impertiri præſumunt. Si tamen non ſit prolata abſolutio, concedit tunc, ut Judex Eccleſiaſticus mitiorem pœnam, pro ſuo arbitrio, & prudentia, delinquenti valeat irrogare.

De Epiſcopatu. XII. Epiſcopatus nedum eſt gradus ſimplici Sacerdotio major, ad actus Hierarchicos in Eccleſia exercendos, ut contra Novatores tenent de fide Catholici omnes; verum etiam eſſe Sacramentum docent plures graviſſimi doctores, quos inter ex noſtris duo Petri de Palude, & de Soto: nec putant S. Thomam adverſari huic opinioni, dum in lect. 3. in 2. ad Timoth. cap. 1. dicit quod a Paulo Timotheus *ordinatus erat Epiſcopus, in qua Ordinatione data ei fuerat gratia Spiritus Sancti*; qui loquendi modus a S. D. adhibitus in opere quod verſus finem vitæ ſuæ exaravit, ſignificare videtur recenſuiſſe Epiſcopatum inter Sacramenta; cum alioquin in q. 40. Supplem. art. 5. ſe accomodans ſententiæ Magiſtri ſententiarum, cujus libros commentariis illuſtrabat, junior docuerit, Epiſcopatum non eſſe Sacramentum. Quemadmodum autem in laudata lectione videtur, hanc opinionem non nihil emolliſſe; multo magis illam temperaturum credendum eſt, ſi ſcripſiſſet poſt celebratam Synodum Tridentinam; in cujus ſeſſ. 23. c. 3. traditur, Ordinem eſſe verum Sacramentum; quod ut Concilium probet, aſſumit textum D. Pauli 2. ad Timoth. cap. 1. *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*; quæ verba refert Apoſtolus, ut dixit S. Thomas, ad Ordinationem, qua ordinavit Timotheum in Epiſcopum: ſi igitur Epiſcopatus non eſſet Ordo, & Sacramentum, videtur quod inutiliter uteretur Synodus eo textu, ad probandum ex ſcripturis, quod Ordo ſit Sacramentum, ut conſideranti clare patet. Poſito igitur, quod ſit Ordo, & Sacramentum, illius materia eſt manuum impoſitio Epiſcopi conſecrantis, forma vero ſunt illa verba: *Accipe Spiritum Sanctum &c.* Et quamvis ad conſecrationem unius Epiſcopi tres Epiſcopi adeſſe debeant; id tamen non videtur neceſſarium pro valore actus, ut colligitur ex antiquo tertii ſæculi ſcriptore Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 8. cap. 27. alias 33. Immo refertur, S. Gregorium Magnum, & Gregorium XIII. in caſu neceſſitatis indulſiſſe, ut Epiſcopus etiam ab uno dumtaxat Epiſcopo conſecretur: hæc tibi ſufficiant, ſi plura deſideres, videſis Theologos Scholaſticos-dogmaticos.

Celebris fervet inter Doctores contentio, num Epiſcopatus ſit Sacramentum, a Presbyteratu diſtinctum?

Eximius Vir R. P. F. Bernardus M. de Rubeis O. P. inter cetera, quæ ad commune emolumentum, atque utilitatem in lucem emiſit egregia Volumina Theologicis doctrinis, & recondita ſacra eruditione referta, *Diſſertationes Criticas, & Apologeticas de Geſtis, & Scriptis, ac Doctrina S. Thomæ* publici juris fecit, quibus poſtremam Venetam operum ejuſdem S. D. Editionem adornavit, atque illuſtravit. Porro *Diſſert. 27. cap.* 3. difficultatem hanc examini ſubjicit, & quænam præcipue fuerit circa ipſam D. Thomæ ſententia, accurate expendit, ac pleno in lumine collocat. In primis oſtendit juxta mentem S. D. Epiſcopatum, ſi pro eminentiori quodam officio ſumatur, eſſe Ordinem a ſimplici Presbyteratu diſtinctum, ipſamque divina Jeſu Chriſti inſtitutione permanentem, atque indelebilem. Deinde demonſtrat, eumdem S. D. inficiari, Epiſcopatum eſſe Ordinem illum, qui dicitur Sacramentum, & characterem imprimere a ſimplici Sacerdotio diſtinctum. Ad utrumque evincendum luculentiſſima in medium adfert Angelici teſtimonia. Et huic ſententiæ utpote probabiliori eſt adhærendum. Lege integrum *caput præcitatæ Diſſertationis*, in quo materiem hanc more ſuo uberrima eruditionis, atque doctrinæ copia verſat, ac diſcutit Auctor laudatus.

Placet hic etiam innuere (neque enim alius opportunior nobis locus occurrit) Conſtitutionem S. P. Benedicti XIV. de Epiſcoporum Reſidentia incip. *Ad Univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ ſtatum* editam *die* 3. *Septembris* 1746. In ea exponit in primis quanti interſit, locorum Ordinarios in ſuis Diœceſibus aſſidue reſidere, commemoratque & Concilia, & a Summis Pontificibus editas identidem ſanctiones, quibus negotium hoc impenſe commendatur, & inculcatur tanquam unum ex præcipuis Eccleſiaſticæ diſciplinæ capitibus. Deinde abſentiæ cauſas aſſignat, & tempora

Digitized by Google

pora a Concilio Tridentino permiſſa; Canonica & Pontificia ſtatuta ad id confirmat & innovat. Item confirmat pœnas in contravenientes, addita pœna privationis Indultorum competentium Aſſiſtentibus ſolio Pontificio. Congregationem ſuper reſidentia Epiſcoporum ab Urbano VIII. inſtitutam, ejuſque ſeſſiones in uſum reducit. Singulis abſentiæ cauſis opportuna Reſcripta comparat. An, & quatenus permittendum Epiſcopo ut abſit cauſa litis? Quid ratione infirmitatis extra Diœceſim contractæ? Quid ad convaleſcendum ex morbo in Diœceſi contracto? Quid ratione aeris inſalubris? Quid pro celebrandis Conciliis, Aſſembleis, Diætis &c.? Quid pro conſtruendis proceſſibus Apoſtolicis in cauſis Canonizationis? Præceptum de præmiſſorum obſervantia, & de onere denunciandi non reſidentes infra certum tempus imponit. Peculiarem ad id commiſſionem Nuntio Apoſtolico Neapoli commoranti injungit. Poſtremo declarat ſub ordinatione, & diſpoſitione Conſtitutionis hujus comprehendi etiam Cardinales, qui Patriarchalibus, Primatialibus, Archiepiſcopalibus, Epiſcopalibus Eccleſiis præſunt, & in poſterum præerunt. Subditque, hæc ſtatuta ab omnibus, ad quos ſpectat, inviolabiliter eſſe obſervanda, non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, indultis, conſuetudinibus etiam immemorabilibus. Habetur hæc Conſtitutio *Tom. 2. Bullarii n.* 18.

✠ S. Thomas 2. 2. *q.* 185. *art.* 1. inquirit, *Utrum liceat Epiſcopatum appetere?* & *in corp.* ſic hoc dubium luculenter reſolvit. *Dicendum*, inquit, *quod in Epiſcopatu tria poſſunt conſiderari, quorum unum eſt principale & finale, ſcilicet Epiſcopalis operatio, per quam utilitati proximorum intenditur . . . . Aliud autem eſt altitudo gradus; quia Epiſcopus ſuper alios conſtituitur . . . . Tertium autem eſt quod conſequenter ſe habet ad iſta, ſcilicet reverentia, & honor, & ſufficientia temporalium . . . . Appetere ergo*, ſubdit, *Epiſcopatum ratione hujuſmodi circumſtantium bonorum, manifeſtum eſt, quod eſt illicitum, & pertinet ad cupiditatem, vel ambitionem . . . Quantum autem ad ſecundum, ſcilicet ad celſitudinem gradus, appetere Epiſcopatum eſt præſumptuoſum . . . . Sed appetere proximis prodeſſe, eſt ſecundum ſe laudabile, & virtuoſum. Verum quia, prout eſt Epiſcopalis actus, habet annexam gradus celſitudinem, præſumptuoſum videtur, quod aliquis præeſſe appetat ad hoc, quod ſubditis proſit, niſi manifeſta neceſſitate imminente, ſicut dicit Gregorius in Paſtoral. quod tunc laudabile erat Epiſcopatum quærere, quando per hunc cuiquam dubium non erat ad ſupplicia graviora pervenire*. Quodlib. autem 2. *art.* 11. docet & oſtendit idem S. D. quod *qui appetit prælationem aut eſt ſuperbus, aut injuſtus . . . . & ideo* ait, *nullus ſuo appetitu debet ad prælationem pervenire, ſed ſolum Dei judicio*. Et Quodlib. 3. *art.* 9. aſſerit, *quod ſemper eſt vitioſum Pontificatum appetere*. Gemina habet & pluribus aliis in locis, quæ brevitatis gratia miſſa facimus. Tantum vero abeſt, ut S. Doctor ex iis fuerit *qui dicunt & non faciunt &c.* Matth. 23. ut non modo non ambierit dignitates Eccleſiaſticas, ſed etiam oblatas conſtantiſſime recuſaverit. Ab Urbano IV. Romam vocatus (inquit Eccleſia in ejus Officio) adduci non potuit, ut honores acciperet. Archiepiſcopatum Neapolitanum etiam deferente Clemente IV. recuſavit. Legatur Diſputatio *De vocandis ad Epiſcopatum*, Auctore Antonio Charlas Presbytero Sacræ Theologiæ Doctore, in qua exemplis Chriſti, Apoſtolorum, aliorumque Sanctorum probatur, non eſſe licitum Epiſcopatum deſiderare; ac inſuper Patrum doctrina, & rationibus hoc idem confirmatur.

CAPUT VII.

DE SACRAMEMTO MATRIMONII.

§. I. *De ſponſalibus, & de requiſitis ad eorum valorem.*

I. Sponſaliorum nomine plura ſignificantur, aliquando munera, quæ Sponſus ad Sponſam mittit: quandoque dos, a Sponſæ genitoribus, vel aliis ſponſo data; quandoque dona, quæ titulo futurarum nuptiarum utrique Sponſo ab aliquibus conferuntur; aliquando etiam Matrimonium nondum conſummatum: quibus omnibus ſignificatis impræſentiarum prætermiſſis, Sponſaliorum nomine cum Angelico quæſt. 43. Supplementi art. 1. dumtaxat indicamus mutuam promiſſionem futuri matrimo-

Quid ſint Sponſalia?

monii viciſſim factam ab illis, qui matrimonium contracturi ſunt.

Conditiones ad valorem requiſitæ.

II. Hinc ſex conditiones requirunt communiter Doctores ad Sponſaliorum valorem: I. quod ſit promiſſio mutua; II. vera, & ſeria; III. voluntaria, & deliberata; IV. exteriori aliquo ſigno ſufficienter ſignificata; V. Inter Perſonas ad contrahendum habiles; VI. obligatoria ſtatim, ſi abſolute; expleta vero conditione, ſi ſub conditione facta.

Explicatur prima conditio, quod ſit promiſſio mutua.

III. Promiſſio mutua dicitur illa, quæ nedum eſt alteri parti ſignificata, ab eademque acceptata, verum etiam per iſtius repromiſſionem alteri promittenti factam confirmata, & conſummata in via promiſſionis mutuæ. Quod præſupponatur acceptata, patet ex contractu de promiſſione, quæ nullam parit obligationem niſi acceptetur. Quod ſi Titius promitteret Genitori, Tutori, vel Curatori Bertæ, ſe illam ducturum in uxorem; ſi antequam illi id Bertæ ſignificent, ipſum Titium pœniteat promiſſionis; non idcirco, juxta mihi probabiliorem cum Sanchez lib. 1. de matrim. diſp. 26. poſſet recedere a promiſſione facta, niſi a Berta rejiciatur. Ratio eſt; quia quemadmodum ſi Titius ipſe Bertæ per ſe promiſiſſet, & ipſa ad prudenter deliberandum modico tempore ſuſpenderet reſponſum, non poſſet Titius interea promiſſionem revocare; ita neque in caſu: quandoquidem præfatæ perſonæ moraliter perſonam Bertæ gerunt. Et multo magis teneretur, ſi etiam juramento promiſſionem confirmaſſet. Quod autem requiratur repromiſſio, evincitur tum ex definitione data, tum ex natura contractus oneroſi ultro citroque obligantis: Unde niſi altera pars aut expreſſe repromittat, aut ſigno ſufficienti repromiſſionem indicet, non eſſet contractus Sponſaliorum, cum deſit conditio eſſentialis huic contractui; præſumitur enim Titius promiſiſſe promiſſione ſponſalitia, cum verba contrahentium communiter intelligenda ſint, juxta naturam contractuum.

Satisfit interrogationi.

IV. Interrogabis: igitur Titius ad nihil tenebitur? Reſpondeo, quod ad nihil tenebitur ex vi contractus Sponſaliorum, ſi animo ineundi Sponſalia promiſerit, ut ſupponitur: ſi autem promiſiſſet abſolute, & independenter ab ineundis Sponſalibus; tunc tenebitur ex vi gratuitæ promiſſionis acceptatæ, ſi acceptata fuerit; ita ut non poſſit alteri promittere, & multo minus alteram licite ducere, niſi de licentia Bertæ. Sicuti ſi promiſiſti Petro, te eidem donaturum domum tuam, & ipſe promiſſionem acceptaverit, non potes illam alteri promittere, aut vendere, niſi de licentia Petri. Si autem Berta in promiſſione ſponſalitia nimis differret dare promiſſionem, tunc poſſet compelli via juridica ad ſe declarandum, ut Titius eximatur ab onere expectandi. Interrogabis iterum: Quid, ſi Titius dubitaret, an promiſerit promiſſione ſponſalitia, vel abſoluta? Putarem judicandum eſſe, promiſiſſe promiſſione ſponſalitia; ita communiter exigente natura hujuſmodi promiſſionum.

Explicatur ſecunda conditio, quod ſit promiſſio vera.

V. Debet eſſe promiſſio vera; id eſt animo promittendi, quod perinde eſt ac ſe obligandi; cum obligatio ſit de eſſentia promiſſionis, ut diximus in tract. 10. cap. 2. §. 11. quatenus diſtinguitur a ſimplici propoſito, quantumvis efficaci. Qui igitur proferendo verba promiſſoria, poſitive excludit animum promittendi, aut ſe obligandi, invalide promittit; peccat tamen mortaliter, ſi proferat verba promiſſoria ſponſalitia, & exigentia viciſſim promiſſionem; quia in re gravi, contractuque oneroſo decipit alteram partem. Si vero promitteret ſine animo, promiſſione mere liberali, & non ſponſalitia, ſeu relinquendo alteram partem in ſua libertate repromittendi: multi dicunt, quod peccaret ſolum venialiter mendacio nemini pernicioſo: ſi vero altera pars relicta in ſua libertate, & putans illum vere ex animo promittere, vere repromittat; tunc ficte promittens tenetur vel ſerio renovare promiſſionem, vel declarare fictionem promiſſionis emiſſæ, & repromittentem in ſua libertate relinquere; aliter graviter peccaret, relinquendo promittenti onus grave, quod ipſe ſubire non vult, & quod alter ſubit, quia putat, etiam ficte promittentem illud ſubiiſſe.

Occurritur interrogationi.

VI. Quid, ſi promittens verba promiſſoria protulerit, præſcindens a ſe obligando, aut non obligando? Reſpondeo, quod ſi promittens alioquin ſciebat, promiſſionem hujuſmodi inducere obligationem, & repulerit illam, nolendo facere, quod fieri eſt conſuetum; non promiſit; ſed peccavit juxta modo dicta: ſi vero illam obligationem expreſſe non repulerit, tenetur ſtare promiſſioni; quia cenſetur voluiſſe id agere, quod a natura hujus contractus poſtulatur, & prout alii agere conſueverunt.

Intentio non

VII. Intentio prava non implendi promiſ-

Digitized by Google

implendi, non invalidat promiſſionem,

miſſionem ſponſalitiam, etiam dum profertur, non nocet valori promiſſionis, quamvis noceat conſcientiæ promittentis, qui eo ipſo mortaliter peccat, utpote habens voluntatem non implendi id, ad quod ſub gravi tenetur; itaque promiſſio tenet, quia voluntas implendi non eſt de eſſentia promiſſionis, ſicut voluntas ſe obligandi: Qui vero dubitat, an dum promiſit, voluntatem habuerit ſerio promittendi, aut ſe obligandi, revera tenetur ſtare promiſſioni, contra nonnullos male ratiocinantes; quia cum conſtet certo de promiſſione, qua ratione ab obligatione eximendus erit dubitans, an ſerio promiſerit? quandoquidem talis animus judicandus eſt juxta ea, quæ plerumque eveniunt; plerumque autem evenit, quod homines in rebus gravibus promittentes, promittant animo veram, & obligantem promiſſionem emittendi; inde in tali dubio poſſidet promiſſio certo facta, & promittentem obſtringit.

Explicatur altera conditio, quod ſit voluntaria, & deliberata.

VIII. Alia conditio eſt, quod promiſſio ſponſaliorum ſit voluntaria, & deliberata; cum enim hujuſmodi promiſſio ſit actus humanus, debet procedere ex advertentia, & deliberatione, eaque tanta, quæ ſufficeret ad peccandum lethaliter in quocunque genere. Quamobrem ſi promittens, vel nondum perveniſſet ad uſum rationis, vel promitteret in ebrietate, vel dum opprimitur delirio, deeſſet promiſſioni ſufficiens deliberatio. Non tamen inde inferas, quod ſi promittens vehementi æſtuet paſſione amoris, aut ardentiſſima rapiatur concupiſcentia in mulierem, cui promittit, careat ſufficienti deliberatione; quia vehemens paſſio, niſi dementet, & rationis uſum abſorbeat, quamvis deliberationem minuat, ſufficientem tamen relinquit, ſicut ad mortaliter peccandum, ita & ad promittendum, & contrahendam obligationem.

Explicatur uberius.

IX. Debet itaque eſſe promiſſio immunis a quocunque notabiliter lædente plenam libertatem. Propterea lex ultima Codicis, & cap. *Gemmæ* de ſponſalibus vetant, ne contractui ſponſaliorum addatur pœna aliqua ſolvenda ſponſo, vel ejus conſanguineis, ſi per eos ſteterit, ne matrimonium ſequatur: ſicuti etiam vetatur omne pactum lucrativum ab altero contrahente additum ſponſalibus, ex lege *ſi ita ſtipulatus* §. *ſi tibi* ff. de verborum obligatione; & hæc juſte prohibentur, ne matrimonia ineantur ob motiva voluntarium minuentia, qualia eſſent, pœna ſolvenda, niſi contrahatur; & lucrum acquirendum ſi contrahatur. Hic tamen nota, quod promiſſio donandi, ſi matrimonium ſequatur, valet, quando ceſſat omnis ſuſpicio, quod poſſit lædere libertatem, nempe dum promittitur nomine dotis (italice *ſopraddote, o contraddote*) aut donationis propter nuptias, ad compenſandam inæqualitatem inter contrahentes: puta dum ignobilis ducit nobilem; longævus ducit juvenem; deformis ducit valde pulchram; tunc enim cum fiat donatio ad compenſandam juſte inæqualitatem, a lege non prohibetur. Immo ſi dicta promiſſio fiat ab aliquo extraneo, & non ab altero contrahentium, non cenſetur a lege prohiberi; reputatur enim liberalis donatio ſub conditione honeſta, nempe ſi cum illo, vel illa contrahat, ut alliciatur ad matrimonium: idcirco lex allata vetat id proponi ab altero contrahentium, aut conſanguineo, non ab extraneo.

Duplicem diſtinguere pœnam Theologi ſolent. Alteram poſitivam vocant, quæ vere, proprieque rationem pœnæ induit, & repoſita eſt in diminutione poſſeſſionis, aut patrimonii, ut ſi quis promittat Franciſcæ matrimonium, hac adjecta pœna, ut ſi a tali promiſſione reſiliat, teneatur ſolvere centum aureos. Alteram negativam appellant, quæ conſiſtit in amiſſione alicujus lucri, ut ſi quis promittat puellæ centum ſe daturum, ſi ſecum nubere velit, aliter non daturum; aut teſtator relinquat virgini legatum, ſi cum tali, vel tali matrimonium contrahat, ſecus legatum amittat; quod adhuc bifariam poteſt contingere, vel retrahendo a matrimonio, ut ſi dicat: *promitto tibi centum ſi non nupſeris*; vel inducendo, & alliciendo ad illud, ut ſi dicat: *Promitto, ſi nupſeris*.

Convenit penes omnes, priorem pœnam non ſolum illicitam, ſed & invalidam eſſe, cum jure canonico prohibita ſit, ut ex cap. *Gemmæ* de ſponſalib. ab Auctore citato compertum eſt. Et quidem prohibitio juſta eſt, utpote libertati matrimonii conſulens. Quare lethaliter delinqueret qui ſciens, & advertens hanc prohibitionem, talem pœnam ſponſalibus apponeret. Idemque aſſerendum, ſive a ſponſis, ſive a ſponſorum parentibus, conſanguineis, affinibus, amicis &c. hæc pœnalis conditio adjiciatur. Nec refer, quod pœna ſit gravis aut levis; lex enim pœnam quamcumque ſponſalibus apponere vetat,

nec

Digitized by Google

nec diſtinguit inter gravem, vel levem; & pœna etiam levis lædit libertatem matrimonii; & licet in aliquo caſu non læderet, per accidens hoc contingeret: lex autem non ad ea, quæ per accidens occurrunt, attendit, ſed ad id quod per ſe, & frequenter evenire ſolet.

Difficultas autem excitatur, an licita, & valida ſit pœna impoſita parti reſilienti injuſte a contractu ſponſalium. Plures, quibus & P. Daniel Concina ſubſcripſit *Lib.* 2. *de Matrim. Diſſert.* 2. *cap*, 1. *num.* 30., aſſerunt obligationem pœnæ ſponſalibus adjectam eſſe injuſtam, & invalidam ſive juſte, ſive injuſte fidem quis frangere velit, & ideo non teneri nec in foro externo, nec conſcientiæ eam ſolvere, qui ab his ſponſalibus juſte vel injuſte reſiliret.

Alii vero Doctores, præſertim Suarez *Tom.* 2. *de Relig. Lib.* 2. *de Juram. cap.* 23. *n.* 5., & Vaſquez *Opuſc. de Teſtam. cap.* 3. *dub.* 2. *n.* 28., quibus adſtipulati ſunt P.P. Salmanticenſes *Tract.* 9. *de Matrim. cap.* 1. *punct.* 8. *n.* 99. ſentiunt quidem invalidam eſſe talem pœnam, ſi apponatur juſte reſilienti, vel ſine diſtinctione juſte vel injuſte fidem ſponſalium frangenti; cenſent vero juſtam, & validam eſſe, ſi apponatur injuſte ab eis recedenti, ac proinde teneri in utroque foro eam ſolvere, qui frangit injuſte ſponſalia ſub tali pœna contracta. Ratio eſt, inquiunt, quia nec jure naturali, nec poſitivo eſt nulla talis pœnalis conventio; non quidem jure naturæ, quod omnes concedunt, quia non eſt nec contra rationem, nec contra naturam Matrimonii, eo quod talis obligatio ex voluntate imponentis oritur; & ſic ex natura rei, libertatem non adimit Matrimonii. Nec etiam jure poſitivo; jus enim canonicum in Cap. *Gemmæ cit.* loquitur de ſponſalibus inter impuberes celebratis, qui juſte poſſunt, cum ad pubertatem pervenerint, reſilire. Reliqua autem jura, ſubdunt, vel correcta ſunt per *Novellam* 18. Leonis Imperatoris, ubi approbatur appoſitio pœnæ injuſte fidem frangenti ſponſalium, ut quidam volunt, vel ſolum loquuntur, quando poteſt quis libere a ſponſalibus recedere: eo quod ratio decidendi in illis eſt, ne libertas matrimonii lædatur, & conſequenter, quando non poteſt quis libere reſilire (uti accidit quando ſine juſta cauſa renuit fidem datam obſervare) non prohibent pœnam imponere, eritque proinde obligatio eam obſervandi. Sic quidem laudati P.P. Salmanticenſes *num.* 100.

Legatur etiam P. Paulus Gabriel Antoine *Tract. de Matrim. cap.* 1. *q.* 5. *num.* 9. ubi hæc habet: „ Porro pœna in ſponſalibus primo reſilienti appoſita non obligat juſte reſilientem: quia pœna juſta ſupponit culpam, & innocenti injuſte infligeretur. At obligat in conſcientia injuſte reſilientem, quia infert injuriam, propter quam debet ex pacto pœnam promiſſam ſubire. “

Ad pœnam vero negativam quod attinet, hæc docent pluries citati PP. Salmanticenſes *n.* 109. *& ſeqq.* 1. ſi hæc pœna ab extraneis ponatur, ut ſi quis dicat, *Lego tibi centum, ſi cum tali nupſeris, vel promitto totidem, ſi cum tali nupſeris*, talis promiſſio valida eſt, ita ut qui non nupſerit lucrum, vel legatum amittat; quia hoc proprie non eſt pœnam apponere, ſed ſpecie lucri ad matrimonium allicere, quod honeſtum eſt, & bonum; quæ tamen doctrina fallit in duobus caſibus. Primus eſt quando talis pœna apponitur in legitima; quæ invalida eſt, eo quod privatio illius haberet vere, & proprie rationem pœnæ, quæ non poteſt matrimonio contrahendo apponi. Secundus quando is, cui hæreditas, vel legatum relinquitur, non gravatur ducere indigno, vel inhoneſto modo; nam ſi ita ſit, tali conditio cenſetur invalida *l. cum ita legatum, ff. de condition. & demonſtrat.* §. *videamus*, *l.* 32. *tit.* 9. *part.* 6.; eo quod talis conditio cenſetur non natura, ſed jure impoſſibilis; id enim poſſumus, quod jure, & honeſte poſſumus *l. Nepos Proculo* §. *de verb. ſignif.* ex quo ſequitur legatum puellæ relictum, ſi Petro nubat, validum eſſe, etiamſi illa de conſenſu Patris non Petro, ſed alteri nubat; nam virgo, niſi de parentis conſenſu nulli poteſt honeſte nubere.

2. Si a contrahentibus talis pœna apponatur, quando a viro ponitur ſic: *Dabo tibi centum, ſi mecum contraxeris*, eſt invalida. Valida tamen eſt ſi a muliere imponatur, promittendo ipſa centum, ſi cum ea vir nupſerit. Quare ſecuto primo modo matrimonio, non tenetur vir ſtare promiſſis, bene tamen mulier in ſecundo caſu. Prima pars hujus aſſerti expreſſe habetur *l. ſi ita ſtipulatus fuero* §. *ſi tibi nupſero, ff. de verb. ſignif.* Secunda verò pars, quod videlicet ſit valida promiſſio a fœmina adjecta definitur ab Alexandro III. *cap. de illis, de condit. appoſit.* Et ratio eſt, quia præſumitur id facere cauſa libidinis, quando vir promittit mulieri; ob

quam

Digitized by Google

quam cauſam, quia turpis eſt, promiſſio a jure irrita redditur, ac nulla, niſi quando vir ignobilis, aut ſenex aliquid mulieri nobili, aut juveni promittit, quia tunc non cauſa libidinis id facere præſumitur, ſed in ſatisfactionem nobilitatis, vel juventutis, quæ ſuo modo diminuitur cum ignobili, aut ſene contrahendo. At vero quando fœmina viro promittit tantum ſe daturam, ſi ſecum nubat, id fieri cauſa dotis præſumitur; & ſic talis promiſſio tenet.

3. Si pœna de amittendo, ſeu non acquirendo lucro ad retrahendum a matrimonio apponatur, ut ſi aliquis promittat centum alicui, ſi non nupſerit, dicendum eſt, quod ſi fœmina vidua fuerit, ideſt matrimonium ratum conſummaverit, talis promiſſio, vel legatum ſub illa conditione relictum, ſunt valida, & licita; ſic, ſi ipſa nupſerit, id lucrum amittet. Nam honeſtum eſt a ſecundis nuptiis abſtinere, *c. fin.* 31. *quæſt.* 1. Unde conditio nuptias prohibens in hoc caſu valida eſt, & in legato, vel contractu admittitur.

4. Quando vero virgini, ideſt, quæ nunquam nupſit, ac matrimonium conſummavit, conditio apponitur abſtinendi a matrimonio, ut ſi donatio, vel legatum illi fiat ſub conditione ducendi vitam cœlibem, ſi talis conditio adjiciatur contractui, non rejicitur, ſed illum vitiat, irritumque reddit. Ratio eſt, quia hæc conditio jure reputatur impoſſibilis, eo quod a jure reprobatur; & conditiones quæ improbantur a jure vocantur impoſſibiles *l. conditiones contra edicta, ff. de condition.* Ea enim ſolum poſſumus, quæ jure poſſumus: ſed conditiones impoſſibiles ſive jure, ſeu natura contractibus adjectæ non rejiciuntur, ſed eos irritos reddunt. Si autem talis conditio abſtinendi a matrimonio adjuncta ſit legato, non vitiat legatum, ſed rejicitur: unde ſi Virgini legentur mille, ſi non nupſerit, obtinebit illa ac ſi pura, & abſque omni conditione relicta eſſent. Habetur expreſſe *l. quoties* 22. *l. cui tale* 71. *& l. Titiæ, ſi non nupſerit, ff. de condit. & demonſtrat.* Et ratio deciſionis eſt, quia, ut conſtat *ex l.* 2. *C. de indict. viduit.* Reipublicæ intereſt, ut multis ex legitimo matrimonio natis augeatur.

„ Ratio autem, ſubjungunt iidem Salmanticenſes, quare conditio natura, vel jure impoſſibilis non rejiciatur a contractibus, ſed eos vitiet, & irritet; ſi tamen legato adjiciatur, rejicitur, & legatum tenet, ea eſt, quod in contractu cum contrahentes ſint ſuperſtites, poſſunt conditionem impoſſibilem illum vitiantem a contractu repellere; & eum ad debitum modum reducere: at teſtator, qui mortuus eſt, hoc non poteſt facere. Unde oportuit, quod per legem ipſam reduceretur ad modum debitum legatum, rejiciendo turpem conditionem. Quare idem dicendum eſt, quando talis conditio adjecta eſt donationi cauſa mortis, eo quod conditiones impoſſibiles non tantum a legato, ſed & a donatione cauſa mortis rejiciantur, *l. quæ ſub conditione, & in morte, ff. de condit. inſtitut.* „

X. Duo ſunt præcipua, quæ præfatam libertatem adimere poſſunt; nempe error, & metus; ſub errore continetur ignorantia, deceptio, dolus; quodlibet igitur horum ſufficiens ad reddendum irritum contractum matrimonii, ſufficit etiam ad irritanda ſponſalia, juxta communem: de hoc errore iterum differetur in explicatione primi impedimenti matrimonium dirimentis. Nunc ſufficiat dicere, quod quando ignorantia, error, dolus verſantur circa ſubſtantiam perſonæ, aut circa qualitatem aliquam, quæ licet non redundet in ſubſtantiam perſonæ, eſt tamen per ſe, & primario intenta, & explicata, reddit ſponſalia nulla, & irrita, juxta omnes; quia cauſat involuntarium ſimpliciter; contrahens enim non intendit ſe obligare, niſi tali perſonæ, aut tali qualitate affectæ. Et circa hoc obſervant Doctores, faciliorem eſſe cauſam ſolvendorum ſponſaliorum, quam matrimonii; utpote vinculi ſtrictioris, & venerabilioris: ac proinde ſi qualitates contrahentium ſponſalia ignoratæ, tales ſint, quæ ſufficerent ad diſſolvenda ſponſalia, ſi advenirent poſt illa contracta, præbent aditum ad petendam diſſolutionem, ſaltem apud judicem competentem. Quænam minuant libertatem neceſſariam?

XI. Attente notandum, qualiter inter ſe differunt ignorantia, & error, deceptio, aut dolus, aut fraus; nam ignorantia proprie dicitur, quando una partium ignorat qualitatem malam alterius: puta infirmitatem gravem habitualem illius: error quando creditur oppoſitum; puta ſanam eſſe, quæ eſt dicto modo infirma: deceptio quando credit eſſe ſanam, quia ita ſuadetur ipſe contrahens a ſemetipſo; dolus autem, & fraus, quando ita perſona ſuadetur ab alia perſona. Hæc autem omnia poſſunt ſe habere aut antecedenter ad contra- Notabile obſervandum.

Digitized by Google

tractum, aut concomitanter: Antecedenter ſe habent, quando ſunt vera cauſa contractus, ita ut niſi ignorantia, aut error, aut deceptio præcederet, nunquam contraheret, & ideo contrahit, quia ignorat, aut errat, aut decipitur: Concomitanter autem hæc ſe habent; quando non dant cauſam contractui, nempe quia, etiam ſemota ignorantia, errore, aut deceptione, & cognoſcendo rem ſicuti revera eſt, adhuc contraheret.

Ignorantia, error &c. concomitans non invalidat ſponſalia.

XII. Hinc docet communis, quod quando ignorantia &c. eſt tantum concomitans, nec nulla efficit ſponſalia, nec reſcindibilia relinquit, quia, ut patet, relinquit actionem contrahendi omnino voluntariam: quando autem ignorantia &c. eſt antecedens, & orta ex imprudentia, inadvertentia ignorantis, errantis, aut decepti, non reddit irrita quidem ſponſalia, ſed relinquit aditum ad petendam diſſolutionem, quia nullo jure declarantur irrita ſponſalia hoc modo contracta; eo quod ſuæ imprudentiæ, & inconſiderantiæ imputare debet errorem &c. Dixi, relinquit aditum ad petendam diſſolutionem, quæ forte ab altera parte non concedetur, neque forſan a judice cauſam judicante. Quando autem error, deceptio &c. proceſſit ab altera tertia perſona, quæ ſuaſit, decepit &c., etiam tunc ſunt valida ſponſalia contracta, tamen facilius reſcindibilia ab altera parte, & hac renuente, reſcindentur a judice de veritate informato. Quando demum error, deceptio &c. proceſſit ab altero contrahentium, qui fraudulenter, & doloſe egit, ſuaſit &c. quod falſum erat; manent nihilominus valida ſponſalia, ut fert communior, & probabilior, ſi fuerint abſolute contracta, quia ſubſiſtit voluntarium ſimpliciter, attamen ſunt omnino reſcindibilia nedum a judice, verum etiam ab ipſa parte decepta; quippe quod ita meretur doloſus modus procedendi partis decipientis; nec juſtum eſt, ut pars decepta in re adeo gravi, voluntario adeo imperfecto, & magna involuntarietate mixto, tanto oneri ſubjiciatur.

Explicatur altera cauſa involuntarii in ſponſalibus, nempe metus.

XIII. Altera cauſa minuens voluntarium in ſponſalibus, eſt, ut dixi, metus, ut etiam tradidimus in tract. 3. cap. 3. §. 3. Inde plurimi poſt Angelicum 2. 2. quæſt. 89. art. 7. ad 3., docent, quod omnis metus gravis, qui vocitari ſolet cadens in virum conſtantem, ſive ſit gravis abſolute, & in ſe, ſive reſpective ad perſonam, cui incutitur, & ſit injuſte incuſſus a cauſa extrinſeca, & ad extorquendum aſſenſum, quamvis forte irrita non reddat ſponſalia, relinquit tamen illa reſcindibilia, etiam ad beneplacitum ejus, qui metum paſſus eſt. Dixi quamvis forte irrita non reddat ſponſalia, quia revera metus non tollit voluntarium ſimpliciter tale, cum tamen hujuſmodi voluntarium ſit adeo injuſte extortum, propterea, juxta omnes, ſponſalia hoc metu contracta reſcindi poſſunt ad beneplacitum metum paſſi; quandoquidem eſt valde abſonum, quod quis acquirat ex juſtitia jus ad aliquid contra alterum, a quo illud extorſit modo adeo injurioſo; unde metum paſſus poteſt ſponſalia reſcindere, niſi tamen fuerint juramento firmata.

Explicantur ſingula modo aſſerta.

XIV. Debet igitur, ut poſſint ab eo qui paſſus eſt metum irrita reddi ſponſalia, eſſe metus gravis in ſe, vel reſpectu perſonæ metum paſſæ. Debet item eſſe injuſte incuſſus, ideſt a perſona non habente jus, malum illud comminandi; puta ſi pater inveniens Petrum filiam ſuam inhoneſte aggredientem, comminetur ipſi mortem, niſi promittat ſe illam ducturum in uxorem: eſt metus injuſte incuſſus; quia pater ille non habet jus comminandi mortem; bene vero accuſandi apud judicem; unde ſi Petrus, ut accuſationem evadat, ſpondeat Filiæ; cum metus ſit juſte incuſſus, quippe quod de malo, nempe accuſatione, quam pater jus habet comminandi, ſponſalia ſubſiſtunt. Debet item incuti metus injuſtus ad extorquendam promiſſionem, ut efficiat illam reſcindibilem; quia ſi metus incuteretur Petro non animo extorquendi promiſſionem, ſed ſe vindicandi; puta invadendo illum armata manu, & hic, ut mortem evadat, ſponte promittat ſe filiam ducturum; tunc cum metus non ſit incuſſus ad extorquendam promiſſionem, quæ ſponte offertur ab impudico aggreſſore, promiſſio remanet valida; eſt tamen reſcindibilis ſaltem a judice, ſi ipſi videbitur. Quod ſi judex competens comminetur aggreſſori impudico carcerem, triremes &c.; niſi promittat, ſe filiam ducturum; quamvis metus dirigatur ad extorquendam promiſſionem, cum incutiatur juſte, nempe ab habente legitimam auctoritatem; promiſſio erit valida, & irreſcindibilis. Idcirco dedita opera dixi, quod incutiatur metus a cauſa extrinſeca, injuſte &c.; quia de hoc dumtaxat eſt quæſtio; ſi enim metus excitetur ab animo ip-

ipſiuſmet promittentis ob aliquod motivum ab ipſo conceptum, & illum ad promittendum inducat; promiſſio tenet, & eſt irreſcindibilis: puta ſi impudens aggreſſor, horrens ſtuprum patratum, timeat, ne virgo violata illud indicet genitori, & conſanguineis, a quibus gravia mala ſibi imminere poſſint, & hoc timore adactus, promittat; promiſſio tenet; quia eſt timor incuſſus non a cauſa extrinſeca, ſed a ſe ipſo. Addidi in fine, niſi forte ſponſalia eſſent juramento firmata, quia quamvis plures dicant, quod cum juramentum ſit acceſſorium, nullis effectis ſponſalibus ab eo, qui injuſtum metum gravem paſſus fuit, corruat etiam juramentum; nihilominus non ita cenſet S. Thomas 2. 2. q. 89. art. 7. ad 3. docens: *Quod in juramento, quod quis coactus facit, duplex eſt obligatio, una quidem, qua quis obligatur homini, cui promittit, & talis obligatio tollitur per coactionem: quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promiſſum non ſervetur; alia autem eſt obligatio, qua quis Deo obligatur, ut impleat, quod per nomen ejus promiſit; & talis obligatio non tollitur in foro conſcientiæ... poteſt tamen.... Prælato denunciare*: & exponendo eidem injuriam metus illati ad extorquendam promiſſionem, petere ab eo relaxationem juramenti. Quam Prælatus eidem, cognita veritate, abſque ulla difficultate concedet. Et nota cum communi, quod ſi paſſus metum, nihilominus vellet ſtare promiſſioni, altera pars reſilire nullo modo poteſt, ſed & ipſa ſtare tenetur, ne ex iniquitate ſua utilitatem libertatis reportet.

Quid de metu levi?

XV. Metus levis non irritat ſponſalia, ſaltem in foro externo; quia utpote levis potuit facile repelli; & ideo non admittitur in tribunali, immo habetur pro nullo. Dixi ſaltem in foro externo; quia multi contendunt, quod in foro conſcientiæ, ſi fuerit incuſſus ad extorquendam promiſſionem, poſſet ſufficere, ut metum paſſus irrita reddat ſponſalia, ſi voluerit; quia hic metus minuit plenam illam libertatem, quæ poſtulari videtur a contractu, cui adnectitur obligatio afficiens perſonam pro toto vitæ ſuæ decurſu, qualis eſt ſtatus matrimonii.

✠ Videantur quæ tradita ſunt. *tom.* 1. *tract.* 10. *cap.* 1. §. 2.

Explicatur altera conditio pro valore ſponſaliorum; nempe quod exteriori ſigno ſufficienter ſignificentur.

XVI. Altera conditio ad valorem ſponſaliorum requiſita eſt, quod promiſſio, & repromiſſio aliquo exteriori ſigno manifeſtetur; quia contractus quilibet humanus ita poſtulat; cum homines cognoſcant dumtaxat ea, quæ apparent, & cor ſoli Deo notum ſit: aliquod ergo ſignum exterius requiritur, quod ſignificet ſive de ſe, ſive ex conſuetudine. Et quidem quoad forum conſcientiæ, ut inducat obligationem, ſufficit, quod fuerit factum animo ſignificandi mutuam obligationem, quamvis forte in ſe ſit incertum, & non ſufficienter ſignificans; ſi tamen apud ſponſos ſignificans fuerit, & animo contrahendi fuerit factum, obligationem parit in conſcientiæ foro. Dico in conſcientiæ foro: quia forum externum judicat juxta allegata, & exterius prolata, & probata. Cum autem hæc ſigna quandoque ſint obſcura, dubia, & incerta; tunc ad examen vocanda eſt intentio illius, qui tale ſignum dedit, & juxta conſcientiam, quam habuit, judicandum. Imo plerumque apud Nobiles etiam ſilentium puellæ verecundæ, coram Genitoribus, aut Tutoribus, aut aliis curam ejus gerentibus, ſponſalia cum aliquo juvene æquali contrahentibus, & pro puella reſpondentibus, ipſaque hilari facie tacente, habetur ut ſignum ſufficiens aſſenſus ejuſdem. In re tanti momenti procurandum eſt, ut puella in plena libertate conſtituta expreſſe dicat, an velit; quia multoties ſilent non tam ob verecundiam, quam ob metum; & ideo debent conſtitui in plena libertate, & coram perſonis nullam formidinem incutientibus.

Explicatur altera conditio ad valorem ſponſaliorum, nempe habilitas perſonarum naturalis.

XVII. Ultima conditio ad valorem ſponſaliorum eſt habilitas perſonarum ſponſalia celebrantium. Prima inhabilitas eſt naturalis, nempe amentia, ebrietas completa, ætas ante uſum rationis, qui in jure ante ſeptennium completum non admittitur; ſi tamen in raro caſu certo conſtaret, aliquem etiam ante ſeptennium uſu rationis donatum, & ſponſalia contraxiſſe, eſſent valida; putarem tamen arbitrio prudentis judicis reſcindibilia, niſi rata haberentur opportuniori ætate: quemadmodum ab oppoſito valida non eſſent habenda etiam poſt ſeptennium, ſi certo conſtaret, ſeptennio majorem nondum habere rationis uſum. Certum eſt, quod contracta in hac puerili ætate remaneant infirma; & quamvis ab illis reſilire non poſſint ante pubertatem, ſuſpenduntur tamen, quouſque, adveniente pubertatis ætate, vel illa rata habeant, vel illa reſcindant; cum eis concedatur a jure facultas reſcindendi in capite *de illis*, & in capite *a nobis* de ſpon-

Digitized by Google

ſponſalibus impuberum. Si autem ante pubertatem ſponſalia juramento firmaſſent; ut licite reſiliant, petenda eſſet relaxatio juramenti, juxta ſuperius dicta cum S. Thoma. Qui vero in pubertate conſiſtens, ſponſalia iniiſſet cum impubere, non poſſet recedere a contractu, niſi expectata pubertate alterius, & deliberatione, an reſilire velit; quod ſi diſſolutioni diſſentiat, pubes ille ſtare compellitur, juxta communem; quia privilegium juris conceſſum eſt in favorem impuberis.

Caſus reſolvitur.

XVIII. Alia eſt inhabilitas legalis, ſeu ex aliquo impedimento, quod dirimeret matrimonium, ſi celebraretur; quamobrem, qui contrahit ſponſalia abſolute cum impedimento dirimente Matrimonium, (de quo infra) invalide contrahit: quia cum Matrimonium validum non foret, etiam promiſſio abſoluta de eodem ineundo valida eſſe nequit. Immo invalida ſunt abſolute contracta, etiam cum impedimento dumtaxat impediente; (de quo etiam infra) eo quod cum non poſſit ſine peccato gravi contrahi matrimonium, neque poteſt abſque peccato abſolute promitti: promiſſio autem de re graviter illicita, nulla eſt. Dixi hactenus de promiſſione abſoluta; nam de conditionata dicetur in §. 3.

Altera inhabilitas legalis.

§. II. *De effectibus Sponſaliorum validorum.*

I. Effectus ſponſaliorum validorum ſunt tres: Primus, obligatio contrahendi matrimonium tempore congruo: Secundus, inducere impedimentum dirimens matrimonium, ſi celebretur, cum conjunctis ſponſi in primo gradu; nempe ne ſponſus valide ducere poſſit ſororem, aut matrem, aut filiam ſponſæ; & viciſſim ne ſponſa valide ducere poſſit fratrem, Patrem, aut filium Sponſi; quod impedimentum dicitur Publicæ Honeſtatis, de quo ſuo loco: Tertius, eſt afferre jus ad rem, nota bene, non in re, ſed ad rem, erga corpus alterius ſponſi; ex quo ſequitur, quod ſi alter ſponſorum carnaliter peccet cum altera perſona, graviter violet nedum caſtitatem, verum etiam juſtitiam; quia qui promiſit alteri, puta Petro aliquam rem, non poteſt, ſalva juſtitia, illam alteri ad uſum concedere; propterea eſt circumſtantia in confeſſione exponenda.

Tres effectus ſponſaliorum.

II. Conſulto notavi, quod in vi ſponſaliorum, ſponſi tradunt ſibi invicem jus ad rem in proprium corpus, & non jus in re, quod dumtaxat traditur ineundo matrimonium: ut inde inferas, quam manifeſte a veritate aberrent recentiores illi, qui ſponſis nondum matrimonio conjunctis permittunt, abſque mortali piaculo, quaſdam actiones, nempe oſcula, amplexus, tactus ex ſe non admodum turpes, quamvis affectu venereo; quæ omnia non niſi habentibus jus in re convenire poſſunt, & nullo modo habentibus dumtaxat merum jus ad rem; quamvis enim actus illi non ſint ipſa copula, ſunt tamen actus, quibus exercetur jus in re imperfectum, & incompletum, quod jus in re ſponſi mere promiſſi nullo modo habent; & proinde peccant lethaliter, præfatos actus exercendo affectu venereo. Exempla patent in aliis contractibus promiſſionis, & in aliis perſonis, ſolo jure ad rem gaudentibus. Electo ad beneficium, quia habet ſolum jus ad rem, nemo unquam concedet rebus beneficii aliquo modo, neque pro parte, uti, antequam habeat jus in re per collationem, & poſſeſſionem. Promittit hoc anno quis promiſſione acceptata vendere agrum Petro anno venturo, acquirit Petrus jus ad rem in agrum illum, ita ut alteri neque vendi, neque promitti poſſit; non poteſt tamen Petrus quidquam ex agro illo percipere, antequam, acquiſito jure in re, agrum illum poſſideat, & ita in aliis ſexcentis. Quomodo igitur poterunt licite ſponſi actus indicatos in propria invicem corpora exercere, non adhuc habentes inter ſe invicem jus in re, ſed dumtaxat ad rem? Quomodo poterit confeſſarius illos actus eiſdem permittere, abſque gravi piaculo? Excuſabit ne illum ignorantia diſtinctionis, & diverſi juris, quod afferunt jus in re, & jus ad rem? viderit ipſe.

Detegitur deceptio gravis; & pernicioſa plurium Recentiorum.

✠ Quæres, an ſaltem licita ſint oſcula, tactus & ampletus inter ſponſos futuros, ſi abſit periculum pollutionis, & delectationis venereæ, ſolaque adſit delectatio ſenſibilis?

R. Affirmant non pauci. Verum opinio hæc eſt omnino improbanda, utpote a veritate admodum aliena. Ratio evidens eſt, quippe ſponſalia nullum plane jus præbent ad talia peragenda. Exceptio autem periculi delectationis venereæ chimerica prorſus eſt & fictitia. Hæc ſane in praxi tenenda ſententia eſt, rejectis penitus aliorum placitis, nihilque omnino a pio & prudenti Confeſſario ſponſis unquam permittendum, ut a periculo innumera lethalia perpetrandi arceantur.

§. III.

Digitized by Google

§. III. *De ſponſalibus conditionatis.*

Doctrina S. Th. circa hoc, & conditiones peccaminoſas.

I. S. Thomas qu. 43. Supplementi art. 1. circa ſponſalia conditionata hanc tradit regulam: *Si fiat dicta promiſſio ſub conditione, diſtinguendum eſt: aut eſt conditio honeſta, cum dicitur; accipiam te, ſi parentibus placet; & tunc, ſtante conditione, ſtat promiſſio, & non ſtante, non ſtat: aut eſt inhoneſta, & hoc dupliciter, quia aut eſt contra bona matrimonii, ut ſi dicam, accipio te, ſi venenum ſterilitatis procures; & tunc non contrahuntur ſponſalia; aut non eſt contraria bonis matrimonii, ut, accipiam te, ſi furtis meis conſentias, & tunc ſtat promiſſio, ſed tollenda eſt conditio.* Quando igitur apponitur conditio prava, non oppoſita bonis matrimonii, non eſt exequenda, & ita corruunt ſponſalia; ſi autem ponatur; revera tranſeunt de conditionatis in abſoluta, & tenent, ut docuit Angelicus.

D. Thomas, ut perſpicue conſtat ex ipſius verbis ab Auctore relatis *num. præced.* diſcrimen aſſignat, quod intercedit inter conditionem inhoneſtam, quæ eſt contra bona matrimonii, & inter conditionem inhoneſtam, quæ non eſt contraria bonis matrimonii; aſſeritque non contrahi quidem ſponſalia, ſi ipſis apponatur conditio primi generis, nempe quæ ſit contra bona matrimonii; ſtare vero promiſſionem ſubdit, ſi apponatur conditio ſecundi generis, nimirum quæ non ſit contraria bonis matrimonii, docetque ſolum in tali caſu inhoneſtam conditionem eſſe auferendam. Juxta mentem igitur S. D. quamvis conditio inhoneſta non ſit exequenda, attamen ratione illius non corruunt, ſeu irrita non redduntur ſponſalia, ſed ſubſiſtunt. Et hanc ſententiam ferre communiter tum Theologi, cum Canoniſtæ amplexati ſunt. Docent quippe conditiones turpes, quæ matrimonii ſubſtantiam inficiunt, non ſecus ac conditiones impoſſibiles, de quibus Auctor *n. ſeq.* differit, pro non adjectis haberi, & ſponſalia rata conſiſtere, ac ſi abſque illis fuiſſent contracta; & ad id evincendum adferunt legem Gregorii IX. in cap. *Finali de condit. appoſit.* quam *n. ſeq.* citat Auctor, quamque infra nempe §. 6. *n.* 8. de verbo ad verbum exſcribit: etſi namque in illa loquatur ſolummodo Pontifex de contractu matrimoniali; attamen jure meritoque & ad ſponſalia illam extedunt; etenim cum ſponſalia ſint via ad matrimonium, idem favor eſt pro illis, ac pro iſto; & cum matrimonii ſint initium, quod de illo ſancitum deprehenditur, etiam de iſtis, nempe ſponſalibus, cenſetur diſpoſitum. Itaque conditiones turpes, quæ bonis matrimonii non opponuntur, quia ſunt contra bonos mores & ad ſcelera viam aperiunt, rejiciuntur & pro non adjectis habentur, & ſponſalia ſubſiſtunt, ac ſi non eſſent appoſitæ.

Diximus Theologos, & Canoniſtas fere communiter ſententiam hanc fuiſſe amplexatos; quia ſunt qui ſentiunt in tali caſu perpendendam eſſe intentionem contrahentis. Quare, inquiunt, ſi quis contrahat ſponſalia cum Berta v. gr. ſub hac turpi conditione, ut ſibi copiam faciat ſui corporis, & conſtet ipſi animum fuiſſe huic turpi conditioni ſuum conſenſum, ſuamque promiſſionem alligandi, non tenetur in foro conſcientiæ, niſi illa ſecuta. Lege Salmanticenſes *Tract. 9. de Matrimon. cap. 7. punct. 6. n. 104.*

II. Aliquando inter ſe invicem promittentes apponunt conditiones impoſſibiles, puta, ſi digito tangas Cœlum, ſi per aera volaveris, promitto &c., ſi hæ apponantur joci, & riſus gratia, ut plerumque fieri ſolet, ad oſtendendum potius animum a promittendo alienum; patet, quod nullum efficiant contractum; ſi autem animo vero promittendi fiant, quamvis joci cauſa dicantur, vere in foro conſcientiæ contractum non impediunt; & etiam in foro fori; ſi ex conjecturis probetur, animum promittendi adfuiſſe; quia ex capite *Finali* hujuſmodi conditiones *habentur pro non appoſitis.* — Conditiones impoſſibiles quando obligent?

III. Quando conditio eſt de futuro, ſi altera partium procuret, ne ſequatur conditio; qui hanc fraudem committit, tenetur ſtare contractui, ſi ex ipſius opera conditio non ſequatur, poſito, quod altera pars ſtare velit; quia fraus nemini ſuffragari debet; ex regula juris 162. Altera autem pars innocens remanet libera; & juxta plures, cognita fraude procurantis impedire, poteſt promittere, & nubere alteri; quia data opera ſtudens impedire executionem conditionis, manifeſtat ſe renunciaſſe fidei datæ, quam aperte frangit, procurans impedire effectum. — Impediens conditionem de futuro.

IV. Hinc infertur, illum, qui conditionate promiſit uni dicendo v. gr. ſi hæres fias avunculi; & deinde ſub conditione etiam promittit alteri; invalide, & illici- — Promittens conditionate duobus.

Digitized by Google

cite promiſit huic ſecundæ; & quamvis conditio appoſita in ſecunda promiſſione effectum habeat, tenetur ſtare primæ, & expectare executionem primæ conditionis; cum ſecunda promiſſio ſit aperte injurioſa, & injuſta, eo quod fides obligata primæ, nequeat obligari alteri. Quod ſi cum ſecunda matrimonium ineat, graviter quidem peccat, ſed matrimonium tenet; cum anterior promiſſio tantum quoad licitum impediat, & non dirimat matrimonium ſubſequens, ut dicitur ſuo loco.

An purificata conditione requiratur novus conſenſus?

V. Quando ſponſalia conditionata, purificata jam conditione, tranſeunt in abſoluta, juxta communiorem, & probabiliorem cum Paludano in 4. d. 29. quæ. 2. art. 4. Navarro in Enchiridio c. 22. num. 63. & aliis, non requiritur novus conſenſus; quia ſponſi jam pro eo tempore purificatæ conditionis ſe obligarunt, & obligare voluerunt; unde, non retractato anteriore conſenſu, jam perſeverat, & tranſit in abſolutum. Dixi, non retractato conſenſu, quia ſi forte retractatus fuiſſet, cum jam peccaverit graviter, qui ſine cauſa retractavit, tenetur novum interiorem elicere, ad valorem contractus requiſitum. P. Gobat num. 278. dicit, quod ſi antequam purificetur conditio, ſponſi ſe invicem carnaliter cognoſcant, juxta ſtylum Curiarum Epiſcopalium Ratisbonæ, Auguſtæ, & Conſtantiæ, hic actus efficit ſponſalia abſoluta, quamvis graviter illicitus; quia manifeſtat animum abſolutum reciproce ſe volendi in conjuges.

Conditio, ſi obtineatur ſublatio impedimenti dirimentis.

VI. Conditio, quæ apponi ſolet, & debet, inter habentes impedimentum dirimens matrimonium, *ſi Pontifex diſpenſaverit*, & revera habeant animum petendi diſpenſationem, ſitque petitio impedimenti diſpenſari conſueti, quando conditio purificatur, an tranſeant in abſoluta abſque novo conſenſu, diſputant graves Theologi, probabilior mihi eſt negans requiri novum aſſenſum, niſi fuerit anterior retractatus; quia quamvis ſibi ſpoponderint dum eſſent inhabiles, cenſentur habuiſſe tunc voluntatem ſe obligandi, quamprimum potuiſſent; quæ voluntas, niſi retractetur, perſeverat, quouſque conſecuta diſpenſatione, evadit abſoluta: & ideo tenetur utraque pars expectare eventum diſpenſationis, eamque procurare, prout convenere, nempe ut vel ſponſus, vel ſponſa, vel uterque pro dimidio, vel alio modo inter ſe pacto, illam procurent. Dixi, quod ſit impedimentum diſpenſari conſuetum, reſpective ad perſonas diſpenſationem petentes; ſi enim eſſet ex illis, quæ aut nunquam diſpenſari conſueverunt, aut non cum talibus perſonis: jam eſſet de conditione moraliter impoſſibili, & nulla eſſet promiſſio; cum habenda eſſet ut conditio non appoſita.

Conditio ſi Genitores aſſenſerint, quomodo intelligenda?

VII. Conditio, ſi Genitores, Genitor, Avus, Tutor &c. conſenſerint, cum multis modis poſſit poni, atque in varios ſenſus explicari, propterea examinanda eſt intentio promittentium. Si enim intellexerint, ut Pater &c. aſſentiatur, & non amplius diſſentiat, ita, & non alio modo erit purificanda conditio; unde Patre, &c. ultimo, & firmiter diſſentiente, cadet contractus; etiamſi ſemel antea conſenſerit. Si intellexerint, dummodo Pater aſſentiatur, ideſt ſemel obtento aſſenſu Patris, quamvis poſtea forte diſſentiat, ſemel habito, tranſibunt ſponſalia in abſoluta. Si intellexerint de conſenſu etiam tacito, ideſt patre non contradicente, quamvis ægro animo, ita purificabitur conditio. Quando autem ita dicunt, nulla facta intentione ſuper qualitate aſſenſus Patris, & dumtaxat dixerint, ſi pater aſſentiatur, abſtrahendo ab aliis circumſtantiis, videtur, quod quamvis prius aſſenſerit, ſi deinde diſſentiat, non purificetur conditio; quia poſterior diſſenſus tollit primum aſſenſum. At, quid ſi antequam pater aſſenſum explicet, vel neget, morte corripiatur? Multi dicunt renovanda ſponſalia; multi negant: ratio illorum eſt, quia valor promiſſionis pendebat ab aſſenſu, qui nunquam fuit præſtitus: ratio iſtorum; quia conditio illa erat in reverentiam Patris; hoc igitur ſublato, promiſſio tranſit in abſolutam. Melius dicunt alii, quod ſi promittentes vere ſe diligent, jam ſtatim aſſenſum renovabunt: ſi autem alter renuat; ad quid velle contrahere cum perſona reluctante, minuſque diligente? At dices, an poſſit renuentem compellere ad ſtandum promiſſioni? Reſpondeo, quod judex ſuſtinens primam opinionem, non compellet; ſicut compellet tenens ſecundam. Iterum repones mihi: at tu quod conſilium dares? Conſiliarem, ut renuentem rejiciat; ſtultiſſimum quippe eſt, velle toto vitæ decurſu commorari cum conjunge renuente.

Conditio ſi Deo placuerit.

VIII. Conditio demum illa plebejis conſueta, te accipiam, ſi Deo placuerit, vim

Digitized by Google

vim habet juxta animum illam proferentis; ſi enim id expreſſerit, quaſi ſignificando abſolutam promiſſionem ſuo tempore nubendi, jam eſt promiſſio abſoluta: ſi autem id expreſſerit, præſcindendo ab omni obligatione, ſed animo oſtendendi dumtaxat propoſitum firmum ipſi nubendi; jam non eſt promiſſio: & revera videtur ſignificare, ſe nupturum, ſi ejus negotia permiſerint, ſi ſibi utile videbitur, ſi ſtatum meliorem non elegerit &c., & propterea non eſſe promiſſionem. Vide Sanchez lib. 5. de matrim. diſp. 7.

§. IV. *De requiſitis ad licite contrahenda Sponſalia.*

Promiſſio non eſt danda inconſultis parentibus

I. POſt conſtitutas conditiones requiſitas ad valorem ſponſaliorum, ſupereſt ut breviter videantur requiſita ad licitam celebrationem eorumdem: & primo quidem ne contrahantur inconſultis Genitoribus, aut aliis majoribus, ad quos ſpectat cura Filii, vel Filiæ, & proculdubio hi mortaliter peccant, ſi inconſultis his Majoribus, ſponſalia abſolute contrahant; quandoquidem ſit omiſſio gravis in re maximi momenti reverentiæ debitæ præfatis Majoribus, quæ reverentia eſt unum ex tribus, quæ filii tenentur exhibere Genitoribus, aliiſque perſonis genitorum vicem gerentibus: ſecus dicendum eſſet, ſi promiſſio eſſet dumtaxat conditionata, ſi genitores contenti erunt: in hoc enim caſu tenebitur filius, aut filia quamprimum commonere parentes, ut videant, an expediat, ne longo ſilentio, promiſſionem quamvis conditionatam occultans, reciprocus amor eo magis inflametur; & deinde reſiſtant parentibus forte diſſentientibus, cum non levi familiarum perturbatione &c.

De Sponſalibus, & Matrimoniis, quæ a filiis familias contrahuntur, parentibus inſciis, vel juſte invitis legatur *Diſſertatio Theologico-Legalis* Franciſci Mariæ Muſcettulæ Archiepiſcopi Roſſanenſis. In ea inquirit 1. An Filii familias contrahentes matrimonium alioquin honeſtum, Parentibus inconſultis, vel invitis mortaliter peccent? 2. Quid præcipue ſentiendum ſit, ſi Filii contrahant invitis parentibus cum perſona indigna? 3. An Epiſcopi, cæterique Prælati, ad quos ſpectat, poſſint favere filiis indigna matrimonia inire contendentibus, & in ſpecie, an licite valeant diſpenſare ſuper denunciationibus a *Sac. Concil. Trid.* præſcriptis, & an potius poſſint, ac debeant præfata matrimonia etiam juris remediis pro viribus impedire? 4. Utrum permittendum ſit filiis familias inire matrimonia cum perſona, cum qua præceſſerunt ſponſalia juramento firmata? 5. Utrum ſi ſponſalibus additum fuerit ſtuprum, teneatur filius familias ducere fœminam alias indignam, non obſtante ſcandalo, atque injuria parentum, ſeu conſanguineorum? Has omnes difficultates ipſe examini ſubjicit, atque diſcutit.

Huic Diſſertationi Editæ Neapol. 1742. præter ejuſdem Roſſanenſis *Appendiculam Italicam*, quæ ad calcem viſitur, acceſſere ab aliena manu 1. locis quampluribus *Adnotationes*. 2. *Mantiſſa de Sponſalibus filiorum familias*. 3. *Diatribæ duæ*. 4. *Additamenta*. 5. *Auctarium monumentorum*. Conſulat igitur unuſquiſque hanc Diſſertationem, cum caſus aliquis ad hanc materiam ſpectans occurrerit.

II. Laudabile etiam eſt, habito parentum conſenſu, celebrare ſponſalia coram teſtibus idoneis, ut facilius arceantur prætextus, qui ab inconſtantia contrahentium aliquando proficiſcuntur. Debent autem Sponſi inter ſe invicem ita ſe gerere, ut neque cogitatione, neque verbo, neque opere quidquam committant, quod honeſtatem, caſtitatemque Chriſtianam deceat: & quia humana fragilitas ad malum prona in perſonis præcipue in hujuſmodi ſtatu conſtitutis ſibi non raro uſurpat, quæ Deum graviter offendant, ut indicavimus in §. 2. num. 2. propterea ſollicite curandum eſt genitoribus, aut aliis ſponſorum curam habentibus, ne ſponſi unquam ſoli relinquantur, ut cuivis indecentiæ ſecurius præcludatur aditus; ne, illicita perpetrantes, indigni reddantur illis gratiæ auxiliis neceſſariis, ut connubium deinde celebrandum optimum finem conſequatur. Monita Chriſtiana.

§. V. *De Diſſolutione Sponſaliorum.*

Prima cauſa diſſolvendi ſponſalia eſt mutuus ſponſorum conſenſus.

I. PRima cauſa diſſolvendi ſponſalia eſt mutuus, & plane liber utriuſque ſponſi conſenſus; cum uterque poſſit cedere juri ſuo, & id verum eſt, etiamſi fuiſſent juramento firmata; nam cum ſit juramentum promiſſorium futuri matrimonii, ſemper intelligitur factum, niſi pro-

miſ-

miſſarius remittat. Intellige tamen dummodo ambo ſint in ſtatu pubertatis; ſi enim ambo ſint impuberes, aut alter eorum; juxta ſuperius dicta, expectandum eſt, quouſque adveniat ætas pubertatis utriuſque, in qua aut ratam habeant, aut reſcindant promiſſionem ante pubertatem factam.

Secunda cauſa notabilis mutatio ſuperveniens.

II. Secunda cauſa eſt notabilis mutatio ſponſalibus ſuperveniens, quæ ſi antea extitiſſet, ſponſalia inita non fuiſſent, & proinde inita fuere, rebus extantibus prout erant, vel ſaltem non notabiliter mutatis; hæc namque communiter cenſetur intentio promittentium. Propterea ſi ſuperveniat notabilis deformitas in corpore; ſi infirmitas diuturna, & moleſta, aut contagioſa; ſi infamia, aut paupertas, aut defectus dotis promiſſæ; aut hæreſis; aut magna morum mutatio in deterius, aut gravis inimicitia inter ſponſos, vel ſponſorum conſanguineos; aut corruptio ſponſæ quamvis violenta, aut quidpiam ſimile, poteſt altera pars juſte reſilire a contractu, quia ad hos caſus non ſe extendit promiſſio. Immo ſi aliquod horum extiterit etiam ante promiſſionem, ſed fuerit callide occultatum, ne impediretur promiſſio, & deinde poſt contracta ſponſalia detegatur; quia eodem modo ſupervenire cenſetur, quod antea doloſe latuerat; & in jure perinde habetur aliquid noviter ſupervenire, ac cum primum innoteſcit doloſe occultatum; propterea eſt motivum diſſolvendi. Unde ſi ſponſa putabatur aut legitima, aut nobilis, aut virgo, aut dives, idque occultatum fuerit; & deinde detegatur aut ſpuria, vel naturalis, aut ignobilis, aut pauper, aut corrupta, altera pars juſte reſilire poteſt: ex leg. 5. codic. de ſponſalib. Immo ſi altera partium contrahat cum defectu occulto, qui redditurus ſit matrimonium notabiliter oneroſius, & incommodum, peccat graviter, niſi illum revelet, quia in re notabili decipit alteram partem.

Tertia, gravia mala non prævisa.

III. Tertia cauſa eſt, ſi ex matrimonio promiſſo mali eventus prudenter timeantur, qui non fuerint prævisi, nempe ſcandala, inimicitiæ &c.; cum enim celebratio matrimonii tunc evadat illicita; niſi remediis congruis provideri poſſit; ruit etiam obligatio ad illud celebrandum.

Quarta cauſa fornicatio alterius

IV. Quarta cauſa eſt fornicatio alterius ſponſorum; innocens enim tunc reſilire poteſt, quamvis ſponſalia fuerint jurata: ex capite 25. de jurejurando, quia præterquam interveniat notabilis mutatio, promiſſio facta cenſetur ſub hac conditione, ut nihil committatur contra legem ſponſaliorum; quænam enim fidelitas ſperari poteſt in marito, vel uxore, qui, vel quæ, etiam ante matrimonium, fidem non ſervat? A multis extenditur facultas reſilienti in ſponſo, ſi ſibi certo innotuerit, ſponſam permiſiſſe etiam ſolum ſe impudice tangi ab alio; quemadmodum facultas reſiliendi in ſponſa, ſi ſibi innotuerit, ſponſum pluries in hanc turpitudinem incidiſſe cum altera.

ſponſorum.

Quinta Ingreſſus Religionis.

V. Quinta cauſa eſt profeſſio alterius ſponſorum in approbata Religione; quia vel ex implicito hujus contractus conſenſu, vel ex Eccleſiæ diſpoſitione intelligitur conditio, niſi ſtatum Religionis elegero; ideoque extenditur etiam ad ſincerum ingreſſum Religionis; neque tenetur altera pars in ſæculo remanens expectare profeſſionem alterius in Religione; tum quia ex modo ſe gerendi partis ingreſſæ, jam declaravit, ſe reſilire a ſponſalibus, tum quia grave admodum eſſet expectare per integrum annum. Attamen ſi Religionem ingreſſus non profiteatur, ſed ad ſæculum revertatur, tenetur ad petitionem partis relictæ, ſtare ſponſalibus. Hæc autem libertas ingrediendi Religionem non tollitur per juramentum, quo forte fuerunt ſponſalia confirmata; quia juramentum non mutat naturam hujus promiſſionis. Videtur huic doctrinæ obeſſe reſponſum quoddam Alexandri III. in cap. *Commiſſum* de ſponſalibus, in quo dicitur, eſſe tutius, religione juramenti ſervata, prius contrahere, & poſtea, ſi elegerit, ad religionem migrare; ſed reſpondet Sotus in 4. diſt. 27. qu. 2. art. 5. Quod ſervare juramentum ſit tutius ſecundum vulgi opinionem, non ſecundum rei veritatem; ne ille ingrediens ab idiotis cenſeatur agere contra juramentum. Item ſi parti relictæ grave oriretur incommodum, puta infamia &c. tunc enim charitas obſtringeret ad prius celebrandum matrimonium; &, eo non conſummato, Religionem ingredi; ut ſuo loco videbitur.

VI. Quod dictum eſt de ingreſſu Religionis, aſſirmatur etiam de voto ingrediendi Religionem; cum enim ipſe ingreſſus ſit licitus, cur erit illicitum votum ingrediendi? Salvo ſemper, ne damnum grave immineat parti relictæ, vel relinquendæ. Non tamen eo ipſo quod vot[illegible] emittitur diſſolvuntur ſponſalia, ſe[illegible]

uſque adimpleatur per ingreſſum ; quia cum poſſit evenire, quod vel ab illa religione, de qua vovit, non recipiatur; vel quod a nulla alia, ſi in communi voverit, admittatur; his evenientibus, obligabitur ſtare promiſſo.

Quid circa votum emiſſum poſt defloratam ſponſam; vel ante deflorationem emiſſum?

VII. Si quis autem factis ſponſalibus, ſponſam defloraverit, & deinde Religionem voverit; non poteſt Religionem ingredi, relicta ſponſa; quia tunc votum eſſet injuſtum, graviterque injurioſum defloratæ, quæ, alteri nubendo, cum ſuo gravi dedecore deflorata inveniretur. Nec propterea putes, votum eſſe invalidum; remanet enim validum, ſed ſuſpenditur ejus executio, ad quam tenebitur, ſi vel forte diſſolvantur ſponſalia, aut ſponſa moriatur ante maritum, qui tunc vel diſpenſationem petet, ſi ſe imparem oneribus Religionis ſuſtinendis dubitet, vel eamdem ingredi tenebitur. Idem dicendum etiamſi emiſiſſet votum Religionis, antequam puellæ votum ignoranti promittat, eamdemque defloret; ob eamdem rationem. Quod probatur etiam a pari; nam qui vovit Religionem, & poſt votum ære alieno gravatur, & poteſt, differendo ingreſſum etiam ad non breve tempus, creditoribus ſatisfacere, tenetur juxta omnes remanere in ſæculo, quouſque debita ſolvat; ita in caſu noſtro, ſuſpenditur executio voti, donec uxor vivat. Sed conſultius eſt petere a Sac. Pœnitentiaria voti commutationem, vel diſpenſationem, exponendo ſincere petitionis motivum. Dixi puellæ ignoranti votum; nam ſi ipſi innoteſcebat, non fuit decepta: ſed ſeipſam decipere voluit.

Quid de voto ſuſcipiendi ordinem ſacrum, aut etiam ſolius caſtitatis perpetuæ?

VIII. Acriter diſputant Theologi, an etiam votum ſuſcipiendi Ordinem Sacrum diſſolvat ſponſalia. Nobis, Angelicum ſequentibus, cum Cajetano, *Sylveſtro*, Soto, Petro de Ledeſma, Vaſquez, Suarez, & aliis, dicendum eſt diſſolvi, (ſalvo ſemper injuſto gravamine ſponſæ jam explicato) quia promiſſio ſponſalis ſemper hanc reſervationem includit, niſi meliorem ſtatum elegero; & quamvis jus Canonicum id affirmet, & applicet ad ſtatum Religionis; cum tamen ratio omnino eadem ſit ſtatus Religionis, & ſtatus Ordinis Sacri Eccleſiaſtici, nempe Deo ſerviendi in ſtatu ſolemni caſtitatis, & Eccleſiæ obſequio perpetuo ſe mancipandi; idcirco &c. Non ſine cauſa diximus ita eſſe affirmandum a ſequentibus S. Thomam; qui quæſt. 53. Suppl. art. 1. ad 1. docet, quod *propter votum ſimplex* caſtitatis *ſint ſponſalia dirimenda*; proinde a fortiori etiam propter votum ſuſcipiendi Ordinis Sacri; quod præter perpetuam obligationem caſtitatis, inducit perpetuum vinculum Deo, & Eccleſiæ inſerviendi: & ita tenent Cajetanus, Sotus, Vaſquez, Suarez, Henriquez, Pontius, Averſa, & alii ab hoc citati q. 7. ſect. 2. ob eamdem rationem allatam, nempe ſtatus melioris Deo vacandi.

Limitationes addendæ.

IX. Puto tamen cum aliquibus tam reſpectu voti Ordinis, quam perpetuæ caſtitatis, addendas eſſe ſequentes limitationes: prima eſt, niſi ſponſalia fuerint publice contracta; quia tunc moraliter impoſſibile eſſet, amovere ſcandalum puſillorum. Secunda, id eſſe verum pro foro conſcientiæ tantum; nam ſi in foro externo obligaretur a judice ad ſtandum promiſſo, proculdubio parendum eſſet. Tertia, ut vota illa emittantur ſincero animo Deo in meliori ſtatu vacandi; nam ſi emitterentur alio quovis fine, neque pro conſcientiæ foro ſolverentur ſponſalia. Quarta, ut omnia fiant ſemoto undequaque ſcandalo; quod ſi prævideatur certo moraliter ſecuturum, in nullo foro ſolverentur ſponſalia. Qui autem, poſt emiſſum votum caſtitatis, obligatur ad matrimonium contrahendum, licite quidem reddere debitum poteſt, non tamen licite petere, niſi prius diſpenſatione obtenta ab habente facultatem diſpenſandi: inſuper, juxta omnes, etiamſi diſpenſetur ad petendum debitum, toties peccat contra votum, quoties aliquod peccatum contra caſtitatem committit extra matrimonium, in confeſſione exponendum: tandem ſi conjux moriatur, reviviſcit votum, ita ut nubere iterum licite nequeat, niſi obtenta nova a voto diſpenſatione, quæ ſemper cum modo dictis limitationibus concedi ſolet. Certum eſt item apud omnes, quod votum ſive ſimplex caſtitatis, ſive ſuſcipiendi Sacros Ordines, ſive religionis ingrediendæ præcedens ſponſalia eadem irritat, ex capite *qui Clerici, vel voventes &c.*

Sexta cauſa, affinitas ſuperveniens aut cognatio ſpiritualis, aut legalis.

X. Sexta cauſa, & quidem graviter peccaminoſa, reſiliendi a ſponſalibus, eſt impedimentum dirimens culpabiliter poſitum, nempe affinitas carnalis cum ſponſa, orta ex copula habita cum conſanguinea ſponſi, vel ſponſæ in primo, aut ſecundo gradu; quia cum talis affinitas dirimat matrimonium, illudque irritet, ſi celebretur, dirimit etiam ſponſalia contracta, ut licite reſiliri poſſit a matrimonio promiſſo con-

Digitized by Google

contrahendo, niſi obtenta prius a S. Sede diſpenſatione; quam diſpenſationem ſponſus reus ſumptibus ordinariis, & moderatis procurare tenetur, ſi altera pars adhuc inſiſteret; eo quod non debeat ſponſus infidelis reportare libertatem a vinculo ex duplici iniquitate ſua: Si autem ſponſam defloraſſet, & quod magis eſt, etiam prægnantem feciſſet, proculdubio teneretur etiam magnis impenſis procurare diſpenſationem, ad infamiam ſponſæ evitandam. Cognatio item aut ſpiritualis, aut legalis ſponſalibus ſuperveniens, (de quibus infra in impedimento Cognationis) ſponſalia dirimit, quemadmodum dirimit matrimonium, ne licite, & valide amplius contrahi poſſit, niſi obtenta a S. Sede diſpenſatione: unde circa debitum procurandi hanc diſpenſationem, reſolvendum eſt ratione habita ad modo aſſerta.

Septima cauſa eſt matrimonium cum alia perſona contractum.

XI. Septima cauſa, eſt matrimonium cum alia perſona contractum, quamvis illicite; utpote celebratum cum gravi injuria partis, quæ fuit derelicta; eo quod ſponſalia erant obſtaculum impediens, ne cum alia perſona contraheretur: unde remanet validum, ſed fuit cum gravi peccato celebratum; matrimonium enim eſt vinculum fortius, quam vinculum ſponſaliorum: ita ex capite *ſicut ex literis*, & ex capit. *ſi verum* de ſponſalibus, & in capite *de ſponſa duorum*.

Caſus emergens reſolvitur.

XII. Interrogabis: quid dicendum, ſi uxor illa ita injurioſe accepta moriatur ante ſponſam illam anteriorem derelictam, quæ perſeveret in anteriori animo, & intentione; tenebitur ne homo ille, vel mulier illa ducere derelictam, vel derelictum? Ita plane dicendum cum pluribus apud Sanchez lib. 1. diſp. 82. tum quia fuit ſuſpenſa, & non annullata obligatio ex parte perſonæ nocentis: tum quia nullum jus afferri poteſt, declarans ſponſalia prima fuiſſe extincta: tum denique quia non debet reus reportare utilitatem libertatis ex iniquitate ſua. Decipiuntur itaque qui oppoſitum docent, putantes anteriorem obligationem extinctam, cum nullum jus poſitivum afferri poſſit; & alioquin ita petat jus naturale: Exemplo obvio demonſtratur in vendente equum Petro, quem eidem non tradidit; & deinde vendente, & tradente illum equum Paulo, qui certe fit Dominus equi, ſtante traditione ejuſdem ipſi facta: nihilominus ſi equus ille aliquo caſu redeat ad venditorem, quis unquam ambiget, poſſe Petrum compellere venditorem illum ad ſibi tradendum equum? ita in caſu noſtro. Porro nemo dubitat, quod infidelis ſponſus matrimonium iniens cum altera, tenetur ſponſam derelictam, in caſu deflorationis, aut prægnationis, meliori quo poteſt fieri modo compenſare, ſive illam dotando, ſive alio modo eidem providendo.

✠. Quemadmodum certum eſt apud omnes, prioribus ſponſalibus de futuro derogare poſteriora ſponſalia de præſenti, ſeu ipſum matrimonium ratum cum alio, vel alia initum; ita extra dubium omne verſatur, ſponſalia legitime contracta cum una vel uno non diſſolvi per ſponſalia de futuro poſtea contracta cum alia vel alio; cum hæc poſteriora utpote contra fidem priorem celebrata omni jure, omniumque conſenſu irrita ſint, & nulla. Et hoc verum eſt, etiamſi poſteriora ſponſalia vel juramento firmata ſint, vel ſolemniter v. g. coram Parocho & teſtibus fuerint celebrata. Specialis autem examini ſubiicitur difficultas, an priora ſponſalia irrita remaneant, & nulla, ſi ſecundis ſponſalibus carnali copula acceſſerit. Circa hanc diſſident Auctores. Quod veritati magis conſonum nobis apparet, paucis ob oculos ponimus. Priora ſponſalia legitime contracta non diſſolvuntur per alia ſponſalia poſteriora, quamvis non prioribus, ſed ſolummodo poſterioribus acceſſerit carnalis copula, & etiamſi pars illa, cum qua poſteriora ſponſalia inita fuerunt, ignara fuerit priorum ſponſalium, & conſequenter fuerit decepta: unde adhuc ſubſiſtunt priora ſponſalia, & poſteriora irrita remanent, & nulla. Ratio eſt, quia copula non addit robur actui, qui de ſe nullus eſt, & irritus: cum ergo jus priorum ſponſalium nequeat tolli per ſecunda ſponſalia injuſte inita, neque etiam poterunt tolli per adjunctam copulam; atque adeo adhuc ſponſus tenebitur ad contrahendum matrimonium cum priore Sponſa.

Exiſtimant tamen nonnulli debere ſponſum ducere ſecundam, ſi hæc ignara fuerit priorum ſponſalium, & ex copula habita ipſi gravia damna infamiæ, vilitatis &c. timeantur ſolo matrimonio reparanda, priori autem ſponſæ, nullum vel exiguum incommodum obventurum ſit; adduntque hanc in tali caſu teneri ex caritate relaxare obligationem ſponſi. Legantur P. Patritius Sporer *Theol. Sacr. p. 4. c. 1. ſect. 2. ſubſect. De cauſis juſtis diſſolvendi ſponſalia* §. 3. *n.* 2. P. Carolus Renatus Bil-

luart 3. *p. tract. de Matrim. differt.* 2. *de Sponſal. a.* 5. & Petrus Colet, *Inſtit. Theol. tom.* 5. *tract. de Matrim. cap.* 3. *de Sponſal.* qui fuſo calamo difficultatem hanc diſcutiunt.

Octava cauſa, receſſus alterius.

XIII. Octava cauſa, diſſolvens ſponſalia, eſt receſſus alterius partis, quæ non vult ſtare contractui, & quidem ſi abſque juſto motivo, peccaminoſa graviter: tunc altera pars, ſi velit, juſte recedit; ſi autem nolit, poteſt juſte compellere ad obſervandum promiſſum: ſed hoc nemini conſulendum, eo quod matrimonia ita inita plerumque multorum inconvenientium ſint fœcunda. Hujuſmodi autem receſſus multoties quamvis non expreſſe, implicite variis modis ſignificatur; & primo.

Nona cauſa, migratio ſponſi in longinquas partes.

XIV. Inducendo nonam cauſam, quæ contingit, ſi ſponſus proficiſcatur in regionem longinquam, eo domicilium tranſlaturus, ignorante, aut invita ſponſa: ita ex declaratione Alexandri III. in reſcripto ad Archiepiſcopum Panormitanum in cap. *de illis* de ſponſalibus & matrim. *De illis autem, qui præſtito juramento, promittunt ſe aliquas mulieres ducturos, & poſtea, eis incognitis, dimittunt terram, ſe ad partes alias transferentes; hoc tibi volumus innoteſcere, quod liberum erit mulieribus ipſis (ſi non eſt amplius in facto proceſſum) ad alia ſe vota tranſferre.* Si igitur hoc declarat Pontifex, non obſtante juramento, ſponſalibus adjecto, multo magis erit de ſponſalibus nudis. Peccat itaque graviter qui ita ſe gerit; & alter relictus, ſi voluerit, poteſt alia ſponſalia celebrare. Excipiendus eſt caſus juſtæ cauſæ longi, & diuturni itineris ſuſcipiendi, animo redeundi, quæ debet manifeſtari ſponſæ, & hæc expectare tenetur, donec ſponſus negotia neceſſaria perficiat, & revertatur; ex lege *ſæpe* ff. de ſponſalibus: Si tamen nimis longa futura eſſet temporis mora, ut valde notabile incommodum oriatur ſponſæ expectanti, aut grande incontinentiæ periculum, aut quidpiam aliud gravi moleſtia illam afficiens, putarem, quod, hac notabili mutatione emergente, in contrahendis ſponſalibus non prævisa, juſte poſſet ſponſa licentiam a ſponſo petere, & ſe in priſtinam libertatem vendicare: quod ſi ſponſus nollet libertatem petitam concedere, poſſet illa coram judice cauſam inſtituere, & tunc ſtare deciſioni judicis. Verum quidem eſt in lege 2. Codicis de ſponſalibus, & in lege 2. Codicis, de repudiis, concedi ſponſo ob cauſam voluntariam, tamen juſtam, tempus biennii intra Provinciam, & triennii extra Provinciam, ut abeſſe poſſit a ſponſa; ut proinde videatur & ipſa teneri hoc tempore expectare; nihilominus ſi ipſa nolit ob juſta motiva tamdiu expectare, recurrat ad judicem, & expoſitis motivis, ſtet illius judicio.

Decima cauſa, nimia dilatio.

XV. Alter receſſus ſponſi, implicite ſignificatus, fundat decimam cauſam reſiliendi a ſponſalibus, & eſt nimia dilatio ineundi matrimonium; & quidem procul dubio, ſi tempus celebrandi matrimonii præfixum fuerit eo animo, ut elapſo eo tempore, partes ad primam revertantur libertatem; ſi autem præfixio temporis conſtituta fuerit non animo finiendæ obligationis poſt elapſum terminum, ſed dumtaxat ad illam exequendam, & ne diutius protrahatur; & altera partium dilationes identidem interponat; adeo ut qui ita differt prudenter judicetur in mora culpabili, præcipue ſi pars innocens pluries inſtiterit; tunc pars innocens, & parata exequi, reſilire poteſt, declarando ſe reſcindere factam promiſſionem, & poterit inire nova ſponſalia cum alia perſona, tum quia id deducitur ex capite *ſicut* de ſponſalib. & matrim. tum quia injuſte protrahens jam indicat, ſe animum mutaſſe; tum quia eſt injuſta, & gravis vexatio partis innocentis mutationem notabilem inducens in materiam contractus, quæ materia eſt animus partis protrahentis, quæque indicat ſe tranſiiſſe de bene affecta in male affectam. Si demum nullus terminus temporis conſtitutus fuerit, tenentur partes celebrare matrimonium, quando altera earum rationabiliter, & conſideratis circumſtantiis, prudenter petit, & ſi alia pars abſque juſto motivo renuat, poſtquam ſemel & iterum petitio facta fuit, poterit illa, quæ petivit, licite a ſponſalibus recedere; tum ob rationes modo datas, tum ob legem 14. ff. de regulis juris, in quarum una dicitur, quod in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur; quod moraliter intelligendum eſt juxta naturam contractuum: ſi autem altera pars juſtum habet motivum differendi, tunc debet & alia expectare aliquo tempore prudentum arbitrio, attentis circumſtantiis rerum, & perſonarum, determinando.

§. VI.

Digitized by Google

§. VI. *De Matrimonio, prout eſt contractus, nempe de illius notione, & de requiſitis ad illius valorem.*

Matrimonii nomen plura ſignificans.

I. Matrimonii nomine quatuor ſignificantur : primum ipſe contractus quo contrahentes ſibi invicem jus actualiter tradunt in proprium corpus ad prolem generandam ; & hoc vocatur matrimonium legitimum . Secundum eſt ratio ſacramenti a Chriſto Domino adjecta huic contractui inter baptizatos inito, habentis vim conferendi gratiam habitualem ipſum digne celebrantibus; & hoc vocatur matrimonium ratum. Tertium eſt ipſum vinculum indiſſolubile remanens in contrahentibus, & inducens obligationem ſimul cohabitandi, fidem conjugalem ſervandi , debitum reddendi , prolem educandi , & ſe invicem in ferendis matrimonii oneribus adjuvandi. Quartum eſt ipſa copula, a qua denominatur matrimonium conſummatum. Modo nobis ſermo eſt de matrimonio juxta primam , & tertiam ſignificationem : & definiri poteſt cum Angelico q. 44. *Supplementi* a. 3. approbante definitionem Magiſtri ſententiarum , nempe , quod matrimonium ſit viri , mulieriſque conjunctio maritalis, inter legitimas perſonas, ad individuam vitæ conſuetudinem retinendam inſtituta.

Explicatur definitio.

II. Conjunctionis nomine ſignificatur vinculum in conjugibus remanens ex contractu inito; id namque dumtaxat eſt permanens, & perpetuo durans; quandoquidem tam actus contrahendi , quam ratio ſacramenti in illius celebratione , quam etiam actus conſummandi ſunt quid tranſiens; ſolum vinculum perpetuo durat, & quidem conſecratum in baptizatis , ex vi ſacramenti ſuſcepti. Dicitur conjunctio viri, & mulieris, quia non inter alios poteſt dicta conjunctio verificari , niſi inter perſonas humanas diverſi ſexus , cum ſit conjunctio inſtituta ad humanam ſpeciem propagandam. Dicitur conjunctio non quæcumque, ſed maritalis, tum ad excludendam conjunctionem fornicariam, bonis matrimonii oppoſitam; tum præcipue ad denotandum, quod ſit conjunctio principaliter maritum afficiens; cum ex D. Paulo 1. Corinth. 11. vir non ſit propter mulierem, ſed mulier propter virum ; quamvis afficiat etiam minus principaliter uxorem. Dicitur inter legitimas perſonas , nempe habiles ad dictum vinculum ſubeundum ; cum non omnes habiles ſint , ut videbitur ſuis locis . Dicitur ad individuam vitæ conſuetudinem retinendam ; nam matrimonium eſt omnino indiſſolubile , & quidem jure naturali, ut probat S. D. q. 67. *Supplem.* art. 1. At quia , ut docet art. 2., non ſpectat ad primaria legis naturalis præcepta , ſed ad ſecundaria tantum quod matrimonium ſit indiſſolubile , idcirco in aliquibus caſibus a Deo diſſolutum fuit, ut ſuo loco videbitur.

Primum requiſitum ad contractum matrimonii eſt conſenſus mutuus

III. Primum requiſitum ad contractum matrimonii eſt mutuus amborum contrahentium conſenſus , quippe quod ſit contractus oneroſus reciprocam inducens obligationem ; qui conſenſus explicite , vel implicite terminetur ad omnia , quæ communiter intenduntur a fidelibus matrimonium contrahentibus, conſenſus, inquam, in præfatas obligationes ſaltem implicitus. Dixi requiri ad valorem conſenſum ſe obligandi dictis oneribus; non requiritur autem conſenſus illa exequendi , qui tamen requiritur , ad licite contrahendum ; unde qui contraheret animo non implendi etiam unam ex dictis obligationibus , graviter peccaret ; qui vero contraheret animo non ſe obligandi alicui ex indicatis oneribus intrinſecis, & ſubſtantialibus huic contractui, profecto invalide contraheret ; quia ut ſæpe dictum eſt variis in locis , voluntas ſe obligandi eſt de eſſentia contractus oneroſi.

Aſſenſus debet eſſe etiam interior & abſolutus, & præſens,

IV. Debet præterea hic aſſenſus eſſe nedum exterior, & verbalis, ſed interior, & verus, datus cum completa advertentia , & deliberatione , juxta dicta circa ſponſalia, & liber ab errore, deceptione, aut dolo, & immunis a metu, & coactione , juxta dicta de ſponſalibus , & iterum dicenda, dum de impedimentis erroris, & vis diſſeremus . Debet item eſſe abſolutus, & præſens , ideſt independens a conditione ulla in futurum exequenda, aut expectanda: quia ita non haberet vim matrimonii, ſed mere ſponſaliorum ; bene vero ſi eſſet ſub conditione præterita, vel præſente, quia tunc conſenſus eſſet de præſenti , eo quod conditio vel fuit , vel eſt: v. g. accipio te, ſi es primogenita: ſi pater meus obiit; non enim ſuſpenditur hoc modo aſſenſus . Notandum tamen, non eſſe a Parochis adſiſtentibus regulariter admittendas has conditiones, ſed hortandos eſſe contrahentes , ut abſolute ſe accipiant in conjuges. Notandum inſuper, quod quamvis conditiones de præterito, vel præſenti non ſuſpendant aſſen-

Digitized by Google

ſum, & matrimonium, ſuſpendunt tamen uſum ejuſdem, donec compertum fiat, conditionem extare, vel extitiſſe.

Caſus incidens reſolvitur,

V. Sciſcitaberis: quid ſi conditio eſset hujuſmodi: accipio te, ſi es virgo: valeret ne matrimonium? Reſpondeo cum diſtinctione, juxta duplicem modum, quo haberi poteſt cognitio conditionis; cum enim conditio referat hunc ſenſum: accipio te, ſi ero certus, te eſse Virginem; & hoc duplici via ſciri poſſit, vel per ſpeculationem a dignis matronis factam, earumdemque aſsertionem; vel per experimentum a viro accipiendum in copula; ſi in primo ſenſu intelligatur, matrimonium tenet, ſi virgo reperiatur a Matronis.; quia jam conditio extitit tempore contractus, & conſenſus dati; ſi vero cognitio conditionis ſecundo modo fuerit poſita; eſt reſcindendus contractus; quia vult oſtringere ſponſam ad concedendum uſum ſui corporis, antequam ſciat extare verum matrimonium; hoc enim ipſo, quod vir velit noſcere per experimentum, & matrimonio uti nequeat ante cognitam conditionem extantem; vult proinde impudicus ille id cognoſcere ex copula, quam tamen licite petere non poteſt, antequam conditionem noverit.

Illatum valde notandum.

VI. Hinc ſequitur, quod qui matrimonium contraxit ſub hac conditione de præſenti, ſi tu es legitima, vel legitimus, contraho; ſin autem, non; & contrahens hujuſmodi aſsenſum non reformaverit; & ille, vel illa ſe legitimum, vel legitimam falſo probaverit, & deinde poſt annum vel amplius vere detegatur illegitima, vel illegitimus, proculdubio matrimonium eſset nullum, quamvis millies fuiſset conſummatum, quia ſemper defuiſset verus conſenſus, utpote pendens a veritate conditionis: unde niſi renovetur conſenſus, non eſt matrimonium. Secus autem eſset, ſi aliquando affectu vere maritali, & animo habendi eam perſonam ut conjugem, quæcumque illa ſit, matrimonium conſummaſset, aut ſi poſtquam novit eſse ſpuriam affectu maritali illam carnaliter cognoviſset; quia tunc jura cenſent matrimonium convaluiſse, poſito tamen quod prima nuptialis celebratio facta fuerit coram Parocho, & teſtibus, ut dicetur ſuo loco.

In contractu conditionato

VII. Quando conditio eſt de futuro, cum non habeatur conſenſus, niſi expleta conditione, probabilior docet, quod in actu contrahendi ſit renovandus conſenſus, ob ſpecialem rationem, quæ non militat pro ſponſalibus conditionatis, ut indicavimus in §. 3. n. 5.: ſpecialis una ratio hæc eſt, quia cum agatur de valore ſacramenti, tutior pars eſt eligenda: alia item eſt; quia in tantum a Tridentino præſcribitur neceſſaria præſentia Parochi, & teſtium, ut ipſis innoteſcat matrimonium reapſe fuiſse celebratum; debet igitur ipſis innoteſcere etiam expletio conditionis, a qua pendebat veritas aſsenſus præſentis; in quo conſiſtit matrimonium; erit ergo eis manifeſtandus aſsenſus præſens: & propterea ſolent Parochi a contrahentibus illum expreſse exigere.

Renovandus aſſenſus.

Conditio turpis de præſenti, vel de futuro neceſſario, vel de re impoſſibili.

VIII. Quando contrahitur ſub conditione indigna, & turpi, *ſi hæc ſit contraria bonis matrimonii, non efficitur matrimonium*, ait S. Thomas q. 47. Supplem. a. 5. *ſi ſit de præſenti, & non eſt contraria matrimonio, etiamſi ſit inhoneſta, ſtat matrimonium*: puta: accipio te, ſi promittas occidere inimicum, & ipſe promittat; ſtat matrimonium. *Si autem ſit de futuro neceſſario, ſicut ſolem orturum, tunc eſt matrimonium; quia temporalia futura, jam ſunt præſentia in ſuis cauſis*; & ita declaravit Gregorius IX. in Capite *Finali* de conditionibus appoſitis: *Si conditiones contra ſubſtantiam Conjugii inſerantur; puta ſi alter dicat alteri; contraho tecum, ſi generationem prolis evites, vel donec inveniam honore, aut facultatibus digniorem*, (contra perpetuitatem vinculi) *aut ſi pro quæſtu ad adulterandum te tradas &c. matrimonialis contractus, quantumcumque ſit favorabilis, caret effectu; licet aliæ conditiones appoſitæ matrimonio, ſi turpes, vel impoſſibiles fuerint, debeant propter ejus favorem, pro non adjectis haberi*. Quibus verbis non condidit Pontifex novum jus, ſed declaravit jus naturale; quandoquidem impoſſibile ſit, ut ſubſiſtat matrimonium ſine ſui ſubſtantia, cui repugnant directe indicatæ turpes conditiones: eſt etiam de ſubſtantia matrimonii jus ad propagationem ſobolis, obligatio ad ſervandam fidem, & obligatio ad vinculum indiſsolubile: qui igitur contrahere vult cum aſsenſu contrario alicui iſtarum: non vult matrimonium, ſed monſtrum quoddam a ſua perverſitate confictum. Conditio impoſſibilis, puta ſi ſtellas numeres, ſi Cœlum digito tangas &c. accipio te: ſi dicantur per jocum, & alioquin adſit animus vere contrahendi, verum aderit matrimonium, & conditiones

illæ

Digitized by Google

illæ jocoſæ *deberent haberi pro non adjectis*: Si autem ſerio ponerentur; & animo non contrahendi, niſi ponantur in eſſe, jam patet, nullum eſſe matrimonium, ſaltem in foro conſcientiæ, quia deeſſet verus aſſenſus; quippe quod pendens a re impoſſibili. Dixi ſaltem in foro conſcientiæ, quia forte in foro fori *propter favorem matrimonii haberentur pro non adjectis*, & compelleretur a judice ad ſtandum matrimonio; in quo caſu in illo, qui adjecit conditionem, requiritur conſenſus. At hi loquendi modi, ſi eveniant, non ſunt a Parochis admittendi.

Aſſenſus debet eſſe exterius ſignificatus.

IX. Requiritur præterea ad valorem matrimonii, ut aſſenſus ſit exterius ſignificatus, & quidem, ut communior docet, per verba; ita præſcribente Capite *Tuæ Fraternitati* de ſponſalibus; ubi expreſſe dicitur, eſſe neceſſaria verba aſſenſum exprimentia de præſenti: cum debeat innoteſcere tam parti contrahenti, quam Parocho, & teſtibus; & ita plures requirunt verba, ut dicant peccare mortaliter illum, qui potens loqui, nollet aſſenſum per verba ſignificare, ſed alio modo; tum quia talis ſit Eccleſiæ conſuetudo; tum etiam quia certior, & determinatior eſt ſignificatio aſſenſus per verba, quam per alia ſigna, immo nolens illum manifeſtare per verba, ſuſpicionem aliquam gigneret de ſinceritate conſenſus, & eſſet modeſte repellendus.

Debet eſſe ſimultaneus moraliter, quamvis per Epiſtolam.

X. debet inſuper a contrahentibus proferri aſſenſus ſimultate morali, ut aſſurgat contractus, qui eſt ex natura ſua duorum, vel plurium conventio: unde ſufficit, ut dum alter profert ſuum aſſenſum, perſeveret, & duret aſſenſus datus a primo. Non autem ſemper requiritur præſentia utriuſque contrahentis, ut aſſenſus dicatur ſimultaneus, cum aliquando contrahatur per epiſtolam; & tunc debet epiſtola legi coram Parocho, & teſtibus, certis illam eſſe epiſtolam v. g. Titii, & illum eſſe ſuum characterem, in qua dicat, ſe per illam epiſtolam recipere de præſenti Cajam in uxorem, & Caja dicat ſe recipere Titium; & tunc cenſentur conſenſus illi moraliter ſimul dati; quia conſenſus in Epiſtola expreſſus perſeverare prudenter creditur quouſque Epiſtola legatur coram Caja, & Parocho &c. & ipſa tunc ſuum præſtat aſſenſum.

Et quamvis per Procuratorem.

XI. Similiter contrahitur matrimonium, & non raro maxime a Perſonis Regiis per Procuratorem, prout conceditur a jure Canonico in Capite *Finali* de Procuratoribus. Cum autem tunc duo actus exerceantur, unus a Principali conſtituente procuratorem, ut nomine ſuo contrahat, aut cum tali determinata perſona, aut cum aliqua, quæ ſibi opportunior videbitur: alter actus eſt ipſius Procuratoris contrahentis cum illa nomine Principalis; idcirco tunc dumtaxat contrahitur matrimonium, quando Procurator nomine ſui Principalis profert aſſenſum erga hanc perſonam, nempe quando Titia acceptatur a Procuratore in uxorem nomine Caji: & tunc debet adeſſe Parochus cum teſtibus: nec officit ſit ne Procurator maſculus, an fœmina, dummodo ſit legaliter Procurator. Modus autem contrahendi in caſu debet eſſe: Ego Sempronius legitimus Procurator Titii; ad effectum contrahendi matrimonium nomine ipſius, accipio te Bertam in uxorem: & Berta dicat: & ego tecum tanquam cum Procuratore legitimo Titii, N. accipio illum in maritum.

Matrimonia per Procuratores inter abſentes inita valere in ratione contractus etiam poſt Tridentinum, dummodo a jure Canonico præſcriptæ conditiones ab iiſdem Procuratoribus obſerventur, ferme apud omnes in comperto eſt. Dixi ferme apud omnes; quippe non defuere, ut refert Collator Pariſienſis, qui aſſeruerunt, prædicta matrimonia pro ſolis ſponſalibus habenda eſſe, non pro veris contractibus; quam tamen opinionem communiter Theologi rejiciunt, oppoſitumque tuentur. Num vero matrimonia hujuſmodi habeant etiam rationem Sacramenti, non ſine aliquo æſtu Doctores inter controvertitur. Sententiam negantem propugnant Durandus, Canus, Cajetanus, Victoria, quibus alii plures adhæſere, præſertim Cl. Sylvius *in q.* 44. *Suppl. art.* 1. & poſtremis hiſce temporibus P. Daniel Concina *Lib.* 2. *de Matrim. Diſſert.* 1. *c.* 4. *num.* 26. Affirmantem vero ſuſtinent ex adverſo Innocentius, Hoſtienſis, Paludanus, Covarruvias, Navarrus, Dominicus Soto, Iſambertus, quibus alii non pauci ſubſcripſere, præcipue Cardinalis Gotti, & Honoratus Tournely *de Sacr. Matrim. q.* 1. Fuere etiam qui incerti & ambigui hæſerunt, ut Collator Pariſienſis *Lib.* 1. *Collat.* 4. §. 1.

Si quod ſentimus, candide prodere liceat, probabilior nobis apparet aſſertio illorum, qui defendunt, prædicta matrimonia

nia valere etiam in ratione Sacramenti; tum quia Eccleſia matrimonia hæc approbat, & rata habet¹, eademque approbando, nunquam declaravit, ſe ea dumtaxat habere, ut contractus mere civiles; quod tamen declarandum fuiſſet, ne decepti fideles Sacramentali gratia ſibi tantopere neceſſaria privarentur; tum etiam quia in hujuſmodi Matrimoniis nihil deſideratur eorum quæ neceſſaria ſunt ad verum Sacramentum; quippe habentur materia, & forma legitima, Parochi, ac teſtium præſentia, coram quibus ex Decreto Tridentini celebrari debet Matrimonium, ut ratum ſit, ac firmum; nec demum, ut ſupponitur, deeſt intentio faciendi quod facit Eccleſia. Legeſis præcitatum Tournely, qui etiam alterius partis argumenta diſpellit.

Caſus emergens reſolvitur. XII. At quid dicendum, ſi ficto animo, & non aſſentiente Titius inſtituiſſet Sempronium procuratorem; & poſt ejus diſceſſum¹, antequam iſte contrahat, Titius aſſenſum præſtaret? Quidam dicunt apud Sanchez diſp. 11. num. 13. matrimonium per talem Procuratorem contractum ſubſiſtere; quia adfuit aſſenſus. Quidam forte probabilius apud Ægidium diſp. 24. dub. 9. num. 72., negant matrimonium ſubſiſtere; eo quod revera ille non ſit Procurator legitimus; quippe qui ficte inſtitutus; cum igitur in tantum valide contrahat, in quantum eſt verus procurator; cum talis revera non ſit, invalide contrahet; eapropter, niſi renovetur inſtrumentum procurationis, invalide agit in foro conſcientiæ.

Alter caſus reſolvitur. XIII. Si, inſtituto legitimo Procuratore cum conſenſu, antequam ille contrahat, Principalis revocet aſſenſum; invalide contraheret, quia de eſſentia matrimonii eſt aſſenſus Principalis contrahentis: qui ſi abſit, dum Procurator celebrat, irrita remanet celebratio. Neque opponendi ſunt alii contractus civiles, qui ſemel inſtituto legitimo Procuratore, etiamſi Principalis conſenſum mutet, & mutatio non perveniat ad notitiam Procuratoris, valide contrahit; quia in his contractibus ſuppletur a Republica defectus aſſenſus perſonæ Principa is, quæ, ita poſtulante bono communi, & ſubſiſtentia commercii civilis, vult, ut tales contractus ſubſiſtant; non autem ſic de matrimonio, qui eſt contractus talis naturæ, ut aſſenſus a nulla auctoritate creata ſuppleri poſſit, ſi deſit in contrahente.

Alter caſus reſolvitur. XIV. Si, poſt inſtitutum legitimum Procuratorem, ejuſque diſceſſum, Principalis mutet voluntatem, & antequam procurator contrahat, iterum aſſenſum eliciat, & præſtet; ita ut tempore celebrationis contractus, revera Principalis retractatum aſſenſum denuo reaſſumpſerit, patet, quod vere, & valide Procurator contrahat: quia adeſt aſſenſus Principalis, a vero procuratore illius nomine datus.

Quid dicendum, ſi Titius poſt inſtitutum Sempronium Procuratorem incidat in amentiam, ſtabitne matrimonium, ea perſeverante, per Procuratorem initum?

Reſpondet Sanchez *Lib. 2. de Matrim. diſp. 11. n. 12.* ſtare ejuſmodi matrimonium. Hoc idem ſentit & Joannes Caballutius Juris Canon. lib. 3. cap. 19. Verum oppoſitum ſuſtinet Pontius *Lib. 2. de Matrim. cap. 15. n. 14.* hiſce fultus momentis: *Quia*, inquit, *pro forma, & cauſa contractus eſt conſenſus expreſſus per verba procuratoris: at eo tempore impoſſibilis eſt conſenſus: ergo nullum matrimonium. Adde ſi moreretur mandans, eo tempore nihil ageret Procurator: ipſa enim morte ceſſaret conſenſus; ergo etiam amentia, quæ æquiparatur morti quoad conſenſum. In quo* (& ſic ſolvit ipſe Sanchezii, & Caballutii argumenta.) *videtur, longe diverſam eſſe rationem de mandante, ſi in amentiam incidat, aut ſi dormiat; ille enim incapax eſt habendi conſenſum, hic vero minime. Neque ſimile eſt quod Baptiſmus petitus ante amentiam, valide conferatur in amentia: nam ut Baptiſmus effectum habeat, ſatis eſt, voluntatem præceſſiſſe; neque fuiſſe revocatam; eo enim ipſo poſita materia, & forma, ponitur effectus: at in matrimonio neceſſarius eſt aſſenſus perſeverans, etiam in ipſo contractu.* Hæc ſententia nobis magis arridet.

Debet aſſenſus dari a perſonis habilibus. XV. Tandem pro valore contractus matrimonialis requiritur, quod contrahentes ſint perſonæ habiles, ideſt nullo impedimento dirimente affectæ; ita ut quamvis a partibus contrahentibus ignoretur etiam invincibiliter impedimentum, ſi hoc adſit, invalide nihilominus matrimonium celebratur, quia inhabilitas ad agendum, qualis inducitur ab impedimento dirimente, reddit actionem nullam.

Caſus emergens reſolvitur. XVI. Qui ſcit quod impedimentum dirimens efficit matrimonium nullum; & alioquin certus, & ſuaſus, putat ſe affici tali impedimento, quod tamen revera non habet, nihilominus vult iniqua conſcientia

tia contrahere; multi apud Sanchez lib. 2. diſp. 33. dicunt, quod, detecta veritate, matrimonium ſubſiſtat; tum quia impedimentum non extet; tum quia hoc ipſo, quod contraxit, habuit conſenſum aliquem ſaltem ſub conditione, ſi impedimentum forte non extet. At probabilior videtur oppoſita pariter multorum apud Tamburinum cap. 2. §. n. 13. quia non poteſt in tali contrahente adeſſe aſſenſus; nam eorum, quæ impoſſibilia certo cognoſcuntur, non poteſt eſſe aſſenſus: at in caſu præſenti contrahens ſibi eſt certus, extare impedimentum dirimens, ideoque reddens impoſſibile, ſine diſpenſatione, matrimonium; ergo non poteſt habere conſenſum in matrimonium; poteſt quidem habere conſenſum utendi illa perſona, at non matrimonium ineundi: quomodo enim fieri poteſt, ſolvendo fundamentum oppoſitæ opinionis, ut, ſibi certus de impedimento, dicat, ſi impedimentum forte non extaret? poteſt quidem dicere, ſi impedimentum non extaret, contraherem matrimonium; at hoc modo dicendo, ex terminis non contrahit; vellet quidem contrahere, at de præſenti non vult, quia id eſt ſibi impoſſibile, ſicut qui dicit, vellem volare, ſi poſſem; qui hoc ipſo, velleitatem declarando, voluntatem non habet.

§. VIII. *De Matrimonii Sacramento: De ipſius Materia, Forma, & Miniſtro.*

Matrimonii ſacramenti notio. I. Contractum alioquin naturalem Matrimonii inter fideles baptizatos fuiſſe a Chriſto elevatum ad Sacramenti gradum, de fide definitum habetur in Conciliis Florentino, & Tridentino; idque accepit Eccleſia ex perpetua, & conſtanti Traditione, quam SS. Patres indicant, præcipue S. Innocentius I. in Epiſtola 9. S. Auguſtinus lib. 1. de nuptiis c. 10. lib. de Fide, & operibus c. 7. lib. de bono Conjugali c. 18. & 24. S. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Joan. cap. 22. & in Epiſt. 10. ad Neſtorium, & alii ſimiliter. Definitur matrimonium ut tale, Sacramentum Novæ legis, quod digne contrahentibus habet vim conferendi gratiam habitualem, afferentem eidem jus ad obtinenda auxilia Divina; ut ſe invicem Chriſtiano amore diligant, ſibi fidelitatem ſervent, concordiam pie cuſtodiant, prolem ſancte educent, & alia onera illius ſtatus fructuoſe ſuſtineant, ut inquit S. D. q. 42. Supplementi a. 3. ſcilicet; *Matrimonium habet conferre gratiam adjuvantem ad illa opera, quæ in matrimonio requiruntur.*

II. Cum autem omne Sacramentum conſtet materia, & forma; relictis variis opinionibus a Theologis ſcholæ examinandis, nobis dicendum videtur, quod ipſius materia remota ſint ipſa ſponſorum corpora in contractu celebrando tradenda; materia autem proxima ſit ipſa reciproca traditio in contractus celebratione expreſſa: Forma demum ſit ipſa corporis traditi reciproca acceptatio per aſſenſum expreſſa. Quoad formam, de qua dumtaxat inter Theologos eſt contentio, docet S. D. loc. cit. art. 1. ad 1. *Verba, quibus conſenſus exprimitur matrimonialis, ſunt forma hujus ſacramenti, non autem benedictio ſacerdotis, quæ eſt quoddam ſacramentale.* Nil clarius dici poteſt: quam doctrinam ita intelligas, ut verba contrahentium ſint forma, quatenus habent vim determinandi, cum tale ſit munus formæ; cum autem habeant hanc vim, non quatenus ſignificant traditionem corporum, ſed acceptationem; propterea quatenus hanc ſignificant, ſunt forma; quatenus vero traditionem, ſunt materia proxima, ut dixi. Et niſi hæc opinio eſſet vera, ſequeretur inconveniens nunquam ſolvendum, nempe quod matrimonia clandeſtina inter baptizatos non eſſent ſacramenta, cum illis deſit præſentia, & benedictio Sacerdotis; cum alioquin certum ſit, matrimonia hujuſmodi celebrata ante Tridentini legem, & poſt legem, ubi non fuit acceptata, ſemper ab Eccleſia habita fuiſſe ut ſacramenta, neque Eccleſiam unquam eos, qui ſic contraxerant, obligaſſe ad illa coram Sacerdote renovanda. Hinc apparet, ipſos contrahentes eſſe hujus ſacramenti miniſtros, contra opinionem Cani, & nonnullorum; cum enim Chriſtus extulerit hunc contractum ad gradum ſacramenti, & hoc inſtituerit ſecundum naturam hujus contractus; & cum natura ipſius ſit, ut efficiatur a contrahentibus, neque alii ſint miniſtri ejuſdem contractus, niſi ſoli contrahentes; fit exinde, quod ejuſdem, etiam ut ſacramentum eſt, ſoli contrahentes ſint miniſtri: eapropter Concilium Florentinum in decreto Unionis docet, loquendo de hoc Sacramento: *Cauſa efficiens matrimonii eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus*: Idemque clare audivimus ab Angelico: *verba ... ſunt forma hujus ſacramenti, & non benedictio Sacerdotis*: quæ alioquin

Ejus materia & forma.

Miniſtri ſunt contrahentes.

Digitized by Google

quin talis eſſet, ſi Sacerdos eſſet miniſter.

Incidens dubium reſolvitur. III. Sciſcitaberis, an a contrahente matrimonium ſeparari poſſit ratio ſacramenti a ratione contractus? Certum eſt apud omnes, graviſſimum eſſe peccatum id attentare; quia eſt ſe directe opponere intentioni, & beneplacito Chriſti. Cæterum graviſſimi Doctores, nempe Baſilius Pontius lib. 1. cap. 9. nu. 3. Suarez diſp. 7. ſect. 1., quibus alii adhærent, negant poſſe ſeparari; nam, dicunt ipſi, non eſt in poteſtate creaturæ ſeparare, quæ Chriſtus conjuncta eſſe voluit. Contra alii pariter graviſſimi, nempe Durandus, Cajetanus, Victoria, Vaſquez, & alii citati a Sporer cap. 1. ſect. 4. §. 5. n. 359. affirmant, poſſe ſeparari, quamvis illicite; nam aliud eſt dicere, quod Chriſtus illa duo conjunxerit, quod eſt de fide; & aliud, quod inſeparabiliter conjunxerit; de quo diſputatur, & pro negativa parte nulla probatio affertur; pro affirmativa autem dicunt, quod ſicut quæcunque alia ſacramenta non ſubſiſtunt, quamvis cætera requiſita adhibeantur, ſi deſit intentio miniſtri, (rejecta jam a communiori Melchioris Cani opinione) ita etiam in caſu præſenti.

§. VIII. *De ſolemnitatibus requiſitis ad valorem ſacramenti Matrimonii.*

Matrimonia Clandeſtina ſemper prohibita. I. Quod matrimonia clandeſtina etiam ante Concilium Tridentinum illicita fuerint, indicant multi Canones, quibus diſtricte prohibentur; indicat etiam ratio naturalis, ob inconvenientia graviſſima, quibus hujuſmodi matrimonia remanent expoſita, ut cuilibet facile conſtare poteſt. Requiritur præſentia Parochi & duplicis teſtis. Propterea novo jure a Concilio Tridentino, nedum prohibita, verum & invalida declarata fuerunt, niſi adſit præſentia Parochi, & duplicis teſtis, in ſeſſione 24. cap. 4. de Reformatione Matrimonii. Quemadmodum itaque etſi nonnulli contractus civiles jure naturæ validi, & liciti eſſent, nihilominus, quia ex modo illos celebrandi plurima incommoda in dies profluebant, lex civilis quaſdam addidit conditiones, quibus non extantibus, eoſdem irritavit, ex poteſtate quam habet Reſpublica ſuper privatorum actiones in ordine ad publici boni conſervationem; ita etiam Eccleſia ſuper hunc contractum ſacramentalem; ſuam in ordine ad publicum bonum volens exercere poteſtatem, vetuit, ob indicata graviſſima incommoda, & ſcandala, quæ paſſim ex matrimoniis clandeſtinis effluebant, ne matrimonium celebretur, niſi præſente Parocho, & duobus teſtibus; & ſi aliter celebretur, irritum ſit, & nullum; ita ut neque reſolvatur in ſponſalia, ideſt neque valorem habeat ſimplicium ſponſaliorum; ut declaravit ſacra Congregatio apud Fagnanum in caput ad *Audientiam* &c.

Quibus in locis hæc lex obligat? II. Hæc Tridentina lex vim habet in regionibus Catholicorum, in quibus fuit promulgata, & acceptata: in regionibus autem hæreticorum, & catholicorum, in quibus nec promulgata, neque acceptata fuit, non obligat quoad valorem: unde in his locis valide celebratur clandeſtine matrimonium. In regionibus autem hæreticorum, in quibus Tridentina lex acceptata fuerat; ex diſpenſatione Eccleſiæ, valet matrimonium catholicorum ſine præſentia Parochi initum, ſi ibi nullus ſit Parochus catholicus, neque alius ſupplens ejus vices, aut ſi moraliter vocari non poſſit, aut adiri: debent tamen adhiberi ſaltem duo teſtes, ut declaravit ſacra Congregatio apud Bellarminum in epiſtola ad Octavium Tricariæ Epiſcopum. Immo ex uſu Eccleſiæ, validum eſt matrimonium hæreticorum in locis, ubi publice exercent ſuam religionem, dummodo celebratum ſit juxta ritum, & leges ſui loci, quamvis ibi Tridentina lex promulgata fuerit; & patet ex eo, quod ſi redeant ad Eccleſiæ gremium, hæc non permittit, ut aliud matrimonium ineant, & eorum filios ut legitimos habet. Hic addenda eſt Conſtitutio Benedicti XIV., quæ incipit *Matrimonia*; data die 4. Novembr. anno 1741., qua declaravit, 1. matrimonia, quæ celebrantur in Hollandia, Zelandia, Friſia, aliiſque fœderatis Belgii Provinciis, non ſervata forma, per Tridentinum præſcripta, ſeu abſente Parocho, *pro validis habenda eſſe, dummodo aliud non obſtiterit canonicum impedimentum*; adeoque ſi contingat utrumque conjugem ad Catholicæ Eccleſiæ ſinum ſe recipere; *eodem, quo antea, vinculo ipſos omnino teneri*: ſi vero unus tantum ex conjugibus convertatur, *neutrum poſſe; quamdiu alter ſuperſtes erit, ad alias nuptias tranſire*. 2. Etiam matrimonia, quæ catholicos inter & hæreticos in eiſdem regionibus contrahuntur, non ſervata forma Tridentini, pro validis habenda eſſe, ſicut priora, quamvis illicita ea declaret ex parte catholicorum. Hanc declarationem extendit ad illos etiam, qui addicti ſunt copiis, ſeu legionibus mili-

litari-

Digitized by Google

litaribus, quæ ab iiſdem Fœderatis Ordinibus mitti ſolent ad cuſtodiendas, muniendaſque arces conterminas; vulgo dictas *di Barriera*, dummodo uterque conjux ad eaſdem copias ſeu legiones pertineat: & hanc declarationem complecti etiam civitatem Moſæ Trajectenſis, a Republica Fœderatorum Ordinum oppignorationis nomine poſſeſſam. (In prædictis enim Regionibus promulgata fuerat lex Tridentina). Pro illis vero Regionibus & Provinciis, in quibus promulgata non fuit, reſpondit Congregatio Concilii anno 1605. die 19. Januarii Epiſcopo Tricaricenſi, valida eſſe illa matrimonia ſine præſentia Parochi. Et Urbanus VIII. in Conſtitut. *Exponi nobis* anno 1627. 14. Auguſti idipſum ſtatuit.

* Poſtquam vero (ſic idem S. P. Benedictus XIV. *de Synod. Diœceſ. lib.* 6. *cap.* 6. *num.* 13. *nov. edit.*) ſupra memoratum Decretum noſtrum anno 1741. in Fœderatis Belgii Provinciis promulgatum eſt; quæſitum a Nobis fuit, utrum ea matrimonia comprehenderet, quæ in iiſdem regionibus inirentur a contrahentibus utrimque Catholicis, non coram Parocho Catholico, & duobus teſtibus: quin etiam petitum fuit, ut, ſi forte illud hæc minime comprehenderet, ad ea ſaltem per viam indulti extenderetur; quo conſcientiæ Catholicorum, qui in Fœderatis Belgii Provinciis habitant, in tranquillo ponerentur. Reſponſum facile eſt, & dicta matrimonia nequaquam in Decreto comprehendi, & extenſionem, quæ petebatur, abſurdam, & mali exempli futuram. Et quidem matrimonia Catholicorum in Decreto non comprehenſa, facile intelliget quicumque advertat, illud nominatim reſtrictum eſſe ad ea matrimonia, quæ in præfatis regionibus vel inter duos contrahentes hæreticos, vel inter unam partem Catholicam, & unam hæreticam, contrahuntur. Extenſio autem Decreti ad Catholicorum matrimonia, idcirco abſurda, & mali exempli extitiſſet, quod cum in iis locis Miſſionarii Catholici adſint, coram quibus anteacto tempore a contrahentibus Catholicis celebrata ſunt matrimonia, cumque Concilii Tridentini decretum inter Catholicos illarum partium, & in peculiaribus eorum Parochiis, ſaltem Provinciæ Fœderati Belgii a Catholici Principis dominatione in hæreticorum poteſtatem tranſierunt, rite publicatum fuiſſe conſtet; unuſquiſque videt quanta cum offenſione univerſæ Eccleſiæ auditum fuiſſet, matrimonia Catholicorum, quæ in regionibus illis juxta Tridentini formam celebrari poſſunt, a tam providæ legis obſervantia eximi per viam gratiæ, & diſpenſationis. Videantur Juveninus *de Sacramentis diſſert.* 10. *q.* 5. *cap.* 4. *&* Piette *Quæſt. Theologicar. part.* 6. *pag.* 441. *edit. anni* 1741. qui docent, a contrahentibus Catholicis ſervandum eſſe Concilii decretum etiam in iis regionibus, in quibus ab hæreticis non obſervatur.

Idem autem S. P. Benedictus XIV. pariter *de Synodo Diœceſ. lib.* 6. *cap.* 5. *n.* 4. *Edit. Rom.* 1748. *Edit. autem* 1760. *cap.* 6. *n.* 1. *&* 2. ad examen vocat, an Catholici ſubjecti Principi hæretico poſſint ſine piaculo ante vel poſt celebratum matrimonium juxta Tridentinum, Acatholicum Miniſtellum adire, ſuumque in conjugium conſenſum coram eo præſtare, ut legibus pareant ab eodem Principe latis, pœnaſque evadant tranſgreſſoribus inflictas. Sacra Congregatio S. Officii „ hanc quæ„ ſtionem, *inquit*, diligenter, uti ſolet, „ examinavit, & die 29. Novembris 1672. „ in eum qui ſequitur, modum definivit: „ *Catholici, qui matrimonio juncti ſunt* „ *coram Parocho & teſtibus catholicis,* „ *in pluribus locis (ita invaluit conſue*„ *tudo) ſolent coram miniſtro hæretico,* „ *ſeu proteſtante rurſus conjungi ad vi*„ *tanda gravia damna, neque poteſt con*„ *ſuetudo hæc a Clero corrigi. Peccant* „ *ne? Et quo peccato Catholici ſic denuo* „ *conjuncti, coram miniſtro hæretico? Et* „ *quomodo ſe gerere debet erga illos Or*„ *dinarius loci? Sacra Congregatio reſ*„ *pondit: Quatenus miniſter aſſiſtat ma*„ *trimoniis Catholicorum, uti miniſter po*„ *liticus, non peccare contrahentes: ſi ve*„ *ro aſſiſtat ut miniſter addictus ſacris,* „ *non licere; & tunc contrahentes pec*„ *care mortaliter, & eſſe monendos.* “

Subdit vero idem Summus Pontifex *n.* 5. „ *Huic* Sacræ Congregationis ſententiæ Nos auctoritatem adjecimus *in no*„ *ſtra Conſtit.* 89. §. 10. *Bullarii Tom.* 1., „ ubi fidelibus degentibus in Regno Ser„ viæ, finitimiſque regionibus interdiximus, ne, matrimonio inter ſe catholi„ co ritu celebrato, illud renovare præ„ ſumant coram *Caddi*: noſtram tamen „ interdictionem hac temperavimus limi„ tatione, niſi ſcilicet nuptiarum cære„ monia explenda coram *Caddi* actus ſit „ mere civilis, nullamque contineat Ma„ hu-

„ humetis invocationem, aliudve ſuperſtitionis genus includat. "

Quis intelligatur Parochus proprius?

III. Parochus aſſiſtens, debet eſſe proprius, nempe aut uterque utriuſque ſponſi, aut unus alterutrius, prout declaravit Sacra Congregatio Concilii. Debet autem Parochus aſſiſtens animadvertere, quod ſi vocetur ad aſſiſtendum in paræcia alterius Parochi, ut licite agat, obtinere debet facultatem a Parocho, in cujus paræcia aſſiſtit; nam pro valore id non requiritur, juxta communiorem, contra Navarrum, & quoſdam alios; eo quia ſit vere Parochus alterutrius, & non agatur de juriſdictione contentioſa. Si tamen ſine licentia aſſiſteret, incurreret ſuſpenſionem ſecundum aliquos. Si vero aſſiſtere Parochus aliquis ſine licentia Parochi alterutrius ſponſorum, jam patet, quod invalidum fieret matrimonium; & Parochus ille remaneret ſuſpenſus ab officio, & beneficio parochiali, donec abſolvatur ab Epiſcopo Parochi, cujus uſurpavit miniſterium; ex Tridentino loco ſupra citato. Proprius autem Parochus ille cenſetur, in cujus paræcia domicilium habent ſponſi, vel continuæ habitationis, vel pro majori anni parte; unde invalide aſſiſteret Parochus in cujus paræcia pro minori anni parte commorantur, aut ſolius recreationis, vel ruſticationis gratia.

Animadvertendum cenſemus, quod ſi quis in duobus locis quaſi æqualiter plus minuſve habitet, tunc is duos habebit Parochos, & coram alterutro contrahere poterit. Sicut enim duplex inhabitationis domicilium, ſic duos Parochos habet; neque unus expectare alterius licentiam debet, cum par in parem poteſtatem non habeat. Conſilium tamen mutuo habere poterunt, & ſæpe expediet. Regulariter autem, ut animadvertit Sylvius *in Suppl. q. 45. art. 5. q. 5.* videtur debere contrahere coram illo, in cujus Parochia manet tempore matrimonii contrahendi.

* Ad contrahendum valide matrimonium requiritur Parochus domicilii, aut ſaltem quaſi domicilii, ſive viri, ſive mulieris. Ad domicilium autem alicubi acquirendum requiritur habitatio cum voluntate ibi ſemper manendi. Quid autem requiratur ad acquirendum quaſi domicilium, ut valide contrahi poſſit matrimonium, exponit S. P. Benedictus XIV. *in reſponſione*, quam *die* 19. *Martii anni* 1758. dedit Venerabili Fratri Antonio Archiepiſcopo Goano, quæ habetur *in Appendice Altera ad Tom. IV. Bullarii.* " Poſt hæc, *inquit*, neceſſarium fore cenſemus nonnihil adjungere, ut in propatulo ſit, quidnam requiratur, ad quaſi domicilium adipiſcendum. Verum hac in re non alio pacto reſponderi poteſt, niſi quod, antequam matrimonium contrahatur, ſpatio ſaltem unius menſis ille, qui contrahit, habitaverit in loco, ubi matrimonium celebratur. Definitiones Congregationis Concilii hac de re obſervari potuerunt apud Fagnanum *in cap. Significavit, de Parochiis*, ubi earumdem contextu perpenſo, hæc habet ſub *num.* 39. *Vir & Mulier Trajectenſes, timentes impedimentum a parentibus, cum ad vicinam Urbem Aquiſgranam ſe contuliſſent, & ibi aliquandiu morati matrimonium contraxiſſent, Sacra Congregatio, conſulta ſuper validitate, cenſuit exprimendum tempus, quo contrahentes Aquiſgranæ manſerunt, quod ſi fuerit ſaltem unius menſis, dandam eſſe deciſionem pro validitate.* Natalis Alexander *in Theologia Dogmatica & Morali lib. 2. de Sacrament. Matrimonii cap. 2. art. 2. reg.* 6. animadvertit ad acquirendum quaſi domicilium, oportere, ut contrahentes, antequam matrimonium celebrent, tanto tempore eo in loco, ubi copulantur, fuerint commorati, ut ibidem cogniti jam ſint, atque perſpecti. Dubitari autem poſſet, num ad quaſi domicilium acquirendum matrimonii cauſa, ut diximus, non ſolum requiratur præcedens habitatio, verum etiam ſubſequens ad aliquod temporis ſpatium: Verum cum obſervaverimus, ſubſequentem habitationem ab iis Auctoribus, qui hanc tractarunt materiam, tanquam magni momenti adminiculum reputari, ut novum domicilium quæſitum dicatur, nihil vero de illa præſcriptum fuiſſe a Concilii Congregatione in adducta paulo ante definitione penes Fagnanum, nolumus hac de re quidquam novi decernere. „

Parochus vagabundorum.

IV. Reſpectu vagabundorum, quibus nullus eſt Parochus fixus, cum nullibi fixum habeant domicilium, ille cenſendus eſt proprius Parochus, in cujus paræcia tunc degunt: ut etiam licite aſſiſtat, debet juxta Tridentinam Sanctionem loc. cit. cap. 6. obtinere licentiam ab Ordinario loci, eo fine, ut exploret, an aliquod impedimentum ſubierint; & hæc verificantur, etiamſi unus tantum ſponſorum ſit vagabundus.

Em.

Digitized by Google

Em. Cardinalis Lambertinus *Inſtit.* 33. poſtquam expoſuit quæ per Sacram Congregationem conſtituta fuerunt, & quæ etiam ab univerſis ferme Auctoribus probantur de Parochi præſentia in matrimoniis contrahendis requiſita, pecularia quædam addidit de Parocho proprio ad perficienda quarumdam particularium perſonarum matrimonia, quæ velut normam in ſua civitate & Diœceſi obſervanda præcepit, ut diſſenſiones omnes de medio auferrentur, omnibuſque controverſiis aditus præcluderetur. Hæc autem utpote ſcitu maxime digna ſummatim hic exhibere, atque apponere, opportunum exiſtimamus. Itaque *n.* 11. ſtatuit Prætores, Judices, Medicos, facultatis alicujus profeſſores, diſcipulos, famuloſque, licet exteros, rite matrimonium contrahere, ſi adſit Parochus ejus loci, ubi degunt. Quippe ſi per aliquod temporis ſpatium in eodem loco ſerventur, domicilium, vel quaſi domicilium quod ſatis eſt ad matrimonium perficiendum, ſibi conciliant. *Num.* 12. cenſet, Parochum illorum, qui perpetuo, vel ad certum tempus non quidem pro cuſtodia, ſed pro pœna in carcerem conjiciuntur eſſe illum, in cujus Parochia carceres collocantur; illorum vero, qui pro cuſtodia ſolum in carcerem detruduntur, donec cauſa ipſorum judicis ſententia cognoſcatur, non eſſe illum, ubi carceres poſiti ſunt, ſed illum ubi domicilium ſitum habent; cum ipſi nihil magis expetant, quam ut, diſſolutis vinculis, paternas ædes inviſant. *Num.* 13. præcipit, certiorem fieri debere Epiſcopum quando in Xenodochiis matrimonia ineunda ſunt ab iis, qui in gravi vitæ periculo verſantur, ut æternæ ſuæ ſaluti proſpiciant. Præcipit, inquam, in his caſibus certiorem fieri debere Epiſcopum, ut ſtatuat, qui matrimonio celebrando interſit; cum inter Capellanos, & Parochos, in quorum ditione ſita ſunt Xenodochia, magno ſtudio contendatur: (Et *Inſtit.* 88. ait quod Epiſcopi, cum matrimonia fiunt in Xenodochis, Capellanis concedunt, ut Parochi munere fungantur, ob eam videlicet cauſam, ut controverſiis aditus occludatur, quæ inter illos ac Parochos haberi frequenter conſueverunt, aut etiam ipſos inter Parochos, in quorum nempe ditionibus aut domicilium haberet ægrotus, aut Xenodochium poſitum eſſet). *Num.* 14. decernit, Parochum ad ineunda matrimonia puellarum, quæ in Hoſpitio ſpuriorum continentur, eſſe illum, cujus Parochiæ illud publicum Hoſpitium ſubjicitur; aliarum quoque puellarum, quæ in aliis Hoſpitiis ſervantur, eſſe illum, cujus ditioni ſubditur ipſum Hoſpitium. *Num.* 16. ſancit, Parochum pro matrimoniis Virginum, quæ in ſeptis Monialium educantur, eſſe illum, in cujus Parochia eſt Monaſterium, ſi in alia Parochia domicilium non habeant; ſin autem paternum, maternum, vel fraternum domicilium habeant, eſſe illum, in cujus ditione domicilium illud collocatur; ita tamen ut denunciationes publicæ in utraque Parochia fiant. *Num.* 17. Demum idem ac de puellis, quæ in Monſteriis pro educatione ſervantur, omnino ſtatuendum judicat de Famulis, & Ancillis, quæ penes Dominos vitam traducunt. Hæc omnia docet ipſe innixus præſertim S. Congregationis Decretis. Lege etiam *Inſtitutionem* 88. in qua occaſione difficultatis, quæ ex hac 33. concitata fuerat, ipſique propoſita, eadem clarius exponit, uberiuſque confirmat.

V. Nomine Parochi proprii intelligitur etiam proprius Superior, Parocho major, nempe proprius Epiſcopus; item Legatus ſedis Apoſtolicæ in illa Provincia; & Summus Pontifex, ut patet. Item etiam ille, qui quamvis revera Parochus non ſit, puta ob vitium Simoniæ in ſui promotione, habetur tamen communiter bona fide, ut talis, & habet titulum coloratum beneficii Parochialis. Item Parochus verus, quamvis nondum Sacerdos, cum revera ſit Parochus; & ita declaraſſe ſacram Congregationem refert Diana part. 12. tract. 3. reſolut. 32. Item, pro valore, intelligitur Parochus, quamvis excommunicatus etiam vitandus, interdictus, ſuſpenſus, dummodo adhuc beneficium Parochiale retineat; nec ſit degradatus, depoſitus, beneficioque privatus; eo quia adhuc ſit Parochus; & alioquin aſſiſtere matrimonio non ſit actus juriſdictionis, ſed meri teſtis, & aſſiſtentis. Non tamen poterit, dictis cenſuris detentus, alterum loco ſuis delegare; quia hic eſt Actus juriſdictionis, quam exercere non poteſt, donec abſolvatur.

Qui-nam alii intelligantur ſub Parochi nomine?

Præciſa declaratione S. Congregationis a Diana relata loco citato, cui, ſi vera ſit, & authentica, dubio procul ſubſcribendum eſt, veriorem exiſtimamus ſententiam illorum, qui aſſerunt, Parochum Matrimonio aſſiſtentem Sacerdotem eſſe debere. Hoc enim clare videtur ex Concilio Tridentino Seſſ. 24. cap. 1. cujus hæc ſunt verba: *Qui aliter, quam præſente Parocho,*

vel

vel alio Sacerdote, de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus teſtibus matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit. Igitur qui Parochi vices gerere debet, neceſſum eſt ut ſit *alius Sacerdos*: ergo & Parochus ſit Sacerdos oportet. Obvius quippe ſenſus iſtius dictionis *alius Sacerdos*, non alius profecto eſt niſi hic: Si Parochus Sacerdos non aſſiſtit, aſſiſtat alius qui ſit Sacerdos. Præterea Tridentinum ibidem declarat, ſe inhærere veſtigiis Concilii Lateranenſis: Concilium autem Lateranenſe Presbyterum eum appellat, qui a Tridentino Parochus nuncupatur. Lege Sylvium *qu.* 45. *art.* 5. qui ex Navarro *in addit. ad conſil.* 9. tit. de *Clandeſt. diſpenſ.* & ex Zerola *p.* 2. *v. Parochus*, refert Sacram Congregationem Cardinalium inclinaſſe *in ſententiam, ut Parochus non Sacerdos non poſſit matrimonio contrahendo intereſſe, ſed debeat licentiam alicui Sacerdoti illi intereſſendi concedere*. Quod quidem, ut nemo non videt, aſſertioni noſtræ apertiſſime favet.

Parochus irregularis, aut excommunicatus, vel alia cenſura irretitus, dummodo ſuo beneficio non ſit privatus, nec denuntiatus, juxta communem opinionem valide, quamvis illicite matrimonio aſſiſtit: ſi vero ſit denuntiatus, nec licite, nec valide matrimonio aſſiſtit in ſententia illorum, qui contendunt, Parochum eſſe Matrimonii Miniſtrum; quia in tali ſtatu exiſtens juriſdictione caret. Imo poſito etiam quod Parochus non ſit Matrimonii Miniſter ambigit Gibertus *Tom.* 1. *Conſul.* 52., num Matrimonio valide aſſiſtere valeat. Utcunque res ſe habeat, validum foret Matrimonium, ſi Parochus etiam poſt denuntiatam excommunicationem, ex errore communi haberetur pro legitimo Paſtore, quia ubi eſt error communis, Eccleſia ſupplet defectum. Hinc ſimoniacus, imo & quandoque intruſus, licet a parte rei non ſint veri Paſtores, valide matrimoniis intereſſe poſſunt ſecundum Pikler, cum ſcilicet ob ignorantiam plebis, communiter pro veris Parochis habentur. Exiſtimat Auctor Collat. Andeg., invalidum ſemper eſſe matrimonium coram intruſis celebratum. Idque in praxi omnino ſervandum eſt. Lege Contin. *Prælect. Theolog.* Honorati Tournely *Tract. de Diſpenſat. Part.* 1. *cap.* 13.

✠ Vid. etiam quæ ad rem hanc docet Auctor infra, videlicet *tract.* 15. *cap.* 2. §. 5. *n.* 1.

* Validum eſt matrimonium, quod initur vel coram Parocho, vel coram Parochi Vicario, etiamſi illis ab Epiſcopo interdictum ſit, ne matrimonii celebrationi aſſiſtentiam præſtent. Cum enim ea non ſit Epiſcopi auctoritas, ut poſſit inducere impedimentum dirimens, quod non eſt; aut aliquod matrimonium, quod ex canonum præſcripto nullum irritumque non ſit, nullum irritumque ſtatuere, illicitum quidem erit matrimonium, ſi celebretur coram eo, cui Epiſcopus hujuſmodi celebrationi adeſſe vetuerit; graviter etiam peccabit is, qui ſpreta Superioris prohibitione, eidem aſſiſtentiam præbebit: at nulla ratione dici poterit, matrimonium ipſum nullitatis vitio ſubjacere. Sic. S. P. Benedictus XIV. de *Synod. Diœceſ. lib.* 12. *c.* 5. *num.* 2. & *lib.* 13. *cap.* 23. *num.* 3. qui etiam priori in loco ad id firmandum, declarationem affert Sacræ Congregationis Concilii; *Numer.* vero 3. animadvertit quod aliud eſſet de matrimonio celebrato contra interdictum Papæ, munitum decreto irritante; ſiquidem cum Papa poſſit per ſuam univerſalem legem novum impedimentum dirimens matrimonio apponere, poteſt etiam in aliquo ſpeciali eventu prohibere, ne inter peculiares perſonas matrimonium contrahatur, ſimulque decernere, ut contra ſuam prohibitionem contractum ſit irritum. Niſi tamen adſit huic interdicto Decretum irritans, matrimonium valet, cum impedimentum illud impediens, non autem irritans cenſendum ſit.

Quis delegari poſſit a Parocho?

VI. Poteſt Parochus, ex conceſſione ſibi indulta a Tridentino loco citato, alium & quidem dumtaxat Sacerdotem, loco ſui delegare, qui matrimonio aſſiſtat, quam licentiam vel voce, vel ſcripto concedere debet. Neque ſufficit licentia generalis miniſtrandi in ſua paræcia omnia Sacramenta, juxta probabiliorem; ſed requiritur licentia expreſſa etiam aſſiſtendi matrimoniis, quia revera hæc non eſt adminiſtratio ſacramenti. Neque ſufficit tacita, aut præſumpta licentia ſub ratihabitione futura, juxta declarationem Sacr. Congregationis relatam a Fagnano in cap. *quod nobis*, de diſpenſ. impuberum. Quod ſi poſt datam legitime licentiam, antequam ſacerdos delegatus ea utatur, Parochus obeat; ſi mors ejus innoteſcit Sacerdoti, non poteſt ea amplius valide uti; quia

Digitized by Google

quia delegatio illa, cum data fuerit ad hoc matrimonium, expirat cum concedente illam; ſi autem mors non innotuerit, multi dicunt valere ob titulum coloratum, & errorem communem: Si vero licentia fuerit conceſſa in generali aſſiſtendi ſuo loco omnibus matrimoniis ſuæ parœciæ, quidam dicunt cum Lugone lib. 1. reſponſ. moral. dub. 35., valere. Fateor tamen, quod non auderem conſulere Sacerdoti illi, ut ea utatur; qua enim ratione perſeverare poteſt facultas illa, mortuo jam concedente, ejuſque morte jam nota? Intantum enim valere poteſt, quia virtualiter cenſetur perſeverare intentio concedentis; hoc autem defuncto, quomodo perſeverat illius intentio? & cum mors ſciatur, ceſſant titulus coloratus, & bona Fides. Nota demum, quod nullus ſit caſus, in quo ſine hac Parochi licentia aſſiſtere poſſit alius Sacerdos matrimonio, cum a Tridentino nullus caſus excipiatur; ſicut etiam de teſtium præſentia eſt dicendum; unde Sacerdos aſſiſtens concubinario moribundo, qui neceſſe habet ducere ſuam concubinam, debet prius tunc licentiam obtinere, & teſtes advocare, ut valide aſſiſtat; quidquid nimis animoſe dicant quidam recentiores.

Quales Teſtes requirantur?

VII. Requiritur inſuper pro valore etiam præſentia ſimultanea ſaltem duorum teſtium, ut jubet Tridentinum loco citato, qui ſint ratione, auditu, & viſu compotes; eo quod debeant facultatem habere teſtificandi indubitanter, matrimonium fuiſſe initum, ſi caſus occurrat. Cum autem Tridentinum nullam in hujuſmodi teſtibus qualitem poſtulet, infertur, quoſlibet, ratione, & ſenſibus utentes, ſive mares, ſive fœminas, de quibus nulla ſuſpicio ſit, quod in occurrente caſu ſint pejeraturi, eſſe idoneos teſtes; quamvis forte pro aliis contractibus ineundis a jure repellantur: unde nil refert, an ſint conſanguinei, ſervi, excommunicati, infideles, impuberes, infames &c. Verum prudentia dictat, ut, niſi neceſſitas compellat, eligantur adultæ, fideles, probæ, & honeſtæ perſonæ. Dixi requiri præſentiam ſimultaneam teſtium una cum Parocho, ita poſtulante natura actionis: cum debeant eſſe præſentes, dum datur utrinque conſenſus; qui debent advertere ad actionem, quæ fit. Neque requiritur quod ſint rogati, aut data opera vocati, cum pro valore ſufficiat, ut etiam metu adacti, & inviti trahantur, dummodo reapſe aſſiſtant, & advertant ad id, quod celebratur, quia habetur finis legis. Pro licito autem debent vocari, ut ſpontanei, & non coacti veniant.

Non eſt neceſſaria pro valore actio Parochi præter aſſiſten. tiam.

VIII. Non eſt neceſſaria pro valore Benedictio Parochi, neque ulla verborum prolatio, quæ ab ipſo fiat: quamvis graviter peccent, qui ex propoſito illam omittunt, quia in re gravi diſcordant a ritu Eccleſiæ. Sicuti graviter peccant, qui de repente coram Parocho comparentes una cum teſtibus ſive ſpontaneis, ſive tractis, matrimonium ineunt, ut fieri ſolet a furtive contrahentibus, non ſine gravi ſcandalo, & deordinatione.

Requiruntur tres Denunciationes.

IX. Antequam celebretur matrimonium ex gravi præcepto Concilii loco citato, neceſſe eſt ut *ter a proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus feſtis in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia publice denuncietur, inter quos matrimonium contrahendum ſit ... Quod ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio, matrimonium malitioſe impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denunciationes; tunc vel una tantum fiat, vel ſaltem Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus præſentibus, matrimonium celebretur; deinde ante illius conſummationem, denunciationes in Eccleſia fiant, ut ſi aliqua ſubſint impedimenta, facilius detegantur, niſi Ordinarius ipſe expedire judicaverit, ut prædictæ denunciationes remittantur, quod illius prudentiæ, & judicio ſacra Synodus relinquit.* Hinc requiruntur iſtæ denunciationes ſub præcepto gravi, ita ut graviter peccet, qui ſine Epiſcopi licentia illas omittit. Debent autem fieri a Parochis utriuſque ſponſi, niſi conſuetudo aliter obtinuerit, ut ab uno dumtaxat eorum fiant, ubi matrimonium celebrandum eſt.

* Parochus Matrimonio intereſſe præſumens, cui legitimæ non præceſſerunt denunciationes, ſuſpenſione ab officio, triennio duratura, aut etiam graviori pœna plecti jubetur *in cap. Cum inhibitio, §. final.* a qua quidem ſuſpenſione, cujus tempus eſt a jure determinatum, non poſſe eumdem intra triennium ab Epiſcopo abſolvi, docent Sanchez *de matrim. lib. 3. diſp. 52. n. 2.* Gutierez *de matrim. cap. 75. n. 22.* & Pontius *lib. 5. cap. 37. num. 11.* Ipſis vero contrahentibus, quia Eccleſiæ mandatum in re ſane gravi contemnunt, condignam pœnitentiam injungendam, *in eodem §. final.* ſtatuitur. Teſtibus tamen, qui ejuſmodi matrimoniis aſſiſtunt, nulla

nulla pœna neque a Concilio Lateranenſi, neque a Tridentino reperitur impoſita : at nihilominus pleræque Diœceſanæ Synodi etiam in illos duxerunt animadvertendum pœna excommunicationis latæ ſententiæ . Quam pœnam a prædictis Synodis potuiſſe valide infligi adverſus Sotum *in* 4. *diſt.* 28. *q.* 1. *a* 2. ſuſtinet Sanchez *cit. lib.* 3. *diſp.* 46. *n.* 8. cujus opinionem , Fagnani etiam auctoritate munitam , approbat & amplectitur S. P. Benedictus XIV. *De Synod. Diœceſ. lib.* 12. *cap.* 6. *n.* 2.

Idem S. P. Benedictus XIV. in Apoſtolicis Litteris ad omnes Epiſcopos directis die 17. *Novembris* 1741. incip. *Satis vobis* regulas ſancit pro Matrimoniis occultis, quæ vulgo *conſcientiæ* appellantur. Poſitis ob oculos pluribus malis, quæ in dies oriuntur ex matrimoniis, quæ occulte contrahuntur . 1. mandat Epiſcopis , ut non de facili diſpenſent ſuper denunciationibus , memores eorum, quæ ſuper hac re in Synodo Tridentina ſtatuta fuere . 2. admonentur iidem Epiſcopi, ut magna vigilantia curent, ne remiſſis publicationibus matrimonium celebretur coram Parocho, vel alio Sacerdote ad id deputato, & teſtibus confidentibus, ne ulla celebrationis notitia naſcatur; cum urgentiſſima cauſa requiratur, ut id ſecundum Canones licite fieri poſſit . A S. enim Pœnitentiaria ſit poteſtas ita celebrandi matrimonia tunc potiſſimum, cum vir, & fœmina in figura matrimonii publice degentes, & quibus nulla viget criminis ſuſpicio , in occulto tamen concubinatu perſeverant . Proponitur autem hæc praxis , non quia diſpenſatio huic tantum caſui congruat, cum alii ſimiles, & fortaſſe urgentiores eſſe poſſint; in quibus diſpenſari expediat ; ſed quia paſtoralis officii partes verſari debent in ſedulo inveſtiganda legitima cauſa diſpenſationis. 3. admonentur, & impenſe hortantur iidem Epiſcopi, ut diligenter inquirant in perſonas ſecreto contrahere petentes ; an ſcilicet ejus ſint qualitatis , gradus, conditionis, quæ id poſtulet; an ſint ſui, vel alieni juris, an filii familias, quorum nuptiæ Patri juſte diſſentienti ſint inviſæ ; nimium enim alienum eſſet ab Epiſcopali munere , facilem filio occaſionem inobedientiæ præbere; an res ſit de perſonis Eccleſiaſticis licet in minoribus Ordinibus conſtitutis , penſiones , vel beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus , ut deteſtabilis eorum detentio poſtea in ſtatu uxorato congruis remediis compeſcatur . Potiſſimum vero hortantur , ut ſollicite curent ; ut antequam ſecreti matrimonii licentiam concedant , contrahentes clara , & indubia documenta exhibeant ſtatus liberi.

Quod attinet ad miniſtrum ſecreti matrimonii , ſtatuitur 1. ut ad id munus deputetur Parochus alterius ex contrahentibus . Et ſi quæ circumſtantiæ occurrant, quæ alium Sacerdotem expoſcere videantur , is eligatur , qui & probitate, & doctrina, & muneris obeundi peritia commendetur. Quiſquis tamen deputetur , ei præcipiatur , ne matrimonio interſit , niſi prius paterna charitate conjuges monuerit , ſobolem procreandam regenerari quamprimum oportere Sacro baptiſmate ; ac Chriſto judici diſtrictam reddituros eſſe rationem, niſi filios ut legitimos agnoverint , eoſque pietate imbuerint , & frui patiantur bonis temporalibus a majoribus in ſupremis tabulis relictis , vel provide legum auctoritate delatis. 2. ſtatuitur , ut celebrato matrimonio indilate miniſter , coram quo initum eſt, exhibeat Epiſcopo illius ſcriptum documentum cum nota loci , temporis , & teſtium, qui celebrationi interfuerunt, Et declaratur, Epiſcoporum munus eſſe, diligenter incumbere , ut præfatum documentum ad perennem memoriam fideliter tranſcribatur in libro prorſus diſtincto ab altero, in quo matrimonia publice contracta de more adnotantur . Hujuſmodi vero librum pro matrimoniis ſecretis in Epiſcopali Cancellaria ſigillo obſignatum caute cuſtodiendum eſſe , & eo tantum caſu , accedente Epiſcopi licentia , aperiendum, quo alia id genus matrimonia deſcribi oporteat, vel aliqua urgens neceſſitas id poſtulet : abſoluta autem re denuo diligenter claudendum, & ſigillis, ut antea, obſignandum . Fides , & atteſtationes clam initi matrimonii a miniſtro exarandæ , ac Epiſcopis exhibendæ tranſcribi debere in dicto libro de verbo ad verbum a perſona ab ipſis Epiſcopis deputanda , quæ apud omnes integritatis luculentum habeat teſtimonium . Ipſas vero atteſtationes , & fides in ſecretiori loco ſartas tectas ab Epiſcopis iiſdem ſervandas eſſe. 3. ſtatuitur, ut, ſi ex occulto hujuſmodi matrimonio proles naſcatur, ea baptizetur in Eccleſia , in qua alii infantes indiſtincte baptizantur : Et quia ad operiendum clam initum matrimonium facile eſt , in libro baptizato-

rum

Digitized by Google

rum nullam fieri mentionem parentum , expreſſe decernitur, ut a patre baptizati, eoque defuncto a matre , ſuſcepta proles Epiſcopis denuntietur, vel immediate, vel per perſonam fide dignam ab ipſis parentibus deſignatam, ut certo conſtet Epiſcopis, prolem tali loco, & tempore , vel ſuppreſſis , vel falſo expreſſis nominibus parentum baptizatam, legitimam eſſe, licet occulti matrimonii fœdere procreata ſit. Et indicitur, ut hæc omnia , ne eorum memoria excidat , in libro fideliter deſcribantur ab eo , qui deputatus eſt ad occulta matrimonia adnotanda . Et ut liber, in quem ſic baptizatorum, & parentum nomina referuntur, quamvis diſtingui debeat ab altero matrimoniorum , eadem tamen diligentia in Cancellaria Epiſcopali obſignatus cuſtodiatur.

Quod ſi qui hiſce mandatis parere negligant, ii ab Epiſcopis debita pœna puniantur. Quinimo ſi certo conſtiterit Epiſcopis, ex occulto matrimonio natam prolem, & baptizatam, ſuppreſſis parentum nominibus, nulla ipſis præſtita notitia ab iiſdem parentibus intra triginta dies a nativitate numerandos , mandatur hic Epiſcopis eiſdem, ut occulta illa matrimonia revelent, ac nota faciant . Ac ne a contumacibus, & inobedientibus ob id Paſtores tanquam rei violatæ fidei, proditique ſecreti accuſari poſſint , vult Pontifex ab Epiſcopis ſedulo curandum , ut miniſter pro occulti matrimonii celebratione deputandus clare & aperte ſic contrahentes moneat, eo pacto, & lege illis permitti ſecretam celebrationem matrimonii, ut ſoboles inde procreanda non ſolum baptizetur, ſed etiam poſt Baptiſmum denuntietur Epiſcopo cum nota temporis , & loci adminiſtrati Sacramenti , ac ſincera indicatione Parentum, a quibus ortum habuit; alioquin matrimonium licet contractum data per Epiſcopum ſecreti fide , in lucem proferetur in gratiam filiorum . Vult præterea Pontifex , atteſtationibus matrimonii clam initi , & ſobolis ex eo procreatæ excerptis ex libris caute , ut ſupra dictum eſt, cuſtodiendis, eam fidem habendam, quæ aliis libris Parochialibus Baptiſmi , & matrimonii haberi ſolet .

Poſtremo enixe præcipitur, ut hæc omnia ab Epiſcopis obſerventur ; & declaratur hac Conſtitutione minime prohiberi ea validiora remedia , quæ ad avertenda mala ex occultis matrimoniis aliquando provenientia , ab Epiſcopis oportuna dignoſcentur .

X. Itaque qui conſcius eſt alicujus impedimenti inter ſponſos, tenetur ſub gravi illud Parocho manifeſtare, ſive ſciatur a ſponſis, ſive ignoretur; ita poſtulante reverentia Sacramenti, & obligatione naturali impediendi peccatum proximi , & gravi onere obediendi præcepto gravi Eccleſiæ ad commune bonum reſpiciente. Dixi revelandum eſſe Parocho , poſito quod jam ſciatur ab ambobus ſponſis; quod ſi ignoretur ab uno; debet prius ignoranti manifeſtari, ita exigente charitatis ordine, & præcipue ſi ſit impedimentum infamiam aliquam afferens, puta inceſtus cum ſorore vel matre &c.: ſi autem ſpes fructus non affulgeat, revelari debet parentibus ſponſorum; ſin autem, tandem Parocho; non obſtante quod ſecreto naturali, & etiam ſub juramento ſecreti ſervandi ſciatur tale impedimentum; quia hujuſmodi ſecreta , & juramenta in caſu eſſent vincula iniquitatis contra bonum commune, quod exigit, ne matrimonia invalida contrahantur. Obligatio revelandi impedimentum.

XI. At quid, ſi ſciens impedimentum , timeret ſibi, vel ſuis ex revelatione grave malum imminere? In hoc arduo caſu tradunt nonnulli hanc regulam, quod quando ex revelatione imminet grave malum ipſi revelanti, aut ab altero ſibi inferendum, aut a ſe ipſo, quia compellitur prodere reatum ſuum, infamiam ſibi afferentem, aut quando prudenter timetur grave ſcandalum oriturum , aut grave damnum alteri innocenti; ceſſet in his caſibus ſcienti impedimentum obligatio illud revelandi; quia, dicunt, neque lex charitatis, neque reverentia Sacramento debita, neque obligatio legis Eccleſiaſticæ obligant cum tanto gravamine . Non ita dicendum eſt de ipſis ſponſis , qui ſi vel ambo , vel unus noſcat impedimentum ; tenetur in conſcientia deſiſtere a matrimonio ineundo , vel antequam ineatur , petere diſpenſationem, quamvis, revelando, infamia ſequatur ; quia cum ſit lethale peccatum ita contrahere , ab hoc perpetrando tenetur omni modo deſiſtere. Et idem dicendum eſt, ſi interrogentur , an adſit impedimentum , eo quod tenentur ſincere veritatem fateri; quia matrimonium celebrando ſcienter invalidum, & graviſſime peccant , & in continuo ſtatu peccati lethalis viverent, conjugaliter tractando . Itaque quando ſciunt tale impedimentum, & diſpenſationem aut petere nolint , aut obtinere nequeant , mutuo conveniant a matrimonio reſilire . Si autem Caſus emergens reſolvitur.

Digitized by Google

tem unus eorum ſciat impedimentum, quod, abſque ſui infamia, vel alterius, revelare non poteſt; aut conſtanter dicat, voluntatem mutaſſe, & nolle ullo pacto contrahere matrimonium, ſed eligere ſtatum perfectiorem, ipſumque eligat; aut, ſi ſperet revelationem, faciendam alteri parti, bonum effectum habituram, eidem ſub ſigillo naturali revelet, ut deinde vel concorditer recedant a matrimonio, vel dilationem opportunam concorditer ponant, quouſque ſecreto impetretur diſpenſatio. Si autem abſque ſcandalo gravi differri nequeat, adeatur ſecreto Legatus, vel eo non extante, Epiſcopus, qui in tali caſu neceſſitatis poteſt diſpenſare, ut dicetur ſuo loco.

Quomodo requiri poſſit aſſenſus parentum? XII. Certum eſt, ad valorem matrimonii non requiri conſenſum parentum, tum quia ita definivit Trid. ſeſſ. 24. c. 1. damnans ſub anathemate docentes oppoſitum, tum quia ratio ſuadet, cum matrimonium ſit contractus tradens jus alteri in proprium corpus ad prolem generandam, qui, ut patet, ex natura ſua independens eſt ab aſſenſu cujuſcumque alterius. Dixi ad valorem, nam proculdubio illicite mortaliter contrahitur, inſciis parentibus, vel aliis majoribus loco parentum habitis; eo quia graviter delinquatur contra reverentiam eiſdem debitam. Quod ſi a filiis exponatur parentibus voluntas contrahendi cum tali perſona honeſta, & pari, & parentes non habeant juſta motiva reſiſtendi, ſed afferant dumtaxat frivola motiva, aut ſuggeſta ab avaritia ad augendas opes &c.; tunc poſtquam filii procuraverint modeſtis, & efficacibus officiis flectere parentes, & poſt expectatum decens tempus, non erunt accuſandi gravis criminis, ſi matrimonium ineant; tum quia non adeſt juſta cauſa impediendi; tum quia, & ipſi parentes peccant, quando ſine juſta cauſa matrimonium honeſtum impediunt; quod equidem ex reciproco amore inter contrahentes proficiſci debet, potius quam ex alio motivo dilectionem prætereunte; ut concordia, & fidelitas conſtanter ſervetur; tum quia filii impleverunt debitum ſuum.

Ad licite contrahendum requiritur etiam ſtatus gratiæ. XIII. Certiſſimum eſt, ut hoc ſacramentum digne, & licite ſuſcipiatur, requiri dum celebratur in ipſis contrahentibus ſtatum gratiæ, ex dictis de ſacramentis generatim: unde ſi forte peccato mortali inveniantur gravati, tenentur præmittere confeſſionem; vel ſaltem conari pro viribus ad actum perfectæ contritionis.

Matrimonio jungendi non ſunt qui doctrina Chriſtiana ſatis inſtructi non repeniuntur. Hac de re fuſe diſſerit S. P. Benedictus XIV. *de Synodo Diœceſana Lib. 7. cap. 29. E. R. 1746.* Refellit ipſe ſententiam illorum, qui aſſeruere, fas non eſſe Epiſcopo quemquam a matrimonio arcere, hanc ſolum ob cauſam quod doctrinam Chriſtianam ignoret, ſed dumtaxat poſſe blandis verbis, atque adhortationibus, eum inducere ad matrimonium differendum, donec Chriſtianis imbuatur inſtitutis. Refellit, inquam, hanc ſententiam, oſtenditque ei & Rituale Romanum, & S. Carolum Borromæum, & quamplurimas Epiſcopales Synodos, ac Summorum Pontificum edicta adverſari. Speciatim refert quod ſancitum eſt in Congregatione habita coram Sanct. mem. Innocentio XII. anno 1697., *nempe non eſſe a Parochis matrimonium in Eccleſia proclamandum, niſi antea ſponſos repererint in Chriſtianæ religionis rudimentis ſufficienter inſtructos*, quod quidem decretum confirmatum fuit a fel. rec. Clemente XI. in ſuo Bullario pag. 326. Ac denique, ſubdit. *Nos ipſi in noſtra Encyclica Epiſtola ad univerſos Epiſcopos (quæ eſt 42. in noſtro Bullario §. 11.) hæc ſcripſimus : Verum cum matrimonio jungendi non ſint, ſi Parochus, ut debet, prius interrogando deprehenderit, marem ſeu fœminam, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt ignorare, vix tantæ, ac tam luctuoſæ ignorantiæ locum relinquet Epiſcopus, qui Paſtores animarum admoneat Officii ſui : & huic ſi deſint, negligentiæ repetant pœnas.*

Unum tamen advertendum addit *num.* 6. quod recte, inquit, conſideravit Giribaldus *de Sacrament. Matrim. Tract.* 10. *cap.* 3. *dub.* 13. *num.* 3., nimirum, quandoque evenire, ut quis præcipua Fidei noſtra myſteria, & ſciat, & credat; cætera pariter, quæ neceſſitate præcepti ſunt addiſcenda, aliquo ſaltem rudi modo perceperit, ſed quia hebetis eſt ingenii, & exilis memoriæ, poſt omnem adhibitam diligentiam, illa memoria retinere, & recitare non valeat; in hoc autem rerum ſtatu non debet perpetuo arceri a matrimonio, quod eſt inſtitutum in officium naturæ, & propterea nemini ſine propria culpa eſt denegandum, ſed curabit Parochus ut qui eo memoriæ defectu laborat, frequenter audiat quæ ſemel craſſe didicit, ne ab ejus mente penitus elabantur. In hujuſce rei confirmationem allegat aucto-

rita-

Digitized by Google

ritatem Cardinalis Auguſtini Valerii in notis ad celeberrimas *Conſtitutiones Gibertinas*, ſcilicet editas a Joanne Matthæo Giberto Epiſcopo Veronenſi.

§. IX. *De Matrimonii indiſſolubilitate quoad Vinculum.*

Quo jure Matrimonium indiſſolubile?

I. MAtrimonii indiſſolubilitas eſt de jure naturali, pertinente, ut notavit Angelicus in q. 67. Suppl. ar. 2. ad ſecunda juris naturalis præcepta, idcirco a ſolo Deo quandoque diſpenſabilia; ſolutio enim hujuſmodi vinculi repugnat finibus matrimonii, legitimæ videlicet prolis ſuſceptioni, ejuſdemque convenienti educationi, atque animorum conjugum arctæ, & fideli conjunctioni; & quamvis non ſit conſummatum, ex ſemetipſo tamen ad hæc omnia ordinatur. Dixi cum Angelico indiſſolubilitatem hujuſmodi pertinere ad ſecunda legis naturalis præcepta, quia quæ ſunt prima hujus præcepta, immutabilia ſunt, quippe quod oppoſitum eiſdem ſit ab intrinſeco malum, & propterea ab ipſo quoque Deo, qui infinita bonitas, & juſtitia eſt, ſunt indiſpenſabilia. Poterit igitur Deus aliquando matrimonium etiam conſummatum diſſolvere quoad vinculum, tanquam ſupremus omnium creaturarum Dominus, omniumque jurium earumdem; auferendo ab ipſis jus, quod invicem habent in corpus alterius, & cum infinitæ poteſtatis ſit, ad hanc pertinebit illa incommoda impedire, quæ ex ſolutione profluere timerentur.

Quid de libello repudii veteris legis?

II. Cum autem circa hoc factum ſolutionis matrimonii, etiam conſummati, in veteri lege per libellum repudii jam conſuetum, graves exurgant controverſiæ, an revera licite fieret; idcirco S. D. in loco citato art. 3. problematice procedit, utramque opinionem referendo, tam quod id illicitum fuerit, quam quod licite fieret; quarum opinionum motiva videſis ibidem, confinia inſtituti noſtri excedentia: nobis impræſentiarum ſufficit advertere, quod ſi illicitum fuerit, magis corroboratur indiſſolubilitas naturalis; ſi vero licitum fuerit, Deus abſoluta poteſtate diſpenſaverit circa rem ad ſecundi ordinis naturalia præcepta pertinentem pro eo ſtatu legis adhuc imperfectæ, ad evitanda majora inconvenientia, quæ, ob illius gentis duram cervicem, profecta fuiſſent, ſi Matrimonium perpetuo conſtare debuiſſet.

* Relege quæ ad rem hanc addidimus *Tract. 1. Cap. 11. de legibus §. 111. n. x11.*

III. Modo certum eſt de fide, matrimonium conſummatum eſſe indiſſolubile, quoad vinculum jure Divino poſitivo Chriſti, Matthæi 19. ubi Chriſtus revocavit matrimonium ad ſui primævam inſtitutionem, & concluſit dicendo: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*; ea propter S. Paulus 1. Corinth. 7. ait: *Iis qui matrimonio juncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere; quod ſi diſceſſerit, manere inuptam, aut viro ſuo reconciliari: & vir uxorem non dimittat.* Idemque docuit Concilium Florentinum in decreto de Sacramentis: *Vinculum matrimonii legitime contracti perpetuum eſt*; & tandem Tridentinum ſeſſ. 24. can. 5. definivit: *Si quis dixerit per hæreſim, aut moleſtam habitationem, aut affectatam abſentiam a conjuge, diſſolvi poſſe matrimonii vinculum, anathema ſit*: & canone 7. *Si quis dixerit, Eccleſiam errare cum docuit, & docet, juxta Evangelicam, & Apoſtolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi; & utrumque, vel etiam innocentem, qui cauſam adulterii non dedit, non poſſe altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui, dimiſſa adultera, aliam duxerit, & eam, quæ, dimiſſo adultero, alii nupſerit, anathema ſit.* Eo quod matrimonium conſummatum ſit ſignum perfectum unionis Verbi cum humana natura, quæ unio nunquam eſt ſolvenda.

Certum eſt modo eſſe indiſſolubile conſummatum.

IV. Neque obſtare poſſunt verba Chriſti Matthæi 19. *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*; ſi recte intelligantur juxta communem Patrum, nempe: *Quicunque dimiſerit*, ſubauditur, quoad torum, & cohabitationem perpetuam, *niſi ob fornicationem, mœchatur*; ideſt eſt reus mœchiæ uxoris, *quia*, ut dixit Matth. 7. *facit eam mœchari*; *& qui aliam duxerit* ex quavis cauſa, *mœchatur*, ideſt ipſe adulterando. Verba igitur illa concedunt licitam dimiſſionem perpetuam uxoris, quoad torum dumtaxat, & cohabitationem, non quoad vinculum, ob illius fornicationem, & infidelitatem conjugalem; ideo ſubdit ſtatim, *& aliam duxerit, mœchatur*; ſi enim dimiſſio intelligeretur etiam quoad vinculum, profecto aliam ducendo, non mœcha-

Reſolvitur objectio.

Digitized by Google

charetur: qui ſenſus legitimus eſt, juxta alibi a Chriſto dicta tum Matthæi 5. tum Marci 10.

Etiam infidelium matrimonium inſolubile.

V. Etiam matrimonia infidelium non baptizatorum ſunt inſolubilia quoad vinculum, quamvis contrahantur in gradibus ab Eccleſia prohibitis, quippe qui non ſubſint Eccleſiæ legibus: taliter tamen ſubſiſtit matrimonium inſolubile, ut ex præciſa, & mera converſione alterius eorum ad fidem non ſolvatur, poſito quod infidelis pacifice, & ſine irreligioſa moleſtia cohabitare aſſentiatur: ſi autem, ut jura loquuntur, cohabitare nolit cum injuria Creatoris, ideſt aut legem Chriſti blaſphemando, aut apoſtaſiam ſuadendo alteri ad fidem converſo, aut ad alia crimina inducendo; tunc ex Dei diſpenſatione impertita Eccleſiæ in favorem Religionis, poteſt conjux converſus ad fidem reſcindere vinculum matrimonii; etiam conſummati, & ad aliud ineundum tranſire: ita ex capite *Quanto* de divortio; & matrimonium diſſolvitur eo ipſo quod fidelis aliud matrimonium ineat: nam ſi aliud non iniret, quamvis ab infideli moleſto receſſiſſet, non poſſet infidelis aliud matrimonium inire; quia ſolubilitas eſt tantummodo conceſſa in gratiam Chriſtianæ Religionis, & non in commodum infidelis injuſte vexantis: & deducitur ex Apoſtolo 1. Cor. 7. ubi de hoc ſermonem habens dicit: *Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat; non enim ſervituti*, (ideſt jugo conjugali) *ſubjectus eſt frater, aut ſoror hujuſmodi*. Et quamvis ex capite *Judæi* & canone *Sæpe* 28. *q*. 1. non pauci ſcriptores dicant, quod poſſit fidelis reſcindere matrimonium, ineundo aliud, etiam ex ſolo motivo, quod alter nolit converti, id nobis cum pluribus aliis non probatur; quia non extat motivum juſtum diſſolvendi; cum nulla inferatur injuria Religioni Chriſtianæ, ſtante promiſſione pacifice cohabitandi, & abſtinendi ab omni ſuaſione Religioni contraria.

Matrimonium in infidelitate contractum, & conſummatum, quemadmodum docet Auctor, per converſionem alterutrius conjugis diſſolvitur ex privilegio in Fidei favorem a Chriſto Domino conceſſo, & per Apoſtolum Paulum 1. *ad Cor*. 7. promulgato, ſi infidelis cum converſo cohabitare nolit, aut non ſine contumelia Creatoris, nimirum non ſine periculo ſubverſionis conjugis Fidelis, vel non ſine execratione ſanctiſſimi nominis Chriſti, & Chriſtianæ Religionis deſpicientia. Non eſt tamen integrum, ut animadvertit Summus Pontifex Benedictus XIV. *De Synodo Diœceſana lib. 6. c. 4. num.* 3. E. R. 1748, conjugi converſo tranſire ad alia vota, prius quam infidelis interpellatus, aut abſolute recuſaverit cum eo cohabitare, aut animum ſibi eſſe oſtenderit, cum illo quidem cohabitandi, ſed non ſine contumelia Creatoris; uti colligitur ex celeberrima Decretali Innocentii III. *in cap. Quanto de Divortiis*. Et ſi conjux infidelis, ſeu in ſua infidelitate remanens abſit, vel lateat, ita ut interpellari non poſſit, juxta ſententiam magis receptam, cui & Sacra Congregatio Concilii adhæſit in quadam cauſa Florentina diſcuſſa 17. *Januarii* 1722., neceſſaria eſt diſpenſatio Summi Pontificis, cujus eſt declarare, an in quibuſdam circumſtantiis deſit obligare præceptum Divinum, quo prædicta interpellatio ante reſciſſionem matrimonii videtur injuncta.

Quamvis autem non deſint, qui ſentiant, interpellato conjuge infideli a fideli, eoque aut expreſſe abnuente legitime cohabitare, aut intra terminum ſibi in interpellatione præfixum, nihil reſpondente, illico diſſolvi conjugium, quo erant ambo conſtricti; attamen recentiores Theologi, & Canoniſtæ ferre communiter ſuſtinent, non dirimi primum matrimonium, antequam converſus ad fidem aliud ineat; ita ut ſi infidelis aliud contrahat; & convertatur, ad priorem conjugem innuptum redire debeat; a qua ſententia, ut refert laudatus S. Pontifex Benedictus XIV. *loco cit. n.* 4. ne latum quidem unguem S. Congregatio receſſit. Et hanc etiam Auctor propugnat.

Alia exorta fuit controverſia, an Papa jus habeat primum matrimonium in infidelitate contractum, & conſummatum, ſuprema ſua auctoritate relaxandi, & permittendi, ut poſterior converſus maneat in ſecundo matrimonio, ſeu cum ſecunda uxore. Hæc quoque controverſia diſcuſſioni S. Congregationis propoſita fuit, ſed indeciſa remanſit, & eadem S. Congregatio ſatius duxit a ſententia ferenda ſe abſtinere, ſicuti idem S. Pontifex renunciat *n*. 5.

Duæ ejuſdem S. Pontificis Conſtitutiones ad rem hanc pertinentes hic ſummatim referre operæ pretium exiſtimamus. In prima edita *die* 6. *Januarii* 1745. quæ incipit *In Suprema*, quæque habetur *Tom*. 1. *Bullarii n*. 117. facultatem conceſſit Se-

Digitized by Google

dis Apoſtolicæ in Dominio Venetorum Nuntio pro tempore exiſtenti diſpenſandi cum Neophytis in Loco Pio Catechumenorum Venetiis ad fidem converſis ſuper interpellatione prioris Conjugis in Infidelitate relicti ad effectum contrahendi Matrimonium cum Fideli. „ De Venerabi„ lium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Car„ dinalium (ſic Martino Jnnico Carracio„ li Archiepiſcopo Chalcedonenſi tunc A„ poſtolico Nuntio Venetiis commoranti) „ Generalium Inquiſitorum adverſus hæ„ reticam pravitatem Auctoritate Apoſto„ lica deputatorum conſilio, Fraternitati „ Tuæ, & pro tempore exiſtenti Nuntio „ Venetiarum, ut cum quibuſcumque u„ triuſque ſexus Neophytis, vel Infideli„ bus, vel Judæis, vel Turcis aliiſque „ perſonis cujuſcumque ſectæ hujuſmodi „ in dicto Loco Pio pro tempore exiſten„ tibus, ſeu in illum prius receptis & „ admiſſis, ac poſtmodum inde egreſſis „ vere ad fidem converſis, qui ante Ba„ ptiſmum Matrimonia, ut præfertur, „ contraxerint, ut eorum quilibet, etiam „ ſuperſtite Conjuge Infideli, Judæo, & „ Turca etiam ejus conſenſu vel requiſi„ to, & non expectato, vel minime re„ quiſito; dummodo etiam Tibi conſtet, „ ſummarie, & extrajudicialiter conju„ gem abſentem moneri legitime non poſ„ ſe, aut monitum, intra tempus in mo„ nitione præfixum ſuam voluntatem ſi„ gnificare neglexiſſe, matrimonium cum „ quovis Fideli, & catholico, præmiſſis „ prius proclamationibus, ſeu denuntia„ tionibus a Concilio Tridentino præſcri„ ptis, in faciem Eccleſiæ rite contra„ here, ac carnali copula conſummare, „ & in matrimonio ſic contracto, quoad „ vixerint remanere licite, & libere poſ„ ſint, Auctoritate Noſtra Apoſtolica di„ ſpenſes, & indulgeas. Præterea ma„ trimonia inter Neophytos hujuſmodi, „ & alios Fideles, & Catholicos alias ri„ te contracta, etiamſi poſtmodum inno„ tuerit, priores conjuges Infideles, vel „ Turcas, aut Judæos, nonnullis legiti„ mis impedimentis detentos, ſuam vo„ luntatem ſignificare minime potuiſſe, „ vel ad fidem etiam tempore ſecundi „ matrimonii converſos fuiſſe, ullo un„ quam tempore reſcindi minime debe„ re, ſed illa ſemper firma, valida, & „ inviolabilia exiſtere, & fore, dicta au„ ctoritate decernas, & declares, ple„ nam & amplam facultatem & pote„ ſtatem, eadem auctoritate tenore præ„ ſentium, tribuimus & impartimur; „ ſalva tamen ſemper in præmiſſis au„ ctoritate Congregationis eorumdem Car„ dinalium. Non obſtantibus Apoſtolicis, „ ac in Univerſalibus, Provincialibuſ„ que, & Synodalibus Conciliis editis „ generalibus, vel ſpecialibus Conſtitu„ tionibus, & ordinationibus, cæteriſ„ que contrariis quibuſcunque. " Hæc eadem facultas aliis etiam data fuit a pluribus Summis Pontificibus Prædeceſſoribus.

In altera vero Conſtitutione publicata die 30. *Septembris* 1747, cujus initium eſt *Apoſtolici Miniſterii*, quæque extat *Tom.* 2. *Bullarii num.* 83. poſtquam retulit Theologorum, & Canonici juris Conſultorum opiniones circa celebrem quæſtionem, quando ſolvatur Matrimonium contractum ab Hebræo cum Hebræa, quæ ſe convertere recuſat; & quando converſus novum matrimonium cum muliere Chriſtiana, & quando Hebræus cum Hæbrea contrahere poſſit, ſic ſancit: „ Sed „ quidquid ſit de hujuſmodi controver„ ſiis, quæ inter Theologos, & juris „ canonici profeſſores diſceptantur; de „ quibus nihil nos definire intendimus, „ ſingulas illorum ſententias eo loco, „ quo ſunt, relinquentes, cum Noſtra „ mens & voluntas nequaquam ſit, ali„ quid nunc definire de matrimonio, quod „ a muliere Hebræa contrahitur, poſtea„ quam nolle ſe chriſtianæ Fidei nomen „ dare, declaravit: ſed ſolum motu pro„ prio, ex certa ſcientia, & plenitudine po„ teſtatis tenore præſentium volumus, „ & intendimus, ac jubemus, ut cum ali„ quis Hebræorum chriſtianam veritatem „ amplexus fuerit, non prætermittatur „ interpellatio mulieri more recepto fa„ cienda, an velit, nec, ne ſe ad Chri„ ſtum convertere, dummodo tamen ex „ aliqua gravi cauſa, vel a Nobis, vel a „ Romanis Pontificibus Succeſſoribus no„ ſtris, non cenſeatur hujuſmodi interpel„ latio omittenda, ut videre licet in no„ ſtra Conſtit. *In Suprema* data die 26. „ *Januar. anno* 1745. *quæ eſt* 217. *in* „ *Tom.* 1. *noſtri Bullarii*; immo expreſſe „ vetamus, prohibemus, ac interdicimus, „ ne converſi quovis tempore, & quovis „ modo, ſive in Judæorum domicilio, nem„ pe *Ghetto*, Rabbinico ritu, ſive extra „ coram Notario, & Teſtibus Chriſtianis, „ libellum repudii uxoribus, quæ inter„ pel-

„ pellatæ recuſant ſe convertere, aut, „ ommiſſa vigore diſpenſationis ejuſmodi „ interpellatione, quia ex probabili conje- „ ctura creditum eſt, minime ſe ad Chri- „ ſti Fidem converſuras, dare, ſcribere, „ aut mittere audeant, & poſſint. „ Deinde pœnas contra delinquentes ſtatuit, & quidem ſi quis Neophytus Rabbinicis ſuperſtitionibus inveniatur dediſſe Uxori recuſanti ſe convertere repudii libellum, in eum tanquam *Judaizantem* animadvertendum eſſe pronunciat; ſi autem id fecerit coram Notario, & Teſtibus Chriſtianis minori pœna plectendum eſſe, qua plecti debet qui intra ipſum *Ghetto* Rabinicis ſuperſtitionibus libellum repudii ſcripſerit. Declarat tandem, quod dictum eſt de marito erga uxorem, intelligendum eſſe etiam de uxore erga Maritum.

Caſus reſolvitur. VI. Si autem vir infidelis, qui convertitur, habeat plures uxores, illam retineat, ſi cohabitare velit pacifice, quæ prima ducta fuit, cum qua dumtaxat valide contraxit; quia in præſenti Religionis ſtatu, poſt adventum Chriſti ſupremi omnium Domini, ejuſque declarationem, matrimonium ab ipſo reductum fuit ad primævam ſui inſtitutionem, ut uni unus conjungatur; quæ lex cunctos homines afficit, utpote lex ſupremi omnium Domini: & propterea etiam infideles invalide contrahunt ſecunda matrimonia ſimultanea poſt primum, quod ſolum validum eſt.

§. X. *De diſſolubilitate Matrimonii Rati tantum.*

Quomodo diſſolvatur matrimonium ratum? I. MAtrimonium fidelium baptizatorum ratum dumtaxat, ideſt nondum conſummatum, licite diſſolvitur quoad vinculum per profeſſionem ſolemnem Religionis ab Eccleſia approbatæ: ita ex capite *Verum*, & ex capite *ex publico* de converſione conjugatorum. Immo Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. can. 6. id de fide definivit: *Si quis dixerit, matrimonium ratum, non conſummatum, per ſolemnem profeſſionem alterius conjugum non dirimi, anathema ſit*. Quandoquidem hæc conditio, niſi Religionem profiteatur ante conſummationem, Eccleſiaſtico jure ſaltem, & forte etiam divino, imbibita cenſetur in contrahendo, ob communis boni felicitatem, nempe eligendi ſtatum pro anima perfectiorem, cui altera pars cedere debet jus ſuum particulare; præcipue quia abſque ulla honeſtatis ſuæ jactura cedit illud.

II. Et nota, non ſufficere ſolum Religionis ingreſſum, ſed expectandam eſſe profeſſionem ejuſdem, qua emiſſa, alter relictus poteſt ad novas nuptias convolare. Nota præterea, duorum menſium tempus concedi conjugibus ad conſummandum ex debito matrimonium, ita ut neuter poſſit ab altero obligari ad conſummandum ante duos menſes; quibus elapſis a die celebrati matrimonii, injuſte negaret debitum petenti illud, graviterque peccaret denegando. Si tamen etiam ad plures alios menſes protraheret, quamvis illicite, denegationem debiti, nec matrimonium conſummaret, idque probare valeret; adhuc Religionem ingredi, & profiteri poſſet. Notanda.

Solvuntur duo objecta. III. Neque obeſt juſſio Chriſti: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*; quæ intelligitur de matrimonio conſummato; dixerat namque immediate ante hæc verba; *Quia jam non ſunt duo, ſed una caro*, quod de matrimonio dumtaxat conſummato verum eſſe poteſt. Neque ſimiliter obeſt, quod matrimonium etiam ratum ſignificet conjunctionem Chriſti cum Eccleſia. Nam duplex eſt Chriſti cum Eccleſia conjunctio, una per charitatem, altera per incarnationem: prima ſolubilis eſt, non ex parte Chriſti, ſed ex parte membrorum Eccleſiæ, quæ membra, ob ſui incoſtantiam in bono, facillime ſolvunt erga Chriſtum charitatis vinculum; cujus conjunctionis ſymbolum eſt matrimonium ratum: ſecunda autem conjunctio per incarnationem inſolubilis eſt; & hujus conjunctionis ſymbolum eſt matrimonium dumtaxat conſummatum.

Reſolvitur caſus occurrens. IV. Si uxor intra bimeſtre denegans debitum, quia cogitat de ingredienda, & profitenda Religione, vi opprimatur a Marito, ſi revera ſemper reſiſtat, plures rationabiliter dicunt apud Sanchez lib. 2. diſp. 22. num. 6. non privari privilegio ingrediendi, & profitendi Religionem inter viduas; cum nemo ſine ſua culpa, & multo minus per injuriam alterius, privandus ſit jure ſuo. Maritus autem graviſſime peccaret id agendo contra juſtitiam; & propterea ipſe, poſt profeſſionem uxoris, non remaneret liber ad contrahendum aliud matrimonium, quia ex parte ſui illud conſummavit, & vinculum inſolubile ſubiit.

Caſus alter reſolvitur. V. Interrogabis, an poſſit licite infra bimeſtre debitum denegare conjux ille, ad merum finem utendi jure ſuo, quin cogitet de profitenda Religione? Pontius lib. 6. cap.

Digitized by Google

6. cap. 1. cum aliquibus reſpondet, adhuc licite poſſe, quia forte eo tempore vocabitur a Deo ad ſtatum Religionis; poterit igitur debitum negare, ne impedimentum ponat vocationi forte adventuræ. Sed probabilior cum Navarro, Angelo, apud Laymanum cap. 6. §. 2. docet, non poſſe licite debitum negare, niſi revera de Religione ingredienda, & profitenda aliquid ſaltem animo revolvat; quia privilegium negandi debitum eſt conceſſum ex ſolo motivo favendi cogitanti de Religione profitenda. Putarem nihilominus utramque opinionem conciliari poſſe, addendo quod ſi nil cogitans de Religione ingredienda, prævideat periculum incontinentiæ in altero conjuge, aut hunc valde irritandum, & ex hoc amorem conjugalem aut valde tepefaciendum, aut extinctum iri; quæ inconvenientia ſunt pluſquam probabiliſſima; vera dubio procul ſit ſecunda opinio; & teneatur conjux ad reddendum debitum titulo gravi charitatis Chriſtianæ; his enim malis prævifis, non poteſt non eſſe tyrannica, & irrationabilis denegatio debiti cum manifeſto periculo animæ conjugis inſtanter petentis. Si autem conjux petens eſſet adeo mirabilis modeſtiæ, moderationis, & patientiæ, ut ex debiti denegatione conſtanti, nullum certo moraliter prævideatur ex indicatis inconvenientibus ſecuturum; poterit forte eſſe vera prima opinio; at conjugem recentem hujus indolis quis inveniet? In praxi igitur puto, non recedendum a ſecunda opinione: quando itaque conjux recens cogitat de Religione profitenda, ſincere id alteri manifeſtet, ut cognito juſto, & pio denegationis debiti motivo, præcludatur aditus inconvenientibus memoratis.

Caſus alter reſolvitur. VI. Forte dices: ſi tale eſt jus bimeſtris, poterit igitur quis licite matrimonium inire cum hoc poſitivo animo ingrediendi Religionem infra bimeſtre, & interea negandi debitum alteri conjugi? Reſpondeo cum communi, mortaliter peccare illum, qui cum tali animo contrahit matrimonium: tum quia in circumſtantia valde notabili decipitur alter contrahens, cui ſi id innotuiſſet, certe non contraxiſſet; tum quia gravatur notabiliſſimo incommodo expectandi, donec alter Religionem profiteatur; tum quia datur aditus ſuſpicandi; quod conjux relictus fuerit ob aliquod vitium antea ignotum; tum denique, quia ſi religionem ingrediens non profiteatur, & cogatur reverti ad conjugem relictum, difficile reſurgere poterit extinctus amor; quorum omnium inconvenientium eſt cauſa directa: ad differentiam illius conjugis, cui poſt celebratum matrimonium inſurgit inſpiratio Religionis profitendæ, qui dumtaxat indirecte, per accidens, & permiſſive ſe habet ad relata inconvenientia.

VII. An autem matrimonium ratum ſolvi poſſit per diſpenſationem Pontificis, varie opinantur pro utraque parte Doctores. Nobis adhærendum videtur graviſſimis S. Antonino 3. p. tit. 1. cap. 21. §. 3. Silveſtro, Navarro, Medinæ, Suarez, Bellarmino, & aliis apud Sanchez lib. 2. diſp. 14. nu. 3. dicentibus, ob graviſſimam cauſam Pontificia prudentia diſcernendam poſſe ſolvi: Ratio eſt, quia id fecere Martinus V. & Eugenius IV. teſte S. Antonino: Pius II. & Pius IV. teſte Navarro, Gregor. XIII. teſte Præpoſito, Clem. VIII. & Urban. VIII. teſte Conrado: atqui valde injurioſum eſt Sedi Apoſtolicæ aſſerere, tot Pontifices egiſſe, quod fieri non poterat; igitur, &c. Inſuper, etiam juxta adverſarios, poteſt Pontifex diſpenſare ex graviſſima cauſa vinculum profeſſionis Religioſæ, quod eſt longe fortius vinculo matrimonii rati, eo quod per profeſſionem diſſolvatur, ut diximus, matrimonium ratum; ergo etiam poterit, ex juſta cauſa hoc idem diſſolvere. Si dicas, Eccleſiam nihil poſſe circa Sacramenta: Reſpondeo id verum eſſe de Sacramentis ab humano contractu independentibus; ſecus de hoc, quod contractui humano innititur, in eoque fundatur; & idcirco directe diſſolvit contractum, & exinde Sacramentum, quod nondum habet completam ſui ſignificationem conjunctionis Chriſti per Incarnationem. *An poſſit ſolvi ex diſpenſatione Pontificis?*

§. XI. *De diſſolubilitate matrimonii quoad Torum.*

I. MAtrimonii conſummati diſſolutio quoad torum, conjugali vinculo remanente, duas cauſas legitimas recognoſcit; nempe majorem vitæ perfectionem, & crimen alterius conjugum. Major vitæ perfectio eſt prima cauſa licita, nempe ſi ambo conjuges Religioſum ſtatum aſſumant; ſi unus de licentia alterius Religionem ingrediatur, & profiteatur; in quo caſu alter remanens in ſæculo, tenetur emittere votum perpetuæ caſtitatis; ita ex capitibus 4. & 8. de converſione conjugatorum: ut igitur cautius agatur, antequam con- *Duæ cauſæ diſſolutionis quo ad Torum.*

Digitized by Google

conjux Religionem ingrediatur, optimum erit, ut remanens in ſæculo coram teſtibus ſpondeat, ſe emiſſurum votum caſtitatis, ſtatim ac alter profeſſionem emiſerit. Si autem remanens in ſæculo, quamvis non ſine mortali, ſervare fidem recuſet. & nolit amplius caſtitatem vovere, & ex ejus ætate prævideantur ſcandala adulteriorum oritura; dicit Sanchez lib. 5. tract. 10. part. 3. cap. 5. teſtans eſſe communem opinionem, teneri Epiſcopum reſtituere conjugi illi male feriato conjugem profeſſum, ad debitum eidem reddendum, non ad petendum; & defuncto illo conjuge, vel eo in ſe reverſo, & votum emittente, teneri ad revertendum in Religionem: ita poſtulante communi bono, & ſcandalorum præcluſione.

* S. P. Benedictus XIV. *de Synod. Diœceſ. lib.* 13. *cap.* 12. plura ad rem hanc habet ſcitu digna. In primis *num.* 10. decernit, quod noſtris temporibus, ſi de matrimonio agatur conſummato, nequit uxor ſine conſenſu viri, aut vir ſine conſenſu uxoris, religioſam, & clauſtralem vitam amplecti, quemadmodum perſpicue infertur ex Decretali Alexandri III. *in Cap. Verum de converſat. conjug.* Addit autem, conſenſum hujuſmodi liberum eſſe oportere ac plene voluntarium; ſi enim, *ait*, fuiſſet per vim, metumve extortus, poſſet utique, qui ipſum præſtitit, alterum conjugem, licet jam in clauſtris incluſum, ex iis revocare, ut reſcripſit Innocentius III. in Decretali *Accedens*, *eodem tit.*. Et quamvis, *ſubdit*, etiam conſenſus omnino fuiſſet liber, inſuperque conjux, monaſterium ingreſſus, Religioſam profeſſionem emiſiſſet, ſi alter conjux, ea quæ ſacris canonibus conſtituta ſunt, ex parte ſua non præſtet, integrum ipſi eſt, profeſſum e clauſtro revocare, licet Profeſſio ab eo valide emiſſa fuerit juxta celebre reſcriptum laudati Pontificis Alexandri III. in Decretali *Præterea*, *de converſat. conjug.* Quod & docet Auctor *n. præced.* Deinde idem S. P. *num.* 11. adnotat, duo eſſe a ſacris canonibus præſcripta. Primum, ut ſi alter conjugum velit in monaſterium ſeſe recipere, ibique ſe Deo devovere, id ei nullatenus concedatur, niſi alter quoque conjux cœnobium ingrediatur, & in eo Regularem Profeſſionem emittat; ut conſtat *ex can. Quia Agatho*, 27. *quæſt.* 2. cui alii etiam canones conſonant. Hæc eſt, *inquit*, prior regula a jure Canonico tradita. Sequitur altera, quam prioris limitationem merito dixeris; qua nimirum ſancitur, poſſe alterum conjugem, poſt matrimonium etiam conſummatum, fieri Religioſum, licet alter ejus veſtigia ſequi detrectet; dummodo tamen hic provectæ ætatis ſit, ab omni incontinentiæ ſuſpicione immunis, &, ſi inter ſeculares verſari maluerit, ſimplici caſtitatis voto ſe obſtringat; his quippe poſitis peculiaribus circumſtantiis, alteri ex conjugibus, fit facultas ingrediendi Religionem, alteri vero manendi in ſeculo, veluti proſequitur Alexander Pontifex in præcitata Decretali *Cum ſis de converſat. conjug.* Inſuper *n.* 13 ex eo quod modo dictum eſt, videlicet, quod dum uxor Religioſam in Monaſterio vitam amplectitur, ſatis eſt ut vir in ſeculo ſe ſimplicis caſtitatis voto obſtringat, ſi ab omni incontinentiæ ſuſpicione, maxime per ætatem vindicetur; infert, poſſe etiam in tali caſu, ſi velit, ad ſacrum Ordinem, indeque ad ſacerdotalem gradum in ſeculo conſcendere; ſi enim, *ait*, lex ipſi in tali caſu indulget, ut ſimplici caſtitatis voto illigatus in ſeculo permaneat, cumulatius legem implet, ſi ſacris Ordinibus initietur; cum caſtitatis votum ſacris Ordinibus adnexum, ſolemne ſit & habeatur. Præterea *n.* 14. cenſet, non ſufficere, ſi, muliere Religionem ingreſſa, alter conjux nec ætate grandævus, nec ob alias circumſtantias ab incontinentiæ ſuſpicione remotus, ſacros ſuſcipiat Ordines; ideoque exiſtimat non ſatis tuto egiſſe aliquos Epiſcopos, qui quandoque facultatem fecerunt ad ſacros Ordines conſcendendi viro licet juniori, cujus uxor a ſanctimonialium vitam amplectebatur; longeque rectius fuiſſe facturos aſſerit, ſi, ubi peculiares facti circumſtantiæ id ſuadere viderentur, eoſdem monuiſſent, ut opportunam a Sede Apoſtolica diſpenſationem implorarent, cum nulla de hoc Pontificia extet definitio. Demum *n.* 15. ob oculos ponit quod ſtatutum fuit in Congregatione particulari habita coram fel. record. Innocentio Papa X. nimirum, quod, ſi legitime probatum fuerit adulterium uxoris, & hæc dein Religioſam in Monaſterio vitam eligat, non cogitur vir licet florens ætate, Religionem ingredi, ſed ſatis eſt, ut ab eo ſimplex caſtitatis votum in ſeculo nuncupetur. Quin & in eo caſu, ſi ex Epiſcopi teſtimonio conſtet, virum in ſeculo manentem vitæ eſſe probatæ, conceditur illi per indultum, ut nullo ſe caſtitatis voto obliget,

Digitized by Google

get, adeo ut poſt uxoris mortem valeat ad alias nuptias tranſire. Ita ex reſolutis a Congregatione. *Ibidem num.* 16.

Quid quando ſine licentia profiteatur Religionem? II. Si unus conjugum, ſine licentia alterius, Religionem profiteatur ſincere, & bona fide, nihilominus nulla eſt profeſſio, ex capite *quidam*, & ex capite *accedentes* de converſione conjugatorum: unde tenetur reverti ad relictum conjugem, ita exigente juſtitia, ut patet: Et ſi conjux ille relictus moriatur ante alterum male profeſſum, hic non tenebitur ad Religionem reverti, cum ex profeſſione invalida non oriatur debitum redeundi; non tamen poterit novum matrimonium inire; quia cum ſincere, & bona fide profeſſionem illam, quamvis irritam, emiſerit, vovit caſtitatem, quo voto, quia ſincere facto, præſumitur ſe voluiſſe obligare quantum poterat, & eo modo quo poterat; cum autem ſe obligare potuerit ad non petendum debitum, & ad ſervandam continentiam; idcirco præſumitur, quod ſi ſincere voverit, cum ad hæc duo obligare tunc ſe potuerit, ita de facto ſe obſtrinxerit, nempe ad non petendum debitum, vivente conjuge, & ad continentiam ſervandam, eo defuncto. Caute tamen monet Pontius lib. 9. cap. 11. n. 4. & alii poſt ipſum, hanc eſſe præſumptionem fori, & ita tenendum, poſito quod præfatum animum habuerit vovendi ea quæ poterat, etiam independenter a profeſſione Religioſa: quod ſi intentionem habuerit vovendi caſtitatem dependenter a profeſſione Religioſa, & non aliter, tunc docent, quod nec teneatur abſtinere a petitione debiti, conjuge vivente, neque ab ineundo alio matrimonio, ipſo defuncto; quia præſumptio juris, & fori cedere debet foro veritatis, & conſcientiæ; cum votum non ſe extendat ultra intentionem voventis.

Diſſolvitur quoad torum per ſuſceptionem Ordinis Sacri. III. Solvitur etiam licite matrimonium conſummatum quoad torum, ſi vir de licentia uxoris Ordines Sacros ſuſcipiat, dummodo & ipſa, modis ſupra dictis, caſtitatem voveat: ita ex juribus paulo ante indicatis. Id autem intelligas hoc modo: nempe, ſi, viro de conſenſu uxoris Sacros Ordines ſuſcipiente, uxor ſit jam quinquagenaria, & vir ſeptuagenarius, ſufficiet, ut uxor emittat votum caſtitatis perpetuæ coram teſtibus: ſi vero ſint ætate hac minores, debet uxor, præter emiſſum votum, etiam ingredi monaſterium, ut ex Sacris Canonibus docet communis cum Guttierez, Sanchez, Pacejordano, & aliis; nam alioquin non ſatis provideretur periculis incontinentiæ: & cum iſtæ leges fundentur non in præſumptione facti, ſed in præſumptione juris, ſeu periculi, ſunt ab omnibus obſervandæ, etiamſi in aliquo particulari caſu hæc pericula non extarent, ut diximus in tractatu 1. cap. 2. §. 5. nu. 13. 14. & 15. Addunt quidam, quod ſi uxor poſt mortem viri ordinati, illicite contrahat matrimonium, invalide etiam contrahat, quod non verificatur, ſi contrahat poſt mortem viri dumtaxat profeſſi, & non ordinati: alii e contra dicunt, in utroque caſu eſſe quidem illicitum, ut patet, ob votum violatum, attamen validum: pro prima, vide Azorium part. 1. lib. 3. cap. 14. pro ſecunda Pontium lib. 7. cap. 25. & elige quam rationabiliorem judicabis. Interea attente nota, quod ſi vir de uxoris licentia ad Epiſcopatum aſſumatur, illa prius teneatur ingredi Religionem, aliter non ſit aſſumendus, ita ex ſpeciali capite *Sane* de Converſione Conjugatorum: vide Sanchez diſp. 41. Demum qui ſine uxoris licentia Sacros ordines recipit, præter peccatum mortale, incurrit Irregularitatem, ex Extravaganti antiqua de voto: unde neque poteſt miniſtrare in ordine recepto, neque ad altiores promoveri, neque ad beneficium, neque ad officium Eccleſiaſticum: & tenetur ad uxorem, petentem reditum, reverti, & debitum reddere petenti, non autem poteſt ipſo petere ob votum emiſſum; cum enim ordo ſit valide ſuſceptus, votum quoque tenet in his, in quibus ſervari poteſt.

* Legatur S. P. Benedictus XIV. *loco ſupra citato n.* 16. ubi refert conceſſum eſſe etiam aliquando viro ſexagenario majori, ut ad Sacerdotalem gradum aſcendere poſſet, dummodo uxor fere ſexagenaria perpetuam caſtitatem voveret. Item conceſſum eſſe etiam, ut vir ſeptuagenarius de conſenſu uxoris acciperet ſacros Ordines, & uxor paris ætatis Tertiariæ habitum indueret, hac tamen ſuperaddita conditione, ut diverſas omnino ædes incoierent.

IV. Altera cauſa licita diſſolutionis quoad torum eſt votum caſtitatis ab utroque conjuge de reciproca licentia emiſſum, quod tamen antequam emittatur, multa & matura conſultatione cum viris doctis probis, & prudentibus indiget. Altera cauſa votum caſtitatis utriuſque conjugis.

V. Alia demum cauſa licita eſt electio ſimultanea conjugum vivendi in ſtatu continen- Altera cauſa propoſiti

Digitized by Google

tum continentiæ. tinentiæ ſine voto; & etiam hæc matura conſideratione indiget, quamvis non tanta ac votum, ne tepeſcat concordia, & amor; & ne reſpectus humanus inducat ad quærenda illicita extra matrimonium, quæ in matrimonio haberi licite poſſunt.

Crimina juſti divortii faciendi. VI. Solutio matrimonii quoad torum, criminis cauſa; licite fieri poteſt ab innocente in perpetuum, ob adulterium, fornicationem, beſtialitatem, ſodomiam, inceſtum alterius conjugis: ex capitibus 5. & 8. de Divortiis. Immo tenetur quandoque maritus ad divortium faciendum; quando uxor non reſipiſcit, ne participet in crimine cum eadem; ita S. Thomas q. 62. Supplem. a. 2. *Si autem uxorem non pœniteat, tenetur dimittere, ne peccato conſentire videatur, dum correctionem debitam non apponit.*

Caſus in quibus nequit attentari ſolutio tori. VII. Angelicus in articulo primo loci citati ſeptem caſus recenſet, in quibus non licet conjugem quoad torum dimittere: *primus eſt, ſi ipſe vir ſimiliter fornicatus fuerit: ſecundus, ſi ipſe uxorem proſtituerit: tertius, ſi uxor virum probabiliter mortuum credens, propter longam ejus abſentiam alteri nupſerit: quartus, ſi latenter cognita ab aliquo fuerit ſub ſpecie viri lectum ſubintrante: quintus, ſi fuerit vi oppreſſa: ſextus, ſi reconciliavit eam ſibi poſt adulterium perpetratum, carnaliter eam cognoſcens: ſeptimus, ſi matrimonio in infidelitate utriuſque contracto, vir dederit uxori libellum repudii, & uxor alteri nupſerit; tunc enim ſi uterque convertatur, tenetur eam vir recipere*. Secundo caſui addendum eſt, ex communi, vel ſi occaſionem adulterandi dederit, denegando pertinaciter ei debitum decenter petitum: & iſti caſus variis textibus juris confirmantur.

✠ Non poteſt conjux alter, ut *primo loco* cenſet S. Thomas, conjugem ob adulterium quoad torum dimittere, ſi ipſe ſimiliter adulterium commiſerit. Eſt autem animadvertendum, non referre quod alter altero prius graviuſque, aut ſæpius ceciderit. Quippe etſi in crimine deſit paritas quoad numerum, aut malitiam, eſt tamen paritas quoad conjugalis fidei violationem, quam jura præcipue attendunt, & ut radicem divortii aſſignant. Inſurgit vero difficultas, an valeat is qui occulte ſolum peccavit, ab ea quæ publice delictum commiſit ſeparari, aut ſaltem ei debitum denegare? Negant SS. Thomas, & Bonaventura, & cum illis plures; quia *ajunt*, non videtur, quod pari crimine infectus, alium de eodem punire poſſit. Quia tamen aliquando fieret, ut maritus alioquin parum patiens, non reclamando ſeipſum de adulterio ſuſpectum redderet, addunt Canoniſtæ nonnulli, poſſe eum ſe gerere quaſi qui injuriam publice innocenti condonet; immo, *inquiunt*, ſi ob publicum ſcandalum teneretur publice nocentem dimittere, dimittere deberet ad breve tempus, & iterum recipere ſimulando injuriæ condonationem, vel potius injuriam, qua parte publica eſt, vere condonando. Quod *ſi vir egiſſet pœnitentiam, & uxor nollet agere, ſed perſeveraret in adulterio, poſſet ſine peccato accuſare, & dimittere*, ait S. Antoninus relatus a Petro Colet *Inſtit.* Theol. *tom.* 3. *tract. de Decal. cap.* 4. *de IV. Decal. præcept. art.* 4. *ſect.* 1.

Item non poteſt conjux, ut *ſexto loco* docet S. D., compartem adulteram dimittere, cum ſuum ipſi crimen condonavit. Eſt autem obſervandum, quod conjux innocens poteſt nocenti adulterium condonare vel *expreſſe*, cum in verbis aut litteris manifeſte indicat ſe delictum remittere; vel *tacite*, quod fit 1. cum conjugem ad copulam admittit. 2. Cum ei amicitiæ ſigna ſeu licita, ſeu prohibita concedit. 3. Cum eum, non obſtante criminis notorietate, retinet domi; niſi tamen retineat vel ex ignorantia juris ſui, vel ex male fundato judicis præcepto, vel ex metu præjudicii ſibi imminentis. Ceterum prædicta ſigna idem operantur poſtquam partes judiciali ſententia ſeparatæ ſunt, ac ante; quia ſemper licita eſt condonatio, extra caſum ſcandali. Sic præcitatus Colet *ibidem*. Vide quæ habentur infra §. 13. *num.* 16.

Addendum vero cum eodem, quod ſi conjugibus poſt alterius adulterium reconconciliatis, fornicetur qui ante innocens alterum dimiſerat, poterit is vice ſua dimitti; quia prior injuria fuit omnino deleta per reconciliationem. Æquum tamen eſſet, ſubdit merito idem, ut qui ſibi reſipiſcenti pepercit, & ei parceret reſipiſcenti.

VIII. In Articulo 3. loci citati docet Angelicus; *Quod vir poteſt uxorem dimittere dupliciter: uno modo quoad torum ſolum, & ſic poteſt eam dimittere, quam cito ſibi conſtat de fornicatione uxoris, proprio arbitrio; nec tenetur reddere debitum exigenti, niſi per Eccleſiam compellatur; & taliter reddens nullum præjudicium* Nonnullæ animadverſiones Angelici valde notandæ.

ſibi

Digitized by Google

ſibi facit. Alio modo quantum ad torum, & cohabitationem; & hoc modo non poteſt dimitti, niſi judicio Eccleſiæ; & ſi alias dimiſſa fuerit debet cogi ad cohabitandum, niſi poſſet ei vir inconti ti fornicationem probare: hæc autem dimiſſio divortium dicitur; & ideo concedendum eſt, quod divortium non poteſt celebrari ſine judicio Eccleſiæ: Ita etiam ex capitibus 3. & 6. de divortiis: & nota, quod pars dimiſſa non poteſt abſque alterius licentia ingredi Religionem, vel Ordines Sacros ſuſcipere; quia dimittenti remanet jus iterum vocandi partem dimiſſam. Monet inſuper Angelicus in articulo 4. *Quod in cauſa divortii vir & uxor ad paria judicantur, ut idem ſit licitum, & illicitum uni quod alteri; non tamen pariter judicantur ad illa, quia cauſa divortii eſt major in uno quam in alio; cum tamen in utroque ſit ſufficiens cauſa ad divortium. Divortium enim pœna eſt adulterii, in quantum eſt contra bona matrimonii. Quantum autem ad bonum fidei, ad quam conjuges ſibi invicem tenentur, tantum peccat contra matrimonium adulterium unius, ſicut adulterium alterius: & hæc cauſa inutroque ſufficit ad divortium. Sed quantum ad bonum prolis plus peccat adulterium uxoris quam viri: & ideo major eſt cauſa divortii in uxore, quam in viro, & ſic ad æqualia, ſed non ex æquali cauſa obligantur; nec injuſte; quia in utroque eſt cauſa ſufficiens ad hanc pœnam: ſicut eſt etiam de duobus, qui damnantur, ad ejuſdem mortis pœnam, quamvis alius altero gravius peccaverit.*

✠ Utique, ſicut optime aſſerit Auctor, pars dimiſſa ob adulterium nequit abſque alterius licentia ingredi Religionem, vel (poſito quod ſit vir) Sacros Ordines ſuſcipere; quia dimittenti remanet jus iterum vocandi partem dimiſſam. At non eadem eſt innocentis conditio. Huic licitum eſt edere votum ſimplex caſtitatis, vel Ordines recipere, vel ingredi Religionem, ibique irrevocabiliter profiteri, poſt divortii ſententiam. Verum ſequentia & in favorem partis adulteræ adiicere libet. Si hæc, peracta biennio toto pœnitentia, adhuc rejiciatur ab innocente, poſtquam innocentem Epiſcopus, aut alius vir gravis crebro hortatus fuerit ad veniam, poteſt ea in Monaſterio profiteri; quia tunc vel conceſſa eſt ei facultas profitenti, ut amplius lavetur ab iniquitate ſua, vel injuſte denegata cenſetur. Addit Pontas V. *Divortium cap.* 13. uxorem a viro revocari non poſſe cum is cognito ejuſdem Novitiatu ac Profeſſione, non reclamavit; quia tunc tacere idem eſt ac aſſentiri.

IX. Aliæ item cauſæ legitimæ ſuppetunt intentandi divortium in jure recenſitæ; prima, ſi tanta ſit alterius ſævitia, ut ſine periculo nequeat illi cohabitare: ſecunda, ſi alter conjugum ſit tali furore ſixe raptus contra alterum, ut ſibi prudenter metuere de aliquo gravi malo compellatur: tertia, ſi reapſe abſque furore tentaverit alteri vitam adimere aut veneno, aut alio modo: quarta, ſi unus alterum pluries ſollicitet ad graviter Deum offendendum; ita ut ſe cognoſcat in gravi labendi periculo, & alter non deſiſtat: quinta, ſi alter a catholica fide defecerit per hæreſim &c. Si propter hos caſus divortium ſequatur, & deinde etiam emendatio; iterum conjungi tenentur, & ſimul in pace cohabitare. **Aliæ cauſæ intentandi divortium.**

§. XII. *De Debito Conjugali.*

I. Teneri conjuges ſub gravi reddere ſibi invicem debitum rationabiliter petitum, nimis manifeſtum eſt tum jure naturali, tum divina auctoritate: jure naturali, quia finis primarius matrimonii eſt prolis generatio, quæ ſine obligatione reddendi debiti ſubſiſtere non poteſt; ageretur enim contra jus alteri ſtricto jure conceſſum: auctoritate divina verbis Divi Pauli propoſita, 1. Corinth. 7. *Vir uxori debitum reddat, ſimiliter & uxor viro &c.* Obſervat autem Angelicus q. 64. Supplementi, art. 2. *Quod petere debitum eſt dupliciter: uno modo expreſſe, ut quando verbis invicem petunt: alio modo eſt petitio debiti interpretata, quando ſcilicet vir percipit per aliqua ſigna, quod uxor vellet ſibi debitum reddi, ſed propter verecundiam tacet: & ita etiamſi non expreſſe petat verbis debitum, tamen vir tenetur reddere; quando expreſſa ſigna in uxore apparent voluntatis reddendi debiti.* **Obligatio reddendi debitum: & quot modis petatur?**

II. Aliquando evenire poteſt, ut denegatio debiti vel nullum, vel veniale tantum peccatum ſit; primo quando petens benevole tantum, & non inſtanter petit, ſed amiciter acquieſcit modeſte neganti. Item ſi petens petat frequentius, quam decens ſit; nam denegare petenti irratio- **Quando negatio debiti ſit gravis, aut levis?**

na-

nabiliter, non eſt gravis injuria, neque injuſtitia: cavendum tamen eſt, ne ſub gravi obliget charitas, & ne ex denegatione immineat petenti periculum incontinentiæ, aut ne inde oritura ſint diſſidia, quia tunc ex charitate ſub gravi tenetur conjux reddere: quamobrem hortandi ſunt conjuges circa hoc punctum interrogantes; ne ſint difficiles, moroſi, & aſperi in reddendo debitum; ſed ſi ob aliquod motivum abſtinere deſiderent, id amiciter, & benigne exponant; ſi autem petens ægre ferat recuſationem; qui petitur, reddat; nam experientia comprobat mala diſſidiorum, adulteriorum &c. profluentia ex hujuſmodi repugnantia in debito reddendo. Peccabit igitur mortaliter conjux ille, qui ſuis diſſolutionibus vel in materia luxuriæ, vel in quavis alia, ſe impotem efficit ad reddendum debitum, quia ſe impotem conſtituit ad id, quod ſtricto jure alteri debet; & eadem ratione peccat, etiam ſi ex pœnitentiæ actibus ita ſe debilitet, ut impos ad debitum efficiatur; quia non ſunt facienda bona cum gravi injuria proximi. Hinc deducas, non poſſe unum conjugem licite ſe ab alio ad notabile tempus elongare, ſine illius licentia: longitudo autem temporis metienda eſt a prudentia, perpendente conditionem, ætatem, & alias perſonarum circumſtantias.

Cauſæ excuſantes a redditione debiti.

III. Quando reddens debitum prudenter timet de gravi nocumento ſuæ ſalutis corporalis, non tenetur reddere petenti, ſed hunc amiciter moneat, ſibi notabiliter nocere, vel ob magnam debilitatem ſibi a recente morbo relictam, vel propter periculum contagionis, ſi conjux ſit morbo contagioſo infectus, vel ob aliud ſimile prudens, & morale periculum morbi contrahendi ex redditione. At ſi petenti immineat periculum incontinentiæ? Huic periculo ſibi ſubveniat, recurrendo ad Deum; in alio lecto cubando &c. nam Angelicus loc. cit. art. 1. ad 2. ait: *uxor*, (& idem eſt de viro) *non habet poteſtatem in corpus viri, niſi ſalva conſiſtentia perſonæ ipſius; unde ſi ultra exigit, non eſt petitio debiti, ſed injuſta exactio; & propter hoc non tenetur vir ei ſatisfacere.* Si tamen unus ante matrimonium non ignorabat, ſed noverat morbum inficientem, quo alter laborabat, & nihilominus contrahere voluit; niſi aliter convenerint, tunc tenetur ſaltem moderate reddere, quia ipſemet ſe injecit in tale periculum.

* D. Thomas *in 4. diſt. 32. qu. unic. art. 1. ad 4.* hæc habet: *Uxor etiam viro leproſo tenetur reddere debitum, non tamen tenetur ei cohabitare; quia non ita cito inficitur ex coitu, ſicut ex frequenti cohabitatione; & quamvis generetur infirma proles, tamen melius eſt ei ſic eſſe, quam penitus non eſſe.*

Hanc Doctoris Angelici doctrinam prius tradidit Alexander III. cap. *Pervenit*, & cap. *Quoniam tit.* de conjugio leproſorum: *Quod ſi virum*, ait Pontifex, *ſive uxorem leproſum fieri contigerit, & infirmus a ſano carnalem debitum exigat, generali præcepto Apoſtoli, quod exigitur eſt ſolvendum.*

Verum ſententia hæc de eo tantum caſu eſt intelligenda, in quo conjugi ſano non immineat notabile contagionis periculum ex hujuſmodi congreſſu; niſi enim debitum perſolvere queat, quin morbum contrahat, extra dubium omne verſatur, quod ad id non adſtringatur, ut conſentiunt celeberrimi Canoniſtæ & Theologi, præſertim Paludanus, Durandus, Sotus, Cajetanus, & Navarrus relati a Joanne Pontas *Verb. Debitum conjugale caſ.* 41. & inter ceteros S. Antoninus, qui 3. *p. Sum. Theol. tit.* 1. *cap.* 20. §.10. S. Thomæ ſententiam cum ea dumtaxat exceptione admittit.

Conſona eſt hæc exceptio principio quod tum *in corp. præcit. art.* tum *in reſp. ad* 2. idem S. D. conſtituit, quod affert Auctor *n. præced.* videlicet, quod nec vir uxori, neque uxor viro teneatur debitum reddere, *niſi ſalva incolumitate, & conſiſtentia perſonæ*. Et ſane eadem ratione, qua S. Thomas aſſerit, non teneri ſanum ad cohabitandum leproſo, eo quod ex frequenti cum illo converſatione, citius inficiatur ſanus, quam ex actu matrimoniali, cenſendum eſt, ſanum non teneri ad redditionem debiti, ſi ipſi immineat grave periculum ex copula cum leproſo. Quando autem periculum tale immineat, conſulendi erunt periti Medici: generaliter vero obſervandum eſt, majus eſſe periculum a muliere leproſa, quam a viro, & a lepra vetuſtiore, quam ab alia.

Sic exponendam, & intelligendam D. Thomæ doctrinam ſentit & Sylvius *in Suppl. q.* 64. *art.* 1. qui tamen tres excipit caſus. Primus eſt; *Quando petenti (etiam leproſo) eſt grave periculum incontinentiæ, ad eam enim vitandam alter debet aliquanti corporalis morbi periculum negligere*. Secundus; *Quando Regni*

Digitized by Google

gni vel Provinciæ publica utilitas expoſcit, ut Princeps relinquat prolem ſucceſſorem, tenetur ad uxorem accedere etiam cum manifeſto vitæ periculo; tenetur (inquam) non ex juſtitia, quæ ſit inter eum, & uxorem, ſed ex juſtitia, qua eſt obligatus bono publico. Tertius; *Quando ante contractum matrimonii alter noverat alterum lepra, vel alio contagioſo morbo laborare, & nihilominus contraxit, non poteſt propter periculum contagionis, illi negare debitum; quia voluntarie ſe conjecit in eam neceſſitatem, per hoc quod ſciens & volens dedit poteſtatem ſui corporis leproſo*; quod & Auctor docet. Verum hæc ultima deciſio ad minus dubia videtur Continuatori Tournely *cap. 1. de quarto Decal. præcept. art. 4. ſect. 2. q. 2.* ſi judicari poſſit morbum hunc ſaltem proxime mortem illaturum eſſe.

Aliæ cauſæ excuſans. IV. Non tenetur uxor debitum reddere quando pluries experta fuit, non poſſe in lucem edere prolem viventem, ſed mortuam tantum; tum quia ipſa ſubit ſpeciale, & graviſſimum mortis periculum; tum quia concipere redundat in detrimentum animæ prolis conceptæ. Antequam autem ſtatuat denegare ſemper debitum, quouſque concipere utiliter poſſit, multa conſultatione opus eſt; quia graviſſimum onus imponitur viro, nunquam pro eo tempore petendi debitum: quamobrem res eſt prius cum peritis medicis examinanda; & deinde quid agendum ſit pro conſcientia cum doctis Theologis diſcutiendum.

* Doctores plures, præſertim Joannes Major, Sanchez, Bonacina, Sambovius, Habertus, Antoine, aliique, quibus adſtipulatus eſt & Continuator Tournely *c. 1. de quarto Decalogi præcepto ar. 4. ſect. 2.* aſſerunt conjuges licite matrimonio uti poſſe in caſu, quo mulier hactenus mortuos edidit filios; imo aliqui eorum ſentiunt, ipſam mulierem marito graviter inſtanti obſequi debere, adeo ut lethaliter delinquat, ſi ipſi debitum pertinaciter deneget. Et ad id evincendum hanc ipſi adferunt rationem, quia nempe contingere poteſt, & reapſe nonnunquam contingit, ut mulier poſt multos abortus, feliciter tandem pariat, teſtaturque citatus Sambovius ſe noſſe mulierem, quæ poſt quinque aut ſex abortus, feliciter duas edidit filias, quæ, dum hæc ſcriberet, junctæ erant matrimonio. Enimvero, ſubdit Habertus *de Matr. cap. 6. §. 1.* prope finem, abortus ſæpe accidunt vel culpa conjugum; forte enim intemperantius ac frequentius utuntur conjugio, ac propterea impeditur fœtus conformatio, & mulieris vires debilitantur, itaut non ſit virtus pariendi; forte etiam ipſa uxor fœtui non pepercit, nec ejus incolumitati ſat conſuluit: vel iſta fiunt per occultam Dei providentiam, ut ſcribit S. Auguſtinus *lib. de Grat. & liber. arbit. cap. 22.* adeoque ejus benedictio efflagitanda eſt crebris orationibus, eleemoſynis, & aliis bonis operibus. Cum ergo ejuſmodi conjuges felicem partum deſpondere non debeant, ab uſu conjugii abſtinere non tenentur. Et hæc ſententia juxta ipſum in praxi tenenda videtur.

Sylvius autem *in Supplem. q. 64. art. 1. q. 4.* cui Auctor adhæſit, contendit non teneri mulierem in tali caſu debitum reddere hac ductus ratione, quia mulier periculum vitæ ſubit ex morte fœtus in ventre. Si revera tale ipſi in hoc caſu periculum immineat, idque experientia didicerit (quod tamen non ita facile crediderim ſupponi poſſe) immunis cenſenda erit ipſa ab obligatione reddendi debitum; ſe enim habet conjugale debitum ſicut alia juſtitiæ debita, quæ communiter non obligant cum tanto incommodo. At ſi hoc periculum abſit, tenebitur reddere, nec poterit ſe eximere præciſe ob hoc motivum; quia hactenus mortuos peperit filios.

V. Sola difficultas in partu, non excuſat a debito reddendo; quia non eſt incommodum afferens ſpeciale, & morale periculum mortis, ſed ſatis commune, & implicite acceptatum in contractu. Neque excuſat a reddendo prolis multiplicatio in familia inope, ſi petens inſtanter petat, & moderate, & præcipue, ſi petenti immineat incontinentiæ periculum, aut diſſidiis aperiatur aditus. Si vero hoc periculum non ſubſit, & familia ſit jam gravata ultra vires, itaut ſufficienter ali nequeat; tunc non videtur mortale negare debitum, ſaltem ſi aliquoties reddatur; & procuretur pacifice, ut ſuadeatur petens ad debitum non exigendum, ne proles jam multiplicata, & non proviſa compellatur vitam tranſigere lucris per mala opera acquiſitis. Cauſæ non excuſantes.

VI. Nulla eſt obligatio reddendi debitum conjugi ebrio, aut mente capto, quia non petit ut homo, ſed ut animal. Si vero timeantur prudenter aut aliqua gravis turpitudo inde profectura, aut blaſphemiæ, aut rixæ &c. tunc ad hæc mala impe- Quid de petente ebrio, amente ete?

Digitized by Google

impedienda reddendum erit; quia quamvis hæc in perpetrante illa, non ſint peccata, niſi materialia; extat tamen in conjuge mente compote obligatio impediendi illa, & non præbendi occaſionem eadem committendi; prout probavimus alibi illicitum eſſe dare occaſionem ſtulto ad blaſphemandum, fornicandum &c. ob rationes ibidem allatas, nempe in tract. 1. capite 2. §. 8. n. 5.

.* Si ambo conjuges ſint amentes, continuo ſejungendi ſunt; nec licet ſinere illos carnaliter copulari tum propter abortus periculum, tum propter prolis educationem, tum etiam propter naturalem honeſtatem. Quamobrem lethaliter delinqueret, qui eos copularet, vel copulari ſineret, cum impedire poſſet, teneretur que in confeſſione eaſdem illarum perſonarum amentium circumſtantias exprimere, quæ forent exprimendæ, ſi copula inter perſonas mentis compotes eſſet habita, ut docet Sylvius *in Supplem. q. 58. art. 3.* quia tales circumſtantiæ ſunt ab eo volitæ, qui cum potuiſſet, non impedivit iſtas perſonas a commixtione. Similiter ſi amentia ſe teneat ex parte uxoris, non eſt permittenda carnalis copula, tum propter abortus, tum propter prolis educandæ periculum. Si vero ſolus maritus ſit amens, non eſt uxori interdicendus uſus matrimonii; quin potius illa tenetur viro inſano qualiter poteſt petenti reddere debitum, ſi periculum eſt, ne alioquin vel polluatur, vel cum altera commiſceatur. Quamvis enim ipſe non foret peccaturus iſta faciendo, propter defectum uſus rationis, uxori tamen incumbit, ne ſinat, ea per maritum fieri, quæ natura ſua ſunt contra legem, & peccata mortalia.

P. Baſilius Pontius *lib. 10. cap. 14. n. 8.* poſtquam ſtatuit, non licere copulam ſi uxor amens ſit, ob periculum manifeſtum prolis; ac animadvertit ejuſmodi periculum non eſſe in viro etiam furioſo, ſubdit; Videndum etiam ex medicorum conſilio, an amens ex coitu deterior fiat, & majus ſalutis detrimentum patiatur; tunc enim judicandum erit, copulam eſſe illicitam mortaliter, vel venialiter, nimirum pro quantitate damni, cui ille redditur obnoxius. Quare qui ſanus eſt non poterit ab inſano in eo caſu petere, neque reddere ſine peccato mortali, aut veniali.

Quando vero unus conjugum eſt ebrius quamvis alter per ſe, ſeu ex natura rei non teneatur ei petenti debitum reddere; attamen fieri poteſt, ut teneatur per accidens, ſi nempe ſit periculum, ne ebrius, denegato ſibi debito conjugali, vel ad aliam accedat, vel ſeipſum polluat, ob rationem ab Auctore allatam; quia nimirum cavere debet hujuſmodi turpitudines in ſua comparte. Sive autem vir ſit ebrius, ſive mulier parum refert; quia non eſt ex parte mulieris ebriæ periculum vel abortus, vel occiſionis fœtus, vel malæ educationis, ſicut ex parte mulieris amentis aut furioſæ; cum ebrietas cito tranſeat, non ſimiliter amentia, vel furia. Videri poſſunt Bonacina *q. 4. p. 1.* & Sylvius *in Suppl. q. 64. art. 1.*

§. XIII. *De honeſtate, & inhoneſtate actus conjugalis, aliarumque illecebrarum.*

I. ANgelicus in quæſt. 49. Supplem. a. 5. volens probare, quod conjugalis copula ab omni culpa excuſari non poſſit, niſi exerceatur cum intentione, ſaltem virtuali, alicujus boni, quod ſit matrimonii proprium, ait; *Remota cauſa removetur effectus; ſed cauſa honeſtatis actus matrimonialis ſunt bona matrimonii,* (ſuperius indicata) *ergo ſine eis non poteſt actus matrimonialis excuſari .... Dicendum ergo, quod ſicut bona matrimonii, ſecundum quod ſunt in habitu, faciunt matrimonium honeſtum, & ſanctum; ita etiam ſecundum quod ſunt in actuali intentione, faciunt actum matrimonii honeſtum, quantum ad illa duo bona matrimonii, quæ ipſius actum reſpiciunt; unde quando conjuges conveniunt, cauſa prolis procreandæ, vel ut ſibi invicem debitum reddant, quæ ad finem pertinent, totaliter excuſantur a peccato.* Quando actus conjugalis ſit immunis ab omni peccato?

II. Sequitur in reſponſione ad 2. *Dicendum, quod ſi aliquis per actum matrimonii intendit vitare fornicationem in conjuge, non eſt aliquod peccatum, quia hæc eſt quædam redditio debiti, quæ ad bonum fidei pertinet;* (ideſt fidelitatis) *ſed ſi intendit vitare fornicationem in ſe; ſic eſt ibi aliqua ſuperfluitas, & ſecundum hoc eſt peccatum veniale, nec ad hoc eſt matrimonium inſtitutum, niſi ſecundum indulgentiam, quæ eſt de peccatis venialibus.* Niſi hæc adeo clare Angelicus diceret; quis recentiorum nobis fidem præſtaret? Quid quando ad vitandam fornicationem?

III. Proſequitur in reſp. ad 4. circa habentes finem conſervandæ ſanitatis: *Dicendum, quod quamvis intendere ſanita-* Quid quando ob finem

tis

Digitized by Google

conſervandæ ſanitatis?

tis conſervationem non ſit per ſe malum; tamen hæc intentio efficitur mala, ſi ex aliquo ſanitas intendatur, quod non eſt ad hoc de ſe ordinatum: ſicuti, qui ex Sacramento Baptiſmi tantum ſalutem corporalem quæreret, & ſimiliter eſt in propoſito in actu matrimonii. Si autem de conſilio medicinæ vere copula judicaretur medium neceſſarium ad ſanitatem conjugis, putarem quod vacaret etiam a veniali, dummodo non excluderentur alia matrimonii bona.

Quid, quando ad ſolam voluptatem?

IV. Circa intendentes ſolam voluptatem (non conſtituendo in ea ultimum finem, ut ſupponitur) ita differit loc. cit. in art. 6. *Quidam dicunt... quod delectationem in eo actu quærere, ſit peccatum mortale; delectationem oblatam acceptare, ſit peccatum veniale; ſed eam odire, ſit perfectionis, ſed hoc non poteſt eſſe; quia juxta Philoſophum Ethicorum 10. idem judicium eſt de delectatione, & operatione, quia operationis bonæ eſt delectatio bona, & malæ mala: unde cum actus matrimonialis non ſit per ſe malus, nec quærere delectationem eſt peccatum mortale ſemper; & ideo dicendum, quod ſi delectatio quæratur ultra honeſtatem matrimonii, ut ſcilicet aliquis in conjuge non attendat, quod conjux eſt, ſed ſolum quod mulier; paratus idem facere cum ea, ſi non eſſet conjux, eſt peccatum mortale. .... ſi autem quæratur delectatio infra limites matrimonii, ut ſcilicet talis delectatio in aliis non quæreretur, quam in conjuge, ſic eſt veniale peccatum*. Hinc inferas ex communi, gravi peccato mortali adulterii mentalis illos peccare, qui in actu conjugii aliam perſonam ſibi imaginantur; quæ ſi ſit altera conjugata duplicis adulterii, ſi virgo ſtupri &c. culpa committitur. Circa hoc punctum damnavit Innocentius XI. theſim num. 9. in qua dicitur: *Opus conjugii ob ſolum voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa, & defectu veniali*. Putarem, non adverſari doctrinæ Angelici, aſſerere neque venialiter peccare conjugatum graviter tentatum ad fidem frangendam, & debitum petentem ad fidem ſervandam, & conjugalem amorem magis fovendum; quia tunc haberet pro fine unum ex bonis matrimonii, nempe fidelitatis defenſionem.

Quid de accedente ad uxorem menſtruatam?

V. Circa copulam cum uxore menſtruis laborante, S. D. in 4. ſent. diſt. 32. q. 1. art. 2. q. 2. obſervat in primis præceptum non cognoſcendi carnaliter illam, in veteri lege fuiſſe, & cæremoniale, & morale; unde in nova etiam lege quatenus morale obligat; *Quia cum matrimonium ſit ad bonum prolis principaliter ordinatum, prohibitum eſt omnis matrimonii uſus, quo bonum prolis impeditur; & ideo hoc præceptum obligat etiam in nova lege*. Deinde diſtinguit fluxum menſtruorum in naturalem, quo mulieres ſingulis menſibus ad modicum tempus laborant; & in innaturalem, qui ex infirmitate eſt quaſi continuus: deinde dicit: *In fluxu ergo menſtruorum innaturali, non eſt prohibitum ad mulierem menſtruatam accedere in nova lege; tum propter infirmitatem, quia mulier in tali ſtatu non poteſt concipere*; (unde nullum detrimentum timetur proli) *tum quia talis fluxus eſt perpetuus, & diuturnus, & oporteret quod vir perpetuo abſtineret. Sed quando naturaliter mulier patitur fluxus menſtruorum poteſt concipere; & iterum talis fluxus non durat, niſi ad modicum tempus: unde prohibitum eſt ad talem accedere; & ſimiliter prohibitum eſt mulieri in tali fluxu debitum petere*. Et deinde in quæſtiuncula 3. docet. *Mulieri menſtruatæ nunquam licet petere debitum: ſi tamen vir ejus petat; aut petit ſcienter; & tunc debet eum avertere precibus, & monitis, tamen non ita efficaciter, ut poſſit eſſe occaſio labendi in alias damnabiles corruptelas, ſi ad id pronus credatur; aut petit ignoranter, & tunc mulier poteſt aliquam occaſionem prætendere, vel infirmitatem allegare, ne debitum reddat, niſi periculum viro timeatur: tamen finaliter, ſi vir non deſiſtit a petitione, debet debitum reddere poſcenti; paſſionem vero ſuam, non eſt tutum indicare, ne forte vir ex hoc concipiat abominationem ad eam, niſi de viri prudentia præſumatur*. Habes ergo ex Angelico quomodo reſolvas in caſu maxime practico, & fere quotidiano. Sed an obligatio, ab Angelico aſſerta, ſit ſub gravi? talis profecto non judicatur a pleriſque recentiorum.

Eſt grave peccatum.

VI. Nobis tamen gravis videtur, nempe graviter peccare maritum, copulam exercere volentem, dum uxor patitur menſtrua naturalia. Et primo quidem ex ipſis Angelici verbis, ſi bene illa perpendas. Secundo quia in ſcripturis acceſſus ad menſtruatam ſemper connumeratur aliis criminibus mortali gravitate affectis: ita Levitici 18. *Ad mulierem, quæ patitur men-*

ſtrua

ſtrua non accedes; *cum uxore proximi tui non coibis*: en quomodo conjungit acceſſum illum cum alio delicto ſub gravi prohibito. Item & fortius: Ezechielis 18. *Si vir . . . . . . oculos non levaverit ad idola domus Iſrael*, *& uxorem proximi ſui non violaverit*, *& ad mulierem menſtruatam non acceſſerit*, *& hominem non contriſtaverit*, *& pignus debitori reddiderit*, *per vim nil rapuerit . . . . . ad uſuram non commodaverit*, *& amplius non acceperit &c.* En quomodo recenſet acceſſum ad menſtruatam peccatis ſub gravi prohibitis: Super quibus verbis S. Auguſtinus lib. 3. quæſt. ſuper Leviticum q. 64. *Talia prohibita ſunt*, *quæ etiam tempore novi Teſtamenti . . . ſine dubio conſtituenda ſunt* : *quod videtur etiam per Prophetam Ezechielem ſignificaſſe*, *qui inter alia peccata*, *quæ . . . . . manifeſtæ iniquitatis ſunt*, *etiam hoc commemorat*, *ad mulierem menſtruatam ſi quis accedat*; *qua in re non natura damnatur*, *ſed concipiendæ prolis noxium prohibetur*. Eadem proferunt S. Hieronymus in cap. 18. Ezechiel. & S. Gregorius Magnus ad Interrogationes S. Auguſtini Angliæ Epiſcopi cap. 10. eademque docet S. Bonaventura in Speculo animæ cap. 3. poſt medium: *Cum tempore menſtruorum debitum exigitur*, *quod eſt contra legem*, *ſi ſcienter fiat*, *eſt peccatum mortale*. Si igitur regula fixa omnium Theologorum eſt, illa peccata inter gravia recenſere, quæ ab eloquiis divinis gravibus criminibus connumerantur; cum ita connumeretur acceſſus ad menſtruatam, juxta laudatorum Patrum explicationem; ergo inter gravia erit recenſendus: & quidem ſecundum limites ab Angelico deſignatos. Ratio fundamentalis eſt, quæ indicatur a Sanctis Auguſtino, & Thoma; quia proles, quæ tunc forte concipitur, gravibus, & variis languoribus, & infirmitatibus eſt obnoxia.

Duplicem docet D. Thomas *in 4. diſt. 32. q. 1. art. 2. q. 2.* diſtinguendum eſſe fluxum ſanguinis, cui obnoxiæ ſunt fœminæ: unum, quem *innaturalem* vocat, quo veluti morbo, vel continue, vel quaſi continue, vel nimis diuturne nonnullæ laborant: alterum, quem *naturalem* appellat, cui ſubjectæ ſunt temporibus determinatis, quando ſunt ſanæ, quique juxta ordinem naturæ quibuſdam quidem tertio quoque menſe accidit, communiter autem, & regulariter ſingulis menſibus, & aliquibus etiam frequentius, ſicut aliis nunquam, ut Auctor eſt Plinius *Lib. 7. Hiſt. Natur. cap. 15.* Regularis fluxus, qui ſcilicet contingit ſtatis temporibus, ſolet durare duobus, tribus, aut quatuor diebus, ut tradit Rodericus a Caſtro Luſitanus *in Lib. de Morbis Mulierum lib.* v. c. 9., & non raro, ut aſſerunt alii, ad octo circiter dies protrahitur.

Tempore fluxus innaturalis licitum eſſe uſum matrimonii tam petendo quam reddendo, unanimi conſenſu admittunt Theologi, idque luculenter docet D. Thomas *loco citato*, tum quia ex coitu, quem conjuges tali tempore exercent, nullum proli damnum, vel damni periculum creatur, cum fœmina eo morbo oppreſſa, ſit ad concipiendum inepta; tum etiam quia oneroſum nimis foret conjugibus, ſi adſtringerentur ad diuturnam, vel perpetuam abſtinentiam ab actu conjugali. Verba S. D. exſcripſit Auctor *n.* v. Summa igitur, in qua cauſa vertitur, in hoc repoſita eſt, an etiam tempore menſtrui naturalis uſus matrimonii licitus cenſeri debeat, necne? Hæc difficultas excitatur in primis reſpectu petentis.

Hujuſce difficultatis deciſionem, circa quam ſæpe ſæpius a Pœnitentibus Confeſſarii interpellantur, laborioſam reddiderunt multiplices ac variæ, quæ inter Theologos vigent opiniones. Has omnes recenſet, atque exponit Thomas Sanchez *de Matrim. Lib. 9. diſp. 21.* Præcipuas dumtaxat brevitatis gratia nos referemus. Veteres plures & quidem magni nominis tum Theologi, tum Juriſconſulti ab eodem Sanchez, aliiſque relati lethalis criminis reum evadere exiſtimarunt petentem debitum, ac conjugale officium exercentem tempore menſtrui naturalis. Illorum tamen aliqui variis exceptionibus ſuam ſententiam limitant, ut videre eſt apud eumdem Sanchez *loc. cit. num.* 2. Ipſis nuperrime ſe ſe adjunxit P. Euſebius Amort *in ſua Theologia Eclectica Tom. 3. Tract. de Sacram. Matrim. §. 6. De modo*, *& aliis circumſtantiis requiſitis ad licitum uſum matrimonii q. 15.* ubi ponit hanc aſſertionem: *Uſus matrimonii tempore fluxus menſtrui eſt ex genere ſuo peccatum mortale*, *nec excuſatur a peccato mortali in individuo*, *niſi vel cauſa neceſſitatis ex parte petentis*, *vel ratione circumſtantiarum attenuantium omne morale periculum ad nocumentum uxoris*, *vel prolis*.

E converſo non pauci, petentem debitum

tum tempore fluxus naturalis etiam a culpa veniali immunem declarant: Unde cenſent, diſſuadendum quidem conjugibus eſſe coitum eo tempore, non autem ſub peccato ne veniali quidem interdicendum, maxime ſi inde quærant remedium concupiſcentiæ, vel incrementum & conſervationem amoris conjugalis. Et inter cæteros P. Schimer *Theolog. Sacr. Tract.* 24. *q.* 29. *n.* 135. oſtendere nititur turpitudinem, quæ apparet in officio conjugali tali tempore exercito eſſe ſolum phyſicam, non vero moralem, fere ſicut in coitu, qui fit tempore menſtrui innaturalis, nullamque proinde tunc incontinentiam committi. Etiam P. Catalanus *Par.* 3. *q.* 13. *c.* 2. *n.* 3. excuſat petentem a culpa veniali, ſi petat ob incontinentiam vitandam, aut fovendum conjugalem amorem; ut ſi aliquod, *inquit*, diſſidium inter conjuges ortum fuiſſet, & ſic ſedari judicaretur; quia petitio honeſtaretur a fine; ſolumque venialem culpam incurrere contendit, ſi petat ob voluptatem dumtaxat; quia tunc indicaret animum in tali circumſtantia nimiæ voluptati deditum. Eidem opinioni alii plures recentiores ſuffragantur.

Extrema rigoris & laxitatis declinanda ſunt. Nimii rigoris apparet prima ſententia, quam Auctor adoptavit. Extremum laxitatis omnino vitandæ videtur ſecunda, quam benigniores Probabiliſtæ propugnant. Quare media via incedendum putamus, ſtatuendumque, conjugale debitum exigentem tempore naturalis fluxus peccatum quidem perpetrare, at hoc peccatum non eſſe mortale, ſed veniale ſolummodo, quamvis grave intra latitudinem hujus generis peccati. Et hæc deciſio communi fere Doctorum calculo D. Thomæ menti plane conſona reputatur. Etenim S. D. loco ſuperius laudato ex una parte aſſerit quidem, vetitum eſſe concubitum tempore, quo mulier menſis profluvio eſt affecta, atque adeo peccatum eſſe reſpectu poſcentis; ex alia vero parte, licet quale ſit ejuſmodi peccatum, an veniale, vel mortale, expreſſe non definiat, attamen eo ipſo, quod actum conjugalem in uxore, quæ quodammodo coacta intemperantiæ conjugis ſervit, ne eum in damnabile incontinentiæ periculum conjiciat, innoxium pronunciat, ſatis indicat in viro petente venialis confinia non excedere. Quare huic ſententiæ ſubſcripſere non ſolum priſci plures primi ſubſellii Doctores, præſertim D. Antoninus 3. *Par. tit.* 1. *c.* 20. §. 5. ſed & poſteriores celebriores Theologi ſanioris doctrinæ prævalidi aſſertores, præcipue Joannes Pontas *Tom.* 1. *v. Debit. Conjug. caſ.* 9. P. Daniel Concina *Lib.* 2. *de Matrim. Diſſert.* 4. *cap.* 8. *q.* 6. & Petrus Colet *Inſtit. Theol. Tract. de Decal. cap.* 4. *ſect.* 2.

Et ſane ex nullo capite erui poſſe videtur, petere debitum conjugale tempore fluxus menſtrui naturalis eſſe lethale peccatum: non ex Divina Scriptura, non ex SS. Patribus, non demum ex ratione.

Et 1. quidem non ex Divina Scriptura. Utique in veteri lege, ut perſpicuum eſt *ex Levit.* 18. *&* 20. nec non *Ezechielis* 18. nefas erat, & ſub pœna capitali prohibitum viro ad uxorem tempore menſtruorum accedere, & in eamdem pœnam fœmina quoque incurrebat tunc dans copulæ operam. At neminem ſugit, præceptum illud, ut *cæremoniale*, quatenus nempe acceſſum interdicebat ſeptem diebus ob immunditiam; & ut *judiciale*, quatenus nimirum pœnam mortis imponebat, cum ipſamet lege obſolevisse, quemadmodum & cætera omnia hujus generis præcepta ceſſarunt; ſolumque ut *Morale* nunc remanere, ut Angelicus docet *loco pluries citato*; ſub quo reſpectu, obligat quidem Chriſtianos; ſed non tamen ſub peccato mortali, ſed veniali dumtaxat. Hinc S. Antoninus loco ſupra relato: *Poteſt dici*, inquit, *quod illud præceptum Levit.* 18. *ad menſtruatam non accedes, ſit judiciale; Unde modo non ligat*. Et Cornelius a Lapide ſupra cap. 20. *Levitici*: „ Congredi, *ait*, „ cum menſtruata non videtur ex ſolo jure „ naturæ tam malum eſſe grave, & pec- „ catum, nec proligenerandæ ita noxium, „ ut morte plectendum ſit. Unde Theo- „ logi graviores docent non eſſe mortale „ peccatum, ſi maritus congrediatur cum „ uxore in menſtruis conſtituta. Unde ſe- „ quitur, congreſſum cum menſtruata Ju- „ dæis hic vetari tam ſevere, lege non „ tam naturali, quam poſitiva, & cære- „ moniali, perinde ac eadem vetitus fuit „ eis eſus adipis, & ſanguinis ſub pœna „ mortis *c.* 7. *v.* 25. *&* 27. Pari ergo modo „ menſtruatæ, & congredienti cum ea in- „ tentatur hic pœna mortis non tam ob „ prævaricationem legis naturalis, quam „ cæremonialis ita rigide hanc immundi- „ tiam vetantis, eo quod Deus vellet Ju- „ dæos corpore eſſe puriſſimos. “

Subdit autem idem, quod hæc lex cæremonialis ponitur hic inter alia naturalia præcepta; „ quia hæc omnia congreſſum, „ &

Digitized by Google

„ & libidinem ſpectant; & quia congreſ„ ſus hic cum menſtruata jure naturæ malus eſt, & vetitus, ac peccatum veniale: accedente vero hoc præcepto Dei „ poſitivo erat peccatum mortale: nec mirum naturale præceptum cum poſitivo permiſceri; ſic enim hæc præcepta „ permiſcentur *cap. præced. Exodi* 20. „ & alibi." Hæc ille. Ex quibus faciIlimo negotio valet quiſque colligere, erui non poſſe ex Divina Scriptura hoc eſſe lethale peccatum.

2. Non ex SS. Patribus. Equidem SS. Patres, præcipue Hieronymus, Auguſtinus, & Gregorius M. qui ab Auctore allegantur, acriter improbant, ac carpunt concubitum, dum mulier menſtruis ſubjacet incommodis, peractum; ſed hoc mirum eſſe non debet; ſiquidem vivebant, ſcribebantque eo tempore, quo ex id generis coitu filii gignebantur, naſcebanturque imperfecti, videlicet vel lepræ tabo infecti, vel exilitate, aut membrorum inconcinnitate deformes, adeoque Auguſtinus autumabat, legem Levitici, & apud Chriſtianos vigere. Verum hac noſtra ætate vel nullum eſt, vel valde rarum periculum infectionis prolis, aut quod proles monſtruoſa in lucem edatur, ut infra perſpicue manifeſtum fiet. Inſuper quamvis SS. Patres dure increpent, ac reprehendant talem concubitum; attamen nullus illorum mortalis culpæ ipſum expreſſe radarguit, ac condemnat, ut legenti conſtare facile poterit. Imo quæ habet Auguſtinus *Lib.* 3. *contra Julianum c.* 21. meridiana luce clarius patefaciunt ipſum oppoſitum ſenſiſſe; ait quippe: *Pudicitia* conjugalis *nec menſtruatis, nec gravidis utitur fœminis, nec ejus ætatis, qua certum eſt, eas jam concipere non poſſe*. Quemadmodum igitur mortaliter non peccat qui citra periculum abortus accedit ad uxorem prægnantem, vel ad uxorem in tali ætate conſtitutam, ut gignere amplius non valeat; ita neque mortaliter peccat qui rem habet cum uxore menſis profluvio affecta, etenim eodem modo de iis omnibus loquitur, ac cenſet S. D.

3. Demum non ex ratione, cui innituntur adverſæ ſententiæ Patroni, ex nocumento, quod in prolem redundat, deprompta; tum quia ea adfertur a D. Thoma, & tamen ex ipſa non infert eſſe peccatum lethale; tum quia S. Antoninus loco citato ſic arguit: *Non eſt major timor de infectione prolis tempore menſtruorum, quam tempore lepræ: petere autem tempore lepræ non eſt mortale: ergo nec tempore menſtruorum*; tum denique, quia nunc corruit fundamentum, cui ipſa adhæret; innumeri namque conjuges coeunt tempore menſtrui naturalis; & tamen aut nunquam, aut rariſſime proli detrimentum aliquod evenit, puta ut naſcatur leproſa, morbida, defectiva &c. Hinc Petrus Ballerinus *in ſuis eruditis enarrationibus ad S. Antoninum adnot.* 2. *in memoratum* §. 5. relatis his verbis D. Hieronymi *in cap.* 18. *Ezech. Per ſingulos menſes gravia, atque torpentia mulierum corpora immundi ſanguinis effuſione relevantur, quo tempore, ſi vir coierit cum muliere, dicuntur concepti fœtus vitium ſeminis trahere, ita ut leproſi, & elephantiaci* (ſeu peſſimo totius corporis cancro laborantes) *ex hac conceptione naſcantur*; his, inquam, relatis verbis, ſubdit: *Quod autem tum dicebatur, aliiſque veterum teſtimoniis traditur, nunc non accidit amplius, ut obſervantibus quoque Medicis ex fœtibus quotidie naſcentibus, nec eo morbo unquam infectis liquet. Forte autem evanuit ſenſim ea morbi cauſa, ſicut aliæ aliorum morborum cauſæ antiquis ignotæ poſterius emerſerunt. Itaque ex hac parte, quæ prolis damnum reſpicit, nihil difficultatis ſupereſſe videtur*. Habertus etiam *de Matrim. cap.* 6. §. 1. *in reſp.* 2. *ad Q.* 3. aſſerit non infici prolem, *ut Patroni oppoſitæ ſententiæ falſo ſupponunt contra quotidianam experientiam, qua conſtat, conceptos ex corrupto ſanguine menſtruo haud naſci leproſos, & elephantiacos*. Ac demum Cuperiolus *V. copul. Conjug.* in notis: *Scotus*, ait, *vivebat eo tempore, quo ut in pluribus ex tali copula filii leproſi naſcebantur. Hinc jure optimo ſuam rigidam ſequebatur. At noſtris temporibus*, ſubjungit, *quis vidit puerum leproſum naſci? Ego, jam expleto anno ſeptuageſimo octavo, unicum leproſum vidi, ſed erat adultus. Hodie revera multi infantes debiles, infirmi &c. naſcuntur; at quis probabiliter dicat evenire ex tali copula, & non ex aliis capitibus, cum præſertim tempore menſtruorum mulier difficulter concipiat?*

Accedit quod, ut animadvertunt P. P. Salmanticenſes *Tract.* 9. *de Matrimon. capit.* 5. *numer.* 77., aliique plures, etiamſi tunc proles alicui ex recenſitis infirmitatibus obnoxia conciperetur, cum melius ſit illi eſſe cum aliquo morbo, quam non eſſe, & ſi tunc is coitus non

ha-

Digitized by Google

haberetur, forſan poſtea non generaretur, conqueri non poſſet de damno ſibi illato, immo maximo afficeretur beneficio. Quare id damni non tanti faciendum eſt, ut lethalem culpam conſtituat. Hinc D. Thomas *in 4. diſt. 32. art. 1. q. 4. & in Sup. qu. 64. artic. 1. ad 5.* cenſet, haud licere uxori negare debitum marito leproſo, præciſe ne naſcitura proles eodem morbo inficiatur; etenim *quamvis*, inquit, *generetur infirma proles, tamen melius eſt ei ſic eſſe, quam penitus non eſſe*. Neque ex ratione igitur, atque adeo ex nullo capite erui poteſt interventus culpæ mortalis in copula maritali, quæ exercetur tempore menſtrui naturalis, etiam ex parte illius, qui debitum poſcit.

Eſſe autem peccatum veniale debitum petere, & conjugale officium exercere, dum mulier naturali fluxui ſubjecta eſt; immo inter venialia graviora eſſe percenſendum, nullus prudens, ac cordatus ibit inficias. Et hæc ſunt, quæ id luculenter evincunt adverſus ſupra relatos Doctores, alioſque idem ſentientes. Concubitus eo tempore peractus, quo mulier vacat conſuetæ purgationi, dubio procul indecens eſt, turpitudinemque, inhoneſtatem, ac deformitatem nonnullam præſefert, quæ etiam ipſis Ethnicis horrorem injecit. Præterea magnam ſapit incontinentiam contra rectæ rationis dictamen, non expectare tempus generationi magis idoneum brevi affuturum. Hæc ſane malitiam venialem produnt, & quidem gravem intra latitudinem hujus generis peccati. Nec ab hic petens eximitur, eo quod petat aut ad incontinentiam vitandam, aut ad mutuum amorem ſovendum, aut ad diſſidia, & jurgia ſedanda; quippe ad hos fines conſequendos aliis mediis uti poteſt, ac debet, ſicut & in aliis pluribus caſibus teneretur.

Hucuſque ſermo habitus eſt de culpa, quam committit qui tempore fluxus menſtrui debitum exigit. Nunc ineunda eſt diſputatio, an peccet qui tali tempore præciſe debitum poſcenti reddit. Et circa hoc variæ reperiuntur inter Theologos opiniones. Non vacat, ſingulas referre, atque diſcuſſioni ſubiicere; ſed ſatis ſit doctrinam Doctoris Angelici D. Thomæ ob oculos ponere. Itaque S. D. hanc verſat, ſolvitque difficultatem loco ſuperius citato *q. 3.*; & in primis improbat, ac reiicit opinionem, quæ ſtatuit, abſolute prohiberi mulierem in hac infirmitate conſtitutam debitum reddere marito, etiam enixe poſtulanti; deinde modum ſuggerit, quo ſe gerere debet ipſa erga maritum, dum in hoc caſu debitum poſcit. Præſtat integrum S. Doctor. textum exſcribere: *Dicendum*, ait, *quod circa hoc dixerunt quidam quod mulier menſtruata ſicut non debet petere debitum; ita nec reddere. Sicut enim non tenetur reddere, ſi habeat infirmitatem in propria perſona, ex qua periculum ei immineret; ita non tenetur reddere ad vitandum periculum prolis. Sed iſta opinio videtur derogare matrimonio, per quod datur omnimoda poteſtas viro in corpus mulieris, quantum ad matrimonialem actum. Nec eſt ſimile de infirmitate corporis prolis, & periculo proprii corporis, quia ſi mulier infirmatur, certiſſimum eſt, quod ex carnali actu periculum ei imminet; non autem ita certum eſt de prole, quæ ſorte nulla ſequetur. Et ideo alii dicunt, quod mulieri menſtruatæ nunquam licet petere debitum; ſi tamen vir ejus petat; aut petit ſcienter, & tunc debet eum avertere precibus, & monitis, tamen non ita efficaciter, ut poſſit eſſe occaſio labendi in alias damnabiles corruptelas, ſi ad id pronus credatur; aut petit ignoranter, & tunc mulier poteſt aliquam occaſionem prætendere, vel infirmitatem allegare ne debitum reddat, niſi periculum viro timeatur: tamen finaliter ſi vir non deſiſtit a petitione, debet debitum reddere poſcenti: paſſionem vero ſuam non eſt tutum indicare, ne forte vir ex hoc concipiat abominationem ad eam: niſi de viri prudentia præſumatur.* Mulier igitur, quæ menſtrua conſuetudine laborans, marito inſtanter petenti debitum reddit, ut ejuſdem incontinentiæ periculum declinet, nullum peccatum perpetrat; immo tenetur reddere, ſi monitioni ejus non acquieſcat maritus, & a petitione non deſiſtat.

Hoc idem & de viro aſſerendum exiſtimamus, qui menſtruorum uxoris conſcius rem habet cum ipſa exigente, ſi admonita non reſipiſcat, & a petitione non ceſſet.

VII. Circa actum conjugalem, habitum, uxore jam prægnante, ita docet Angelicus in 4. diſt. 31. in expoſitione textus: ubi affertur locus S. Hieronymi actum illum reprehendentis: *Ex hoc imminet periculum abortus; & ideo Hieronymus vituperat acceſſum viri ad uxorem imprægna-* Acceſſus ad uxorem gravidam.

tam; non tamen ita, quod ſemper ſit peccatum mortale, niſi forte quando probabiliter timetur de periculo abortus. Quando igitur non ſubeſt tale periculum, erit veniale, petere debitum: reddere autem inſtanter petenti, neque erit veniale; ita poſtulante fidelitate promiſſa: & hoc modo conſone loquitur etiam prudentiſſimus ille Doctor S. Antoninus part. 3. tit. 1. c. 21. §. 4. *Tempore prægnationis reddere*, (nota quod non dicit petere) *debitum, non eſt peccatum, & reddere debet, ſi non eſt periculum abortus; poteſt etiam exigere in dicto caſu abſque mortali: ſed ubi eſſet periculum abortus, nec debet exigi, nec reddi, alias eſſet mortale*

* Tempore etiam puerperii nec petere licet, nec reddere debitum, ut reſpondit Gregorius *cap.* 10. ad interrogotiones Auguſtini Angliæ Apoſtoli; idque partim ob mulieris indiſpoſitionem, partim ob nocumentum prolis jam natæ, vel ejus, quæ naſci poſſet ex tali complexu. Si tamen tali tempore congrediantur, non videtur eſſe peccatum mortale, niſi notabile aliquod damnum inde ſit rationabiliter timendum; puta ſi probabile ſit, infantem necdum ablactatum vitiato ex concubitu lacte graviter debilitatum iri. Lege Sylvium *in Sup. quæſt.* 74. *art.* 7. & Pontium *lib.* 10. *cap.* 14. *num.* 1.

Quid circa modum exercendi actum conjugalem?

VIII. Circa modum exercendi actum conjugalem, (prætermiſſis non paucis caſibus religioſæ modeſtiæ importunis, caſtiſque legentibus moleſtis, & forte non neceſſario diſcendis) hæc regula communiter videtur ſtatui poſſe, quod niſi ſit modus impediens conceptionem prolis, aut afferens periculum effuſionis extra vas naturale, (qui modi juxta omnes ſemper ſunt peccata mortalia, tam in petente, quam in reddente,) non erit peccatum lethale; immo alius modus præter conſuetum, ſi fiat abſque dicto periculo, & ex rationabili motivo vel non nocendi proli jam conceptæ, vel ob diſpoſitionem corporis conjugum, vel ob aliam juſtam cauſam, neque erit veniale. Audiatur Angelicus in 4. d. 31. circa finem: *Uſus contra naturam conjugii eſt, quando debitum vas prætermittit, vel debitum modum a natura inſtitutum, quantum ad ſitum: & in primo ſemper eſt peccatum mortale, quia proles ſequi non poteſt; unde totaliter intentio naturæ fruſtratur: ſed in ſecundo modo non ſemper eſt peccatum mortale, ut quidam dicunt; ſed poteſt eſſe ſignum mortalis concupiſcentiæ:* (puta ſi haberet affectum ad vas innaturale, aut quidpiam ſimile) *quandoque etiam ſine peccato eſſe poteſt, quando diſpoſitio corporis alium modum non patitur; alias tanto eſt gravius, quanto magis a naturali modo receditur*. Poſt auditum diſcipulum audiatur inſignis Magiſter Albertus Magnus, qui in Philoſophicis profundiſſime doctus, circa rem, ad medicophyſicam potius quam ad moralem pertinentem, plurimi fieri debet, & citatur ab alio eximio doctore S. Antonino 3. p. tit. 1. cap. 20. §. 3. qui poſt relatas aliorum opiniones condemnantium, tanquam mortalem, modum coeundi non conſuetum præcipue ob periculum, ne proles concipiatur, ita ſubdit: *Sed Albertus Magnus in 4. Sent. dicit, quod nihil horum, quæ facit vir cum uxore in actu conjugali, ſervato debito vaſe, eſt de ſe mortale, ſed poteſt eſſe ſignum mortalis concupiſcentiæ, quando ei non ſufficit modus determinatus a natura, ſed alium invenit cauſa delectandi, cum non ſubeſt cauſa infirmitatis, vel alia rationabilis. Ex quibus videtur ſentire Albertus, quod non impeditur generatio prolis per tales modos indebitos, ſervato debito vaſe: qui fuit maximus Philoſophus*: & ſubjungendo reprehendendos eſſe conjuges, qui ſine cauſa hoc agunt, concludit: *Nec de facili eſt præcipitanda ſententia de tali modo, quod ſit mortale in ſe*.

Illatum pro praxi.

IX. Circa rem igitur non raro praxi obnoxiam, quando pœnitentes ſciſcitantur an liceat illis modis uti; interroget Confeſſarius de cauſa, & ſi rationabilem inveniat, permittat; dummodo non ſit periculum effuſionis extra vas: ſi nullam juſtam cauſam afferat pœnitens, Confeſſarius benigne illum reprehendat, & efficaciter hortetur, ut conſueto modo utatur: & quando comperit ex experientia, pluries a pœnitente allata, nullum eſſe effuſionis periculum, dicat, nihilominus eſſe veniale ex gravioribus in eo genere; & inculcet, ut abſtineat, memor ſententiæ B. Alberti Magni, & documenti S. Antonini, *ne præcipitet ſententiam quod ſit mortale in ſe*.

Inchoare copulam in alio vaſe, aut in ore.

X. Inchoare actum conjugalem (abominabile dictu, tamen neceſſarium ſcitu, cum effrænis conjugum libido aliquando id attentare, & agere non horreat (in vaſe fœdiſſimo, aut in ore, quamvis animo

mo conſummandi in vaſe naturali, ſemper eſt mortaliſſimum; quippe quod nulla ratione excuſabile, & confinia juris conjugalis excedens, ſitque inchoatio nefandæ, & cujuſdam diabolicæ copulæ, nec non pluſquam brutalis libidinis argumentum.

Quid de oſculis, amplexibus, tactibus, aliiſque conjugalibus blanditiis?

XI. Circa oſcula, & amplexus, ſeorſim ab actu conjugali, minor eſt difficultas, cum ex ſe inter conjuges non videantur notabiliter excedere confinia juris conjugalis; immo levia ad nodum habenda videantur, ſi fiant ad finem fovendi amorem reciprocum, & magis arcendi alteram compartem ab extraneis amoribus. Circa tactus vero plures plura dicunt, quæ legat, qui voluerit. Nos optantes ab his importunis caſibus brevius expediri, quàm fieri poſſit; afferemus judicium duorum doctiſſimorum Cajetani, & Navarri, eorum verba exhibentes, neminem urgentes, ut potius iſtos, quam alios doctores ſectetur; ſed unumquemque relinquentes dictamini ſuæ conſcientiæ, validiori ratione ductæ. Cajetanus in ſummula peccatorum ab ipſo ſcripta, dum eſſet Gardinalis, & poſt alia doctiſſima opera, verbo *Matrimonium*, capite *Uſus matrimonialis conjugii*, prope finem hæc habet „ „ Duodecimum eſt impudicitia, conſiſtens „ in tactibus venereis: verumtamen ta„ ctus venerei tripliciter inveniuntur in„ ter conjuges: primo ratione uſus con„ jugii, & ſic ut liciti, & quandoque „ neceſſarii tranſeunt. Secundo, non pro„ pter actum conjugalem, ſed nihil aliud „ intenditur, quam ſiſtere in hujuſmodi „ tactibus, & tunc proprie eſt impudi„ citia, & ſi ſine periculo pollutionis in „ utroque conjuge fiant, tolerabile, utpo„ te veniale: quia non niſi ſuperfluitas „ eſt delectationis intra conjugales termi„ nos; ſi vero cum periculo pollutionis „ in altero ipſorum fiant, ... unde ex„ perta perſona eſt, ſe pollui ex ſimili„ bus tactibus, tot, ac talibus, & ad„ vertit periculum, & non obviat; ne„ ſcio excuſare a mortali, etiamſi pol„ lutio non ſequatur, (& id affirmant „ omnes.) Tertio, fiant hujuſmodi ta„ ctus ex intentione, aut quaſi, ut pol„ luantur; & eſt manifeſte peccatum ne„ fandum: dixi autem quaſi, propter va„ cantes hujuſmodi tactibus, non cogitan„ do, ſi eveniat pollutio, aut non eve„ niat, eſſent autem contenti, ut eveni„ ret; dant ſiquidem operam actibus il„ licitis, ex quibus nata eſt ſequi pollu„ tio; & ideo tanquam intenta imputa„ tur illis ſic male affectis. „ Hæc Cajetanus. Pariter Navarrus in Man. c. 16. num. 42. hæc ſcribit: “ Decimo octavo „ peccat qui, vel quæ conjux impudicis „ tactibus ſe polluit, aut habet tactus hu„ juſmodi, intendens habere illam (vi„ delicet pollutionem) vel cum periculo „ probabili habendi, juxta ſententiam Ca„ jetani: „ Hæc Navarrus ſe Cajetano conformans. Addo tamen, a pluribus Theologis etiam benignioris doctrinæ magnam rationem haberi de hujuſmodi tactibus in partibus obſcœnis, præſertim moroſe, & ſejunctim a copula factis, ut videre eſt apud Colleg. Salmanticenſe in capite de uſu matrimonii, accuſans illos ut graves, utpote nimium chriſtianam modeſtiam conjugalem dedecentes, nimiſque pollutioni provocandæ proximos.

* Sunt tactus quidam adeo turpes & infames ex defectu proportionis inter membrum tangens & tactum, ut ne quidem copulæ intuitu valeant a gravi peccato excuſari: quia nimirum graviter dedecent naturam rationalem, & indicia ſunt libidinis prorſus dominantis, quæ caritatem, non ſecus ac ſummum frigus calorem, omnino expellit. Quare cum infames illas & præpudioſas turpitudines in conjugibus a mortali excuſaſſet Sanchez in prima editione, in poſteriori editione an. 1614. ſententiam retractavit; nec enim conjugium poteſt excuſare actiones, quæ ex ſe ad copulam conjugalem non ordinantur. Aliquas ex illis turpitudinibus ob oculos ponit Auctor *ſupra n.* 10. alias recenſent Caſuiſtæ nonnulli, quas ex eorum ſcriptis exſcribere pudor non ſinit; adeo enim a ratione, & chriſtiana pudicitia alienæ ſunt, ut ipſa natura vel impudentiſſimos doceat eas eſſe horrenda crimina, ſuperfluumque ſit legentium oculos & mentem offendere. Conſule Ludovicum Habert *de Matrim. cap.* 6. §. 3. *q.* 8. P. Antoine *Tract. de obliga. cap.* 3. *q.* 8. Continuatorem Tournely *tract. de præcept. ſecundæ tabulæ cap.* 1. *art.* 4. *ſect.* 3. & P. Danielem Concina *lib.* 2. *de Matrim. diſſert.* 4. *cap.* 9. *num* 14.

XII. Qui nupſit, poſt emiſſum votum vel Religionis, vel ſuſcipiendi Sacrum Ordinem, jam patet, quod mortaliter peccaverit, neque poteſt intra bimeſtre a contracto matrimonio licite reddere debitum, nec multo minus petere, juxta omnes, quia intra illud bimeſtre poteſt vo-

Quid de nubente cum voto Religionis, vel Ordinis sacri ca

debitum petendum, aut reddendum? votum adhuc implere; & alioquin, conſummando matrimonium, ſe reddit impotentem ad votum implendum: poſt bimeſtre autem ſi petat, & conſummet, juxta omnes, mortaliter peccat prima vice petendo; quia ſibi viam occludit implendi votum: aliis autem vicibus petendo, non peccat; quia jam votum, durante matrimonio conſummato, non amplius poteſt impleri: probabilius etiam eſt, quod peccet graviter prima vice reddendo poſt bimeſtre, ob dictam rationem, nempe ſibi viam præcludendi ab impletione voti. Ne autem peccet lethaliter reddendo inſtanter petenti; debet ei revelare votum ſuum, illudque quamprimum exequi, ne diutius torqueat alterum conjugem innocentem, qui profecto ab hoc onere liberandus erat, etiam ſtatim poſt celebratum matrimonium. Mortuo autem conjuge innocente, votum, quod erat ſuſpenſum, iterum obligat, & implendum eſt, ſi fieri poſſit.

* Idem omnino ſancit Auctor de eo, qui nubit poſt emiſſum votum Religionem ingrediendi & profitendi, ac de eo, qui matrimonium init poſt votum dumtaxat Ordines Sacros ſuſcipiendi, cum tamen, ut nobis quidem videtur, latum inter utrumque diſcrimen intercedat. Utique qui nubit poſt emiſſum votum Religionem ingrediendi, & profitendi peccat nubendo, & prima vice conſummando, ſive petendo, ſive reddendo: peccat quidem nubendo, quia tranſgreditur votum Religionis cum nuptiis incompoſſibile: peccat prima vice conſummando, quia eſt ei liberum Religionem ingredi, & ad id ante conſummationem tenetur; cum profeſſio Religioſa matrimonium ratum diſſolvat. At matrimonio prima vice, etiam intra bimeſtre conſummato, poteſt petere debitum; quia haud amplius eſt impeditus: non voto caſtitatis; quia votum Religionis non eſt votum caſtitatis; nec voto Religionis; quia matrimonio ſemel conſummato non poteſt Religionem ingredi. Attamen non ob id ceſſat votum, ſed ſuſpenditur, ut obſervant P. P. Salmanticenſes *tract.* 15. *de Statu Religioſo cap.* 2. *punct.* 2. *num.* 15. " unde, *ſubdunt*, cum primum illud „ poſſit exequi, tenetur: & ſic, ſi Conjux velit ſimul ingredi Religionem, ſi „ committat adulterium, in hæreſim labatur, aut moriatur, aut libere facultatem ingrediendi concedat, aut alia „ cauſa ſubſit juſti divortii, tenetur tunc „ ingredi Religionem, & ſi tunc non impleat, graviter peccabit, aut etiam remittendo adulterium ab altero commiſſum, aut ipſe adulterando, quomodo „ fieri poteſt compenſatio in delicto, ut „ non detur juſta cauſa divortii; quia ſic „ denuo ſe impotentem reddit ad ſtatum „ promiſſum, & propria ſponte, non obligatione matrimonii coactus ab eo retrahitur.

In caſu autem adulterii, licet prima vice petendo, aut reddendo peccet; attamen non poſtea; quia per remiſſionem factam amiſit jus ad Religionis ingreſſum, vivente uxore, ut docet Felix Poteſtas *tom.* 1. *part.* 4. *cap.* 9. *num.* 4266.

Qui vero matrimonium init poſt votum ſuſcipiendi Ordines Sacros peccat ſolum nubendo, non conſummando, etiam petendo, quidquid in oppoſitum ſentiant nonnulli, quibus & Auctor adſtipulatus eſt. Quippe nubendo factus eſt impotens ad votum implendum; nam per Sacri Ordinis ſuſceptionem non diſſolvitur matrimonium ratum, antea contractum, ſicut diſſolvitur per ſolemnem Religionis profeſſionem.

In caſu autem, quod alter conjux adulterium committit, tunc tenetur implere votum ſuſcipiendi Sacros Ordines, nec poteſt ulterius petere, aut reddere, quia cum adulter amiſerit jus ad petendum, eſt ei liberum non petere, nec reddere, & ſic votum implere. Idemque aſſerendum in aliis caſibus ſupra recenſitis. Videatur Felix Poteſtas *loco citato nu.* 4267. Et ita clarius expoſita remanent quæ tradit Auctor *num. præced.* quæque nos in anteriori adjecimus Editione.

Obſervandum inſuper, quod peccet graviter prima vice reddendo, etiam tranſacto bimeſtri, qui nupſit poſt emiſſum votum Religionis &c. Oppoſitum quidem in anteriori Editione docuimus quorumdam Doctorum & præſertim P P. Salmanticenſium *loc. ſupra cit.* auctoritate nixi. At modo re maturius perpenſa, ſeriuſque diſcuſſa, aſſerimus amplectendam eſſe ſententiam Auctoris, qui *num. præced.* merito cenſet probabilius eſſe, quod graviter peccet prima vice reddendo, bimeſtri etiam elapſo; eo quia etiam ſimpliciter reddendo ſibi viam præcludit ab impletione voti. Ne autem peccet lethaliter, reddendo inſtanter petenti, id exequi debet, quod *ibidem* Auctor idem ſuggerit. Legantur P. Baſilius Pontius de Sacramento

Ma-

Digitized by Google

Matrimonii *lib.* 10. *cap.* 5. *num.* 2. *&* 3. ubi abſolute aſſerit certum eſſe illum, qui emiſit Religionis votum, obligari ante conſummationem matrimonii ad ingrediendam Religionem; & P. Renatus Hyacinthus Drouven *de Re Sacramentaria tom.* 2. *lib.* 2. *q.* 4. *Cap.* 3. §. 3. qui ad hoc quæſitum 1. *Utrum voto ſimplici amplectendæ Religionis obſtrictus, ſi poſtea contraxerit matrimonium, ante ejus conſummationem, profiteri vitam Monaſticam teneatur?* nulla adhibita diſtinctione, affirmative reſpondet.

Quid circa debitum ejus qui nupſit cum voto caſtitatis?

XIII. Similiter qui nupſit cum voto caſtitatis perpetuæ, graviter peccavit nubendo, quia ſe conſtituit in ſtatu votum non implendi; tenetur intra bimeſtre abſtinere a petendo, & reddendo, cum ſaltem quoad hoc poſſit votum implere: poſt bimeſtre autem tenetur reddere petenti; ipſe vero nunquam petere poteſt ſine peccato: ut autem a tanto periculo ſe liberet, diſpenſationem obtineat ab habente facultatem diſpenſandi: & circa hoc vide tradita in tract. 4. c. 10. §. 5. n. 57.: & meminerit diſpenſatus ad petendum debitum, ut etiam alibi diximus, quod quilibet actus impudicitiæ extra matrimonium eſt contra votum; & quod, mortuo conjuge, votum reviviſcit, itaut neque ulterius nubere poſſit, abſque diſpenſatione nova: ita omnes, juxta ſtylum Sacræ Pœnitentiariæ.

Ad uberiorem doctrinæ ab Auctore *n. præc.* traditæ explicationem ſequentia animadvertenda occurrunt cum cl. Sylvio *in Sup. q.* 53. *art.* 1.

1. Ordinarie peccat mortaliter is, qui poſt votum ſimplex continentiæ contrahit matrimonium; quia ordinarium eſt, quod contrahentes habeant voluntatem conſummandi.

Si quis autem voto ſimplici obſtrictus contraheret animo tranſeundi ad Religionem ante conſummationem; non peccaret quidem contra ſuum votum: ſed tamen niſi haberet juſtam cauſam id faciendi, peccaret, tum decipiendo ſponſam, tum ei nocendo: quippe quæ non tam facile alteri nubet ob ſuſpicionem vel copulæ, vel alicujus, quod in ea ſponſo diſplicuerit.

Dixi: *niſi haberet juſtam cauſam*. Si enim rationabiliter aliqua cauſa ſubſit; non eſt illicitum habenti votum continentiæ Matrimonium contrahere animo non conſummandi illud, ſed ingrediendi Religionem.

2. Qui poſt votum ſimplex continentiæ contraxit matrimonium, juxta D. Thomam *in Suppl. q.* 53. *art.* 1. *ad* 3. non poteſt ſine peccato mortali illud conſummare, ne quidem reddendo debitum, niſi prius tentet ea media, quibus poſſit votum ſuum obſervare. Nam per conſummationem facit contra votum; & reddit ſe impotentem ad illud deinceps obſervandum: antea vero ſunt ei aliquot modi poſſibiles ad non violandum votum, ut ſi diſpenſationem obtineat, ſi alteri perſuadeat vel continentiam vovere, vel cedere juri petendi debitum, aut ſi alter jus petendi amiſerit ante conſummationem matrimonii. Quando nihil eſt iſtorum, ſubdit idem Sylvius, ſi is qui voverat, eſt ad Religionem idoneus, tenetur eam ingredi ad præſtandum quod promiſit: quia non ſupereſt ei alia via. Si vero non eſt idoneus ad Religionem, & ſatis certum eſt, eum in nullo Monaſterio eſſe recipiendum; non licet quidem ei matrimonium conſummare debitum exigendo, eo quod votum ſervare debeat quantum poteſt; non peccabit tamen, ne quidem prima vice, ſi rogatus conſummet; quia ad hoc tenetur, cum non poteſt modis prædictis ſervare continentiam.

3. Qui poſt votum ſimplex conſummavit matrimonium abſque diſpenſatione; ſive bene fecerit, ſive male, non peccabit deinceps reddendo debitum; peccaret tamen petendo. Prius probatur; quia poſt conſummationem matrimonii eſt obligatus ad reddendum debitum; idque ſive petatur formaliter, ſive interpretative. Poſterius; quia adhuc tenetur ſervare votum quantum poteſt; poteſt autem non petere debitum; nam ex matrimonii vinculo non obligatur ad debitum petendum: ergo non poteſt petere debitum ſine peccato. Ita D. Thomas *loco citato ad* 4. addens, quod *mortua uxore tenetur totaliter continere*.

Notandum demum & hic diſcrimen, quod intervenit inter eum qui nubit poſt emiſſum votum caſtitatis, & eum qui matrimonium contrahit poſt emiſſum votum non nubendi. Qui nubit poſt emiſſum votum caſtitatis ad omnia recenſita tenetur. Qui vero matrimonium contrahit poſt emiſſum votum non nubendi, peccat contrahendo, ſed poſt contractum licite debitum petere, & reddere poteſt: at uxore mortua, nuptiis abſtinere debet.

Digitized by Google

Quid de eo, qui poſt matrimonium votum caſtitatis emittit?

XIV. Si alter conjugum, poſt contractum matrimonium, votum caſtitatis emittat, tenetur abſtinere a petendo debito: reddere autem tenetur petenti, qui ſuo jure privari nequit; & non debet difficultates opponere petenti: Si votum emiſerit de licentia alterius, qui tamen non intendiſſet, concedendo licentiam, cedere juri ſuo, quod non eſt de facili præſumendum; tenebitur pariter reddere, ſi autem & ille ceſſiſſet juri ſuo, tunc nec reddere poteſt. Si vero, ſtantibus his, ſtimulis importunis vexentur, ita ut in periculo labendi ſe experiantur, diſpenſationem petant, vel commutationem voti. Hinc patet, hæc vota non eſſe emittenda, nec admittenda ab altero, niſi poſt longam orationem, & maturam conſultationem cum viris doctis, & expertis; qui plerumque ne emittantur conſilium dabunt.

Rejicitur opinio quorumdam.

XV. Quod autem aliqui dicunt, poſſe alterum conjugem liberum a voto, & jus ſuum amittere nolentem, licite reddere illicite petenti, ita abſolute non approbatur ab aliis; eo quod manifeſte cooperetur peccato alterius: niſi addatur limitatio, nempe niſi prudenter timeat morali certitudine, petentem in alias turpitudines prolapſurum, vel odia, & gravia diſſidia inde oritura; quia tunc reddendo, permittit minus malum: ut longe majus impediat. Conjux itaque liber charitative aget, ſi ipſe primus petat, ſtatim ac animadvertit in altero ligato ſigna quædam remota voluntatis petendi; & hunc inducat ad petendam diſpenſationem, ut ab his offendiculis ſe expediat. Multo minus verum eſſe poteſt, licitum eſſe ſibi invicem reddere, ſi ambo conjuges ſint eodem voto obſtricti, ob allatam rationem, eo quod cooperentur alieno peccato; & alioquin votum ſimul emittendo ceſſerunt juri petendi, & reddendi, ut optime notavit Navarrus c. 16. cum aliis. Immo ita expreſſe docuit S. Auguſt. in Epiſt. 199. novæ editionis: *Quod Deo pari conſenſu ambo voveratis, perſeveranter uſque in finem reddere Deo ambo debuiſtis; a quo propoſito ſi lapſus eſt ille; tu ſaltem inſtantiſſime perſevera.* Hæc igitur vota non emittantur, niſi poſt longam, & maturam cum doctis, & expertis conſultationem.

✠ Recole quæ adjecta ſunt tom. 1. tract. 4. cap. 10. §. 5. poſt num. 5.

Quid circa locum debiti reddendi.

XVI. Circa locum exercendi actum conjugalem, excluditur communiter locus Sacer cum S. Antonino 3. p. tit. 1. cap. 21. §. 2. *Secundus caſus eſt, quantum ad locum, ne videlicet in loco Sacro: ſive ergo habeatur alius locus, ſive non poſſit haberi alius locus ad hoc, certum eſt, quod non licet petere, ſed nec reddere alteri illud, quod reddi non poteſt ſine irreverentia loci Sacri: nam propter hoc indiget reconciliatione, ſecundum Joannem Andream, quantum eſt ex natura facti, licet per accidens, ſi eſt occultum, non indigeat reconciliatione, quod etiam ponit Hoſtienſis*: propterea ſecundum aliquos auctores dumtaxat excuſantur, ſi diutius in loco Sacro commorari compellerentur, & interea gravi tentatione incontinentiæ pulſarentur cum periculo pravi conſenſus.

* Diſſidium non leve inter Theologos eſt, an valeant conjuges abſque peccato actui matrimoniali operam dare diebus Dominicis ac Feſtis. Affirmant plurimi Probabiliſtæ, quos recenſere longum nimis foret. Negant alii, aſſeruntque, peccare venialiter Conjuges illis diebus debitum petentes, niſi rationabilis cauſa excuſet. Fatentur tamen, licite debitum reddi poſſe, ſi petens monitioni non acquieſcat. Imo, ajunt, petitio videtur poſſe excuſari a culpa per grave periculum incontinentiæ, quod vix aliter amoveri poſſet. S. P. Benedictus XIV. *de Synod. Diœc. lib. 5. Cap. 1. n. 8.* plures oculis ſubjicit Eccleſiæ ſanctiones, ex quibus colligitur, in ſolemnioribus feſtivitatibus, ac jejunii diebus, quibus peculiariter erat orationi vacandum, vetitum fuiſſe conjugibus matrimonii uſum; hiſque relatis, ſic mentem ſuam aperit: " Hæc fortaſſe, *inquit*, aliaque hujus generis multa, ignota fuerunt nonnullis Theologis Moralibus, qui antiquam diſciplinam ex hodierna metientes, atque illam huic accomodantes, quod ſæpe ab iiſdem fieri, notavit Cardinalis Bona *Rer. Liturg. lib. 1. cap. 18. num. 1.* non dubitarunt affirmare, nunquam ab Eccleſia fuiſſe uſum conjugii certis diebus interdictum; cum potius aſſerere debuerint, nunc intra meri conſilii limites contineri, quod olim ſevera lege erat prohibitum; ſicuti ſcite ponderat Catalanus *in Comment. ad Pontific. Rom. tom. 3. tit. de Ordine ad Synodum* §. 22. Hucuſque S. P. Benedictus. Habent hic, ut obſervat recens Theologus, quod diſcant tum ſeverioris, tum mitioris Ethices ſectatores.

Aliud excitatur dubium; an licitum ſit accedere ad Euchariſtiam poſt conjugalem

Digitized by Google

galem copulam? Miſſis laxis nonnullorum Theologorum circa hanc difficultatem opinionibus, ſequentia ſubjicimus, quæ probabiliora exiſtimat Sylvius *in* 3. *part. q.* 80. *art.* 7.

Primum, *ait*, ſive illa (nempe copula conjugalis) fuerit per redditionem debiti, ſive per petitionem, conveniens eſt eodem die a communione abſtinere. De Conſecratione diſt. v. cap. *Omnis*: niſi juſta aliqua cauſa oppoſitum ſuadeat, ut feſti ſolemnitas, dies indulgentiarum, ſpecialis devotio, nota quædam ex communionis omiſſione.

Secundum, Is qui debitum reddit poteſt abſque ulla culpa communicare, & quandoque etiam is, qui petit, ut ſi petit cauſa prolis. Qui vero venialiter delinquit in petendo, ſæpe venialiter peccabit, eodem die communicando, niſi cauſæ aliquæ rationabiles indecentiam reſarciant.

Tertium, Conjux, quæ eſt communicatura, non propterea excuſatur a redditione debiti, ſi alter inſtat; ſicut nec excuſatur ex eo quod illo die communicaverit: quamvis ſi honeſte ſuadere poſſit dilationem, hoc facere debeat ex decentia, & Sacramenti reverentia. Eadem ferme ex doctrina, quam tradit D. Thomas *loc. cit. ad* 2. colligit & docet etiam P. Daniel Concina *lib. 3. de Eucharistia diſſert.* 1. *cap.* 11. §. 3. *n.* 21. qui inſuper tam ibi, quam etiam *lib.* 2. *de Matrim. diſſert.* 4. *c.* 6. *n.* 11. *& ſeqq.* jam indicatas laxas quorumdam Probabiliſtarum circa hoc punctum opiniones refellit, eaſque longe a Sacrorum Canonum, Conciliorum, ac Patrum doctrina diſtare oſtendit. Legatur ſpeciatim Catechiſmus Concilii Tridentini, *part.* 2. *cap.* 4. §. 58., *& cap.* 8. §. 34.

Illicite petitur a conjuge inceſtuoſo.

XVII. Illicita mortaliter eſt petitio debiti conjugi illi, qui copulam conſummatam habuit cum perſona conſanguinea ſui conjugis in primo, aut ſecundo gradu; eo quia peccando cum tali perſona, contraxit affinitatem cum ſuo conjuge; quæ affinitas, utpote ex copula illicita, non ſe extendit ultra ſecundum gradum; habere autem copulam cum perſona affine eſt inceſtus; idcirco ille conjux, qui dicto modo peccavit, non poteſt petere debitum, ne inceſtum committat; & privatur hoc jure petendi, donec obtinuerit diſpenſationem ab habente facultatem diſpenſandi. Tenetur tamen debitum reddere conjugi innocenti, qui non debet privari jure ſuo. Dixi conjugi innocenti; quia ſi & ipſe operam contuliſſet ad inceſtum conjugis cum perſona ſua conſanguinea, perderet quoque & ipſe jus ad petendum ab affine, quia talis evaſit etiam per cooperationem ſuam. Omnia hæc ſunt communia, deprompta ex variis canonibus.

Notanda circa hoc.

XVIII. Circa modo dicta notandum eſt, quod ab incurrendo hoc impedimento non petendi debitum, non excuſat ignorantia legis, illud inducentis; quia ut dicitur in capite de ignorantia 13.: *ignorantia facti, non juris excuſat:* hoc enim ipſo quod noverat, ſe inceſtum committere cum perſona conjugis conſanguinea, & ſibi affine, tenebatur ſcire, quod contrahebat affinitatem cum ſuo conjuge; eo quod cum perſona affine nequit licitus haberi congreſſus; aliud autem eſſet, ſi ignoraſſet invincibiliter perſonam illam eſſe conſanguineam conjugis, quia cum non perpetraſſet inceſtum formalem, nec impedimentum petendi debiti contraxiſſet; ſecus vero, ſi dubitaſſet eſſe conſanguineam conjugis: aut ex metu quamvis gravi peccaſſet; contraxiſſet enim dictum impedimentum; quia in dubio illo tenebatur abſtinere, & metus ille relinqueret voluntarium ſimpliciter inceſtum commiſſum; non enim hæc privatio petendi eſt cenſura, a qua incurrenda excuſet metus gravis, ſed juſta punitio, ſequens delictum inceſtus.

Quando licite petat debitum conjux effect. affinis ſpiritualis?

XIX. Non privatur jure petendi debitum conjux, qui baptizat proprium filium in neceſſitate, ut docet S. Thomas in 4. diſt. 42. q. 1. art. 1.: *Aut inducitur cognatio cauſa neceſſitatis, ſicut cum Pater baptizat puerum in neceſſitate; & tunc non impedit actum matrimonii ex neutra parte: aut inducitur extra caſum neceſſitatis, ex ignorantia tamen; & tunc ſi ille, ex cujus actu inducitur, diligentiam adhibuit, eſt eadem ratio ſicut eſt de primo:* (ideſt non privat jure petendi) *aut ex induſtria extra caſum neceſſitatis; & tunc ille, ex cujus actu inducitur, amittit jus petendi debitum: ſed tamen debet reddere, quia ex culpa ejus, non debet incommodum alius reportare.*

Jus petendi amittitur per adulterium, & quomodo?

XX. Conjux, qui committit adulterium, juxta communem, fundatam in lege Canonica, privatur jure petendi debitum hoc modo, nempe quod non poſſit conſtringere alterum conjugem innocentem ad ſibi reddendum debitum: ex quo patet, quod innocens poſſit, ſi velit, hoc jus illi reſtituere. Circa hoc Caietanus, cui etiam multi ſubſcribunt contra Navarrum,

varrum,

varrum, & alios, contendit, quod ad hoc ut nequeat reus obſtringere innocentem ad ſibi reddendum, requiratur ut innocens conſcius ſit adulterii a conjuge commiſſi, quia ſi innocens reatum alterius ignoret; & reus poterit obligare ad reddendum, & innocens ignorans reddere tenebitur: rationem affert, quia cum privatio juris petendi ſit pœna, nemo tenetur ſibimet illam inferre, ſed inferri debet a judice, qui judex in hoc caſu eſt conjux innocens: quandiu igitur hic ignorat crimen, illud punire non poteſt. Addendum putarem, quod cum nemo teneatur crimen ſuum prodere, ſi conjux reus non peteret ſicut antea conſueverat, daret occaſionem alteri innocenti, ſuſpicandi de patrato crimine; unde innumera profluerent incommoda, ut patet. Si autem conjux innocens noverit adulterium alterius, poteſt ei denegare debitum, etiam pro ſemper: ipſe tamen poteſt illum obſtringere ad ſibi reddendum. At interrogabis: numquid per hanc petitionem cenſebitur remittere eidem injuriam? Reſpondeo, quod in foro fori hæc petitio, præcipue aliis amatoriis ſignis ſociata, reputatur pro remiſſione, niſi forte petens expreſſe ſe declaret, per illam petitionem non intendere injuriam remittere, neque cedere juri ſuo denegandi, ſed dumtaxat intendere uti jure ſuo: pro foro autem conſcientiæ dicendum, quod ſi petat, aut petenti reddat animo poſitivo non cedendi juri ſuo denegandi ſi voluerit, reus revera non acquirit jus deperditum; ſi vero ſponte petat; aut petenti reddat, amatorie ſe gerendo, & præſcindendo a condonatione, ab eademque abſtrahendo; jam cenſebitur remittere, præcipue ſi reo petenti reddat ita amatorie; nec abſque novo reatu poterit amplius petenti denegare. Reo itaque noto relinquitur facultas petendi non ut ſtricte debitum, ſed amiciter, & ſuppliciter. Monendum tamen cenſeo, quod ſi conjux innocens, & conſcius criminis prudenter prævideat, ex denegatione, præcipue diuturna, debiti, imminere reo pericula gravis incontinentiæ, aut concipiendi odium, excitandi diffidia &c., putarem, quod ex charitate teneretur innocens hæc mala impedire, aut petendo ipſe tali frequentia, quæ alterius infirmitati ſufficiens eſſe poſſit, quamvis declarando, ſe non remittere; aut, ſi hæc non ſufficiant ad præcavenda dicta inconvenientia, eidem remittendo injuriam, & maxime poſt elapſum aliquod tempus denegati debiti, ne averſio, & odium permanens excitetur, & foveatur in reo. Moneo item, quod innocens teneatur ex animo remittere offenſam, & parcere adultero quoad animum, hoc eidem ſignificando, quod parcit pro offenſa: at quod non remittit jus deperditum; quia cum omnes fideles teneantur remittere quaſcumque alias offenſas ex lege Chriſti; multo magis conjuges: & ſicuti remittendo non tenentur fideles relaxare debita ex irrogatis offenſis ſecuta; ita etiam conjux innocens remittendo injuriam, non tenetur relaxare reo amiſſum jus. Nihilominus ſe gerat modo inſinuato, & chriſtiana utatur œconomia in caſtigando reo.

XXI. Illicitus eſt congreſſus conjugalis quando oritur dubium de valore celebrati matrimonii: Ut autem hæc difficultas ſatis implexa clare reſolvatur; obſerva cum Angelico in 4. diſt. 38. in fine expoſitionis literæ, loquente de impedimento ligaminis, quod etiam de aliis eſt intelligendum: *Si oriatur dubitatio aliqua de vita prioris viri ex aliqua cauſa, quæ etiam certitudinem facere poſſit, non debet nec reddere, nec exigere debitum: ſi autem cauſa illa facit probabilem dubitationem, debet reddere, ſed non exigere: ſi autem ſit levis ſuſpicio, poteſt utrumque licite facere, quia debet illam cauſam potius abjicere, quam ſecundum hoc conſcientiam formare*: optime tamen faciet, ſi doctum confeſſarium conſulat, an cauſa illa ſit abjicienda. Idem pluribus annis ante Angelicum docuit Lucius III. in capite *Dominus* de ſecundis nuptiis: *ſi aliquis, vel aliqua de morte prioris conjugis adhuc ſibi exiſtimat dubitandum, ei, qui ſibi nupſit, debitum non deneget poſtulanti; quod a ſe tamen noverit nullatenus exigendum*. Et Innocentius III. non multo ante Angelicum in capite *Inquiſitioni* de ſentent excom. *Diſtinguendum, utrum alter conjugum pro certo ſciat impedimentum conjugii, propter quod ſine mortali peccato non valet carnale commercium exercere, quamvis illud apud Eccleſiam probare non poſſit, an non ſciat certo, ſed credat: in primo caſu debet potius excommunicationis ſententiam humiliter ſuſtinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale. In ſecundo diſtinguimus, utrum habeat conſcientiam hujuſmodi ex credulitate levi, & temeraria, an ex probabili, & diſcreta; & quidem ad ſui Paſto-*

De illicito uſu in dubio de valore matrimonii.

Digitized by Google

ris conſilium, conſcientia levis, ac temerariæ credulitatis exploſa, licite poteſt non ſolum reddere, ſed exigere debitum conjugale: verum cum conſcientia pulſat animum ex probabilitate probabili, & diſcreta, quamvis non evidenti, & manifeſta, debitum quidem reddere poteſt, ſed poſtulare non debet; ne in alterutro, aut contra legem conjugii, vel contra judicium conſcientiæ committat offenſam. Opinio itaque quorumdam Recentiorum dicentium, quod quando ſunt opiniones utrinque probabiles de valore, vel non valore matrimonii, poſſit dubitans nedum reddere, verum & petere debitum, reprobatur his oraculis: quid enim efficit opinio utrinque probabilis, niſi rem eſſe dubiam? atqui in tali dubio negant Pontifices, & poſt ipſos Angelicus, debitum licite peti poſſe; igitur &c.

Reſolvitur quid agendum in praxi?

XXII. Quid itaque agendum dubitanti, vel dubitantibus utriſque, quia tunc nec reddere poſſent? debet, qui dubitat, deſiſtere a petendo debito, quouſque omnem, quam poſſit, diligentiam adhibeat, ut veritatem aſſequatur; & ſi veritas declaret, fuiſſe impedimentum dirimens, procuranda ſtatim erit diſpenſatio, & interea abſtinendum erit etiam a redditione debiti. Id autem quomodo exequendum ſit, commodius dicetur ſuo loco, nempe §. 30. hujus capitis de matrimonio. Si autem veritas haberi non poſſit, poſt adhibitam omnem moralem diligentiam, ſed adhuc dubium ſubſiſtat; dicunt quamplures cum Doctiſſimo Soto lib. 4. de juſt. q. 5. a. 4. & in 4. diſt. 27. q. 1. a. 4. licite poſſe etiam petere: rationem afferunt; quia ita reſolvitur quæſtio quæcunque de dubitante circa legitimam poſſeſſionem rei, quam bona fide poſſidere cœpit, nempe quod poſt omnem moralem diligentiam adhibitam, ſi dubium purgari nequeat; quiete poſſideat; propter illud ſolemne in materia juſtitiæ: *in dubio melior conditio poſſidentis*; eo quod ipſa poſſeſſio bona fide cœpta afferat titulum juſtæ poſſeſſionis, quo caret, qui non poſſidet; & id quoque verificatur in caſu noſtro pro valore matrimonii; quandoquidem omnis moralis adhibita diligentia ad aſſequendam veritatem efficit ignorantiam invincibilem de contrario, ſi veritas haberi non potuit.

Notabile non prætereundum.

XXIII. Conſulto ſemper dixi de dubio exorto poſt contractum bona fide matrimonium; nam, ſi antequam contraheretur, ab hujuſmodi dubio pulſabantur contrahentes, & nihilominus contrahere voluerint, antequam veritas illuceſceret, juxta omnes, nec petere, nec reddere poſſunt debitum conjugale, eo quod poſſeſſio, quæ incepit cum mala fide, nullum jus tribuit in dubio de poſſeſſione: propterea & graviter peccarunt contrahendo, & ſemper peccant conſummando. Si vero unus dumtaxat contrahentium dubitavit, nec diligentiam adhibuit, ut dubium purgaret, neque alteri contrahenti quidquam manifeſtavit, tenetur, ut dictum eſt, a petendo abſtinere; reddere autem debet petenti innocenti poſt bimeſtre. Dixi poſt bimeſtre; quia cum intra bimeſtre negare licite poſſit, reddere non debet; & interea pacifice conquieſcere faciat conjugem, atque omni diligentia procuret, ut dubium purificetur; quod ſi purificari non poſſit, reddere tenetur debitum poſt bimeſtre; an autem petere poſſit illud, non auſim affirmare, ob canones allatos loquentes de contrahente bona, & non mala fide. Quid igitur ei agendum erit? exponat ſincere caſum ſacræ Pœnitentiariæ, ſi ſit occultum, & ſublationem impedimenti ſimiliter petat ſub conditione quod adſit; & ea obtenta petere licite poterit.

✠ Sentiunt plures graviſſimi Doctores quod qui poſt contractum bona fide matrimonium, dubitat de ejus valore, non poſſit debitum petere etiam poſt omnem adhibitam diligentiam ad inveniendam veritatem, ſi reapſe dubium adhuc perſeveret, ne ultro ſe peccandi periculo exponat. Cenſent tamen, etiam dubio perſiſtente, teneri debitum reddere. Videatur P. Antoine *tract. de Obligat. cap.* 3. *reſp.* 2. *ad q.* 2. *n.* 4.

APPENDIX

In qua caſus nonnulli matrimonii uſum ſpectantes proponuntur, ac reſolvuntur.

Libet in hac Appendice caſus nonnullos matrimonii uſum ſpectantes examini ſubiicere, ac diſcutere, utpote qui non raro in praxi occurrunt; atque adeo illorum notitia Confeſſariis, in quorum gratiam hoc Opus conſcriptum eſt, valde neceſſaria cenſetur. Id autem præſtabimus maxima qua fieri poterit verecundia, cautionibuſque adhibitis, ne cujuſquam aures offendamus. Itaque

Quæres 1. num uxor teneatur reddere debitum marito, qui ſenio confectus, nequit

quit amplius præ naturæ debilitate copulam perficere?

Reſp. Difficultatem hanc excitat, ſicque decidit Joannes Pontas *Verb. Debitum Conjugale caſ.* 40. Si non ita impotens, *ait*, ſit vir quin aliquando, puta ſemel in uno, aut altero menſe copulam perficere valeat, certum videtur illius uxorem ad debitum ei perſolvendum etiam ſub peccato mortali teneri: at e contra; ſi tanta laboret impotentia, ut copulam ſæpius tentatam perficere, ac ſemen intra vas muliebre nullatenus emittere valeat, tenetur uxor debitum prorſus denegare. Hac ſiquidem de cauſa: *Qui impotentes ſunt, minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur,* ut loquitur Alexander III. ad Ambianenſem Epiſcopum reſcribens in cap. *Quod ſedem 2. de frig. & maleſ. l. 4. tit.* 15. In eamdem ſententiam concedit & Continuator Tournely *tom. 3. cap. 1. de Quarto Decal. præcept. art. 4. ſect. 2.*

Quæres 2. an lethaliter delinquat uxor, quæ conjugale debitum reddit viro, quem experientia novit in actu ipſo ſeſe retrahere cum effuſione ſeminis extra vas?

Reſp. Virum, qui ita ſe gerit, turpiſſimo ſe crimine commaculare, certiſſimum eſt: *Illicite namque* verba ſunt S. Auguſtini *lib. 2. de adult. conjugiis cap.* 12.) *& turpiter etiam cum legitima uxore concumbitur, ubi prolis conceptio devitatur, quod faciebat Onan filius Judæ, & occidit illum propter hoc Deus.* Idem repetit & lib. 1. *de Nuptiis cap. 15. num.* 17. Quod autem ſpectat ad uxorem, quæ viro ſic ſe gerenti debitum perſolvit, ita difficultatem extricat præcitatus Pontas *ibidem caſ.* 55. " Si viro, *inquit*, ita ſe ,, interdum retrahenti nullatenus conſentiat uxor, imo vero quantum poſſit ,, obſiſtat, nulli eam obnoxiam eſſe peccato, certum videtur, quod exemplo ,, *Her*, *&* *Onam* filiorum Judæ (*Gen.* ,, 38.) probari poteſt; quamvis enim punitio Onan terribilis fuerit; ejus tamen uxor Thamar a Deo ob nefandum ,, viri ſcelus punita non fuit; ac certe quidem, quia ipſi ſe retrahenti non conſentiebat; imo prolem ex benedicta a Domino ,, ſtirpe Abrahæ, Judæque Patriarchæ Soceri ſui, vehementer exoptabat. ,, Prævit ipſi in hac propugnanda ſententia P. ,, Baſilius Pontius *de Sacr. Matr. lib. 10. c.* ,, 11. *num.* 8. ſed aliis innixus argumentis,

Verum eam ut laxam, & evidenter falſam improbant, atque explodunt graviores Theologi. Speciatim P. Daniel Concina Pontaſium refellit *lib. 2. de Matr. diſſert. 4. cap. 9. num.* 5. Quid heinc? (ſic ipſe poſt exhibitam illius reſponſionem, & probationem) Ergo non peccavit Thamar, quia percuſſa non legitur? Inepta conſecutio iſta. Semperne Deus omnes peccatores manifeſto temporali ſupplicio plectit? Severe animadvertit Deus & in *Her* primogenitum nequam, & in *Onam* rem deteſtabilem agentem. Punitionem Thamar non legimus; at non inde legitime infertur: ergo non peccavit, ſi advertit, & non negavit congreſſum; quia, ut dixi; non omnia ſcelera Deus in hoc Mundo punit. Peccat ergo talis mulier debitum non negando, quando experientia didicit, belluinum maritum conſueſcere ſemen ad generationem deſtinatum prodigere; quoniam debitum reddendo rei natura ſua malæ, & illicitæ dat operam.

Huic opinioni ſubſcripſit & Continuator Tournely *loc. ſupra cit.* poſito tamen, quod mulier ex continua experientia compertum habeat, maritum deteſtabile Onami ſcelus perpetrare, ſive ne proles concipiatur, ſive alia de cauſa. Nam ,, aliter dicendum, ,, *ſubdit*, ſi vir identidem copulam perficiat, quia non licet ob incertum crimen jure ſuo radicali quempiam ſpoliare. Interim, *addit*; uxor virum ſerio ,, monere debet, ut a tanto crimine abſtineat. "

Idem vero Theologus tum *ibidem*, tum etiam *tract. de Matrim. cap. 7. num.* 17. in controverſiam vocat, an poſſit uxor, quæ alterum Onam in matrimonio experitur; debitum reddere ad evadendam mortem, quam maritus illi comminatur, ni acquieſcat, aut petere, vel reddere debitum ad vitandum grave incontinentiæ periculum, in quo verſatur? Refert ipſe in primis ſententiam illorum Theologorum, qui id negant; illorumque argumenta ob oculos ponit. Deinde contra ea plures difficultates proponit; ac tandem anceps hæret, ſicque concludit *loc.* poſtremum *cit. n.* 22. ,, Verum hæc, quod jam monui *tom.* 4. ,, non tam aſſerendo, quam doctiorum ,, examini ſubjiciendo, dicta ſint. Qui ,, Theologum hærere, ac judicii ſuſpenſum eſſe mirabitur, is vel Theologos ,, nullos legit, vel Auguſtinum nec a limine ſalutavit. " In Inſtitutionibus vero Theologicis *tract. de Decal. cap. 4. art. 4. ſect. 2.* ad ſecundam partem propoſiti caſus quod ſpectat, hæc docet: ,, Poterit,

,, in.

Digitized by Google

„ inquit, quantum exiſtimo (mulier, quæ „ verſatur in gravi incontinentiæ periculo) debitum reddere, aut petere, ſaltem ſine gravi culpa, ſi poſt adhibita „ remedia orationis, eleemoſynæ &c. idem „ grave incontinentiæ periculum continuare ſupponatur. Sicut enim ob gravem cauſam licet Sacramenta petere ab „ infami Miniſtro, quia poteſt is id quod „ petitur, legitime dare; ſic & videtur „ uxor uti poſſe jure, quod habet ad copulam, quia penes maritum eſt legitime „ copulari: Equidem conſtat eum non id „ facturum ſine peccato; ſed conſtat etiam „ malum Parochum non daturum Sacramenta ſine crimine."

Quæres 3. num graviter peccet mulier, quæ, cum frigidior ſit a natura, tactibus ſeſe ad ſeminandum excitat, poſtquam vir ſeminavit, & ſeſe retraxit?

Reſp. Circa involutam hanc, ac ſalebroſam difficultatem nonniſi aliorum ſenſa promere in animo eſt. Sunt qui ſuſtinent poſſe mulierem in tali caſu tactibus ſe excitare ad ſeminationem; quia, inquiunt, iſta excitatio eſt actus conjugalis conſummatio & perfectio; & alioquin maximo periculo committendi peccata mortalia exponeretur. Sententiam hanc nuperrime adoptavit P. Carolus Renatus Billuart O. P. *tom.* 19. *tract. de Matrim. Differt.* 4. *art.* 3. Eam vero rejicit Ludovicus Habert *de Matrim. cap.* 6. §. 2. ſed obſcure, ut animadvertit Continuator Tournely *tract. de Matrim. cap.* 7. *num.* 24. Interim ille hiſce verbis Confeſſarium monet: „ Quoniam, ait, iſthæc incommoda accidunt „ ex natura frigidiore in quibuſdam mulieribus, conſulet Confeſſarius, ut ante actum conjugalem faciant quæ neceſſaria „ ſunt ad commovendam libidinem, ſeclu„ ſo tamen pollutionis periculo." Et relata S. Auguſtini auctoritate ex *lib.* 1. *de nupt. & concupiſc. cap.* 24. ſic concludit: „ Igitur tactus & alia, quæ præmittun„ tur, non voluptatis, ſed neceſſitatis gratia ad commovendum libidinoſum illum „ ardorem in ordine ad copulam ſunt prorſus innoxia, ſicut & ipſa copula, iiſque „ uti poſſunt, & debent mulieres naturæ „ frigidioris, ne poſt concubitum acrioribus urantur ignibus." *Id & ego ſuaderem*, inquit præcitatus Continuator Tournely ibidem; *ſed fœminas contrariam opinionem animo repugnante ſequentes acriter redarguere non auſim.*

Addit Sanchez *lib.* 9. *diſp.* 17. *n.* 11. poſt Cardinalem Cajetanum, Tabienam, &c. fas eſſe marito, ubi ipſe ſemen effudit, copulam continuare, donec femina ſeminet; quia id pertinet ad completam uxoriæ copulæ conſummationem. Videatur & Paulus Zachias *Quæſt. Medico Legal. tom.* 2. *lib.* 7. *tit.* 3. *quæſt.* 6.

Hæc prudens Confeſſarius præ oculis habeat; ſitque valde cautus, & circumſpectus, dum de iſtis materiis diſſerere cogitur; & requiſitus ſemper ea ſuggerat, quæ, habita ratione circumſtantiarum, ad removendum pœnitentem a periculo peccandi aptiora ſibi videbuntur.

Quæres 4. an ſit lethalis culpa delectatio moroſa de cogitatione concubitus habiti, vel habendi ab altero conjuge, dum talis copula de præſenti nequit haberi?

Reſp. Ut perſpicue quæſtioni reſpondeamus, quod certum eſt ab eo quod in controverſiam vocatur, ſecernamus oportet. Certum eſt, illicitos eſſe conjugibus, quemadmodum ſolutis, tactus libidinoſos cum ſemetipſis, quando ſunt abſentes, nec habere congreſſum valent; quippe tactus libidinoſi ſuapte natura inclinant ad pollutionem, ac proinde conjuges peccant mortaliter in caſu abſentiæ tales actus exercentes. In hoc itaque repoſita difficultas eſt, an ſola delectatio moroſa de cogitatione concubitus habiti, vel habendi ab altero conjuge, dum talis copula de præſenti nequit haberi, ſit mortale peccatum?

Diſſident invicem Theologi ſuper hac quæſtione. Negant plures recentiores. Adfirmant e converſo alii non pauci, iique graviores, quorum ſententia probabilior eſt, dum delectatio eſt cum commotione carnis, alteratione ſpirituum, & partium titillatione, ut communiter eſt ejuſmodi delectatio. Licet enim delectatio iſthæc ſit de actu licito & honeſto, ſeu objectum reſpiciat licitum & honeſtum; attamen cum actus alioquin licitus & honeſtus reipſa hic & nunc exerceri nequeat, ut ſupponitur, jam delectatio impræſentiarum vitioſa evadit & criminoſa, cum gravem importet genitalium ſpirituum commotionem, quæ de ſe ad mollitiem tendit, in iis, in quibus ad matrimonii uſum tendere actu non valet. Hinc ut laxa, & a veritate prorſus aliena rejicienda ſententia eſt, quam his verbis exponit P. Sporer *Part.* 4. *cap.* 2. *ſect.* 2. §. 4. *n.* 505. „ Licita eſt conjugibus delectatio moroſa „ venerea, ſeu voluntaria admiſſio, ap- „ pro-

Digitized by Google

„ probatio, *ac veluti fruitio delectationis venereæ* exurgentis in partibus verecundis ex commotione ſpirituum generationi inſervientium, ex copula conjugali tantum cogitata, *etiam altero conjuge abſente*, vel alias ipſa copula impedita, vel prohibita, ſecluſis ſemper tribus prædictis, periculo pollutionis, dubio de matrimonii valore, & voto caſtitatis: Communis D.D." Doctores illi; ut animadvertit P. Daniel Concina *loc. ſupra relato n.* 19., pugnantia loquuntur, & chimærica commenta ſomniant. Qua enim ratione fruitione delectationis venereæ, exurgentis in partibus verecundis ex commotione ſpirituum, ſeparant pollutionis periculum? Tali fruitioni venereæ voluntariæ cum alteratione ſpirituum, partiumque titillatione inſitum eſt pollutionis periculum. Legatur & Continuator Tournely *tract. de Decal. cap.* 6. *de* 9. *Decal. præcept. concl.* 8.

Quæres 5. quandonam intemperantia in actu conjugali exercendo ad mortalem culpam pertingat?

Reſp. Concors eſt Theologorum ſententia, intemperantiam in actu conjugali exercendo eſſe peccatum per ſe, & ex natura ſua ſolummodo veniale: idque probant ipſi auctoritate tum S. Auguſtini *lib.* 1. *de Nupt. & concupiſc. cap.* 14. tum etiam D. Thomæ *q.* 49. *Supplem. art.* 6. Tunc vero per accidens intemperantia in actu conjugali exercendo ad mortalem culpam pertingit, quando graviter nocet valetudini ſive petentis, ſive reddentis; tunc enim ſe habet, ut peccatum gulæ; quod in pari caſu lethiferum eſſe in comperto eſt apud omnes. Legantur Ludovicus Habert *loc. ſup. cit.* §. 3. *q.* 6. & Petrus Colet *cit.* pariter *cap.* 1. *de* 4. *Decal. præcept. art.* 4. *ſect.* 3.

Notandum vero, quod quando unus conjux eſt in petendo frequentior, importunior, & moleſtior quam par ſit, poteſt alter abſque peccato, ſaltem mortali, negare, ſi nullum ſit incontinentiæ periculum; quia in omnibus rebus debet modus ſervari. Si vero vel illius periculum ſit, vel is qui alias moderate petere ſolet, nunc multum inſiſtat, mortale eſt negare. Ita Sylvius *in Suppl. q.* 64. *art.* 1.

Quæres 6. num peccet mortaliter maritus, qui uxorem ſuam ita adamanter ſingulis prope diebus deoſculatur, ut inde carnales motus, & quidem vehementes, in ſe excitari ſentiat?

Reſp. Et hanc difficultatem decidit citatus pluries Joannes Pontas *tom.* 2. *V. Oſculum caſ.* 2. aſſeritque in primis, dubio procul peccare mortaliter maritum, ſi ex talibus oſculis naſcatur pollutio, vel in proximum fœdi hujus peccati periculum deveniat: at, utroque ſecluſo, lethalis noxæ damnandum non eſſe cenſet; cum & ipſe carnalis actus ſit inter conjuges non modo licitus, verum etiam quandoque meritorius. Ad hanc ſuam aſſertionem roborandam affert auctoritatem Merbeſii, quem laxioribus opinionibus infenſiſſimum eſſe norunt omnes. Hic autem *Sum. Chriſt. part.* 1. *q.* 79. poſt medium hæc habet: *Oſcula, tactus, & amplexus inhoneſti, inter conjuges accidere ſoliti, excuſantur a peccato mortali; modo ſeſe contineant intra limites affectus conjugalis, & abſit pollutionis periculum.* Et paulo poſt: *Aſpectus, vel oſculum conjugum, matrimonii honeſtate excuſantur.* Non tamen diffitendum eſt, *ſubdit præcitatus* Pontas, quin talia, quibus liberius, ac frequentius indulgent conjuges, gravia venialia ſint delicta; unde ſapientis eſt Confeſſarii, ut eos increpet, ſuadeatque illis, ut mutuum amorem moderentur; & intra honeſtatis conjugalis limites cum omni cura ſatagant ſe continere.

§. XIV. *De impedimentis Matrimonii; & primo de ſolum Impedientibus.*

I. DUplex impedimentorum matrimonii ſeries invenitur; prima eſt eorum, quæ Impedientia dumtaxat Matrimonium appellantur, quæ videlicet impediunt, ne licite celebretur, celebratum tamen validum relinquunt: ſecunda eſt eorum, quæ Dirimentia dicuntur, quæ ſcilicet nedum impediunt, ne licite contrahatur, verum etiam, quæ contractum, nullum, & irritum efficiunt. Et nota ſemper pro omnibus, quod nulla ignorantia quamquam invincibilis excuſat ab utriſque impedimentis incurrendis, quia ſtatuuntur non tantum in pœnam, ſed præcipue ut abſterreantur homines ab illis actionibus, quibus impedimentum affigitur. *Series Impedimentorum duplex.*

II. Impedimenta nunc temporis Impedientia hoc hexametro continentur: *Eccleſiæ vetitum, Tempus, Sponſalia, Votum.* Eccleſiæ vetitum ſignificat prohibitionem ab Epiſcopo, vel Parocho factam, ne contrahatur matrimonium, ob ortam difficultatem alicujus impedimenti, donec veritas *Quot & quænam ſint impedimenta impedientia tantum? & primo quid vetitum?*

veritas illuceat: ex cap. de matrimonii contractu, & cap. ultimo de clandeſt. deſponſat. Significat inſuper prohibitionem, ne contrahatur ſine præviis denunciationibus. Item ne contrahatur ab excommunicatis, ſine prævia abſolutione. Tandem ne contrahatur, invitis rationabiliter Majoribus: & hæc omnia obligant ſub gravi.

Quid tempus? III. Tempus ſignificat tempora celebrandis nuptiis interdicta, quæ juxta legem Tridentini ſeſſ. 24. c. 10. ſunt, a prima Dominica Adventus incluſive, uſque ad diem Epiphaniæ incluſive, ideſt uſque ad primam diem poſt diem Epiphaniæ; & a die Cinerum, uſque ad Octavam Paſchæ incluſive; quæ prohibitio non cadit ſuper privata celebratione, ſed ſuper ſolemni juxta Rituale Romanum: ſolemnitates nuptiarum prohibitæ, ſunt, nuptias benedicere, ſponſam traducere, nuptialia celebrare convivia. Matrimonium autem omni tempore contrahi poteſt. Quamobrem nedum contrahere private coram Parocho, & teſtibus, verum etiam ſine pompa ſponſam domum inducere, & moderatum convivium parare, non videantur prohibita; niſi tamen conſuetudo aliter ferat; nam in Diœceſibus, ubi neque celebrandi private matrimonium eſt conſuetudo, erit ſub gravi obſervanda.

S. P. Benedictus XIV., dum Bononienſi Cathedræ inſideret, univerſis, qui in ſua Diœceſi curam animarum gerebant *Inſtitutionem LXXX.* ſcripſit de iis matrimoniis, quæ vetitis temporibus contrahuntur. Porro in ea duo præcipua oſtendit Ipſe, nempe 1. impertiendas non eſſe benedictiones a Miſſali indictas illis Conjugibus, qui vetitis temporibus matrimonio junguntur, licet ad rem gerendam facultas neceſſaria interveniat. 2. neque ullam religionem, aut criminis metum injiciendum illis, qui matrimonio indulgeant, quod vetitis temporibus celebrarunt. Circa primum „ hæc potiſſimum, *inquit*, pro „ certo aſſerimus: Primo, matrimonium „ quocumque tempore contrahi poſſe; ſecundo, illud ſolum certis temporibus ab „ Eccleſia prohiberi, pompam nempe, apparatumque nuptiarum, tertio, hujus „ pompæ nomine Benedictiones præſertim „ Nuptiarum contineri, ita ut ſicut ſolemnis pompa interdicitur in Matrimoniis, quæ vetito tempore fiunt, etiam „ Benedictiones elargiri non liceat; quarto; cum facultas obtinetur Matrimonium „ ineundi vetitis temporibus, non ideo „ permitti affirmamus, ut etiam Benedictiones Matrimonio ſuperaddantur, aut „ ulla pompæ ſpecies inſtituatur. „ Singula percurrit Ipſe, ac in bono lumine collocat. Deinde ſermonem convertit ad aliam quæſtionem, utrum Matrimonio vacare liceat, quod initum fuit feriarum temporibus. Refert in primis Canonum interpretes magis præclaros in ea fuiſſe opinione, ut id ſine culpa fieri non poſſe putaverint, adducti auctoritate *Capitis Capellanus*, potiſſimum verbis, *quocumque tempore de Feriis*; quorum teſtimonia Fagnanus etiam probat, atque integre commemorat. Verum nullum crimen admittere Sponſos, ſi in hoc caſu matrimonio indulgeant, exiſtimat ipſe, „ quod etiam, „ ait, a celeberrimis Theologis, & Canonum Interpretibus merito defenditur. „ Ac primum, *ſubdit*, Cardinalis Bellarminus S. Thomam, Cajetanum, & Navarrum prius nominat, ac deinde ſic „ tradit: *Non interdici illis temporibus* „ *celebrationem Matrimonii per verba de* „ *præſenti, & etiam conſummationem*, „ *ſed ſolemnem tantum ſponſæ deductionem, & publicam illam pompam, &* „ *convivia, quæ in ſolemnitate Nuptiarum adhiberi ſolent*. Ipſius ſententiam „ plurimi alii unanimes ſequuntur. Illam „ tenendam reipſa ducimus, ne vinculum „ Fidelibus injiciatur, quod a nulla lege „ clare præſcribitur. Inſuper id conſuetudini & inſtituto Eccleſiæ valde conſentaneum eſt, quæ humanæ fragilitatis „ gratia, rationeque habita, paulatim a „ veteri diſciplina receſſit, cum de re „ hujuſmodi quæſtiones inducerentur. „ Neque huic ſententiæ adverſari aut Decreta a Sacra Congregatione Concilii typis evulgata, aut Tridentinum Concilium, ſtatim patefacit; ac demum, relata deciſione S. Congregationis, videlicet quod poſſit fieri traductio Sponſæ ſeu Uxoris ad domum viri, *dummodo fiat abſque ſolemnitatibus*, ſic Inſtitutionem concludit. „ Quamobrem nemo in poſterum hac de „ cauſa nec ſibi nec alii religionem, aut „ ſcrupulum injiciat; quod ſi pravas conſuetudines in hac re de medio tollere „ vehementer cupiat, curam omnem, ſtudiumque conferat, ut penitus extinguat „ falſam illam opinionem vulgi, quæ jam „ nimis invaluit, nempe infauſtis auſpiciis „ Uxorem duci Menſe Majo, &c. „

Quid ſponſalia? IV. Sponſalia cum alia perſona inita, & nondum diſſoluta, ſunt tertium impedi-

di-

Digitized by Google

dimentum impediens, ob gravem injuriam, quæ irrogatur primis ſponſalibus, primoque ſponſo, patet ex jure naturali.

Quid votum? V. Votum denotat votum ſimplex caſtitatis antea emiſſum, aut Votum Religionis ingrediendæ, & profitendæ, aut votum ſuſcipiendi ſacros Ordines, aut votum non nubendi, & ducendi vitam cælibem; unde graviter peccat, qui cum aliquo hujuſmodi votorum, ante obtentam diſpenſationem, nubit; quia ſe conſtituit in ſtatu illud non obſervandi.

Caſus incidens reſolvitur. VI. Si voverim caſtitatem conditionate de futuro, tenebor ne expectare eventum conditionis? Reſpondent auctores cum diſtinctione: ſi conditio ponenda non pendeat a tua voluntate, peccas graviter, nubendo: v.g. ſi præſervabor a doloribus calculi per biennium: expectandam eſt biennium, & ſi præſervaris, teneberis ad caſtitatem, nec poteris nubere ſine juſta diſpenſatione: ſi autem conditio pendeat a tuo arbitrio; puta voveo caſtitatem, ſi infra biennium lapſus fuero in fornicationem; tunc dicunt, quod non peccas nubendo ante biennium; quia non teneris expectare conditionis eventum; immo teneris nunquam ponere conditionem, & nubendo magis te tutum reddis a labendo. Quod ſi poſt ductam uxorem, labaris ante biennium; teneberis ad non petendum debitum, & ad caſtitatem ex voto quod jam tranſit in abſolutum; reddere tamen debitum debes alteri; & ad petendum indiges diſpenſari ab habente facultatem; qua obtenta, gerere te debebis ſicut explicavimus in §. anteced. n. 13.

Quis diſpenſare poſſit ab his impedimentis? VII. Diſpenſandi ab impedimentis impedientibus poteſtatem habet Epiſcopus in ſua Diœceſi, exceptis dumtaxat votis Caſtitatis perpetuæ, & Religionis, quæ a ſolo Pontifice diſpenſantur: & nota, quod ſub voto caſtitatis venit etiam votum Virginitatis, ut plerumque intelligitur, niſi forte vovens expreſſe intellexerit ſe obligare ex voto ad abſtinendum a primo lapſu.

Non ſolum in votis caſtitatis perpetuæ, & Religionis nequit Epiſcopus diſpenſare, ſed neque etiam in Sponſalibus. Quando ſponſalia valida ſunt juramento firmata, neque Pontifex poteſt diſpenſare ſine graviſſima cauſa, quæ commune bonum reſpiciat: quippe jus acquiſitum alteri, firmatumque juramento nequit etiam a Summo Pontifice auferri, niſi ob graviſſimam, ac bono publico neceſſariam cauſam. Si vero ſponſalia valida non fuerunt juramento firmata, utique ob cauſam vere juſtam, & gravem poterit diſpenſare Pontifex; at non Epiſcopus; nam generatim Epiſcopus nequit diſpenſare in caſu, quo jus eſt acquiſitum alteri tertio; talis enim poteſtas eſt penes ſolum ſupremum Principem. Et nominatim quoad præſentem materiam, videtur hæc diſpenſatio Epiſcopo interdicta *Cap. ex literis 2. de Sponſal. & Matrim.* Hæc diſpenſatio ſolum locum habet, cum ſponſalia valide contracta adhuc equidem valent, & altera pars nondum remittit ſuum jus, quod habet in aliam, ſubeſt tamen aliqua cauſa, quæ ſuadeat diſſolutionem; neque enim quiſquam abſque rationabili cauſa poteſt alteri auferre jus ſuum; quando autem adeſt certa cauſa ſufficiens ad diſſolvenda ſponſalia, certe nulla requiritur diſpenſatio, ſed neque auctoritas vel ſententia judicis; ſed partes reſilire poſſunt propria auctoritate per ſe loquendo, ſecluſo ſcilicet ſcandalo; quod tamen ſcandalum ceſſat, ſi ſponſalia fuerunt occulta, aut cauſa reſiliendi notoria; aut contra ſponſalia quidem ſunt publica, cauſa tamen occulta, ut coram judice probari non poſſit, tunc enim fruſtra imploraretur auctoritas judicis; ac proinde pars gravata utatur jure ſuo, & auctoritate privata. At vero quando cauſa reſiliendi dubia & controverſa eſt, cum ſcilicet dubitatur de exiſtentia, vel ſufficientia cauſæ ad reſiliendum, omnino ad Epiſcopum ſpectare debet dijudicare, & ſententiam ferre ob probabile periculum injuſtitiæ, dum ſpoliatur alter in dubio jure ſibi acquiſito. Imo in puro dubio poſt inquiſitionem perſeverante, ne quidem in foro externo per ſententiam Judicis poteſt fieri diſſolutio; fieret enim injuria parti poſſidenti jus alias certum ex ſponſalibus certis. Sic. P. *Patritius Sporer Theol. Sacram. Part. 4. Cap. 1. ſect. 2. num. 227. & ſeq.* qui ex pluribus Doctoribus hæc omnia hauſit. Legatur & S. P. Benedictus XIV. *de Synod. Diœceſ. lib. 9. cap. 2. num. 1.* ubi addit; neque impedimentum proveniens ex hæreſi poſſe ab Epiſcopo relaxari.

§. XV.

Digitized by Google

§. XV. *De impedimentis dirimentibus, & primo de impedimento erroris.*

Quis impedimenta Dirimentia ſtatuere poſſit?

I. STatuere impedimenta matrimonium dirimentia pro fidelibus, ad ſolam Eccleſiæ auctoritatem pertinet; quia quamvis matrimonium ſit ſecundum ſe contractus humanus, & ſecundum hanc acceptionem ſubjici poſſit legibus civilibus; cum tamen Chriſtus in baptizatis hunc, contractum elevaverit ad Sacramenti veri dignitatem, illum eripuiſſe videtur a poteſtate laicali; & propterea S. Thomas q. 57. Supplementi art. 2. ad 4. docet, quod *Prohibitio legis humanæ non ſufficeret ad impedimentum matrimonii, niſi interveniret auctoritas Eccleſiæ, quæ idem etiam interdicit*. Poſſunt tamen Principes ſupremi, qui infideles non baptizatos in ſuis ditionibus habent, reſpectu ipſorum conſtituere matrimonii impedimenta; quia cum inter infideles matrimonium non ſit niſi merus contractus civilis, ſubjicitur legibus Principum, ſicut alii contractus: & ideo Angelicus loco citato quæſt. 50. art. unico ad 4. docet, quod *ex qualibet iſtarum legum*, (nempe Naturalis, Eccleſiaſticæ, & Civilis) *poteſt aliqua perſona effici ad matrimonium illegitima*, reſpective loquendo.

Quæ, & quot ſint Dirimentia?

II. Quindecim ſunt impedimenta dirimentia matrimonium, ab Eccleſia conſtituta, & declarata, ſequentibus hexametris comprehenſa.

> *Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen:*
> *Cultus diſparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honeſtas:*
> *Ætas, Affinis, ſi Clandeſtinus, & Impos,*
> *Raptave ſit mulier, parti nec reddita tutæ.*
> *Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.*

Error circa perſonam.

III. Error circa perſonam v. g. putando eſse Bertam, quæ eſt Titia, jure naturali irritum reddit contractum matrimonii; *quia eſt error in eo quod eſt ſubſtantia, & materia contractus*, ait S. Thomas qu. 51. Supplem. art. 1. & cum eo communis; nam matrimonium non eſt contractus dumtaxat inter perſonas, ſed de ipſiſmet perſonis, quæ ſe invicem tradunt ſibi invicem. Si tamen volens contrahere cum Berta, cui ſubſtituitur Titia, revera in animo velit contrahere cum præſente, quia v. gr. illi placet, quæcumque illa ſit, etſi habitualiter putet eſse Bertam; vere in foro conſcientiæ valide contrahet cum Titia; quia extaret conſenſus de præſenti cum præſente quam vult, nec interfuit error, quia hanc vult: vide Navarrus cap. 22. num. 32.

Dubium exurgens reſolvitur.

IV. Quid dicendum, ſi error eſset tantum concomitans, & non antecedens, neque dans cauſam contractui, nempe ea animi diſpoſitione contrahendo cum Titia loco Bertæ, quam vult, ut ſi ſciret illam non eſse Bertam, ſed Titiam, perinde contraheret? Reſpondeo invalide contrahere, quia revera de præſenti non contrahit cum illa, quæ ipſi offertur, ſed cum illa quam putat eſse, nempe cum Berta, quam vult. Ratio autem evidens traditur ab Angelico 1. 2. q. 6. a. 8. eo quod error concomitans, quamvis non efficiat actum poſitive *involuntarium*, efficit tamen *non voluntarium*, ideſt efficit, ut contractus, qui nunc fit, non ſit actualiter de præſenti volitus, prout requiritur a Matrimonio; quamobrem contrahens nunc cum Titia, quam putat eſse Bertam, quamvis diceret, & ſe declararet, quod contraheret etiam cum Titia, ſi ſciret hanc præſentem eſse Titiam, adhuc non faceret matrimonium; quia ſic dicendo, ex terminis non conſentit in Titiam, ſed dumtaxat oſtendit ſe perinde conſenſurum etiam in ipſam, ſi illam noſceret: ita plures cum Sanchez lib. 2. diſp. 40. & lib. 7. diſp. 18. & quidem rationabiliter.

Quid de errore circa qualitates perſonæ?

V. Quando error verſatur circa meras qualitates perſonæ, puta nobilitatem, divitias, virginitatem, indolem, probitatem &c. *non evacuat matrimonium*, ait Angelicus quæſt. 51. Supplem. art. 2. ad 4. & cum eo communis; quia relinquit conſenſum abſolutum in perſonam, cum qua contrahit, & quæ eſt objectum directum contractus, cum defectus accidentium non auferat ſubſtantiam rei, neque conſenſum abſolutum in ipſam; ita ex cauſa 29. q. 1. Si autem error qualitatis aut redundat in perſonam, aut expreſse, & per ſe intendatur illa qualitas tamquam objectum primarium conſenſus, tunc nullum efficit matrimonium, juxta Angelicum loc. cit. & communem; quia deeſt conſenſus. Dicitur autem redundare in perſonam, quando qualitas illa diſtinguit, & determinat perſonam, ut eam diſcernat a quavis alia: puta dum quis intendit contrahere cum

Digitized by Google

cum ſola primogenita Petri. Dicitur vero qualitas eſſe primario intenta, quando efficit aſſenſum conditionatum, nempe ita contraho cum Berta, ut niſi ſit nobilis, aut pulchra, aut dives &c. non intendo contrahere; (qui error facile evenire poteſt, dum contrahitur per procuratorem, maxime circa pulchritudinem, nam dum contrahens eſt præſens, jam videt illam, an pulchra ſit necne) & tunc, deficiente qualitate, non eſt matrimonium, ſaltem in foro veritatis, & conſcientiæ, quia deeſt conſenſus, cum deſit objectum primarium illius. Dixi in foro conſcientiæ; quia in foro fori non admittitur exceptio, niſi fuerit exterius coram teſtibus declarata; quod ſi non fuerit hoc modo declarata, ſed dumtaxat interius retenta, compelletur a judice ſtare matrimonio; & tunc ſimiliter, pro conſcientia, novum aſſenſum præſtare debebit in perſonam illam, & matrimonium inire. Caute ergo procedat qui hoc modo qualitates intendit, & ſe coram teſtibus declaret.

§. XVI. *De impedimento Conditionis.*

Notio Conditionis, & unde invalidet Connubium. I. Conditionis nomine ſignificatur conditio ſervilis, ideſt ſervitus proprie dicta, qualis eſt mancipiorum, quæ ſi a contrahente libero ignoretur, irritum reddit matrimonium: ex capite *ſi quis ingenuus* 29. q. 7. & ex c. 2. & 4. de conjug. ſervorum. Quia, ait Angelicus loc. cit. q. 52. a. 1. eſt qualitas nimis clare redundans in perſonam; nimiſque recedens ab æqualitate, quæ inter conjuges requiritur reſpectu uſus matrimonii, cohabitationis, & prolis educandæ. Dixi ſi ignoretur a libero; nam ex communi cum Angelico, *ſi alter conjugum ſciat alterius ſervitutem; nihilominus eſſet matrimonium;* quia cederet juri ſuo quoad dicta gravamina; cum lex ſtatuta fuerit in favorem liberi. Hinc ſequitur Angelicus cum communi: *Propter hoc ſervus ſi contrahat cum ancilla, quam putat eſſe liberam, non propter hoc impeditur matrimonium, quia non poteſt aliquis requirere majorem obligationem ex parte alterius, quam ipſe facere poſſit: & ideo nihil prohibet circa ſervos eſſe conjugia.*

II. Docet Angelicus in artic. 2. quod mancipium non teneatur petere licentiam a ſuo Domino ad nubendum: nam *ſervitus, quæ eſt de jure poſitivo, non poteſt præjudicare his, quæ ſunt de jure naturali: ſicut autem appetitus naturæ eſt ad conſervationem individui, ita eſt ad conſervationem ſpeciei per generationem: unde ſicut ſervus non ſubditur Domino, quin libere poſſit comedere, & dormire, & alia hujuſmodi facere, quæ ad neceſſitatem corporis pertinent, ſine quibus natura conſervari non poteſt; ita non ſubditur ei quantum ad hoc quod poſſit libere matrimonium contrahere, etiam Domino neſciente, aut contradicente.* Servus poteſt ſine licentia domini nubere.

III. Sequitur Angelicus in reſp. ad 3. *Si ſervus, volente domino, matrimonium contraxit, tunc debet prætermittere ſervitutem domini imperantis, & reddere debitum uxori* (ſi inſtanter petat) *quia propter hoc quod ei dominus conceſſit, ut matrimonium contraheret, intelligitur ei conceſſiſſe omnia, quæ matrimonium requirit. Si autem matrimonium, ignorante, vel contradicente domino, eſt contractum; non tenetur reddere debitum, ſed potius domino obedire, ſi utrumque eſſe non poſſit. Sed tamen in his multa particularia conſiderari debent, ſicut & in omnibus humanis actibus, ſcilicet periculum caſtitatis imminens uxori, & impedimentum quod ex redditione debiti ſervitio imperato generatur, & alia hujuſmodi, quibus omnibus rite penſatis, judicari poterit, cui magis ſervus obedire teneatur, domino, vel uxori.* Caſus incidens reſolvitur ab Angelico.

§. XVII. *De impedimento Voti, & Ordinis.*

I. Nomine Voti intelligitur votum ſolemne caſtitatis emiſſum in Religione approbata: ita ex pluribus canonibus, & ultimo ex can. 9. ſeſſ. 24. Concilii Tridentini; quod dirimit matrimonium celebratum poſt dicti voti emiſſionem. Non autem ita dirimit votum caſtitatis perpetuæ ſimplex; quia Eccleſia ita non diſpoſuit; & quidem congruenter; quia votum ſolemne affert ſecum quemdam modum actualis traditionis perſonæ, & proprii corporis ad caſte vivendum Deo, quæ traditio acceptatur actu ab Eccleſia, Dei nomine; proinde refert quamdam ſpeciem matrimonii ſpiritualis, & non dumtaxat ſponſaliorum, ſicut votum ſimplex: quemadmodum autem ſponſalia ſunt revocabilia, non vero matrimonium; ita votum ſimplex more ſponſaliorum matrimonium non dirimit, ſecus autem ſolemne ab Eccleſia acceptatum, ſicuti matrimonium dirimit ſequens matrimonium, ſi celebretur. Quale votum dirimat.

Animadvertendum eſt autem, quod Gregorius

Digitized by Google

gorius XIII. in Bulla quæ incipit *Aſcendente Domino*, declaravit tria vota Religionis ſubſtantialia, in Societate Jeſu poſt biennium probationis emiſſa, matrimonium dirimere, etiamſi ſint ſimplicia, quandiu qui ſic voverunt non dimittuntur, itaut ſi matrimonium attentetur ab eo, quem Societas retinet poſt ejuſmodi votorum emiſſionem; illud ſit revera nullum; ac propterea quod docet D. Thomas *in Sup. q.* 53. *art.* 1. videlicet per obligationem voti ſimplicis non dirimi matrimonium, intelligendum eſt, ut notat Cl. Sylvius, de voto ſimplici ſive ſecundum ſuam naturam, ſive ſecundum jus commune conſiderato.

Non valent tamen eadem vota dirimere matrimonium ſemel ratum, tametſi inconſummatum, ut adverſus Pontium oſtendit præcitatus Sylvius *in Supp. q.* 61. *art.* 2. *Quær.* 1.

Quomodo Ordo dirimit? II. Similiter Ordo ſacer, quilibet ex tribus, ſuſceptus ante matrimonium, illud dirimit, ut definit Tridentina Synodus loc. cit. & quidem tum propter votum caſtitatis ſolemne adnexum, tum vel maxime ob ſpecialem legem afficientem ipſummet Ordinem, etiamſi votum expreſſa voluntate contraria non emitteretur; nam Concilium in citato can. 9. ratione ſolius Ordinis ſacri ſuſcepti, quin meminerit voti adnexi, dirimit matrimonium ſubſequens, dicendo: *Clericos in ſacris conſtitutos &c.* Quamobrem quamvis Ordo ſacer ſuſciperetur ex metu gravi, adhuc eſſet impedimentum dirimens; quia metus ille, ut ſæpe dictum eſt, non tollit ſimpliciter voluntariam ſuſceptionem, & proinde validam, & ſufficientem ad impedimentum.

Ordo ſuſceptus poſt matrimonium ratum illud non dirimit. III. Ordinem ſacrum ſuſceptum poſt matrimonium ratum, & ante illius conſummationem, illud non dirimere, apparet expreſſum ex Extravaganti Joannis XXII. tit. 5. in qua dicitur quod ſi maritus, ante matrimonii conſummationem ſuſcipiat ſacrum Ordinem, ſine conjugis licentia, irregularis fiat, atque moneatur, non tamen compellatur, Religionem profiteri; & ſi nolit, uxori repetenti reſtituendus eſt, & matrimonium cum ea conſummet, nempe reddendo ei debitum, non illud ab ea exigendo, ut notat Gloſſa ibidem; niſi ad illud petendum diſpenſationem obtinuerit.

Pœnæ nubentium poſt votum ſolemne aut Ordinem ſacrum. IV. Pœnæ audentium contrahere matrimonium poſt Ordines ſacros, aut profeſſionem religioſam, etiam Monialibus applicabiles reſpective, ſunt, excommunicatio ipſo facto incurrenda: ex Clementina una de conſanguin. & affinit. item Irregularitas, ob bigamism ſimilitudinariam; item privatio Beneficiorum, ſi quæ habeant; ſed hanc incurrunt poſt ſententiam judicis.

§. XVIII. *De impedimento Cognationis.*

Quid ſit Cognatio, & quotuplex? I. Cognationis nomine deſignatur conjunctio quarumdam perſonarum. Cognatio autem matrimonium dirimens, triplex eſt, Legalis, Spiritualis, & Naturalis, ſeu Carnalis: Legalis eſt conjunctio, ſeu propinquitas perſonarum, orta ex adoptione perfecta, qua perſona aliqua aſſumitur in filium, aut filiam, aut nepotem, & deinceps, tanquam hæredem neceſſarium; & perſona ita aſſumpta tranſit in patriam poteſtatem adoptantis. Hæc cognatio legalis dirimit pro ſemper matrimonium inter adoptantem, & adoptatum; nec non inter adoptantem, & adoptati poſteros uſque ad quartum gradum incluſive: item inter adoptantem, & uxorem adoptati, nec non inter adoptatum, & uxorem adoptantis: item inter adoptatum, vel adoptatam, & filios, vel filias adoptantis: at non pro ſemper, ſed dumtaxat quouſque liberentur a patria poteſtate aut per mortem adoptantis, vel per legitimam emancipationem: ita ex capite unico de Cognatione legali.

Notandum circa cognationem legalem. II. Diximus quod oriatur ex adoptione perfecta: nam juxta Angelicum quæſt. 57. Supplem. ar. 1. ad 1. *Duplex eſt adoptionis ſpecies; una, quæ perfecte naturalem filiationem imitatur, & hæc vocatur arrogatio, per quam traducitur adoptatus in poteſtatem adoptantis, & ſic adoptatus ſuccedit Patri adoptanti ex inteſtato, nec poteſt eum pater ſine culpa privare quarta parte hæreditatis: ſic autem adoptari non poteſt niſi ille, qui eſt ſui juris, qui ſcilicet non habeat Patrem, aut ſi habet, eſt emancipatus, & hæc adoptatio non fit niſi auctoritate Principis. Alia adoptatio eſt, quæ imitatur imperfecte naturalem filiationem, quæ vocatur ſimplex adoptio, per quam adoptatus non tranſit in poteſtatem adoptantis, unde magis eſt diſpoſitio quædam ad perfectam adoptionem, quam adoptio perfecta, & ſecundum hanc poteſt adoptari etiam ille qui non eſt ſui juris, & ſine auctoritate*

Digitized by Google

Principis; & ſic adoptatus non ſuccedit, in bonis adoptantis, nec tenetur ei adoptans aliquid de bonis ſuis in teſtamento dimittere, niſi velit. Impedimentum oritur ex adoptione perfecta.

* Obſervat S. P. Benedictus XIV. *de Synod. Diœceſ. lib. 9. cap. 10. n. 5. nov. edit.* & cognationem legalem, & quæ ex ea ad nuptias profluunt obſtacula, eo prorſus modo, quo a Jure civili ſtatuta fuerant, univerſim recepiſſe, approbaviſſeque Nicolaum I. *in reſponſione ad conſulta Bulgarorum cap.* 2. cujus reſponſionis fragmenta referuntur *in Can. Ita diligere* 30. *quæſt.* 3. & *in Cap. unic. de cognat. legal.* Quamobrem, *ſubdit*, ſi quæſtio incidat ſive in Tribunali Eccleſiaſtico, ſive etiam in Synodo, an in hoc, vel illo caſu adſit impedimentum cognationis legalis, neceſſario reccurrendum erit ad leges civiles, atque ad earumdem normam controverſia decidenda. Diſputant ex. gr. Doctores, num præfata ad matrimonium obſtacula a ſola inducantur adrogatione, an etiam ab adoptione ſimplici, & imperfecta. Ex utraque oriri, affirmant Gloſſa, Panormitanus &c. Contra, illa ex ſola adrogatione promanare, contendunt Innocentius, Sylveſter &c. Tam prioris, quam poſterioris ſententiæ patroni, unice inſiſtunt Juris civilis textibus, quos de qualibet adoptione indiſcriminatim loqui, defenſores primæ ſententiæ autumnant; aliis ex adverſo opinantibus, eos de ſola adrogatione intelligendos.

Duo alia notanda. III. Notandum præterea ex eodem Angelico in reſp. ad 3. *Quod adoptio ordinatur ad hæreditatis ſucceſſionem, & ideo illis ſolis competit adoptare, qui habent poteſtatem diſponendi de hæreditate ſua: unde qui non eſt ſui juris, vel eſt minor viginti quinque Annorum, aut mulier, non poteſt adoptare aliquem, niſi ex ſpeciali conceſſione Principis*. Monet inſuper ad 6. *quod ſicut contingit amitti filios, ita & nepotes & deinceps; & ideo cum adoptio ſit inducta in ſolatium filiorum amiſſorum, ſicut aliquis per adoptionem poteſt ſubrogari in locum filii, ita in locum nepotis, & deinceps*. Nemo igitur adoptatur in Patrem, aut Fratrem. Monet tandem ad 4. *Quod per eum, qui habet impedimentum perpetuum ad generandum, non poteſt hæreditas tranſire in poſterum; & ideo ei non competit adoptare, ſicut nec naturaliter generare*: niſi id fiat ex ſpeciali Principis conceſſione.

Quid ſit cognatio ſpiritualis? IV. Cognatio ſpiritualis eſt propinquitas ſpiritualis perſonarum orta ex Baptiſmo, & Confirmatione: & eſt inducta jure Eccleſiaſtico, nec non declarata impedimentum dirimens: de qua cognatione omnia diximus in cap. 1. hujus tractatus, §. 5. n. 5. 6. 7. 8. 9. & 10. quin hic iterum repetantur.

✠ Sedes Apoſtolica difficilius diſpenſat in impedimento cognationis ſpiritualis, quam in impedimento cognationis carnalis, ut Fagnanus advertit in Cap. *Ex litteris de cognat. ſpirit.* ubi ſubdit etiam, ei, qui carnaliter cognovit perſonam, cum qua cognatione ſpirituali junctus erat, ſi diſpenſationem petat, non cognationem dumtaxat, verum & crimen admiſſum in ſupplicatione exprimendum eſſe.

Quid ſit cognatio naturalis carnalis? V. Cognatio Carnalis, ſeu naturalis, quæ conſanguinitas vocitari ſolet, *eſt vinculum, ſeu conjunctio perſonarum, quæ per carnalem generationem ab eodem propinquo ſtipite, ſeu principio deſcendunt*. Dixi propinquo ſtipite, quia deſcendentes a valde remoto ſtipite non dicuntur conſanguinei: aliter omnes eſſent conſanguinei, cum omnes ab Adamo deſcendant. Et quamvis Legiſtæ aliquam diſtinctionem faciant inter conſanguineos ratione ſexus virilis, quos vocant agnatos, & conſanguineos ratione ſexus fœminilis, quos cognatos appellant; apud Theologos tamen pro eodem ſumuntur. Dirimit autem matrimonium uſque ad quartum gradum incluſive.


Lineæ Conſanguinitatis. VI. In coordinatione conſanguinitatis duæ diſtinguuntur lineæ, nempe Recta, & Tranſverſa, aut Collateralis; ſicut etiam diſtinguuntur varii gradus intra eaſdem. Linea conſanguinitatis abſolute accepta definitur: *Ordinata connexio perſonarum habentium inter ſe conſanguinitatem in ordine ad eumdem ſtipitem*: gradus conſanguinitatis definitur: *Diſtantia unius perſonæ ab altera in eadem linea conſanguinitatis, in ordine ad eundem ſtipitem*. Stipes autem eſt illa perſona, in quam, velut in principium originis perſonæ conſanguineæ concurrunt. Linea Recta alia eſt Aſcendentium, alia Deſcendentium. Linea Tranſverſa alia eſt Æqualis, alia Inæqualis: Linea Recta Aſcendentium *eſt coordinatio perſonarum ſecundum habitudinem ad ſuum principium originis*: v. g. Pater, Mater; Avus, Avia; Proavus, Proavia; Abavus, Abavia. Linea Recta deſcendentium *eſt coordinatio perſona-*

Digitized by Google

Arbor Consanguinitatis.



Digitized by Google



Digitized by Google

ſonarum ſecundum habitudinem principii ad derivatos: v. gr. Filius, Filia; Nepos, Neptis; Pronepos, Proneptis; Abnepos, Abneptis. In utraque hac linea tot ſunt gradus, quot ſunt perſonæ; dempta una: unde filius diſtat a patre uno gradu; nepos ab avo duobus gradibus &c. Linea Tranſverſa Collateralis *eſt coordinatio perſonarum deſcendentium quidem ab uno communi ſtipite, ſed quarum nulla deſcendit ab altera*; ut ſunt frater, & ſoror, conſobrinus, & conſobrina &c. Linea Tranſverſa æqualis *eſt habitudo inter perſonas ab eodem communi ſtipite æqualiter diſtantes*: v. g. inter fratres, & ſorores, patrueles, & conſobrinos: linea Tranverſa Inæqualis *eſt habitudo inter perſonas inæqualiter a communi ſtipite deſcendentes*: v. g. Patruus & nepos ex fratre.

Explicatur in Perſonis.

VII. In linea recta, (facile captu) uſque ad quartum gradum aſcendendo, ſunt Pater, & Mater; Avus, Avia; Proavus, Proavia; Abavus, Abavia. Deſcendendo, ſunt Filius, Filia; Nepos, Neptis; Pronepos, Proneptis; Abnepos, Abneptis. In linea Tranſverſa aſcendendo primo ſunt Patruus, ideſt Patris frater, & Amita, patris ſoror, & horum filii Patrueles tui. Avunculus, ideſt Matris frater, Matertera, ideſt matris ſoror, & horum filii conſobrini tui: ſecundo Avi Paterni Frater, ideſt Patruus Magnus, & ejuſdem Avi ſoror, ideſt Amita magna, tum Frater & Soror Aviæ itidem Paternæ fortaſſis eodem nomine nuncupandi: ac rurſus Aviæ maternæ Frater, ideſt Avunculus magnus, & ejuſdem Aviæ ſoror, ideſt Matertera magna, tum Frater & Soror Avi itidem materni forſitan ipſo nomine donandi: tertio Proavi Paterni vel Proaviæ Paternæ frater & ſoror, ideſt magnus Propatruus, & magna Proamita, ac rurſus Proaviæ maternæ, vel proavi materni Frater & Soror, ideſt magna Promartera, & magnus Proavunculus: & hic ſiſtitur aſcendendo; quandoquidem Abavi, & Abaviæ fratres jam quartum gradum excedunt, & inchoant quintum, qui non dirimit. In linea Tranſverſa deſcendendo vix inveniuntur vocabula; unde ita denominantur: Primo frater, ſoror. Secundo horum filii deſcendentes ex fratre, vel ſorore. Tertio horum filii ex fratre, vel ſorore deſcendentes. Quarto horum filii ex fratre, vel ſorore deſcendentes. Cuncta videbis in Arbore hic poſita.

Duo hic paucis obſervanda occurrunt majoris claritatis gratia. 1. Fratres ab eodem Patre, & ab eadem Matre prognatos *germanos Fratres* nuncupari; prognatos ab eodem Patre, ſed non ab eadem Matre *conſanguineos Fratres* dici; prognatos demum ab eadem Matre, ſed non ab eodem Patre *uterinos Fratres* vocari. 2. totam columnam arboris conſanguinitatis, quæ ſita eſt in parte ſiniſtra ejuſdem, conſanguineos indicare ex parte Matris; columnam vero quæ poſita eſt in parte dextera, conſanguineos prodere ex parte Patris, ut liquet ex ſecundo gradu, *Patruus*, *Amita*, & *Avunculus*, *Matertera*.

Uſque ad quem gradum dirimat?

VIII. Conſanguinitas juxta deſcriptos gradus lineæ tam rectæ, quam tranſverſæ, æqualis, vel inæqualis, quæ jamdiu dirimebat uſque ad ſeptimum gradum incluſive, modo dirimit, ut ſupra diximus, uſque ad quartum gradum incluſive, ex lege Concilii Lateranenſis IV. cap. 30. relati in cap. *non debet* de conſanguinitate, & affinitate; & noviſſime ex lege Concilii Tridentini ſeſſ. 24. de reform. matrim. & quidem honeſtiſſimo fine commodioris modi jungendi fœdera conſanguinitatis inter cives, & ad facilius removenda offendicula inceſtuum; nec non ad tollenda pericula contrahendi irrita matrimonia; cum non adeo facile ſit diſcernere alios gradus a quarto remotiores.

* Conſanguinitas in quolibet gradu lineæ rectæ irritat matrimonium ſaltem jure humano, ut compertum eſt *ex reſponſione* Nicolai I. *ad conſulta Bulgarorum cap.* 39. Imo juxta multos etiam jure naturali, ſaltem ſecluſa neceſſitate conſervandi ſpeciem humanam. Conſanguinitas autem in linea collaterali nunc irritum reddit matrimonium dumtaxat uſque ad quartum gradum incluſive, ut patet ex lege Concilii Lateranenſis ab Auctore *num præced.* citata; cum antea uſque ad ſeptimum dirimeret.

IX. Nemo catholicorum ambigit, conſanguinitatem in primo gradu deſcendentium, & aſcendentium in linea recta dirimere jure naturali: *Inordinatum eſt enim, quod filia Patri per matrimonium jungatur in ſociam, ... quam oportet per omnia Patri eſſe ſubjectam; velut ex eo procedentem, & ideo de lege naturali eſt ut pater, & mater a matrimonio repellantur; & magis etiam mater, quam pater; quia magis reverentiæ, quæ debetur parentibus derogatur, ſi filius matrem, quam ſi pater filiam ducat uxorem, cum uxor viro aliqualiter debeat eſſe ſubjecta,*

Digitized by Google

cta, ait Angelicus q. 44. Supplem. art. 3. Videtur etiam jure naturali prohibitum matrimonium inter fratres, & ſorores; licitum dumtaxat in exordio mundi; unde S. Auguſtinus lib. 14. de Civitate Dei c. 16. *Commixtio ſororum, & fratrum tanto facta eſt damnabilior, Religione prohibente, quanto fuit antiquior compellente neceſſitate.* Idque comprobatur facto Abrahæ Geneſ. 12. & 20. & Iſaac Geneſ. 26. qui volentes occultare Saram, & Rebeccam eſſe eorum uxores, ſignificarunt eſſe ſorores; quæ cautela nil profuiſſet, ſi apud illos, quibus hæc dicebant, quique ſola naturali lege regebantur, non fuiſſet jam ſolemne, non ducere ſorores.

Reſolvitur caſus rarus incidens. X. Hinc ſi duo infideles frater, & ſoror matrimonio juncti converterentur ad fidem; juxta hanc opinionem, quæ defenditur a Soto in 4. diſt. 40. art. 4. cui plures cum Sanchez ſubſcribunt lib. 4. diſp. 52., ſeparandi eſſent. At quia oppoſita opinio D. Bonaventuræ in 4. diſt. 40. q. 2. Silveſtri verbo matrimonium q. 6. nu. 5. & aliorum ſua probabilitate non caret; idcirco occurrente caſu, exponenda eſſet res S. Sedi, & agendum, quod illa decerneret. Hic inutile non erit addere, quod ſtatuitur ab Innocentio III. in c. *Gaudemus de Divortiis* 8. nempe Paganos, qui uxores duxerunt *in ſecundo, vel tertio, vel ulteriore gradu ſibi conjunctas*, poſt converſionem ſuam, *poſſe inſimul remanere.*

Quo jure dirimant alii gradus? XI. Quod autem Angelicus dixerit, quoſdam alios conſanguinitatis gradus dirimere jure divino; intellige de poſitivo in lege Moſaica contento, & ex legibus, quæ judiciales dicebantur; quarum obligatio ceſſavit, Chriſto regnante, & in quibus poteſt Eccleſia diſpenſare. Idcirco cæteri gradus ſive in linea recta, ſive in tranſverſa dirimunt jure Eccleſiaſtico, ut docet Cajetanus 2. 2. q. 154. art. 9. & alii a Sanchez relati loc. cit. Tum quia in cit. cap. *Gaudemus* titulo de divortiis, concedit Pontifex infidelibus ad fidem converſis, qui in ſecundo gradu matrimonium contraxerant, ne ſeparentur, quin diſtinxerit inter gradus rectæ, vel tranſverſæ lineæ: Tum quia Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 5. ſimiliter, nulla facta diſcretione gradus recti a tranſverſo, dicit: *In ſecundo gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam.* Si igitur Eccleſia diſpenſare poteſt, non ſunt de jure naturali.

☩ Conſanguinitas inter duas perſonas poteſt eſſe duplex ex duplici capite proveniens. 1. quia ſunt duo ſtipites: ut ſi duo fratres contrahant cum duabus feminis inter ſe conſobrinis, liberi ex his duobus conjugiis nati, erunt in ſecundo gradu ex parte Patrum, & in tertio gradu ex parte Matrum; & tunc dicuntur eſſe in ſecundo, & tertio ex duobus ſtipitibus. 2. quia licet ſit unus ſtipes, ab eo deſcendentes matrimonia inter ſe contraxerunt, ex quibus nati liberi ſunt inter ſe conſanguinei. Cum autem eſt duplex conſanguinitas, duplex eſt quoque impedimentum, quod exprimi debet in petitione diſpenſationis.

§. XIX. *De Impedimento Criminis.*

I. CRiminis nomine denotantur nonnulla crimina, quæ facile perpetrari poſſent, niſi jura eccleſiaſtica ſancirent, validum contrahi non poſſe matrimonium inter reos hujuſmodi delictorum. Primum itaque horum criminum eſt uxoricidium, vel mariticidium ex prævia conſpiratione, eoque animo, ut poſt illius mortem matrimonium celebret conjux ſuperſtes cum perſona, quæ in mortem conſpiraverit; effectu mortis ſecuto, dirimit matrimonium inter conſpirantes: ita ex capite *Si quis viventi* 31. quæſt. 2. & ex capite *Laudabilem* de converſ. infidel. & alibi: ſufficit autem ut mors ſecuta fuerit ex conſpiratione ſive phyſica, ſive morali; nempe ſuaſione, conſilio, juſſione, immo etiam ſolo conſenſu prævio in occiſionem exequendam ob ſui gratiam, ad contrahendum matrimonium. Non tamen ſufficit, quod alter occidat, vel occidere faciat abſque ulla cognitione, ſcientia, vel conſenſu alterius: ex dicto capite *Laudabilem*; neque ſola ratihabitio occiſionis factæ in ſui gratiam; quia ratihabitio non eſt machinatio; aut conſpiratio in mortem inferendam; & idcirco in nullo jure exprimitur ratihabitio; cum revera non præbeat occaſionem, aut motivum occiſionis jam factæ. Neque ſufficit, ut ad occiſionem conſpirent ex odio, aut ne accuſentur de adulterio perpetrato, aut ne occidantur deprehenſi in adulterio flagranti, vel ex alio motivo, niſi ſit ad ineundum matrimonium; ita ex capite *De eo qui duxit.* Propterea ſi Petrus, ex ſuaſione Annæ, occideret uxorem ſuam, ut matrimonium inire poſſet cum Joanna omnino inſcia, & revera ſi occideret; Petrus poſſet

Quid crimen? & qualiter impediat primum crimen?

aut

aut cum Anna, aut cum Joanna matrimonium inire; (niſi cum eis fuiſſet mæchatus, de quo ſtatim) cum Anna quidem, quia quamvis occidiſſet ex illius ſuaſione, non tamen ut eamdem duceret; cum Joanna etiam, quæ nullo modo conſpiravit.

Notabile ad incurrendum hoc crimen. II. Notandum quod in conſpirantibus non requiritur promiſſio futuri matrimonii, ſed ſufficit, ut intentio occidendi manifeſtetur alteri ob ineundum matrimonium. Quod ſi hæc iniqua intentio alteri declarata, ab iſto ſerio, & conſtanter reprobetur, cum proteſtatione ſe nunquam initurum matrimonium ſecum; ſi nihilominus alter occidat, non videtur exinde impedimentum oriri, cum revera nulla fuerit conſpiratio, & quamvis impedimentum non exurgat, optime faciet, ſi nubere occiſori conſtanter recuſet.

Exponitur ſecundum crimen. III. Secundum crimen dirimens eſt homicidium cum adulterio, nempe quando etiam ſolus conjux adulter, adulterio perpetrato, ſuum occidit conjugem, vel conjugem alterius, ex intentione nubendi cum adultero, quamvis omnino inſcio; oritur impedimentum inter illos: ex capite *ſuper hoc*, & capit. *ſignificavit nobis de eo, qui duxit*, & ex cap. *ſi quis viventis* 31. qu. 1. Requiritur ergo adulterium perpetratum ante occiſionem, neque refert ſi poſt, vel ante machinationem mortis. Requiritur præterea, quod mortis illatio ſit ex intentione nubendi cum adultero, vel adultera; nam ſi inferatur ex alio motivo, etiam liberius peccandi inter ſe, vel nubendi cum aliquo alio, ſed non cum adultero, non exurgit impedimentum.

Monitum obſervandum. IV. Sapienter monet Sanchez libr. 7. diſp. 78. num. 19. quod ſi occiſor contrahat cum perſona adultera, in foro externo præſumitur, quod intentio contrahendi fuerit cauſa occiſionis; ac proinde in caſu dubii, nempe quod occiſor dubitet, an hæc fuerit intentio, præſumendum erit, eam fuiſſe etiam in foro conſcientiæ. Si tamen certe, & ſemota omni dubitatione occiſor affirmet, nullam præceſſiſſe intentionem contrahendi cum perſona adultera, in hoc foro non exurgit impedimentum.

✠ Ad contrahendum impedimentum ex parte conjugis non requiritur, ut utraque pars ſit fidelis: unde ſi mulier fidelis maritum occidat, ut nubat Gentili ad fidem convertendo, non ſtabit matrimonium. Ita ſtatuit Coeleſtinus III. Cap. 1. *de Converſione infidelium.*

Exponitur tertium crimen. V. Tertium crimen dirimens, eſt adulterium cum ſola promiſſione futuri matrimonii de futuro, ſive promiſſio præcedat, ſive ſubſequatur adulterium: ita ex capite *relatum* 1. quæſt. 1. & ex capite *propoſitum*, ex capite *Ex literarum* & alibi; ne, ob promiſſionem futuri matrimonii, inducantur conjuges ad intentandam mortem conjugi innocenti; propterea neque ſufficit ſolum adulterium, neque ſola promiſſio, ſed requiritur utrumque; peccant tamen lethaliter, qui talem promiſſionem faciunt, etiam ſine ullo adulterio, ob aditum, quem aperiunt tentationi inferendi mortem conjugi: & deducitur ex capite *finali* de eo qui duxit; ubi graviter reprehenditur hujuſmodi promiſſio, & imponitur pœnitentia, promittentibus injungenda.

Monitum obſervabile. VI. Non requiritur ad incurrendum hoc impedimentum, quod adulterium committatur ex pacto nubendi poſt mortem conjugis, ſed ſufficit adulterium perpetratum, etiam ſine hoc pacto: dummodo vel ante, vel poſt extet promiſſio. Obſervant plures apud Sanchez loc. cit. n. 7. quod ſi promiſſio facta fuiſſet ante adulterium, & ante ipſum ſerio retractata, non exurgeret impedimentum, ſi deinde perpetretur adulterium; quippe quod non amplius verificatur adulterium cum promiſſione: ſecus autem ſi promiſſio ſequatur adulterium, quamvis deinde retractetur ante mortem conjugis: quia adhuc verificatur fuiſſe ſimul conjuncta promiſſionem, & adulterium, quamvis poſt adulterium revocatam.

Notabile alterum cum duplici caſu reſoluto. VII. Ad incurrendum hoc impedimentum requiritur adulterium conſummatum, & quod ab utroque ſciatur eſſe tale, nempe complicem eſſe conjugatum: non tamen requiritur, quod promiſſio ſit mutua, ſed ſufficit quod ſit acceptata, etiam ſolo ſilentio ejus, cui fit. An autem dirimat matrimonium promiſſio ficta, verbis dumtaxat, & non ex animo facta, diverſa eſt opinio. Profecto pro foro externo ſufficit etiam promiſſio verbis ſolummodo facta; quia præſumit animum verbis expreſſum: pro foro autem conſcientiæ dicunt aliqui, quod non generet impedimentum, cum reapſe nulla ſit promiſſio, ſed merum mendacium. Attamen cum ſcopus legis ſit præcavere pericula homicidiorum inter conjuges, profecto videtur comprehendi etiam promiſſio verbis dumtaxat expreſſa, cum hæc dumta-

Digitized by Google

xat, & non mere interna, poſſit eſse occaſio uxoridii, vel mariticidii. At quid ſi eſset promiſſio conditionata? Reſpondeo quod ſive impleatur conditio ante conjugis mortem, ſive non impleatur; eſt impedimentum dirimens; quia ſi impletur, jam evadit abſoluta, & procul dubio dirimens; ſi vero non impletur, adhuc eſt in linea veræ promiſſionis, & proinde dirimens: videri poteſt Sanchez l. 7. diſp. 97.

Exponitur quartum crimen. VIII. Quartum crimen eſt adulterium conjunctum cum matrimonio inito, vivente adhuc altero conjuge; quia præterquam quod hoc matrimonium ſit invalidum, ut patet, conjunctum cum adulterio evadit etiam impedimentum dirimens, ne amplius valide ſimul contrahere poſſint: ita ex cap. *de eo qui duxit*, & alibi.

§. XX. *De Impedimento Diſparis Cultus*.

Explicatur diſpar cultus, & quo jure prohibitæ nuptiæ? I. Diſparitas cultus ſignificat, quod contrahentium unus ſit baptizatus, & fidelis, alter non, ſed infidelis. Hæc matrimonia ſemper fuiſse jure naturali, & divino prohibita, non dico invalida, ſed prohibita, docent multi, ob magnum perverſionis periculum, quod imminet fideli ex continua, intima, & benevola converſatione cum infideli: ut patet exemplo ſapientiſſimi, & olim ſanctiſſimi Salomonis 3. Reg. c. 11. & ſolum in aliquibus caſibus fuiſse permiſsa, quando nempe ſpes affulgebat, nullum ſubeſse perverſionis periculum, immo potius ſperabatur beneficium converſionis infidelis, & quod proles in vera fide eſset educanda: exinde ita contraxerunt Joſeph Ægyptius cum Aſareth filia Putipharis, Gen. 41. & Moyſes cum Sephora Medianitide Exod. 2. Heſther cum Aſsuero, Heſt. 2. & in nova lege S. Cecilia cum Valeriano, S. Clotildis cum Clodoveo nondum baptizato, S. Monica cum Patritio, & alii cum aliis.

Quo jure irritæ? II. Hinc hujuſmodi matrimonia non ſunt irrita jure naturali, vel divino; non naturali, quia præter exempla allata, Iſmael duxit Ægyptiam, Geneſ. 26. Eſau mulieres Chananeas, ibidem; & Roboam, quamvis natus ex Salomone & uxore Madianitide, habitus fuit ut legitimus ſucceſsor in Regno, 3. Regum cap. 14. Non jure divino, quod non invenitur neque in veteri, neque in nova ſacra Pagina; prohibita quidem inveniuntur, at non declarata nulla, & irrita: & ita prohibuit Apoſtolus 2. Corinth. 6. *Nolite jugum ducere cum infidelibus*; cum jam in prima cap. 7. dixiſset: *cui vult, nubat, tantum in Domino*: ut oſtenderet non eſſe invalidum. Jure igitur dumtaxat Eccleſiaſtico in nova lege ſunt irrita matrimonia Baptizatæ perſonæ cum non Baptizata: & quamvis nullus habeatur Canon Generalis Concilii, plures extant canones Conciliorum particularium, immo habetur antiqua Eccleſiæ conſuetudo, quæ alicubi a principio, alicubi paullo poſt, alicubi tardius viguit. A multis tamen annis eſt communis, & approbata a ſenſu communi Prælatorum. Hinc in caſu urgentiſſimæ neceſſitatis, poterit hoc impedimentum a Pontifice diſpenſari; quippe quod jure humano in Eccleſiam invectum ſit.

Quid circa matrimonia infidelium, qui convertuntur ad fidem? III. Quando ambo infideles conjugati convertuntur ad fidem, jam verum matrimonium perſeverat, ut patet; quando vero unus tantum eorum convertitur, jam diffuſe dictum fuit in §. 9. n. 5. & 6. quin hic quidpiam addendum ſuperſit.

Quid de matrimonio hæretici cum catholico? IV. Matrimonia inita inter conjuges, quorum unus ſit Catholicus, Hæreticus alter, valida ſunt, cum ambo ſint rite baptizati, ut ſupponitur; at per ſe loquendo, ſunt graviter illicita, tum jure naturali, ob perverſionis periculum; tum quia communicatur in re ſacra cum hæretico; tum quia miniſtratur Sacramentum indigno; tum propter tacitum pactum educandi medietatem prolis hæreticæ; tum denique, quia prohibentur a Generali Concilio Chalcedonenſi cap. 13. ac proinde etiam in civitatibus, ubi mixtim cum hæreticis degunt catholici, per ſe loquendo mortaliter illicita ſunt præfata connubia, ob indicata motiva, juxta communiorem, & probabiliorem. Dixi per ſe loquendo; nam ſi interveniant hæ conditiones, nempe quod ceſset ſubverſionis periculum; quod conjux hæreticus juramento ſe obſtringat, nullam moleſtiam allaturum alteri in negotio religionis, & eodem juramento ſe obſtringat, ſe conceſsurum, ut proles omnis catholice educetur; obtenta prius licentia a Pontifice, vel ab Epiſcopo reſpective, licite matrimonium ineretur. Item ex aliqua gravi cauſa, quæ in Regiis contrahentibus facile emergere poteſt, licite petitur a S. Sede licentia, quæ, quibuſdam poſitis conditionibus, concedi ſolet, ſicut

Digitized by Google

ſicut factum fuit, dum Urbanus VIII. ob Religionis bonum, indulſit ut Henrica Borbonia nuberet Carolo Regi Anglorum hæretico.

Refellenda hic eſt ſingularis ſententia nuperi Theologi Germanici P. Franciſci Schmier, qui *Tom.* 2. *Lib.* 4. *Tract.* 3. *cap.* 5. *ſect.* 3. §. 1. *nu.* 57. contra communem fidelium ſenſum, & unanimem Doctorum opinionem, ut & ipſe fatetur, aſſeruit irrita eſſe Matrimonia Catholicorum cum Hæreticis, ſi ea conditione inita ſint, ut pars filiorum in hæretica Secta educetur. Refellenda, inquam, eſt ſingularis hæc ſententia, oppoſitumque firmiter ſtatuendum, nempe valida illa eſſe, etiamſi expoſita conditio interveniat. Quippe conditio, quæ ſpirituali prolis bono repugnat, ipſam matrimonii ſubſtantiam minime deſtruit. Quemadmodum valeret, ac ratum foret Matrimonium, ſi eo pacto contraheretur, ut proles vel ad furtum, vel ad artes magicas enutriretur.

§. XXI. *De Impedimento Vis, ſeu Metus.*

Explicatur vis dirimens. I. CUm homo circa actus a voluntate elicitos non poſſit pati vim, ſeu violentiam proprie dictam, ut communiter docent Philoſophi, patitur tamen vim metaphorice acceptam, qua præfati actus veluti per vim extorquentur; quæ vis metaphorica eſt metus gravis; & proinde nomine vis ſignificatur metus gravis, qui a juriſtis vocitari ſolet, cadens in virum conſtantem, qui videlicet aptus ſit compellere, & adigere hominem etiam fortis animi ad volendum, quod nullo pacto vellet, ſemoto tali metu. Metus gravis talis dicitur reſpectu mali imminentis nedum ipſi timenti, verum etiam valde conjunctis, puta uxori, genitoribus, filiis &c.

Quotuplex metus gravis, & quis judicetur talis? II. Metus gravis dividitur in gravem abſolute, & in gravem reſpective: primus eſt talis reſpectu cujuſcunque; ſecundus eſt talis reſpectu talis perſonæ, puta reſpectu fœminæ, puellæ &c. qui non cenſetur talis reſpectu viri. Metus gravis abſolute talis reſpectu cujuſcunque eſt metus mortis, mutilationis, gravis percuſſionis, ſervitutis, exilii, diuturni carceris, gravis infamiæ, violenti ſtupri, amiſſionis ſtatus juſte acquiſiti, privationis officii, a quo pendet ratio victus, & ſuſtentationis, amiſſionis majoris partis bonorum, exhæredationis, excommunicationis injuſtæ, & his ſimilium. Metus gravis reſpective ille eſt, ut indicavi, qui talis eſt reſpectu talis perſonæ, fœminæ, puellæ, hominis modici ſpiritus; ut apud prudentes cenſeatur gravis. Metus itaque gravis ſive abſolute, ſive reſpective, injuſte incuſſus, ab exteriori cauſa, ad extorquendum matrimonium, irritat, & invalidum efficit matrimonium tali metu contractum: ex capitibus 14. 15. & 28. de ſponſalibus; & quidem jure Eccleſiaſtico, & etiam jure quodam naturali; cum contra jus naturale videatur, quod per injuriam adeo gravem, aliquis ſibi acquirat jus perpetuum in perſonam alterius. Ratio autem cur voluerit Eccleſia, ut irritum ſit matrimonium, ad differentiam plerorumque contractuum cum tali metu initorum, qui ſunt in ſe validi, eſt, quia alii contractus, tametſi validi, remanent tamen reſcindibiles ad beneplacitum illius, qui paſſus eſt metum; at contractus matrimonii, ſemel valide initus, non eſt reſcindibilis ex jure divino; & proinde Eccleſia provide diſpoſuit, ne initus cum tali metu, ſit validus.

III. Dixi quod, ut hic metus nullum efficiat matrimonium, debet eſſe injuſte incuſſus, ab extrinſeco, ad extorquendum conſenſum in matrimonium: quæ omnia explicata habes in hoc cap. §. 1. nu. 13. & 14. quin hic inutiliter repetantur: videas igitur ibidem. Conditiones metus ut invalidet.

IV. Metus levis non reddit irritum matrimonium, neque metus reverentialis: non levis, quia utpote talis, debuit repelli, neque admittitur in foro: non reverentialis, abſolute loquendo, quia non affert aliud incommodum niſi ruborem, & diſplicentiam quamdam, agendo contra voluntatem, & reverentiam majoribus debitam; quem ruborem ſubire, & quam diſplicentiam perferre, negando conſenſum a majoribus optatum, non eſt tale incommodum, ut propter illud nullum efficiatur matrimonium, juxta communem, quouſque citra hos limites contineatur. Idcirco autem dixi abſolute loquendo; quia ſi metus exiret limites ſolius ruboris, aut diſplicentiæ perferendorum; quippe quod Genitores, Tutores, aliique majores expreſſiones quaſdam proferrent, ſignificantes gravem mœrorem, contriſtationem, & offenſam ex denegatione optati conſenſus; ut exinde in animo puellæ excitaretur metus, ne impoſterum male, & dure tractetur, ne amplius beni- Metus levis non invalidat; an aliquando reverentialis?

di conjugaliter, matrimonium omnino ratificatur. Ita S. Thomas *in 4. diſt. 29. qu un. art.* 3. Si vero copula non ſponte ac libere, ſed ex metu gravi illato ſubſequatur, mortaliter delinquunt utrique contrahentes, nec matrimonium revalidatur. Delinquunt quidem mortaliter; quia actum pure fornicarium perpetrant. Non revalidatur autem matrimonium; quia ſi poſitivus conſenſus gravi metu extortus ſatis non eſt ad valorem matrimonii, multo minus ſufficies erit tacitus conſenſus, qui per copulam habetur pati metu productus.

2. Matrimonium ob gravem metum initum, vires ſumit per ſpontaneam habitationem, etiam ſine copula; quia cohabitatio ſpontanea eſt ſignum ſufficiens novi conſenſus, qui dumtaxat ad Matrimonii valorem requirebatur. Ut autem per cohabitionem vires ſumat, ſeu ratificetur prius Matrimonium, quatuor ſequentes conditiones interveniant neceſſe eſt. 1. ut cohabitatio ſit ſpontanea. Porro cohabitatio cenſetur ſpontanea, cum eouſque ſublata eſt incuſſi timoris cauſa, ut metum paſſus vel fugere, vel commode reclamare potuerit. 2. ut habitatio a copula ſejuncta ſit diuturna; quod quidem diſcutiendum relinquitur arbitrio Judicis, qui in dubio, fugiendi opportunitatem, habitationiſque moram accurate perpendat. 3. ut pars metum paſſa, ſciat matrimonium nullum fuiſſe, & invalidum. 4. demum, ut adhuc perſeveret conſenſus partis, quæ malum incuſſit. Vide hæc omnia uberius expoſita a P. Philippo de Carboneano apud P. Antoine *tract. de Matrimon. cap.* 3. *poſt num.* VII.

Hic diſſerendum eſſet de Impedimento Ordinis, de quo diſſeruimus in §. 17. dum egimus de impedimento voti.

§. XXII. *De Impedimento Ligaminis*.

Explicatur ligamen dirimens. I. LIgamen denotat vinculum prioris matrimonii ſive rati, ſive conſummati, quo perſiſtente, jure Divino, irritum eſt in nova lege alterum matrimonium; & expreſſe habetur in capite 2. de ſecundis nuptiis, & Clement. 3. cap. *in præſentia* de ſponſalibus, & matrimonio. Non poteſt igitur alterum matrimonium iniri, niſi prius certo conſtet de obitu alterius conjugis.

Quænam certitudo requiratur de morte conjugis? II. Tota difficultas devolvitur ad gradum certitudinis de morte conjugis. Regula certa ſtatuitur a Doctoribus, quod nec ſola abſentia multorum annorum, neque ſola fama de morte conjugis ſufficiat ad fundandam moralem certitudinem, ut ut novum ineatur connubium; ſed requiratur teſtimonium authenticum de morte conjugis, quod teſtimonium approbetur ab Ordinario, ſine cujus aſſenſu, & conſilio in eo caſu non debent Parochi quidquam agere. Et niſi poſſit haberi teſtimonium authenticum de morte, requiritur teſtificatio virorum fide dignorum, quæ itidem admittatur ab Ordinario, ne in re adeo gravi erretur, cum ſcandalo non levi multorum puſillorum fidelium.

Caſus reſolvitur. III. Si quis igitur poſt contractum omnino bona fide novum matrimonium, incipiat prudenter dubitare de morte prioris conjugis, tenetur abſtinere a petendo debito, reddere autem debet petenti inſcio, nec petere poteſt, donec dubium ſolidis motivis evacuetur; ſi vero uterque matrimonium ineundo dubitavit, uterque a petendo abſtinere debet, & a reddendo; nemo enim eorum poſſidere poteſt hoc jus; cum poſſeſſio nunquam inchoetur cum mala, aut dubia fide. Circa hoc punctum, vide ſuperius tradita in §. 13. n. 21. 22. 33.

✠ Si alicui poſt contractas bona fide ſecundas nuptias de prioris conjugis vita conſtiterit, tenetur poſteriorem ſtatim relinquere, & ad priorem reverti; quippe prius matrimonium ſubſiſtit, & poſterius irritum eſt.

§. XXIII. *De Impedimento Honeſtatis*.

Notio hujus impedimenti orti ex ſponſalibus. I. HOneſtatis nomine ſignificatur juſtitia quædam publicæ honeſtatis, in quadam affinitate, & propinquitate quarumdam perſonarum, jure civili, & canonico inducta, quæ profluit ex ſponſalibus validis, & abſolutis, nec non ex matrimonio rato dumtaxat, nondum conſummato, ob publicam honeſtatem; quippe quod decens ſit, ut inter perſonas tali propinquitate conjunctas matrimonium non contrahatur. Si itaque oriatur ex ſponſalibus, efficit ut ſponſus nequeat valide ducere ſororem, aut matrem, aut filiam ſponſæ; ſicut neque ſponſa poſſit valide ducere fratrem, patrem, aut filium ſponſi: ex lege Tridentini ſeſſ. 24. cap. 3. & id verum eſt tametſi ſponſalia juſta de cauſa fuerint diſſoluta; ex capite *ſi quis* 27. q. 2. aut quamvis diſſolvantur

Digitized by Google

tur mutuo conſenſu ſponſorum ex c. 5. de deſponſation. impuberum; quandoquidem hoc impedimentum non pendet a voluntate contrahentium, ſed ab Eccleſiæ inſtitutione, quæ voluit eſſe perpetuum; & circa hoc extat declaratio Sac. Congregationis ſub die 6. Julii 1658. apud Fagnanum in capite *ad audientiam* de ſponſalibus; quæ reddit improbabilem quorundam recentiorum oppoſitam opinionem. Itaque hoc impedimentum non extenditur ultra conſanguineos ſponſorum in primo gradu.

Notio hujus impedimenti orti ex matrimonio rato.

II. Quando hæc propinquitas oritur ex matrimonio rato, nec conſummato, nullum efficit matrimonium uſque ad quartum gradum conſanguinitatis incluſive, juxta declarationem S. Pii V. in Bulla 62. in qua aſſerit, Concilium Tridentinum circa hoc nihil innovaſſe. Itaque ſi Cajus contraxit matrimonium cum Berta, quamvis illud non conſummaverit, puta ex repentina morte Bertæ, Cajus non poſſet amplius contrahere cum aliqua Bertæ conſanguinea uſque ad quartum graduum incluſive; ſicut nec Berta cum aliquo conſanguineo Caji uſque ad dictum gradum, ſi Cajus præmoriatur conſummationi.

Obſervatio valde notanda.

III. Valde notandum, quod hoc impedimentum ſubſiſtit, quamvis poſtea detegatur matrimonium, etiam dumtaxat ratum, fuiſſe nullum ob aliquod impedimentum illud dirimens, dummodo non fuerit nullum ex defectu conſenſus; quia tunc hoc impedimentum non exurgit: puta quia error fuit circa perſonam; aut ignorata fuerit conditio ſervilis, aut quia fuerit initum ex metu gravi injuſto, aut datus fuerit conſenſus in plena ebrietate, aut in amentia; in quibus caſibus cum deſit conſenſus, jure aut naturali, aut eccleſiaſtico, non oritur ex tali matrimonio dictum impedimentum; ita communis ex variis juribus.

Et quid, ſi eſſet invalidum ex defectu aſſiſtentiæ Parochi &c.?

IV. Si matrimonium eſſet invalidum defectu aſſiſtentiæ Parochi, & teſtium dicit Sanchez lib. 7. diſp. 70. cum aliquibus, quod judicandum eſſet invalidum defectu conſenſus, quia conſenſus clandeſtinus non eſt conſenſus idoneus. At longe probabilior eſt opinio Perez diſp. 32. ſect. 3. & aliorum, revera eſſe invalidum, at non defectu conſenſus, ſed defectu ſolemnitatis a jure requiſitæ, qui defectus conſtituit aliud impedimentum diſtinctum a defectu conſenſus, ut patet ex enumeratione impedimentorum; ac proinde ex defectu ſolemnitatis oritur impedimentum publicæ honeſtatis ſupradictæ uſque ad quartum gradum: quæ opinio eſt in praxi tenenda, utpote favorabilis Sacramento, & in qua agitur de valore ejuſdem.

Quid ſi conſenſus eſſet tantum conditionatus?

V. At quid dicendum, ſi conſenſus eſſet dumtaxat conditionatus, & pendens a conditione? Reſpondeo quod, nondum poſita conditione, non pariet impedimentum, cum reapſe nondum ſit datus conſenſus: ſi autem conditio ponatur, neque fuerit retractatus conſenſus, jam pariet impedimentum uſque ad quartum gradum; quia conſenſus jam tranſivit in abſolutum.

✠ Animadvertendum eſt, Matrimonium irritum ob impedimentum publicæ honeſtatis non parere aliud publicæ honeſtatis impedimentum in præjudicium priorum ſponſalium. Hinc Matrimonium contractum cum ſorore, matre, vel filia ſponſæ non habet vim quaſi reciprocam diſſolvendi præcedentia ſponſalia. Cap. unic. *de ſponſalibus in* 6.

§. XXIV. *De Impedimento Ætatis.*

Exponitur impedimentum ætatis.

I. IMpedimentum ætatis denotat irritum eſſe matrimonium, quod contrahitur ante annos pubertatis; qui pro maſculis ſunt quatuordecim completi, pro fœmellis ſunt duodecim completi: ita ex capite 10. *ex litteris* de deſponſat. Impuberum, & alibi. Id intelligendum eſt ordinarie: nam ſi in contrahentibus prudentia, & malitia ſuppleret ætatem, nempe ſi tanta diſcretione donarentur, ut percipere valerent gravitatem hujuſmodi contractus, & tanto vigore naturali, ut eſſent ad copulam conjugalem habiles, matrimonium ſubſiſteret: ita ex capite *de illis*, & ex capite *Tuo* de deſponſ. Impuberum.

Deductiones notandæ.

II. Cum autem hoc impedimentum profluat partim ex jure naturali, inquantum affert defectum legitimi conſenſus, partim ex jure poſitivo, in quantum involvit defectum præſtandi officium conjugale; hinc fit primo, quod ſi duo conjugati infideles, qui contraxerunt ante pubertatem, tamen, cum conſenſu ſufficientis diſcretionis, & convertantur ad fidem; tale matrimonium ut validum habendum ſit. Secundo, poſſe de plenitudine poteſtatis Eccleſiaſticæ diſpenſari, ut duo impuberes nubant, ſi certo conſtet de ſufficienti diſcretione. Tertio, connubium validum eſſe habendum, ſi duo, paucis ante pubertatem menſibus, nubant, dummodo certo conſtaret, eos ſufficienti diſcretione fuiſſe donatos.

III. No-

Digitized by Google

Notabile ſecundum.

III. Notandum, quod quando matrimonium eſt invalidum defectu ætatis, reſolvitur in ſponſalia valida, ipſiſque æquivalet; ita ex capite unico de deſponſat. impub. in 6. dummodo tamen illud matrimonium, quamvis irritum, initum fuerit coram Parocho, & teſtibus: proinde ex matrimonio hujuſmodi, defectu ætatis nullo, non conſurgit impedimentum publicæ honeſtatis, uſque ad quartum gradum, ſicut in rato; ſed dumtaxat uſque ad primum gradum, ſicut dictum fuit de ſponſalibus validis.

§. XXV. *De impedimento Affinitatis.*

Quid ſit affinitas? quoſque dirimat?

I. AFfinitas definitur conjunctio, ſeu propinquitas perſonarum, orta ex copula carnali completa, ideſt per ſe ſufficiente ad generationem, ſive fuerit licita, ſive illicita; & oritur dumtaxat inter conſanguineos viri, & mulierem; & inter conſanguineos mulieris, & virum: ex capite *Porro* 35. q. 5. Quando oritur ex copula licita, ſeu conjugali, extenditur uſque ad quartum gradum incluſive; itaut neque uxor poſſit amplius nubere cum conſanguineis viri uſque ad quartum gradum, neque maritus poſſit amplius contrahere cum conſanguineis uxoris uſque ad dictum gradum: ex cap. 8. de conſanguin. Quando oritur ex copula illicita, ideſt non conjugali, non ſe extendit niſi ad ſecundum gradum incluſive, ex jure novo Tridentini ſeſſ. 24. cap. 4. & ex Bulla 61. S. Pii V.

Quomodo computentur gradus affinitatis?

II. In affinitate computantur Lineæ, & Gradus ſicut computata fuere in Conſanguinitate: quapropter quo gradu conſanguineus aliquis eſt uni conjugum, vel copulatorum conjunctus, eodem gradu eſt affinis alteri conjugi, vel copulato: proinde conſanguineus mariti, aut viri fornicantis in primo gradu, aut ſecundo &c. eſt affinis uxori, vel fornicariæ, quacum ille rem habuit, in primo, aut ſecundo &c. gradu; & ſimiliter conſanguineus mulieris; vel fornicariæ in primo &c. eſt affinis viro vel fornicanti in primo &c.

Quo jure affinitas dirimat?

III. Valde probabilis eſt opinio Soti in 4. diſt. 41. a 3. quod affinitas in primo gradu lineæ rectæ orta ex legitimo matrimonio dirimat jure naturali; eaque deducitur ex S. Auguſtino lib. 22. contra Fauſtum cap. 61. *Si vir, & uxor non duo ſed una ſunt caro; non aliter nurus eſt deputanda quam filia*: & videtur tradi ab Angelico lect. 1. in 1. Corinth. cap. 5. *Uxor patris repellitur a matrimonio, ſicut perſona patris, vel matris*, quæ repelluntur jure naturali. Ratio etiam ſuadere videtur; quia affinibus in primo gradu lineæ rectæ obſtat illa æqualitas, & libertas in matrimonio requiſita. Idcirco jure naturali dirimitur matrimonium Vitrici cum Privigna, & Novercæ cum Privigno; Soceri cum Nurru, & Generi cum Socru. In reliquis gradibus lineæ rectæ, & in omnibus lineæ collateralis impedimentum dirimens eſt dumtaxat juris poſitivi; & idcirco juſtis de cauſis poteſt ab Eccleſia diſpenſari: quemadmodum Innoc. III. in capite *Finali* diſpenſavit ob infirmitatem recenter converſorum ad fidem, ut contraherent cum uxoribus viduis ſuorum fratrum; & Alexander VI. diſpenſavit, ut Emanuel Rex Portugalliæ ſucceſſive contraheret cum duabus ſororibus: & Julius II. ut Henricus VIII. Rex Angliæ duceret Catharinam uxorem Arturi fratris ſui defuncti; quam diſpenſationem Clemens VII., poſt conſultationem doctiſſimorum totius orbis virorum, legitime conceſſam declaravit in decreto relato ab Alphonſo de Caſtro lib. 1. de lege pœnali 12.

Quid de affinitate, quæ ſupervenit Matrimonio?

IV. Quid ſentiendum quando affinitas ſupervenit matrimonio, ob copulam inceſtuoſam habitam ab altero conjugum cum conſanguineis in primo, vel ſecundo gradu alterius conjugis, jam traditum habes in §. 13. n. 17. & 18., quin hic inutiliter repetatur.

Illatum obſervandum.

V. Ex dictis patet, quod conſanguinei conjugum, ſeu copulatorum non evadunt affines inter ſe invicem, & proinde quod conſanguinei uxoris, non ſunt affines conſanguineis mariti; ſed ſoli marito, ſicut conſanguinei mariti non ſunt affines conſanguineis uxoris; ſed ſoli uxori, & idem dicas de conjunctis fornicarii, & fornicariæ uſque ad ſecundum gradum. Hinc duo fratres valide, & licite contrahunt cum duabus ſororibus; & filius mariti ex alio matrimonio licite, & valide contrahit cum filia uxoris ex alio matrimonio, quia affinitas non parit affinitatem.

* S. P. Benedictus XIV. *de Synod. Diœceſ. lib. 9. cap.* 13. examini ſubjicit, an valide contrahi poſſit matrimonium inter Vitricum, & Uxorem Privigni? *Porro num.* 2. refert hujus quæſtionis articulum in Sacra Congregatione Concilii mature diſcuſſum fuiſſe; & expenſis rationum momentis a ſe, qui tunc ejuſdem Congregationis a Secretis erat, in utramque partem addu-

Digitized by Google

adductis, quæ legi poſſunt *in Theſaur. Reſolut. tom.* 2. *pag.* 26. eamdem Sacram Congregationem *die* 8. *Martii* 1721. validum pronunciaſſe Matrimonium inter Vitricum, & uxorem Privigni contractum. Hujuſce deciſionis rationes affert ipſe fuſo calamo *ibidem*; quas nos brevitatis gratia prætermittimus.

Circa vero matrimonium cum noverca, vel nuru (de quo Auctor *præced. num.* 111.) ſic ſubdit idem Summus Pontifex *num.* 4. „ In Synodo Limana decretum „ eſt, ut Indi Peruani, qui matrimonium „ contraxerunt cum noverca vel nuru, „ non admittantur ad Baptiſmum, niſi pri„ us conjugium præfatum veluti jure na„ turæ irritum ſolvant, uti refert Acoſt. „ *de procuranda Indorum ſalute tit.* 16. „ *cap.* 21. Synodus hæc certum ponit, „ affinitatem, quæ ex matrimonio cauſa„ tur, jure naturæ dirimere matrimonium „ in primo gradu lineæ rectæ: id autem „ certum non eſt, cum probatiſſimi Au„ ctores doceant, nullam affinitatem, ne „ eam quidem, quæ eſt in primo gradu „ lineæ rectæ, dirimere matrimonium jure „ naturæ, ſed jure tantum Eccleſiaſtico, „ & conſequenter ſuper eo impedimento, „ graviſſimis urgentibus cauſis, poſſe a „ Summo Pontifice diſpenſari: Sylvius O„ *per. tom.* 5. *verb. diſpenſatio tertio*. „ At, quidquid ſit de poteſtate, a ſimili „ diſpenſatione Romani Pontifices, etſi „ pluries rogati, abſtinuerunt. Legi poteſt „ Rigantius *tom.* 4. *ad regul.* 49. *Cancel„ lariæ num.* 18. *& ſeq.* ubi etiam men„ tionem facit noſtri conſilii reverenter „ exhibiti, dum in minoribus eſſemus, „ Benedicto XIII. noſtro Benefactori, ut „ a ſimili diſpenſatione, pro qua rogaba„ tur, abſtineret, prout abſtinuit. "

§. XXVI. *De Impedimento Clandeſtinitatis.*

Circa hoc impedimentum omnia, quæ hic deſiderari poſſunt, fuſe tradita invenies in toto paragrapho octavo, ubi diſſeruimus de ſolemnitatibus requiſitis ad valorem matrimonii inter baptizatos.

§. XXVII. *De Impedimento Impotentiæ.*

Quid ſit impotentia?

I. Nomine Impotentiæ ſignificatur inhabilitas ad copulam naturalem, & prolificam: cum autem plura ſint neceſſario explicanda mentibus caſtis importuna, ea modeſtiori, & breviori quo fieri poterit calamo ita percurremus, ut tamen neceſſaria ſcitu non prætereamus.

Ex quot capitibus oritur impotentia?

II. Hæc impotentia vel ortum habet ex maleficio, quod diaboli ope habuit effectum, vel ortum ducit a principio naturali, nempe ex naturali conſtitutione perſonæ, & hæc in viro procedit aut ex nimia naturæ frigiditate, aut ex teſticulorum carentia; vel attritione; aut ex debilitate complexionis, aut ex improportione excedente & monſtruoſa membri virilis, aut ex nimia ejuſdem modicitate, ita ut ad penetrationem fœminei vaſis, & ad emittendum intra idem ſemen prolificum ſit inhabile. In fœmina autem impotentia naturalis oritur regulariter ex nimia vaſis arctitudine.

Impotentia quotuplex?

III. Impotentia, alia dicitur Abſoluta, & alia Reſpectiva: prima efficit perſonam impotentem reſpectu omnium aut virorum, aut fœminarum: Secunda efficit impotentem reſpectu dumtaxat alicujus. Utraque hæc impotentia ſubdividitur in perpetuam, & temporaneam: perpetua cenſetur illa, quæ tolli non poteſt aut ſine peccato, aut ſine vitæ periculo: temporanea, quæ tolli poteſt ſine peccato, miraculo, aut vitæ periculo, ſed modis licitis, & ordinariis ſive naturalibus, quamvis aliquod incommodum afferentibus, ſive ſpiritualibus, puta exorciſmis, & precibus contra maleficia.

Sterilitas non eſt impotentia.

IV. Sterilitas non comprehenditur in hac impotentia; quia revera talis non eſt, cum non prohibeat copulam ex ſe ſufficientem ad prolis generationem, quamvis generatio per accidens non ſequatur vel ex morbo, vel ex aliquo alio defectu accidentali viri, aut mulieris.

Qualiter impotentia perpetua antecedens dirimit?

V. Certum eſt apud omnes, Impotentiam abſolutam perpetuam antecedentem matrimonium, quamvis in uno dumtaxat conjugum inveniatur, dirimere, & irritum reddere matrimonium, tum jure naturali, tum poſitivo; naturali quidem, quia cum matrimonium conſiſtat in mutua corporum traditione ad finem prolis generandæ, poſita impotentia perpetua ad prolem generandam, irritum evadet matrimonium; innofficioſa namque eſt poteſtas tradita ad actum moraliter impoſſibilem. Poſitivo autem in toto titulo de frigidis, & maleficiatis in 4. decretalium, & alibi; & hæc impotentia irritat matrimonium reſpectu cujuſcumque. Impotentia autem ſolum reſpecti-

Digitized by Google

va, irritat matrimonium reſpectu illius perſonæ, cum qua maritalis congreſſus haberi non poteſt.

Illata notanda. VI. Hinc inferas, Eunuchos, & Spadones utroque teſticulo privatos, invalide matrimonium contrahere cum quacumque, ob impotentiam perpetuam emittendi ſemen prolificum, ex declarat. Sixti in Bulla 59.: Similiter qui utroſque teſticulos habent attritos, aut qui licet attritos non habeant, ob nimiam frigiditatem temperamenti, ſemen emittere non poſſunt, invalide contrahunt, ob dictam rationem: non ita dicendum de habente unum teſticulum, & de accidentaliter impotente ad copulam, ob infirmitatem non perpetuam; quia primus potitur organo ſufficiente; & ſecundus, ſublata infirmitate, poterit id, a quo impeditur propter infirmitatem.

Quid de ſenibus? VII. Senes adeo annoſi, qui quamvis habuerint potentiam, illamque exercuerint, ætate tamen ita ſunt confecti, ut illam in poſterum non poſſint exercere, in vera ſententia Navarri cap. 2. num. 59. Sanchez lib. 7. diſp. 92. & aliorum, quidquid dicat Henriquez lib. 12. cap. 7. num. 3., in vera, inquam, ſententia invalide contrahunt, quia revera ſunt pro futuro perpetuo impotes, immo ſemper in deterius ſunt ituri; quid enim prodeſt potentiam olim habuiſſe, qua modo carent, & quam certo moraliter nunquam ſunt recuperaturi? Neque eſt admittenda exceptio quorumdam recentiorum, nempe quod poſt factum, debeat reputari validum matrimonium, & poſt expertam triennio inutilem attentationem copulæ, teneantur deinceps vivere, ut frater, & ſoror; videtur namque exceptio abſurdior opinione rejecta; ſi enim certum eſt, ſenem illum non poſſe copulam perficere; qua ratione poſt factum, ideſt poſt contractum, neſcio qua bona fide, matrimonium cenſendum erit validum? vel enim impotentia illa pro futuro eſt perpetua, vel non: ſi perpetua; igitur invalidum: ſi non perpetua; variatur caſus, qui eſt de impotentia certa, & perpetua pro futuro: ſi igitur eſt certo perpetua pro futuro, quis excuſare poterit a peccatis mollitiei coram Chriſto judice attentationes illas ad copulam perficiendam, quam certus erat ſe nunquam poſſe perficere? Non ita dicendum de muliere vetula, quæ, niſi arctitudine impediatur, (de qua paulo infra) ſemper eſt idonea ad perficiendam copulam cum viro non impote.

VIII. Quando maleficium præcedens matrimonium, ex quo oritur impotentia, ex occulta Dei providentia, nullo modo licito tolli poteſt, poſt triennalem experientiam, jam efficit impotentiam perpetuam, & irritum reddit matrimonium cum tali impedimento initum. Verum ſi conjux, poſt initum ſecundum matrimonium, experiatur, redditam ſibi eſſe potentiam conſummandi, tenetur redire ad priorem conjugem; quia primum matrimonium fuit validum, eo quod impotentia non fuerit perpetua, ſed dumtaxat præſumpta ut talis; matrimonium autem non redditur irritum ex impotentia præſumptive perpetua, ſed revera tali: debet autem ſecurus eſſe quod ſublatum ſit maleficium; nam ſi dubitet, coram Deo reſpectu prioris conjugis non eſſe ſublatum, non tenetur ad illam redire: ex capite *ſi ſortiarias* 33. q. 1. Si autem dubitet, an maleficium præceſſerit matrimonium, an eidem ſupervenerit; valde diſſident Doctores: multi Canoniſtæ apud Maſcardum de probationibus concluſione 1027. n. 1. & multi Theologi apud Sanchez lib. 7. diſp. 107. n. 5. dicunt præſumendum, non præceſſiſſe matrimonium; & illud non dirimere; quia in dubio ſtandum eſt in favorem matrimonii. Alii Canoniſtæ, cum quibus ipſe Maſcardus loc. cit. n. 3., & etiam concluſ. 816., & multi Theologi cum Bonacina q. 3. punct. 13. n. 11. dicunt, præſumendum quod præceſſerit; & idcirco matrimonium nullum efficere; quia quamvis cauſa matrimonii ſit favorabilis, quando matrimonium poteſt ſortiri ſuum effectum, nempe poteſtatem prolis generandæ; non tamen quando judicium in illius favorem retorquetur in ipſius damnum, juxta regulam juris *quod gratia* in 6. id autem eveniret in præſenti; nam ſi judicetur matrimonium ſubſiſtere, eo quod præſumatur maleficium non præceſſiſſe, favor iſte retorquetur in damnum ipſius matrimonii. Hæc videtur probabilior. Quid in caſu maleficii?

IX. Quando impotentia eſt ex parte mulieris, quæ judicio prudentum matronarum, aut ſapientum medicorum, adeo arcta eſt, ut reſpectu cujuſcunque viri impotens ad copulam cenſeatur, nequit valide contrahere, ex communi: ſi autem impotentia illa ſit dictorum judicio remediabilis, per inciſionem non mortalem, quamvis ſatis moleſtam, & doloroſam, ſi mulier acquieſcat, ſe inciſioni ſubmittere, ut patet, contrahet matrimonium: ſi vero Quid de impedimento ex parte mulieris?

nolit

Digitized by Google

nolit ſe ſubjicere inciſioni, & impotens judicetur reſpectu cujuſcunque viri, invalide contrahet. Si vero contrahat bona fide, & poſt matrimonium detegatur dicta arctitudo, ita ut ſine inciſione copula haberi non poſſit; tenetur, juxta communem, pati inciſionem non periculoſam vitæ, quamvis magno dolori conjunctam; quia ex vi contractus initi, tenetur, etiam cum gravi incommodo, ſe reddere idoneam viro in re adeo gravi, & levare virum ab onere graviſſimo, quale eſt nunquam habendi copulam ad prolis generationem. Si vero intervenire debeat grandis morbus in inciſione; dicunt Auctores apud Bonacinam qu. 3. punct. 13. num. 7., quod non teneatur inciſionem illam pati, & adhuc ſubſiſtat matrimonium, cum reapſe non verificetur impotentia abſoluta, eo quod per remedium tolli poteſt, quamvis non ſine moleſtiſſimo morbo, & incommodo, citra mortem. Reſolutio forte vera; at ſumme dura pro marito, præcipue prolem optante ob gravia motiva; propterea putarem, quod, dummodo moraliter certa ſit mulier medicorum judicio, inciſionem non eſſe mortalem, ipſa teneatur, eidem ſe ſubjicere; quia eo ipſo quod contractum iniit tradendi corpus ſuum ad prolem ſuſcipiendam, tenetur, ſe huic honeſto ſcopo idoneam reddere per media, quæ, quamvis moleſta, mortem tamen non ſunt allatura: & profecto ſi comparetur incommodum ab ipſa ſuſtinendum, cum incommodo a marito per totam vitam perferendo, & toti familiæ reſultaturo; longe gravius apparet hoc, quam illud; cum incommodum uxoris ſit paucorum dierum, & ad ſummum paucarum hebdomadarum; mariti autem perpetuum: incommodum uxoris ſpectat ad ſolum corpus; mariti autem ad corpus, ad animam, atque ad familiam.

Nubens cum dubio impotentiæ.

X. Qui nubit cum dubio, an ſit impotens perpetuus, an temporaneus, peccat mortaliter; quia ſe exponit periculo decipiendi in re gravi alterum conjugem, necnon reddendi Sacramentum nullum: conceditur tamen hujuſmodi conjugibus a jure triennium, ad experiendum an matrimonium conſummare queant, & interea omnia media licita adhibeant; triennio autem expleto, ſi adhuc impotentia perſeveret, irritum efficitur matrimonium: ex c. 5. de frigidis, & maleficiatis; in quo capite conceditur illis, qui bona fide nupſerunt, ut, ſi velint, ſimul permaneant, tamen ſicut frater, & ſoror, interdicta ipſis ſub mortali omni actione, cogitatione, & affectione conjugali, ſicut interditur non conjugatis, cum revera non ſint conjuges. Illud triennium experientiæ, ſi impotentia ſit ex parte viri, vel ex maleficio, incipit a die primæ attentationis copulæ; quando impotentia ſe tenet ex parte uxoris, incipit a die, qua cœperunt adhiberi remedia: cavendum tamen eſt, ne differatur data opera, & malitioſe remediorum applicatio; quia dilatio eſſet peccaminoſa. Hoc triennii privilegium denegatur illi, qui nupſit, ſciens ſe habere impotentiam perpetuam; qui ſtatim tenetur non uti matrimonio, & ſeparationem procurare per legitimam judicis ſententiam ad evitanda ſcandala.

Triennium experientiæ quando, & quibus conceditur?

Impotentia ſuperveniens matrimonio.

XI. Impotentia ſuperveniens matrimonio, illud nunquam dirimit, ſi fuerit conſummatum; ſi vero fuerit ratum dumtaxat, poterit diſſolvi, non ex vi impotentiæ, ſed, ut diximus in toto §. 10. per profeſſionem Religionis approbatæ, vel per Pontificis diſpenſationem: in caſu autem, quod nolit Religionem profiteri, matrimonium ſubſiſtit; & tunc tenetur, ut dixi n. 9. ſuſtinere omnia remedia citra mortem, ut ſe potentem reddat.

Quid de Hermaphroditis?

XII. Circa Hermaphroditos, in quibus reperitur uterque ſexus: ſi unus ſexus prævaleat alteri, puta virilis; poterit licite ducere mulierem; ſicut ſi prævaleat ſexus muliebris, poterit licite nubere viro; eo quod judicio peritorum Anathomicorum judicetur talis, aut talis ſexus, qui in eo prævalet: proinde ſi contraheret ſecundum ſexum minus prævalentem, nedum illicite, ſed & invalide contraheret; quia ſicut duo viri, vel duæ fœminæ invalide nubunt, ita etiam contrahens juxta ſexum minus prævalentem: Quando autem ſexus eſt omnino æqualis, quod rariſſime evenit, tunc in tali hypotheſi poteſt Hermaphroditus alterutrum eligere, & ſecundum a ſe factam electionem contrahere; eo quod tale jus videatur ipſi a natura conceſſum: at ſemel electo ſexu, juxta illum ſe debet gerere, & vivere; ita ut ſi poſt mortem conjugis vellet ſexus electionem mutare, & ſecundum novam electionem contrahere, juxta omnes graviter peccaret, tum ob abuſum ſui ſexus jam rejecti, tum ob perjurium quod incurreret (de quo ſtatim). Fatentur tamen omnes, quod ſi juxta novam ſexus electionem contraheret, valide contraheret, tum quia vere eſt potens juxta noviter electum; tum

quia

Digitized by Google

quia in nullo jure tale matrimonium irritum declaratur.

Obligatio Parochi Hermaphroditi matrimonio aſſiſtentis.

XIII. Parochus vocatus ad aſſiſtendum matrimonio, quorum unus contrahentium eſt Hermaphroditus, tenetur, antequam aſſiſtat, efficere ut Hermaphroditus coram judice Eccleſiaſtico declaret ſexum, quem eligit; & cum juramento affirmet, ſe juxta ſexum electum ducturum vitam in poſterum uſque ad mortem: & niſi certus ſit, tale juramentum ab eo fuiſſe emiſſum coram Epiſcopo, aut alio Judice Eccleſiaſtico, non poteſt licite aſſiſtere, juxta omnes.

Caſus peculiaris reſolvitur.

XIV. At quid dicendum, ſi duo Hermaphroditi æqualis omnino ſexus contrahere vellent? Caſus quidem peculiaris, & forte mere poſſibilis, aut vix unquam eventurus. Reſpondet Perez diſp. 37. ſect. 15. neque licite, neque valide poſſe contrahere; quia eſſet contractus quidam virtualis Polygamiæ ſimultaneæ a Chriſto vetitæ; nam pateret uſus promiſcuus utriuſque ſexus, a quo nedum honeſtas, ſed & natura ipſa tanquam a re deteſtabili abhorret.

§. XXVIII. *De impedimento Raptus.*

Exponitur impedimentum Raptus, & quando dirimat.

I. RAptus ſignificat violentam fœminæ abductionem de loco ad locum, matrimonii, aut explendæ libidinis cauſa. Duobus modis committitur; uno; quando perſona abducitur per vim; altero, quando abducitur quidem perſona conſentiens, ſed invitis parentibus, aut cuſtodibus ſuis, ſub quorum cura, & poteſtate degit. Raptus inducens impedimentum dirimens matrimonium inter raptorem, & raptam tunc evenit, quando ipſa violenter abducitur contra ſuam voluntatem; nam ſi ipſa ſponte conſentiat in ſui abductionem, quamvis aliis invitis, erit quidem raptus a jure punibilis, ſed non inducens impedimentum, juxta probabiliorem Sanchez lib. 7. diſp. 13. n. 3. & nonnullorum contra Navarrum lib. 5. conſil. 3. num. 1. & alios. Ratio eſt; quia lex Tridentina ſeſſ. 24. cap. 6. de reform. matrimonii, induxit hoc impedimentum, ad tuendam libertatem matrimonii, in cujus evidens ſignum, quando rapta conſtituitur in loco tuto, ubi poſſit de ſe libere diſponere, ſi aſſentiatur raptori, matrimonium tenet, juxta omnes, quidquid reſiſtant parentes &c.; neque Tridentinum exigit, ut reddatur parentibus, ſed loco tuto, & libero ab omni metu; igitur ſi ipſa omnino libere conſentiat in ſui raptum, non erit raptus, qui inducat impedimentum. Nec ſunt admittendi qui dicunt, non incurri impedimentum, quamvis violenter rapiatur ad libidinem, ſi non rapiatur ad matrimonium, quod deinde libere contrahit; tum quia eſt ſemper raptus in eodem ordine, & ad eumdem ſcopum a Tridentino inſpectum, tum quia ab Emanuele Sa verbo matrimonium n. 9. indicatur declaratio Sac. Congregationis noſtram ſententiam protegentis; ſecus dicendum, ſi raperetur ob alium finem libidini, & matrimonio extraneum: & ibi libere, in matrimonium propoſitum aſſentiretur; tunc enim in foro conſcientiæ validum eſſet.

An Raptus dirimat etiam ſponſalia?

II. Pariter dicendum eſt quoad ſponſalia, nempe invalida eſſe, ſi rapiatur violenter puella, aut mulier ad ipſa contrahenda; quandoquidem non ſatis providiſſet Concilium pro evitando inconvenienti; ſi ſponſalia, quæ habent vim obligandi ſponſos ad contrahendum matrimonium, eſſent valida, quamvis inita cum muliere violenter rapta, & promittente ſub poteſtate raptoris; & ita declaraſſe Sac. Congregationem affirmat Molina, diſp. 10. n. 22.

Caſus incidens reſolvitur.

III. Quid dicendum, ſi mulier a Titio rapta, & nondum in loco tuto conſtituta, contrahat ſponte non cum Titio raptore, ſed cum alio tertio, qui nil operæ præſtitit ad raptum Titii? videtur validum eſſe matrimonium, quia lex illud irritum reddit inter raptorem, & raptam, quin aliquid loquatur de alio tertio innocente. Videri poteſt Guttierez cap. 186. num. 10. alio afferens. Eſt tamen ſemper illicitum, in tali circumſtantia matrimonium inire, quia male ſonat, donec in loco tuto, & libero mulier conſtituatur, & obtineat etiam a parentibus petitam conceſſionem.

Alter caſus emergens reſolvitur.

IV. Quid iterum dicendum, ſi poſt contracta legitime ſponſalia, nimis differatur celebratio matrimonii; & ſponſus, moræ impatiens, ſponſam rapiat, ipſa renuente, & reſiſtente, erit ne raptus dirimens? Magna eſt contentio inter Doctores, quorum aliqui cum Sanchez loc. cit. num. 15. affirmant, quia eſt raptus violentus ad contrahendum matrimonium. Alii, nempe Barboſa, Leſſius, Henriquez apud Tamburinum lib. 7. in Decal. c. 6. §. 2. n. 15. negant; quia non eſt abductio injurioſa, abducendo perſonam, quæ ſibi debetur. Alii diſtinguunt apud Gobat caſu 19. num.

Digitized by Google

554. Si ſponſa illa habeat juſtum reſiliendi motivum; cum abductio evadat injurioſa, incurritur impedimentum; ſi nullum habeat reſiliendi motivum, non incurritur, quia non videtur injurioſa: Si cui autem placet hæc opinio, adjungat, quod injuſte differantur nuptiæ, itaut injurioſa evadat ſponſo expectanti hujuſmodi dilatio; tunc enim videtur valde minui deformitas raptus rei ſibi juſte debitæ, & injurioſe dilatæ. Interea quod verum eſſe debet apud omnes eſt, primo, quod ſemper hujuſmodi raptus ſit mortaliter illicitus, cum non deſint alia media legitima, obtinendi per judicem ſponſam ſibi debitam; & alioquin illam rapere ſemper ſcandalum pariat: ſecundo, quod pro praxi ſtandum ſit primæ opinioni, cum agatur de materia Sacramenti, & rationi ſatis firmæ innitatur.

Pœnæ raptori debitæ. V. Pœnæ, quibus punitur jure civili raptus, videndæ ſunt apud Julium Clarum in §. raptus, & apud Molinam diſp. 10. n. 3.: Eccleſiaſticæ autem, quæ noſtra intereſunt, reducuntur a Tridentino ſeſſ. 24. cap. 6. de reform. matrim. ad tria genera: prima, quod raptor, & omnes conſilium, & favorem præſtantes, ſunt ipſo facto excommunicati, perpetuo infames, & dignitatum omnium incapaces: Excommunicatio autem non cenſetur reſervata; cum nulla a Concilio fiat reſervationis mentio. Circa vero infamiæ perpetuitatem, & ſublationem ejuſdem, plura videſis apud Molinam tom. 2. de juſtit. diſput. 59. Secunda eſt, ut raptor ſive eamdem ducat, ſive non, teneatur ad decenter dotandam raptam, arbitrio judicis; nec non ad alia damna, ſi quæ evenerint, jure naturali reſarcienda, non expectata judicis ſententia. Tertia, ut invalidum ſit matrimonium cum rapta, dum rapta eſt in poteſtate raptoris, etiamſi libere in matrimonium aſſentiatur; ut autem matrimonium valide celebretur, debet ſubtrahi a poteſtate raptoris, & in loco libero a quocunque metu conſtitui; & tunc ſi libere aſſentiatur, validum erit matrimonium; at ſemper illicitum donec accedat aſſenſus majorum, juxta alibi dicta §. 8. n. 12.

✠ Obſervandum in primis non referre, an quis per ſe, vel per alium rapiat ex Regula juris 72. in 6. Advertendum inſuper non ſufficere ad incurrendum impedimentum, ſi fœmina virum rapiat; quia Concilium Tridentinum loquitur de ſolo raptore,

§. XXIX. *De Diſpenſatione Impedimentorum Dirimentium.*

Quædam ſunt, quæ diſpenſationi non ſubſunt, & quædam diſpenſabilia. I. CUM in expendendis impedimentis animadverterimus, quædam eorum dirimere Matrimonium jure naturali; certum remanet, circa illa nullam extare in Eccleſia facultatem diſpenſandi; quæ enim juris naturalis ſunt, diſpenſari nequeunt ab humana poteſtate; idque facto comprobatur; quia nunquam Eccleſia in illis diſpenſaſſe perhibetur. Certum quoque eſt, in ceteris aliis, quæ ſunt humani juris, ſolum Pontificem Summum, ut ſupremum Eccleſiæ Caput poſſe poteſtate ordinaria diſpenſare.

Poteſtate ordinaria diſpenſat ſolus Pontifex; extraordinaria etiam aliquando Epiſcopus. II. Dixi poteſtate ordinaria ſolum Pontificem diſpenſare; nam in aliquo extraordinario caſu, putant communiter, pie, & prudenter Doctores, quod diſpenſare poſſit etiam Epiſcopus tanquam ſpecialiter a S. Sede interpretative delegatus; & primo quidem, quando publice conſtat de matrimonio celebrato; impedimentum vero inter conjuges, quorum uterque, vel unus ſaltem bona fide contraxit, eſt occultum; ita ut conjuges, abſque gravi infamia, ſeparari nequeant, aut ſine gravi ſcandalo, alteriuſve gravis mali periculo; neque recurſus moraliter haberi queat ad Pontificem, ipſiuſve Legatum, poteſtate diſpenſandi forte donatum, quia vel ratione paupertatis, vel propter locorum diſtantiam, vel propter aliud impedimentum redditur moraliter impoſſibilis acceſſus ad præfatos; dicunt Doctores, tunc poſſe Epiſcopum tamquam ſpecialiter a Pontifice interpretative delegatum diſpenſare a tali impedimento. Ratio eſt, quia non apparet credibile, quod Pontifex in iis circumſtantiis velit ſibi dumtaxat reſervare diſpenſationem; quæ eo ipſo redundaret non in ædificationem, ſed in deſtructionem fidelium. Pontifices namque ignorare non poſſunt, hanc opinionem apud Doctores jam invaluiſſe; cui cum hucuſque non contradixerint, jam annuere cenſentur. Immo S. P. Benedictus XIV. in ſuo percelebri Opere de Synodo Diœceſana, libro 7. capite 31. fol. 572. hæc ſcribit: *Præſumendum eſt, Summum Pontificem delegare Epiſcopo poteſtatem diſpenſandi, quam certe requiſitus, non eſſet ei denegaturus.*

Notabile. III. Dixi de conjugibus, quorum alter ſaltem bona fide contraxerit; nam ſi am-

bo

Digitized by Google

bo mala fide contraxiſſent; aut tametſi ignorarent impedimentum, omiſiſſent ſine licentia denunciationes ad matrimonium prærequiſitas; in hoc caſu plures putant, recurrendum eſſe ad Pontificem, & reſervationem vigere; eo quod ſicut pie creditur Pontifex annuere in caſu bonæ fidei ſaltem unius contrahentium; ita prudenter creditur nolle favere iniquitati, & fraudi eorumdem. Recurſus autem in caſu occulto haberi poteſt per literas ad Sac. Pœnitentiariam; qua de re inferius ſermo redibit.

Secundus caſus, in quo poſſe videtur Epiſcopus diſpenſare.

IV. Secundus caſus, in quo poteſt Epiſcopus, ut ſpecialiter delegatus diſpenſare, videtur eſſe, quando impedimentum animadvertitur etiam antequam contrahatur matrimonium, attamen tales adſunt circumſtantiæ, ut abſque gravi infamiæ nota, aut gravis ſcandali periculo, aut abſque aliquo alio gravi incommodo moraliter certo, nequeat differri celebratio nuptiarum quouſque petatur diſpenſatio a Pontifice, vel Legato, qui ſit facultate donatus. Si enim hæc ſunt juſta motiva, ut poſſit Epiſcopus, poſt initum matrimonium diſpenſare, cur non erunt rationabilia, ut poſſit etiam ante, ad impedienda tot mala? Una dumtaxat poteſt eſſe diſparitas, nempe grave incontinentiæ periculum poſt contractas nuptias; quod non adeſt antequam celebrentur: at aliquando poſſunt talia inconvenientia prudenter timeri ex dilatione, quæ & æquivaleant, & præponderent dicto incontinentiæ periculo, quod tandem pendet a ſola voluntate nuptorum; cum alioquin infamia, ſcandalum, diſſenſiones &c. ex dilatione profluentia, impediri nequeant: eo vel magis, quia, & hanc opinionem adoptari non ignorant Pontifices, cui non ſe opponendo, ſuo ſilentio ſubſcribere videntur; quæ ſemper intelligenda ſunt ſolummodo, dum agitur de impedimento occulto, & de moraliter impoſſibili acceſſu ad Pontificem, nec non de morali certitudine gravium inconvenientium ex dilatione præviſorum.

* Hanc facultatem (ſic S. P. Benedictus XIV. *de Synod. Diœceſ. lib.* 9. *cap.* 2. *n.* 2.) nullius præcedentis Doctoris patrocinio fretum, ſe omnium primum Epiſcopis vindicaſſe gloriatur Sanchez *lib.* 2. *diſput.* 40. *num.* 7. ſed eum poſtea ſequuti ſunt Pontius, Hurtadus, Bonacina, Barboſa, aliique ab eodem S. P. ibidem relati. Sed (ita ſtatim ſubdit idem) quamvis hæc opinio, teſte citato Bonacina, hodie ſit fere communis, eam tamen acriter reprehendit & exagitat Fagnanus *in cap. Nimis*, n. 34. & 35. *de Filiis Presbyter.* fortaſſe, quia, ut adnotavit Perez *de Matrim. diſp.* 44. *ſect.* 6. *num.* 13. eſt moraliter impoſſibile, eas omnes concurrere rerum circumſtantias, quas ſibi fingit Sanchez, in quibus nequeat matrimonium retardari abſque ſcandalo, cum alii plurimi ſemper præſto ſint modi, ab eodem Perez indicati, protrahendi tempus nuptiis, abſque ulla ſuſpicione criminis, & infamia eorum, qui jam erant ad eas celebrandas accincti. Quare *num. ſeq.* de hac extraordinaria poteſtate, quæ ex præſumpta Summi Pontificis voluntate in aliquo eventu urgentiſſimæ neceſſitatis, & impedimenti occulti, competat Epiſcopis, ſe nolle ullum ferre judicium pronunciat.

Recenſentur legitimæ diſpenſandi cauſæ.

V. Legitimæ diſpenſandi cauſæ ab impedimentis plerumque ſunt: Conciliare familias inter ſe valde diſſidentes, & extinguere graves inimicitias diu gliſcentes: difficultas inveniendi ſponſum, aut ſponſam æqualem intra Regionem: conſervatio Familiæ illuſtris intra eumdem ſanguinem: conſervare magnas ditiones, ingenteſque opes intra eamdem familiam: inſigne promeritum de Eccleſia: ingens pecuniarum oblatio ad aliquod opus valde pium erogandarum: evitatio infamiæ, aut magni ſcandali; & tandem quæcunque alia, quæ Prudentiæ Summi Pontificis ſufficiens judicabitur, in ſupplicatione expoſita. Neque vertendum eſt vitio acceptionis perſonarum, quod facilius diſpenſetur cum nobilibus, & opulentis, quam cum pauperibus; id namque fit magna ex convenientia, cum valde expediat Eccleſiæ, habere hujuſmodi perſonarum genera erga ſe bene affecta, dum ex earumdem favore, plures ad Dei gloriam ſibi utilitates proveniunt; plurimumque conferat publico bono, etiam civili, ut divitiæ in Familiis Illuſtribus conſerventur, neque in plures familias diſpergantur, quarum nulla amplius valeat publicis neceſſitatibus opem ferre.

Quomodo petenda ſit diſpenſatio?

VI. Circa modum petendi diſpenſationem, nota quod, cum ad valorem diſpenſationis requiratur, ut motivum ejuſdem verum ſit, & ſubſiſtat, dum diſpenſatio conceditur; & inſuper quod in petitione nihil eorum omittatur, quæ a jure, & ſtylo Curiæ poſtulantur; nihilque reticeatur veri, propter quod diſpenſatio aut

Digitized by Google

nullo modo concederetur, aut niſi limitato modo; idcirco in literis ſupplicibus exponendum eſt v. g. præter gradum conſanguinitatis, & affinitatis, ſi inter eos copula præceſſerit, itemque ſi hæc fuerit perpetrata, ſpe diſpenſationis facilius obtinendæ; ſi inter eos attentatum fuerit matrimonium; ſi contractum fuerit matrimonium cum notitia impedimenti; ſi præmiſſis, vel omiſſis denunciationibus. Præterea, ſi plura adſint impedimenta ejuſdem rationis, puta plures inceſtus cum eadem conſanguinea, aut affine: ſi gradus ſit æqualis, vel inæqualis, quod oritur ex eo, quod perſona ſit propinquior ſtipiti &c.

Regula ad explorandum valorem diſpenſationis.

VII. Regulam exponendi ſupplicationem, ne erres in re adeo gravi, exſcripſi ex doctiſſimo Sylvio in Sup. quæſt. 50. artic. unico, quæſito 3. concluſ. 4. Si ad obtinendam diſpenſationem adfertur unica cauſa, eaque falſa ſit, diſpenſatio erit invalida. Idemque judicium eſt, ſi plures afferantur, eædemque falſæ. Si autem exponantur plures, quarum nulla per ſe ſufficit, ſed ſimul junctæ faciant unam cauſam ſufficientem, ſi omnes veræ ſint, valet diſpenſatio; ſi una ſit falſa, non valet. At ſi exprimantur plures, quarum una ſola eſt ſufficiens; propter quam ſcilicet, etiam quando ſola eſt, Pontifex ſolet diſpenſare; ideoque merito præſumitur, diſpenſaturus fuiſſe, quamvis ea ſola fuiſſet expreſſa, ea exiſtente vera, etiamſi aliæ non ſint veræ, valet diſpenſatio; illa autem exiſtente falſa, diſpenſatio nullius eſt valoris, niſi aliquæ aliæ, quæ ſufficiant, ſint veræ. Videri poſſunt Sanchez lib. 8. diſp. 21. Suarez tom. 1. de Religione, Pontius lib. 8. cap. 17. Bonacina diſp. 1. de legibus quæſt. 2. punct. 4. Hæc Sylvius.

* Notatio. S. Pius V. in Conſtit. quæ incipit *Sanctiſſimus* edita *an.* 1566. *ſtatuit & ordinavit, quod de cetero in quibuſcumque diſpenſationibus ... conſanguinitatis, & affinitatis .... gradus remotior attendatur, trahatque ſecum propinquiorem, ac ob id ſufficiat remotiorem tantum gradum exprimere*, excepto ſolo primo gradu, *cum in eo Sanctitas ſua nunquam diſpenſare intendat*. Vult tamen idem Summus Pontifex, ut is quo cum ſic diſpenſatum eſt, obtinere teneatur ab Apoſtolica Sede litteras declaratorias, quibus conſtet diſpenſationem ſine mentione gradus propinquioris conſequutam, de *ſubreptionis*, vel *obreptionis* vitio notari non poſſe. Videatur S. P. Benedictus XIV. in Decreto edito die 27. Septembris 1755. quod incipit *Cum ſuper Matrimonio*; quodque extat *tom.* 4. *Bullarii n.* 51. ubi poſt hanc relatam S. Pii V. Conſtitutionem §. 6. ſubdit: „ Juxta quoque communem Doctorum ſententiam in Tribunalibus receptam, illicitum tantum eſt, ſed non invalidum Matrimonium, quod contrahitur ope diſpenſationis obtentæ ſuper quarto gradu, nulla tertii gradus facta mentione, & antequam litteræ declaratoriæ præſcriptæ a S. Pio V. fuerint obtentæ, prout dum in minoribus Secretarii Concilii munere fungeremur, fuſe a Nobis comprobatum eſt, & a Congregatione admiſſum in diſcuſſione Cauſæ *Lucerien. Nullitatis Matrimonii*, quæ fuit propoſita, & reſoluta *die* 18. *Martii* 1722. ut videri poteſt *tom.* 2. *Theſauri Reſolutionum* prædictæ Congregationis &c." Hæc autem ad dubium primo loco ſic propoſitum: *An conſtet de nullitate Matrimonii*, nimirum contracti inter Joannem Sapicam, & Conſtantiam Radzvviliam, prævia Pontificia diſpenſatione ſuper quarto gradu conſanguinitatis, licet inter ſe eſſent conjuncti tertio & quarto; hiſce verbis reſpondit: *ad primum negative, & Epiſcopus mandet, quod Conjuges continuent in ſeparatione, donec obtinuerint litteras declaratorias*. Legantur Sylvius *in Supplem. quæſt.* 54. *art.* 4. P. P. Salmanticenſes *tract.* 9. *de Matrim. cap.* 14. *punct.* 4. Continuatuor Tournely *tum tract. de Legibus cap.* 6. *art.* 3. *ſect.* 4. & P. Philippus de Carboneano *in not. ad* 3. *tract. de Matrim.* P. Antoine, qui plura ad rem hanc docent ſcitu digna.

§. XXX. *De modis, quibus Matrimonium invalide contractum redintegrari, ſeu, ut ajunt, revalidari poteſt.*

Eplicatur unus modus.

I. QUando matrimonium fuit contractum coram Parocho, & teſtibus, & nullitas ejuſdem eſt occulta, neque impedimentum aliis notum eſt, & abeſt periculum ne innoteſcat, ſufficiet, ut, ſubmoto impedimento per obtentam diſpenſationem, libere conſenſus inter conjuges renovetur, quin opus ſit alia ſolemnitate: ita declaraſſe S. Pium V. refert Navarrus; eo quod Tridentina lex hunc caſum non comprehenderit, & alioquin ſuum finem aſſequatur, qui eſt, ut publice conſtet de cele-

Digitized by Google

cebrato connubio ; id autem revera conſtat, quando defectus eſt occultus; ita ut non poſſint aliæ nuptiæ contrahi, viventibus illis conjugibus, & propterea ſufficiet inter ſe invicem illud convalident, Quod ſi impedimentum aut ſit jam notorium, aut ſubſit periculo notorietatis, tunc renovandus erit aſſenſus coram Parocho, & teſtibus; nam Tridentina lex non alio modo in hoc caſu poſſet ſuum ſortiri intentum; quandoquidem publice probari non poſſet valor matrimonii; quia alter conjux, probato impedimento, nequiret impediri ab altero matrimonio ineundo, ſi convalidatio tantum occulte fieret.

Alter modus revalidandi ex alio capite.

II. Quando matrimonium fuit invalidum ex defectu veri conſenſus in utroque conjuge, quia vel ex metu gravi injuſte incuſſo ad illud extorquendum, vel ex errore circa perſonam &c. proceſſit; tunc uterque conjux novum aſſenſum libere præſtare debet, & exterius ſibi invicem ſignificare ſaltem habendo copulam affectu reciproco maritali: ex cap. de conjug. ſervorum; præſuppoſito jam quod antea celebratum fuerit ſolemniter. Si vero fuerit invalidum ex defectu veri conſenſus in uno conjugum, juxta S. Thomæ q. 47. Supplem. art. 4. Paludani, S. Bonaventuræ, Soti, Navarri & aliorum nonnullorum ſententiam, ſufficit ad illud redintegrandum, ſeu revalidandum, ut qui ſine conſenſu contraxit, conſenſum præſtet aliquo exteriori ſigno manifeſtatum, ſaltem copulam petendo maritali affectu; quapropter in altero conjuge inſcio non requiritur renovatio conſenſus, neque notitia de anteriori defectu conſenſus alterius; præſupponitur namque conſenſus verus ab inſcio jam præſtitus, adhuc habitualiter perſeverans, quippe qui non fuerit retractatus; neque de hoc conſtet; qui proinde moraliter ſimul eſt cum noviter præſtito ab altero, qui habet inſcium ut verum conjugem; idque declarat, petendo, aut reddendo debitum affectu maritali.

Objectio reſolvitur.

III. Si dicas, hoc verum eſſe, ſi alter inſcius retineat aſſenſum ſemel datum; at ſi forte non perſeveret aſſenſus ille, & eſſet in tali animi diſpoſitione, quod ſi ſciret, ſe eſſe liberum, nollet contrahere? Reſpondetur, quod niſi certo conſtet, inſcium conjugem retractaſſe conſenſum datum, prudenter præſumitur perſeverare; cum conjugaliter vixerit. Circa autem diſpoſitionem illam animi, dico quod diſſenſus ſub conditione ponendus, nempe in caſu, in quo ſciret, ſe eſſe liberum, non deſtruit præteritum conſenſum abſolutum: quia aliud eſt dicere, nolo amplius hunc conjugem; & aliud eſt dicere, nollem hunc conjugem, ſi ſcirem, me liberum; nam hoc *nollem* non eſt idem *ac nolo amplius*, & propterea prudenter creditur adhuc perſeverans anterior abſolute datus. Verum nemo ambigit longe tutius, & melius eſſe, ſi cauta dexteritate procuret, ut etiam inſcius conſenſum renovet, dummodo abſit periculum, ne in ſuſpicionem excitetur, de non præſtito conſenſu, & exinde oriatur ſeparatio, quæ ſcandalum pariat.

Alter modus revalidandi ex alio capite.

IV. Quando matrimonium eſt nullum ex quovis alio impedimento dirimente, ut redintegretur, ſeu revalidetur, ut ajunt, neceſſe eſt primo, obtinere a Sacr. Pœnitentiaria, in caſu occulto, ut ſupponitur, vel ab Epiſcopo in neceſſitatibus ſupra indicatis diſpenſationem: præterea neceſſe eſt, ut pars conſcia nullitatis nullo modo reddat debitum, quouſque habeatur diſpenſatio, cum nullo modo ſint conjuges, & multo minus ne illud petat: inſuper requiritur, ut uterque conjux novum conſenſum præſtet, atque exterius ſignificet; eo quod utriuſque conſenſus anterior fuerit nullus, utpote inter perſonas ad contrahendum inhabiles, & exinde, juxta verba, quæ in reſcripto diſpenſationis ſemper ponuntur, debeat manifeſtari nullitas anterioris conſenſus: *Ut conjux de nullitate prioris conſenſus certioretur, ſed ita caute, ut latoris delictum nuſquam detegatur.* Ratio autem hujus manifeſtationis faciendæ eſt, quia alioquin pars ignara impedimenti, & nullitatis, novum conſenſum non eliceret, ſed dumtaxat ratificare ſe crederet conſenſum antea datum; qui cum nullus fuerit, incapax eſt qui ratificetur; debet igitur certior reddi, quod prior conſenſus fuerit nullus, & propterea quod novus poſtuletur.

Nodus difficillimæ reſolutionis paulatim reſolvitur.

V. At quomodo id agendum, ne crimen detegatur, aut ne exurgant ſcandala ſeparationis in caſu, quo amor refrixerit, & conjugem innocentem jam multum tædeat alterius? En anguſtiæ, & anxietates, quibus tranquillandis, tota Theologorum ſagacitas vix potuit unquam opem ferre ſufficientem. Si enim amor non refriguerit; ſed ſemper ardens perſtiterit, nil facilius; poteſt enim pars conſcia

ſcia de impedimento, dicere alteri, ſe magna anxietate affligi propter conſenſum in celebratione nuptiarum datum, & propterea ſibi a confeſſario impoſitam fuiſſe obligationem, ut novus conſenſus ab ambobus præſtetur, & ſubjungat ſe reapſe velle ipſum, vel ipſam ut verum conjugem: & tunc alter ſimiliter dicat, ſe pariter velle ipſum in conjugem, ita ut ſi ob aliquam cauſam fuiſſet nullus anterior aſsenſus, hoc novo ſponte præſtito matrimonium incatur.

Occurritur interrogationi primæ.

VI. At interrogabis primo, quid interea conſulere debeat confeſſarius pœnitenti conſcio impedimenti, & proinde obſtricto ſub mortali, nedum ad non petendum, ſed neque ad reddendum debitum, donec diſpenſatio executioni mandetur, & ad abſtinendum a quibuſvis blanditiis conjugalibus? En nodus difficillimus ob periculum aut manifeſtandi crimen, aut diſſenſionum conjugalium, aut violandi tori. Primo procurandum eſt, ut conjux conſcius impedimenti emittat ad breve tempus votum caſtitatis, & voto revelato alteri conjugi illum amiciter roget, ut pro eo brevi tempore, a petendo debito, aliiſque conjugalibus blanditiis deſiſtat. At ſi hic nolit cedere juri ſuo, neque a petendo deſiſtere? tunc revelandum ei erit impedimentum in genere tantum, dicendo, extare inter eos impedimentum tale, quod irritum reddit matrimonium contractum, & ita judicaſse omni certitudine confeſſarium doctiſſimum a ſe requiſitum. At ſi alter dicat: igitur ſi nullum eſt matrimonium, ſeparemur ab invicem, & ego ad alias nuptias convolare intendo; quid tunc agendum? quot ſcandala, quot turbæ, quot tumultus, murmurationes, judicia, obtrectationes erumpent? & maxime ſi jam plures anni proceſſerint in matrimonio putativo, ſi proles jam ſuſcepta fuerit, & data alteri conjugio &c.? Videas igitur, mi lector, neceſſitatem manifeſtam admittendi opinionem allatam in paragrapho antecedente num. 2. nempe in his caſibus, ad præcavenda tot, & tam gravia mala, recurrendum eſſe ſtatim ad Epiſcopum, qui diſpenſationem concedat, & relaxet impedimentum, citius quam fieri poſſit; & interea ad hoc breviſſimum tempus, iter aliquod conjux ſciens arripiat, dicendo conjugi inſcio, ſibi & negotiis ſuis eſſe iter illud indiſpenſabile; operante interea apud Epiſcopum prudente Confeſsario; ſi vero conſcia ſit mulier, illa excogitet aliquod ſtratagemma, cujus ſagacitati forte non deerit; nam ego ignoro quid ſuggeram.

Occurritur alteri interrogationi, primum explicando modum ſe gerendi.

VII. Interrogabis iterum; quomodo igitur, poſt obtentam diſpenſationem ab impedimento, requirendus erit ab inſcio novus conſenſus, cum expreſſe in reſcripto dicatur, *quod certior fieri debeat de nullitate prioris matrimonii*. En novæ difficultates, & anguſtiæ. Tres modos ſe gerendi tibi trado a Doctoribus excogitatos. Primum jam indicavi, nempe quod conſcius dicat alteri, ſe nimium agitari ob timorem non præſtiti conſenſus, prout opus erat, & idcirco opem imploret dulcioribus verbis ab altero inſcio, dicendo: an in caſu, quo nullum, & irritum eſſet matrimonium celebratum, vellet adhuc contrahere? & ſi alter reſpondeat, ita: ſubjungat conſcius: dicas itaque mihi: volo, & intendo tecum contrahere: & ſi inſcius ita reapſe reſpondeat, & dicat; etiam conſcius ſubjungat: & ita volo, & intendo; & ſic fiet matrimonium. Et nota, quod non ſufficit, ut inſcius dicat *vellem* ſi non eſſet, quia aliud eſt dicere *vellem* ſi non eſset, & aliud eſt dicere *volo* de præſenti, ſicut requiritur ad hunc contractum celebrandum. Et oppoſitioni, quæ fit de certiorando inſcio circa nullitatem matrimonii, reſpondent Doctores hujus modi ſe gerendi protectores, certiorandum eſse inſcium, quando moraliter fieri poteſt, non quando timetur prudenter, quod aperiatur aditus ſcandalis memoratis: & hi Doctores ſunt graviſſimi Scotus, Ricchardus, Paludanus, Navarrus, & alii a Sanchez relati lib. 2. diſp. 36. n. 3.

Secundus modus ſe gerendi.

VIII. Alterum excogitarunt modum doctiſſimi Cajetanus, Sotus, Ledeſma apud Sanchez loc. cit. nempe, requiri quidem abſolutum utriuſque conjugis, novumque de præſenti conſenſum; attamen non eſſe neceſse, quando prudenter timentur ſupra memorata inconvenientia, ut conjugi inſcio indicetur nullitas matrimonii, ſed ſufficiat, ut conſcius dicat inſcio: ita te diligo, & ſum te contentus, ut ſi te conjugem non haberem, te adhuc vellem, & reapſe ita nunc te volo: numquid & tu ſimili modo me nunc vis in conjugem? & procuret ut reſpondeat: ita, & ego te volo in conjugem. Verum, videtur hic modus ſe gerendi, quod nedum certiorem non reddat inſcium de nullitate, ſed neque verbum in genere

Digitized by Google

ſaciat de nullitate, ideo apparet minus aptus primo: nihilominus nil detraho huic excogitationi ob auctoritatem illam proponentium.

Tertius modus ſe gerendi. IX. Alium ſuggerunt modum redintegrandi, ſeu revalidandi, ut ajunt, matrimonium una cum doctiſſimo Sanchez loc. cit. Bartholomæus de Ledeſma, Bonacina, & alii, nempe quod, quando prudenter timentur ſupra indicata illa gravia inconvenientia, neque opus ſit manifeſtare inſcio nullitatem matrimonii, neque requirere novum conſenſum ab eodem; nam ſi fuerit perſona ſagax, ajunt ipſi, facile conjicere poteſt, novum poſtulari conſenſum, ut convalidaretur matrimonium, quod alioquin ipſe optat diſſolutum iri: propterea, ſubjungunt, ſufficiet, quod affectu maritali copulam petat, & illam petendo conſenſum interiorem renovet; quia, dicunt ipſi, alter inſcius, aut petendo, aut reddendo, virtualiter vult matrimonium inire, cum ideo petat, aut reddat, quia vult exercite illum habere ut conjugem: quæ opinio adhuc magis ſe elongat a conditione illa in reſcripto poſita; nihilominus eam proponunt præfati Doctores. Si autem interroges quam Ego eligam? Reſpondeo, me uſque modo ignorare: nam ex quo quadraginta annorum decurſu, quibus, obedientia compellente, audiendis confeſſionibus operam dedi, cum plurimi implexi caſus mihi occurrerint, multique alii Confeſſarii benignitate ſua ſæpe conſultationis gratia ad me acceſſerint, nunquam, Deo bene propitiante, hic caſus extricandus evenit: ſi occurrerit, luminum Patrem ex corde invocabo, qui nunquam deeſt omnibus invocantibus eum in veritate; & poſt mature perpenſas circumſtantias, modum opportuniorem, eo ſuggerente, amplectar.

* Legatur *Inſtitutio* 87. Em. Lambertini, poſteà S. P. Benedicti XIV. in qua *inſtruuntur Parochi, & Confeſſarii, quemadmodum confugere debeant ad Cardinalem Pœnitentiarium; & executioni mandare, quæ ab illo præcipiuntur, præſertim in difficultatibus ad Matrimonium pertinentibus*. In ea ſpeciatim *num.* 66. expenditur difficultas, de qua diſſerit Auctor *numer. præced.* in eo repoſita, nempe qua ratione fieri poſſit, ut alter conjugum ignarus impedimenti, certior de ipſo reddatur, itaut latoris crimen nequaquam innoteſcat, juxta poſtremam clauſulam, quæ ſic in diſpenſationibus Matrimonialibus enunciatur: *Dicta muliere de nullitate conſenſus certiorata, ſed ita caute, ut latoris delictum nunquam detegatur*. In primis *num.* 68. rejicitur ſententia illorum, qui inſtructionem ſolum, non vero conditionem indici per illam Sacræ Pœnitentiariæ clauſulam arbitrantur; ac veram eſſe conditionem ex ablativo abſoluto, quo enunciatur, ut eſt Juriſtarum ſenſus, demonſtratur. Deinde *nu.* 71. aſſeritur, quod qui periti ſunt moris, & inſtituti Sacræ Pœnitentiariæ jam pro certo tenent, ad confirmandum matrimonium requiri novum conſenſum, & ſimul ignaro conjugi detegendum impedimentum. Quamobrem, *ſubditur ibidem*, rationem modumque perſcrutantur, ne crimen impedimenti cauſa in lucem proferatur. Poſtea quatuor modi a Doctoribus excogitati afferuntur, & explicantur, treſque illorum ab Auctore etiam expoſiti *nu. præced.* improbantur; ac tandem admittitur, ac præfertur cæteris modus tertio loco ſic propoſitus *num.* 37. Impedimenti conſcius libere declaret, haud rite matrimonio conſenſiſſe, cum primo celebratum fuit; ideoque oportere conſilio Confeſſarii, atque internæ tranquillitatis cauſa, ut ambo conſenſum renovent, ſeque id libenter facturum oſtendat. Quod ſi alter conjux eamdem voluntatem patefaciat, id ſatis erit, ut novus conſenſus juxta præſcriptam normam elicitus intelligatur. Hic ſane modus æquitati potius conſentaneus videtur. Nam conjux ignarus matrimonium irritum cognoſcit, non tamen crimen notum efficitur, ex quo conſecutum eſt impedimentum; neque ullum mendacium admiſcetur. Quippe certiſſimum eſt primo matrimonio haud rite traditum fuiſſe conſenſum; neque a veritate abhorreret, ſi impedimenti conſcius affirmaret, primo matrimonio, ſe nequaquam conſenſiſſe. Nam verus conſenſus appellari nequit, qui rite præſtitus non fuit.

Sed quid ſi timor occurrat, ne, parte ignara certiorata de nullitate conſenſus, futurum ſit, ut illa renuat novam celebrationem; adeoque ſic ſoluto matrimonio, nata antecedenter proles timeatur, ne declaretur illegitima? Tunc utique de prole non eſt cur dubitetur, ut aſſeritur *num.* 80., nam ſemper habetur, ut legitima, cum impedimentum eſt occultum, & unus ſaltem ex conjugibus in bona fide verſatur. Verum ſi adhuc perſeveret metus ſcandalorum, moduſque expoſitus gravioſ-

Digitized by Google

graviſſimis obnoxius judicetur incommodis, ad Majorem Pœnitentiarium confugiendum erit, vel conſulendus Epiſcopus, qui divinam opem prius expoſcens, id ſuadebit quod magis erit opportunum. Etenim continget fortaſſe, ut rebus omnibus diligenter examinatis præter quatuor rationes ſuperius expoſitas, alia deprehendatur, ob quam ignaro conjugi irritum matrimonium declaretur, nec tamen pateat crimen, quod impedimentum induxit, & nulla prorſus incommoda conſequantur.

Monitum val. de notandum.

X. Ad calcem hujus capitis monitum neceſſarium reſervavi ab omnibus ferme Doctoribus tam benignioribus, quam caſtigatioribus inculcatum, & eſt, ut confeſſarius attente caveat, ne dum audit pœnitentem jam conjugatum incidiſſe ante matrimonium in aliquod impedimentum dirimens, (quod non ſit defectus conſenſus, facile ſupplebilis, ut vidimus) caveat, inquam, ne præcipitanter, & intempeſtive declaret nullitatem matrimonii celebrati; ſed, eo mente notato, obſervet, an pœnitenti dubium aliquod excitetur de valore ſui matrimonii; & ſi videat illum eſſe in plena bona fide valoris ejuſdem, cum ignorantia invincibili nullitatis; & prudenter timeat, ſi nullitatem revelet, quod ſe ſubjiciet ſupradictis anguſtiis, & conſtituet pœnitentem in ſtatu præcipitandi in ſupra memorata graviſſima pericula, nempe aut perpetrandi innumerabilia mortalia cum conjuge putatitio; aut volendi ſeparationem cum ingenti ſcandalorum, turbarum &c. multitudine, ſileat etiam ipſe, & rem Deo commendet: ita expreſſe docet etiam caſtigatiſſimus, & perdoctus recentior in capite 6. de conſanguinitate his verbis: Confeſſarius ex confeſſione deprehendens, pœnitentes contraxiſſe cum impedimento dirimente, quod invincibiliter ignorant, non debet illos de eo admonere, quin prius ſciat, id poſſe fieri ſine periculo gravis incommodi, ſcandali, vel peccati reſpectu illorum: in his autem, & aliis gravibus difficultatibus conſulendi ſunt viri docti, & præſertim Epiſcopus loci, vel ejus Vicarius Generalis: hæc ille; hæc & ego.

Summus Pontifex Benedictus XIV. die 3. Novembris 1741. Conſtitutionem edidit incipientem: *Dei miſeratione*, in qua ad impediendas faciles, & nonnumquam fraudulentas matrimoniorum ſolutiones quemdam ordinem in judiciis id genus omnino ſervandum ille præfinit. Ejus ſynopſim ſic exhibet Petrus Colet. in Calce *Tom.* 5. *inſtit. Theolog. pag.* 875. edit. Venetæ 1757. Conſtitutionis hujus capita hæc ſunt.

I. Summus Pontifex iis, quæ alias præſcripſit Judicibus, quibus extra Curiam Romanam committuntur cauſſæ matrimoniales, illud adjungit: quod quamvis Decretum Concilii Tridentini, quo cauſſæ matrimoniales Epiſcoporum examini, & juriſdictioni reſervatæ ſunt, minime obſtet commiſſionibus, quæ pro iiſdem Cauſſis definiendis a Sede Apoſtolica alicui ex inferioribus in ſecunda inſtantia fierent; nihilominus vult, & præcipit, ut ii, ad quos pertinet cura expediendi hujuſmodi commiſſiones, & delegationes, in poſterum cauſſarum matrimonialium cognitionem non committant, niſi Epiſcopis præſertim vicinioribus, vel ſi nullus ſit Epiſcopus, cui commode committi poſſit, tum commiſſio dirigatur uni ex iis, qui ſecundum ordinem, & modum alias præſcriptum, pro judice idoneo ab Epiſcopo cum conſilio Capituli fuerit nominatus.

II. Quoad ordinem, & ſeriem judiciorum in cauſſis matrimonialibus pro congrua earum terminatione ſervandam, decernit, ut ab omnibus locorum Ordinariis in ſuis Diœceſibus eligatur perſona aliqua idonea, quæ ſit, ſi fieri poteſt, ex Eccleſiaſtico Cœtu, juris ſcientia, & morum probitate prædita, quæ matrimoniorum Defenſor nominabitur, cum facultate tamen eam ſuſpendendi, vel removendi, ſi juſta cauſſa adfuerit, & ſubſtituendi aliam requiſitis qualitatibus ornatam; quod etiam fieri poterit, quoties perſona hæc, oblata agendi occaſione, erit legitime impedita. Hujus autem Defenſoris, ut declarat Pontifex, officium erit, venire in judicium, quoties contigerit diſceptari de validitate, vel nullitate alicujus matrimonii; fidemque debet in quolibet actu judiciali citari, & adeſſe examini teſtium, voce, & ſcriptis matrimonii validitatem tueri, eaque omnia deducere, quæ ad matrimonium ſuſtinendum neceſſaria cenſebit.

III. Vult Pontifex, ut hic Defenſor cenſeatur pars neceſſaria ad judicii validitatem, & integritatem, & ut ſemper in judicio adſit, ſive unus ex conjugibus, qui pro nullitate, ſive ambo, quorum alter pro nullitate, alter pro validitate matrimonii agit, in judicium veniant: & ut idem

Digitized by Google

idem Defenſor, cum ei munus hoc committitur, juramentum præſtet fideliter officium ſuum obeundi, idemque juramentum præbeat rurſus, quoties contigerit, ut in judicio adeſſe debeat pro tuenda alicujus matrimonii validitate. Quæcumque vero, eo non legitime citato, peracta in judicio fuerint, omnino irrita ſint.

IV. Vult, ut propoſita aliqua controverſia matrimoniali, ſi judex ſententiam ferat pro matrimonii validitate, & nullus ſit, qui appellet, ipſe etiam Defenſor ab appellatione ſe abſtineat: quod etiam ſervetur, ſi a Judice ſecundæ inſtantiæ pro validitate judicatum fuerit, poſtquam Judex primæ inſtantiæ pro nullitate ſententiam tulerit. Sin autem contra validitatem matrimonii ſententia feratur, Defenſor inter legitima tempora debeat appellare adhærens parti, quæ pro validitate agebat; quum autem in judicio nemo erit, qui pro validitate negotium inſiſtat, vel ſi adſit, lata contra eum ſententia judicium deſeruerit, ipſe Defenſor ex officio ad Superiorem Judicem tenetur provocare, ut declarat rurſus Summus Pontifex.

V. Decernit, ut, ſi appellatione pendente, vel nulla interpoſita ob malitiam, vel oſcitantiam, vel colluſionem Defenſoris, & partium, ambo, vel unus ex conjugibus novas nuptias celebrare auſus fuerit, decernit, inquam, ut non ſolum ſerventur ea, quæ adverſus contrahentes matrimonium contra interdictum Eccleſiæ ſtatuta ſunt, præſertim ut a cohabitatione ſeparentur, quoadusque altera ſententia ſuper nullitate emanaverit, a qua intra decem dies non ſit appellatum; vel appellatio interpoſita deſerta deinde fuerit; ſed ulterius, ut hujuſmodi contrahens, vel contrahentes omnibus pœnis contra polygamos a Sacris Canonibus, & Apoſtolicis Conſtitutionibus ſubjaceant.

VI. Declarat, delata cauſa ad alterum judicem appellationis, ea omnia in ſecunda inſtantia ſervanda eſſe coram altero Judice, quæ coram primo in prima inſtantia ex hactenus dictis ſervanda ſunt. Et ſi Judex in ſecunda inſtantia ſit Metropolitanus, aut Sedis Apoſtolicæ Nuncius, aut Epiſcopus vicinior, Defenſore illo utendum eſſe, qui ab ipſo fuerit deputatus, quemadmodum ipſis deputare illum mandat hic Pontifex. Si autem ſecundæ inſtantiæ Judex ſit Commiſſarius, cui a Sede Apoſtolica cauſæ cognitio demandata ſit, & qui Tribunal, & juriſdictionem ordinariam non habet, & propterea caret Defenſore matrimonii, vult Pontifex, ut illo Defenſore utatur, qui conſtitutus fuerit ab Ordinario, in cujus Diœceſi cauſam cognoſcet, etiamſi idem Ordinarius ſit, qui primam in eadem cauſa pronunciaverit.

VII. Sic inſtructo judicio, ſi in ſecunda ſententia æque ac in prima matrimonium nullum judicatum fuerit: & ab ea pars, vel Defenſor pro ſua conſcientia non crediderint appellandum, vel appellationem proſequendam minime cenſuerint, vult Pontifex, ut ſit in arbitrio conjugum novas nuptias contrahere, modo alio impedimento non detineantur: ita tamen, ut poteſtas hæc intelligatur facta conjugibus, ſalvo ſemper jure cauſſarum matrimonialium, quæ nunquam tranſeunt in rem judicatam: ſed ſi quid non deductum, vel ignoratum detegatur, reſumi poſſunt, & rurſus in judicialem controverſiam revocari. Quod ſi a ſecunda ſententia ſuper nullitate vel altera pars appellaverit, aut hujuſmodi ſit, ut ei ſalva conſcientia Defenſor acquieſcendum non putet, tum indicit, ut firma remanente utrique conjugi prohibitione ad alias tranſeundi nuptias ſub pœnis ſuperius commemoratis, cauſſa in tertia, vel quarta inſtantia cognoſcatur, ſervatis omnibus, quæ in prima, & ſecunda demandata fuerint. Merces vero Defenſori exhibenda conſtituetur ab ipſius cauſſæ Judice: & a parte, quæ pro validitate agit, ſolvetur, ſi ipſi facultas ſit; ſin minus a Judice ſubminiſtrabitur, vel ab Epiſcopo loci, in quo judicium ſit, ex pecunia mulctarum, quæ in cauſſas pias erogandæ eſſent.

VIII. Quoad cauſſas matrimoniales Romæ diſceptandas, cum earum cognitio ad Cardinalem in Urbe, ejuſque diſtrictu Vicarium Pontificium ſpectet, mandat Pontifex, ut ea omnia ſerventur, quæ in cauſſis pertractandis extra Curiam ſuperius præſcripta ſunt; tum etiam in aliis cauſſis, quæ vel ex conſenſu partium, vel per appellationem Romam deferuntur; quas judicari vult vel in Congregatione Cardinalium Concilii, vel in Cauſſarum Palatii Apoſtolici Auditorio, niſi ipſi Pontifici videatur particularis Congregatio deputanda. Et cum cauſſa agitabitur in dicta Congregatione, Defenſor a Præfecto ejuſdem Congregationis, ſi in Auditorio Palatii, ab Auditore Decano, ſi in Congregatione particulari a perſona ejuſdem

Con-

Digitized by Google

Congregationis digniore deputetur. In quocumque ex his Tribunalibus cauſſa agitetur, unica ſententia minime ſufficiat ad tribuendam conjugibus facultatem novas nuptias contrahendi; ſed ſi unica illa ſententia prolata fuerit in Congregatione Cardinalium Concilii, rurſus in eadem ad inſtantiam Defenſoris proponatur. Si vero in Congregatione particulari, ad petitionem ejuſdem Defenſoris altera particularis Congregatio deputetur. Si demum in Auditorio prædicto, ab eodem Defenſore interpoſita appellatione, aliis Auditoribus juxta ordinem in gyrum proponatur; vel ab omnibus Auditoribus ſimul rurſus examinabitur, ſi univerſo Tribunali commiſſa primum cauſſa fuerit. Nullo enim in caſu ſolutum cenſeri debet matrimonium, niſi duæ ſententiæ penitus conformes, a quibus nec pars, nec Defenſor crediderit appellandum, ſuper nullitate emanaverint. Quod ſi ſecus factum fuerit, & novum initum matrimonium, tranſgreſſores pœnis ſupra ſtatutis ſubjiciantur.

IX. Quoad preces porrigi ſolitas apud Sedem Apoſtolicam pro diſpenſatione matrimonii rati, & non conſummati, quæ plerumque pro Voto Conſultivo ad Congregationem Cardinalium Concilii, vel ad Congregationem particularem ad id deputatam remitti ſolent, ut hujuſmodi inſtantiæ ordine, & rite procedant, ſupplex libellus exhibendus eſt Summo Pontifici, in quo plena totius facti ſpecies, cauſſæque omnes contineantur, quæ ad obtinendam diſpenſationem petitam conducere poſſe a ſupplicante cenſentur, ut Pontifex, eo mature conſiderato, deliberare poſſit, an petitio rejicienda ſit, vel alicujus Congregationis examini committenda, a qua poſteaquam ſuum votum conſultivum editum fuerit, a Secretario ejuſdem Congregationis totius negotii ſeries exacte Romano Pontifici referenda erit, qui pro ſua prudentia judicabit, an Congregationis reſolutio ſit approbanda, vel potius totius cauſæ examen rurſus alteri Congregationi committendum. Hæc ſunt, quæ a Summo Pontifice hac Conſtitutione ſervanda decernuntur in cauſſis matrimonialibus.

TRACTATUS XV.

DE CENSURIS.

CAPUT PRIMUM.

DE CENSURIS GENERATIM.

§. I. *De Notione, & diviſione Cenſuræ.*

I. Cenſura generatim eſt pœna ſpiritualis, & medicinalis, inflicta ab Eccleſiaſtica poteſtate, privans hominem Baptizatum uſu aliquorum bonorum ſpiritualium, Eccleſiæ diſpenſationi commiſſorum, in ordine ad ſalutem. Dicitur pœna, eo quod ſemper præſupponat culpam: dicitur ſpiritualis, quia ſpectat ad animam: dicitur inflicta ab Eccleſiaſtica poteſtate, quia a ſola Perſona Eccleſiaſtica infligi poteſt: dicitur privans hominem baptizatum, quia ſolis Eccleſiæ ſubditis poteſt infligi: dicitur uſu aliquorum bonorum ſpiritualium; quia eſt diverſa a pœna civili; & ſi quandoque ſecundario privet bonis temporalibus, id efficitur per ordinem ad bona ſpiritualia: dicitur aliquorum, etiam ut oſtendatur quomodo non privet omnibus, utpote poteſtati Eccleſiæ non ſubjectis, qualia ſunt Character Ordinis, Gratia habitualis, Virtutes, & actus earumdem &c. & ideo dicitur Eccleſiæ diſpenſationi commiſſorum, qualia ſunt uſus Sacramentorum, exercitium Ordinis &c. Dicitur in ordine ad ſalutem, quia cenſuræ feruntur, ut homo avertatur a peccato, & ab actionibus animam lædentibus, & propterea cenſura dicitur pœna medicinalis. *Quid ſit cenſura?*

II. Cenſura triplex eſt, nempe Excommunicatio, Suſpenſio, & Interdictum: quarum notio dabitur, dum de illis ſeorſim agetur, ne idem pluries repetatur. Et quamvis Sotus in 4. diſt. 22. q. 3. art. 1. Cenſuris accenſeat etiam Ceſſationem a Divinis, Irregularitatem, Degradationem, & Depoſitionem; communiter ab aliis non approbatur. Nam ceſſatio a divinis eſt ſimplex prohibitio, ne peragantur divina; quæ non fertur in pœnam ſolius delinquentis, *Prima diviſio cenſuræ.*

Digitized by Google

tis, ſicuti fertur cenſura, quandoquidem etiam innocentes privantur divinis officiis, quibus intereſſe conſueverant: tum etiam quia violans ceſſationem a divinis non incurrit irregularitatem, ſicut incurritur a violante cenſuram. Neque irregularitas, quæ plerumque non eſt pœna, ſed mera inhabilitas, orta non ex peccato, ſed ex alio capite; & illam violans, non incurrit aliam irregularitatem. Neque demum Degradatio, & Depoſitio, quæ cum ſint vincula indiſſolubilia, & durent ſine ſpe reſtitutionis ad priſtinum, non habent rationem cenſuræ; quæ ceſſat, & aufertur, reo emendato.

Subdiviſio Cenſuræ in latam a jure, & latam ab homine.

III. Tres memoratæ cenſuræ dicuntur aut latæ a jure, aut latæ ab homine: latæ a jure dicuntur illæ, quæ a Superiore ſtatuuntur per modum legis perpetuo duraturæ contra delinquentes tali, aut tali crimine: latæ ab homine non infliguntur per modum legis, ſed ut præceptum tranſitorium contra inobedientes; hinc latæ ab homine ceſſant, mortuo Superiore infligente; ſecus autem latæ a jure: & propterea cenſura a jure non poteſt ferri niſi ab habente juriſdictionem condendi leges, quales ſunt Pontifex, Legatus Pontificis, Concilium Generale, Epiſcopus pro ſua Diœceſi, Archiepiſcopus in Concilio Provinciali, etiam pro diœceſibus ſuorum ſuffraganeorum; & alii gaudentes juriſdictione Epiſcopali: proinde etiam Capitulum, Sede vacante, poteſt cenſuras ferre in perpetuum duraturas, niſi revocentur ab Epiſcopo electo, aut ſucceſſore ſuo.

* Cenſura a jure, ut Auctor docet, non ceſſat morte Legiſlatoris. At cenſura ab homine expirat quidem morte Superioris, aut ejus amotione, ſi hæc eveniat antequam illa contrahatur; ſed jam contracta manet poſt ejus mortem, donec tollatur per abſolutionem. Vide P. Antoine *tract. de Cenſuris cap. 1. in reſp. ad qu. 2.*

Alia ſubdiviſio in cenſuram latæ, & ferendæ ſententiæ.

IV. Præfatæ cenſuræ aliquando dicuntur latæ ſententiæ, aliquando ferendæ ſententiæ: primæ incurruntur ipſo facto, abſque alia Judicis declaratione: ſecundæ requirunt ſententiam Judicis declaratoriam criminis patrati. Cognoſcitur autem cenſura latæ ſententiæ ex verbis in lege expreſſis: v. g. *ipſo facto*, *ipſo jure*, *ſtatim*, *continuo*, *ex tunc*, *omnino*, *mox*, *prorſus*, *incontinenti* &c. ideſt per adverbia ſignificantia illico incurri: item ſi ponatur cenſura per verbum præſentis, vel præteriti temporis, v. g. qui hoc fecerit, *excommunicatur*, *ſuſpenditur*; vel *eſt excommunicatus*, *ſuſpenſus*; vel *noverit ſe eſſe excommunicatum &c.* vel *noverit ſe excommunicari &c.* vel *illum excommunico*, *ſuſpendo &c.* vel *declaro*, *volo*, *definio illum excommunicatum*, *ſuſpenſum &c.* vel *anathema ſit*: vel *habeatur excommunicatus &c.* vel *incidat*, *incurrat excommunicationem &c.* ita communior. Cenſura ferendæ ſententiæ apparet, ſi dicatur *incurrat cenſuram comminatoriam*, vel *præcipimus ſub pœna excommunicationis*, *ſub interminatione anathematis*, *ſuſpenſionis &c.* vel *excommunicabitur*, *ſuſpendetur &c.* Formula imperativi modi v. g. *ſuſpendatur*, *excommunicetur*, *ſubjaceat excommunicationi*, *incurrat excommunicationem &c.* eſt dubia, an ſignificet ſententiam latam, an ferendam; & ideo niſi addatur aliquid declarans mentem legiſlatoris, quod ſit latæ ſententiæ, juxta plures intelligenda erit ferendæ ſententiæ; quia odia ſunt reſtringenda.

§. II. *De habentibus poteſtatem inferendi cenſuras.*

Nonnulla præſupponenda.

I. PRæſupponendum eſt, quod ferens cenſuram, non debet habere uſum juriſdictionis impeditum, qualem habet excommunicatus vitandus. Item non poteſt quis ferre cenſuram in caſu, quo fuiſſet interpoſita appellatio legitima ad Superiorem. Neque poteſt quis ferre cenſuras in cauſa propria, contra partem alteram; cum nequeat eſſe ſimul judex, & pars, Superior & ſubditus reſpectu ejuſdem materiæ: Excipiendus tamen eſt, cum Suarez tract. 5. de cenſ. diſp. 2. ſect. 4. num. 7. caſus neceſſitatis ſe defendendi a violentia ſibi illata.

Quis poſſit cenſuras ferre?

II. Jure ordinario poteſtas ferendi cenſuras reſidet in ſummo Pontifice reſpectu totius orbis Chriſtiani; in Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis reſpectu ſuorum ſubditorum; quippe qui omnes reſpective gaudent juriſdictione ordinaria in foro externo, ad continendos ſubditos in officio, & bene regendas oves ſibi commiſſas, ad quem finem eſt neceſſaria poteſtas hujuſmodi. Eadem poteſtate ordinaria pollet Concilium Generale in cunctos fideles, Concilium Provinciale in ſua Provincia, & Concilium Diœceſanum in ſua diœceſi. Item Cardinales eadem poteſtate ordinaria fruuntur reſpectu Eccleſiarum, in quibus habent juriſdictionem in foro externo. Item

Digitized by Google

tem Legati a latere Pontificis in loco ſuæ Legationis. Vicarius Papæ, & Vicarius Epiſcopi, ut docet communis ex variis canonibus.

Quid de Superioribus Regularibus?

III. Superiores Generales, & Provinciales Ordinum Regularium hanc poteſtatem habent ordinariam a Pontificibus conceſſam: Superiores vero locales conſulere debent ſuorum Ordinum ſtatuta, & Conſtitutiones. Suarez tamen loc. cit. judicat eos illam habere reſpectu ſuorum ſubditorum.

Quid de Parochis?

IV. Parochi, juxta communem, carent dicta poteſtate; quia non habent juriſdictionem in foro externo. Si tamen alicubi conſuetudo obtinuiſſet, ut Parochus poſſit aliquam cenſuram inferre, ea gaudebit; quia in eo caſu Pontifex intendit illi, mediante conſuetudine, poteſtatem concedere: cavere tamen debet, ne abutatur hujuſmodi poteſtate circa alias cenſuras: ſed eadem uti circa illam determinatam cenſuram, ſibi ex conſuetudine conceſſa.

Cui hæc poteſtas delegari poſſit?

V. Poteſtas ferendi cenſuras delegari poteſt habenti ſaltem primam Tonſuram; cum hujuſmodi Clericus eſſe poſſit Vicarius Epiſcopalis, ut fert communis opinio. Non Clerico autem, quamvis ſit profeſſus Regularis, delegari non poteſt: neque Clerico conjugato, niſi de plenitudine poteſtatis Pontificiæ, quæ in omni jure humano diſpenſare valet.

§. III. *De materia Cenſuræ.*

Peccatum eſt materia cenſuræ; non mere internum.

I. Certum eſt, materiam remotam cenſuræ eſſe peccatum, cum pœna non infligatur niſi propter culpam; & quamvis cenſura, præſertim excommunicatio, non infligatur niſi peccatori, aliquando tamen tam Suſpenſio, quam Interdictum infliguntur etiam innocentibus propter peccata aliorum; & tunc peccatum reorum punitur etiam in illis. Certum quoque eſt, peccatum mere internum non eſſe materiam cenſuræ; cum Eccleſia non puniat niſi eos actus, de quibus in foro externo poteſt judicare. Actus vero internos habentes ordinem ad externos, ſicut poteſt præcipere, ut patet in attentione ad Horas Canonicas: ita poteſt etiam cenſura punire, ut patet in Inquiſitore, qui ex odio aut avaritia punit non reum; illumque Eccleſia excommunicat per ordinem ad injuſtitiam exterius manifeſtatam. Ex Clem. 1. §. *verum* de hæreticis.

Debet eſſe peccatum mortale.

II. Peccatum cenſura punibile debet eſſe lethale externum, ut pœna commenſuretur culpæ. Peccatum autem veniale puniri poteſt cenſura levi, ut patet in excommunicatione minori, qua punitur loquens cum excommunicato vitando: ex cap. 1. de ſent. excom. in 6. Dixi lethale externum; quia ſi actus exterior eſſet levis, quamvis profluens ab animo graviter criminoſo, non incurreret cenſuram gravem contra tale peccatum illatam. Quando autem actiones ſunt natura ſua leves, puta quod Clericus induat veſtem non nigram, vel noctu deferat arma, fertur nihilominus contra illas gravis cenſura; tunc non ſunt cenſendæ amplius actiones leves, ſed graves, & mortales; quia non conſiderantur amplius ſecundum ſuam ſpeciem, ſed relative ad finem gravem, propter quem ſub cenſura prohibentur.

Quomodo exigatur actus exterior completus?

III. Aliquando cenſura videtur requirere actum completum cum effectu ſecuto; aliquando non; ſed punit ipſam actionem, etiam effectu non ſecuto; idcirco verba legis ſunt perpendenda: puta dum ſub cenſura vetatur Clerici percuſſio, requiritur effectus ſecutus percuſſionis; eapropter quamvis etiam quis ſclopum exploderet contra Clericum, ſi illum minime tangat, cenſuram non incurrit, neque explodens, neque mandans exploſionem: ſecus dicendum ſi infligeretur cenſura contra mandantes; ſufficeret enim tunc expreſſiſſe mandatum, nulla ſecuta percuſſione.

Quando per actum prohibitum non incurritur cenſura?

IV. Non incurritur cenſura, quando actus exterior non inficitur malitia, quæ ſub cenſura prohibetur; puta ſi quis ex ignorantia proferat hæreſim, quam putat eſſe veram doctrinam. Neque quando actio exterior non dedit cauſam ſufficientem effectui ſub cenſura prohibito: puta ſi cenſura ſit contra homicidium, illam non incurrit, qui vulnerarit vulnere non valente inferre mortem: quæ tamen vulnerato accidit ex non obſervata Chirurgi directione, ob inordinatum modum ſe gerendi &c.; quia revera mors non ſupervenit ex vulnere, ſed ex deordinato vivendi modo ipſius vulnerati: ita Suarez diſp. 5. ſect. 3. n. 6. & Alterius lib. 3. cap. 2. & alii poſt ipſos. Neque incurritur quando infertur cenſura in pœnam peccati commiſſi, quando nondum fuerat lata; ratio patens, quia non poteſt incurri pœna, quæ nondum eſt impoſita; & præcipue loquendo de cenſura quæ imponitur ad frangendam audaciam peccantis, quæ eſt pœna medicinalis,

Digitized by Google

cinalis, & non in meram vindictam; actio autem perpetrata, antequam cenſura infligatur, neque poteſt præſupponere contumaciam contra legem cenſuræ, neque eſſe medicinalis ad arcendum a peccato jam commiſſo. Aliud autem eſt dicendum de pœnis, quæ non ſunt cenſuræ, puta de Depoſitione, Degradatione, quæ ſunt vindictæ juſtæ de patrato antea crimine.

§. IV. *De Subjecto Cenſuræ.*

Tres primæ conditiones requiſitæ in ſubjecto cenſuræ.

I. Quinque conditiones a Doctoribus recenſentur requiſitæ in ſubjecto cenſuræ: prima, ut ſit perſona viatrix; quia poteſtas a Chriſto Eccleſiæ conceſſa ligandi, eſt *ſuper terram*: eo vel magis quia cenſura fertur ob contumaciam, & emendationem peccantis, quæ in defuncto locum non habent. Secunda, ut ſit baptizata, juxta illud D. Pauli 1. Corint. 5. *Quid enim mihi eſt de iis, qui foris ſunt judicare?* Tertia, ut ſit in ætate uſu rationis, & diſcretionis, dolique capax; quia niſi peccare poſſit, neque puniri poterit. Impuberes autem, quamvis licite excommunicari non poſſint cenſura lata ab homine, ex capite 1. & 2. de delictis puerorum, & ex Gloſſa ibidem; valide tamen excommunicarentur, cum nullum extet jus irritam declarans talem excommunicationem: & reapſe impuberes ligantur Interdicto locali. Hinc amentes, & furioſi non ligantur cenſura, ſi in eo ſtatu actionem vetitam perpetrent: neque dormientes, & plane ebrii, ſi in eo ſtatu actionem vetitam faciant; niſi tamen illam ſe patraturos prævidere debuerint: quia tunc eſſet voluntaria in cauſa, malitioſe non impedita.

Quarta conditio.

II. Quarta Conditio eſt, quod perſona nominetur in cenſura excommunicationis; cum Univerſitates & Communitates non ſint excommunicandæ ex cap. *Romana* de ſentent. excom. in 6. quia cum ſit graviſſima pœna, cavendum eſt, ne in ea comprehendantur innocentes. Aliæ autem cenſuræ ferri poſſunt in Communitates, ex cap. ſi *ſententia*, loc. cit. & tunc intelligitur ſuſpenſa Communitas, aut Capitulum collective ſumptum; ideſt quoad actiones, & officia, quæ competunt Communitati collective acceptæ; non autem diſtributive, ita ut ſingulæ perſonæ Communitatis non cenſeantur ſuſpenſæ ab officiis, & beneficiis ſuis perſonalibus; quia pœna eſt ſtricte interpretanda: niſi tamen aut ex verbis expreſſis, aut ex ſubjecta materia, aut ex circumſtantiis intelligendæ eſſent etiam ſingulæ perſonæ comprehenſæ. Ita Alterius tom. 2. diſp. 7. cap. 2. & alii poſt ipſum. Neque opponas, quod Interdictum comprehendat nedum Communitatem, verum etiam ſingulos Communitatis; nam effectus Interdicti non poſſunt convenire Communitati ut ſic, ſed dumtaxat perſonis illam componentibus; cum auditio Miſſæ, perceptio Sacramentorum &c. non verificentur de Communitate, ut ſic, ſed de ſingulis perſonis; effectus vero ſuſpenſionis poſſunt competere communitati v. gr. Capitulo ut ſic, & prout contradiſtinguitur a ſingulis perſonis; cum competant eidem quædam actiones, & jura, quæ ſingulis non competunt.

Quinta conditio.

III. Quinta conditio eſt, ut cenſura feratur in inferiorem, ut patet: proinde Summ. Pontifex nulli cenſuræ poteſt eſſe ſubjectus. Epiſcopi autem excommunicationi a Pontifice generaliter latæ ſubjiciuntur, niſi excipiantur: Ita Navarrus cap. 27. num. 16. Sylveſter verbo Epiſcopus circa finem, Suarez diſp. 5. ſect. 4. num. 2. & alii ex variis textibus juris. Si vero cenſura generaliter lata, ſit Suſpenſio, vel Interdictum, Epiſcopi non comprehenduntur, quamvis expreſſe non excipiantur; ita ex capite *quia periculoſum* de ſent. excomm. in 6. & eſt communis. An autem Cardinales comprehendantur in cenſuris a Pontifice generaliter latis, quando non fit eorum mentio? Ugolinus Tabula 1. de Cenſuris cap. 17. §. 6. nu. 10. & Azorius 1. p. lib. 5. cap. 19. §. 5. affirmant: Alterius autem tom. 2. diſp. 7. cap. 4. negat, cujus auctoritas in hac materia eſt magna; quippe qui ex profeſſo doctiſſime de cenſuris diſſeruerit, & Romæ opus ediderit.

Cenſuram ferens illi non ſubjicitur.

IV. Qui accipit a Pontifice facultatem ferendi cenſuram contra aliquod peccatum, ſi ipſe incidat in illud, non incurrit cenſuram, quia nequit eſſe ſibi ipſi ſuperior, & inferior in eodem genere agendi: ſecus dicendum, ſi eſſet dumtaxat vulgator cenſuræ, quia eſſet ſubditus illam inferentis, ſicut alii. Excipienda tamen eſt cenſura Interdicti localis, in quo loco ſit & ipſe Superior; qui tenetur & ipſe ſervare Interdictum, & ſubjacet legibus a jure latis contra violantes Interdictum. Neque opponas, quod ipſe ſit ſuperior qui intulit; quia non ſubjacet legibus Interdicti tanquam

Excipiendum interdictum.

quam

quam a ſe latis, ſed quia ſunt latæ a jure communi, cui & ipſe ſubjectus eſt. Excipe Pontificem, qui ſolus eſt humano jure ſuperior.

An æqualis in æqualem poſſit ferre cenſuram? V. Æqualis non poteſt ſubjici cenſuræ latæ ab æquali, cum par in parem non habeat imperium. Si autem æqualis illam ferat poteſtate a Superiore ſibi delegata; tunc alter æqualis ſubjacet cenſuræ illi; quia qui alioquin eſſet æqualis, evadit ſuperior ratione poteſtatis ſibi delegatæ.

Committens actum vetitum, ſub cenſura a pluribus, quot cenſuras incurrat? VI. Quando quis committit actum, a pluribus ſuperioribus eadem poteſtate gaudentibus ſub eadem cenſura vetitum, unam tantum cenſuram incurrit, quia ſunt formaliter unum, quamvis materialiter plures: proinde qui committit peccatum a pluribus Pontificibus ſub tali cenſura prohibitum, unam cenſuram incurrit; quia offendit eamdem formaliter poteſtatem. Si vero inferentes cenſuram etiam eamdem ſint diverſæ poteſtatis, puta ſi actus ille prohibeatur & a Pontifice, & ab Epiſcopo ſub tali cenſura, procul dubio illum perpetrans duplicem cenſuram incurrit: quia duplicem offendit poteſtatem: idemque dicendum, ſi cenſura feratur & a jure communi, & ab Epiſcopo, nec non ſi ab Epiſcopo, & ab Inquiſitore; quia ſimiliter duplex violatur poteſtas.

Cenſura lata contra aliquid facientes, non ligat alios. VII. Cenſura lata contra facientes aliquid, non ligat mandantes, conſulentes &c. ita cum Cajetano verbo excommunicatio cap. 1. & Navarro cap. 27. n. 51. & aliis, contra Sylveſtrum verbo excomm. 4. c. 10. num. 5. tum quia verba legis odioſæ ſunt ſtricte interpretanda, tum quia cenſura non ligat præter intentionem in verbis legiſlatoris expreſſam: proinde ſi feratur contra mandantes &c. non expreſſis facientibus, illos ſolos ligabit, qui exprimuntur. Secus dicendum ſi verba legis etiam alios comprehenderent, dicendo: *concurrentes, cauſam & influxum præſtantes, cooperantes* &c. Quod autem ait Sylveſter, quod agentes, & conſentientes pari pœna puniuntur, verum dumtaxat eſt, quando etiam agentes & conſentientes exprimuntur, vel expreſſe, vel implicite in præfatis dicendi modis.

Quando cooperantes cenſuram incurrant necne? VIII. Quando mandans, conſulens &c. revera nullum influxum habuerunt in actionem vetitam, non incurrunt cenſuram: ita cum Navarro loc. cit. alii: Quia in tantum illi in cenſura comprehenduntur, in quantum cenſentur influere: proinde qui mandat, conſiliat v. gr. percuſſionem Clerici alicui, jam efficaciter determinato percutere; ita ut nihil omnino animi augeat &c. non incurrit cenſuram: ſecus dicendum, ſi conſilio, mandato animum inſtauraret, confirmaret &c. quia reapſe aliquo modo influeret: immo ſi dubitaret an influxerit; cenſuræ ſubjici judicandum eſſet; quia eſſet certus de mandato, conſilio &c. dato, & dumtaxat dubius de effectu: in quo caſu poſſideret lex: ſicuti in cauſa de voto; qui ſcit ſe verba votum ſignificantia expreſſiſſe, & dubitat an ex animo protulerit, voto tenetur; quia in his circumſtantiis poſſidet obligatio.

Mandantes, conſentientes, & conſulentes Clerici percuſſionem, effectu ſecuto, excommunicationem incurrunt. Item non impedientes, ſi ex officio ad hoc teneantur, vel ſi potuerint impedire ſine damno, periculove ſuo, & doloſe permiſerint *cap. 47. de ſent. Excom.* Item ratam habentes percuſſionem ſuo nomine factam, etiamſi non conſuluerint, nec mandaverint cap. 13. *de ſent. Excom. in* 6. Lege P. Antoine de Cenſuris cap. 2. q. 6.

IX. Quando mandans actionem ſerio & efficaciter retractat mandatum mandatario datum, & hinc innoteſcat retractatio; ſi effectus ſequatur; mandans non ligatur; quia cum tota ratio agendi eſſet mandatum, hoc ſerio retractato, ceſſat ratio agendi; & tunc tota ratio agendi eſt mandatarii malitia. Non ita ſentiunt plerique probabilioriſtæ de retractante conſilium datum; quia, ajunt ipſi, quamvis retractetur conſilium, adhuc perſeverat in mente conſiliati ratio, quæ illum convicit, & induxit ad ſtatuendam executionem actionis vetitæ. At ſalva reverentia his doctoribus debita, duplici diſtinctione utendum eſſe putarem: prima, ſi conſilium fuerit mere & ſimpliciter approbativum, nullam afferens rationem, ſed ſolum approbationem mali conſilii, ſeu propoſiti ſignificans; hoc ſerio revocato, & retractato, addita præcipue aliqua ratione chriſtiana, putarem quod talis conſilians cenſuram nullam incurreret; quia ex parte ſui totum, quod poterat ad actionem impellere, ſuſtulit. Si vero fuerit conſilium etiam rationes inducentes afferens; tum ſecunda diſtinctione utendum putarem; vel enim ille conſulens vere affert rationes fortiter, efficaciter elidentes motiva anterius allata, ita ut ea natura ſua re- An incurrant mandantes & conſilantes qui retractarunt mandatum, & conſilium?

Digitized by Google

moveant omnem vim anteriorum motivorum; & in hoc caſu, cum revera tollat totum antea poſitum quod poterat inducere, ratio agendi non erit hoc quod poterat inducere, quod amplius extare non debet, utpote convulſum, & eliſum ab urgentioribus motivis adductis, ſed ratio agendi erit malitia, indocilitas, & obſtinatio conſiliati, ſicuti dictum eſt de mandatario; & conſilians non incurreret cenſuram: ſi autem motiva allata ad tollendum conſilium revera non elidant anteriora motiva, vel dubitari poſſit an ſufficientem vim elidendi habeant: tunc ſubjacebit cenſuræ, quamvis retractet, ob indicatas rationes.

§. V. *De modis ferendi Cenſuras*.

Premittuntur certa.

I. CErtum eſt, ad ferendam cenſuram requiri ſignum aliquod externum Superioris, cum innoteſcere debeat. Certum quoque eſt, ſufficientia eſſe qualiacumque verba, vel ſigna; quibus intentio Superioris ſignificetur: ſicuti etiam neceſſarium eſſe, declarare, quænam cenſura infligatur. Et quamvis quando infligitur Excommunicatio, vel Suſpenſio, non ſit neceſſe addere quod excommunicatio ſit minor, vel major; & ſuſpenſio, ab officio, vel beneficio; quia quando infligitur excommunicatio ſine addito, ſemper intelligitur major; & ſuſpenſio ſine reſtrictione, ſemper intelligitur ab officio, & beneficio: nihilominus qualitas, ſeu ſpecies cenſuræ ſemper eſt exprimenda, nempe aut Excommunicatio, aut Suſpenſio, aut Interdictum.

Cenſura alternative expreſſa.

II. Quando Cenſura alternative ponitur, puta, qui hoc fecerit incurrat excommunicationem, vel ſuſpenſionem, licite ita ferri poteſt; & tunc eſt in optione rei alterutram eligere: ita probabilior cum Alterio lib. 3. diſp. 9. cap. 13. & Suarez diſp. 3. ſect. 2. n. 12. & aliis. Nil enim abſonum in hoc relucet; quamvis ſit inſuetum: Ita enim non raro fieri ſolet; etiam a lege civili quoad pœnas temporales.

Eſt neceſſarium ferri in ſcriptis cum expreſſione cauſæ.

III. Cenſura eſt ferenda in ſcriptis, cum expreſſione cauſæ propter quam fertur; ita ex capite 1. *cum medicinalis* de ſent. excom. in 6. ita ut qui illam ſolo verbo infert, mortaliter peccet, & incurrat ſuſpenſionem ab ingreſſu Eccleſiæ, & a Divinis per menſem; quam ſuſpenſionem non incurrit, ſi ſit Epiſcopus, quia in laudato capite non exprimuntur Epiſcopi: quando autem in cenſura ſuſpenſionis, vel interdicti non exprimantur Epiſcopi, non cenſentur comprehenſi, ut diximus etiam ſupra: & judicatur in capite *Quia periculoſam*: peccant tamen mortaliter, ut dixi. Videri poſſunt Navarrus cap. 27. num. 8. & Alterius tom. 2. diſp. 7. cap. 3. Nota nihilominus, quod quamvis cenſura non feratur in ſcriptis, adhuc eſt valida: quia fieri in ſcripto non eſt de eſſentia cenſuræ, ſed de modo accidentali ejuſdem ferendæ, & deducitur ex capite 1. de ſent. excom. in 6. Videri poteſt etiam Suarez diſp. 3. ſect. 13. num. 8.

An ad infligendam cenſuram requiratur monitio præcedens?

IV. Ad infligendas cenſuras latas a jure, vel ab homine per ſtatutum generale contra actum futurum, nulla requiritur monitio præcedens; eo quod lex, aut ſtatutum ſufficienter per ſe moneant, cum ſint publica & permanentia: v. g. Clericus qui talibus diebus loquatur cum Monialibus, ſit ipſo facto excommunicatus: loquens incurrit abſque ulla prævia monitione, ita ex cap. 26. de Appellation. & idem dicas de ſententia declaratoria cenſuræ a dictis juribus illatæ, & contractæ, quæ nulla indiget prævia monitione: debet tamen ante ſententiam declaratoriam citari reus, ut juridice conſtet de delicto ab ipſo patrato; eo quod contra partem inauditam non poſſit aliquid in judicio valide definiri: ita ex cap. *de cauſa poſſ.* Quando vero cenſura fertur ab homine non per ſtatutum generale, ſed per ſententiam particularem contra aliquem, tunc, ut ſit valida, præcedere debet aliqua monitio delinquentis; eo quod non præſupponitur contumacia delinquentis, niſi præceſſerit monitio & comminatio cenſuræ: ita ex cc. 9. & 48. de ſent. excom. in 6. Itaque ut licite feratur cenſura per ſententiam particularem, trina præcedere debet admonitio, cum requiſitis intervallis, ſaltem duorum dierum inter unam, & alteram: ita ex cap. 9. de ſentent. excom. in 6. Si vero urgens cauſa non permittat talem ritum ſervare, ſufficiet unica monitio pro trina, concedendo intervalla: vel etiam, ſi neceſſitas compellat, ſine intervallis, dicendo: moneo te ſemel pro tribus vicibus: & fiat in ſcripto, in quo exprimatur cauſa cenſuræ; & reo petenti exemplar ſcripturæ, tradatur infra menſem, ita in cap. 1. de ſent. excomm. in 6.

Obſervanda in

V. Quando cenſura eſt a jure, ſeu per ſtatutum generale, & ſit ferendæ ſententiæ,

Digitized by Google

Infligendæ cenſuræ ferendæ ſententiæ.

tiæ, antequam cenſura infligatur, neceſſaria eſt citatio rei, & condemnatio juridica, ſeu legalis: proinde non debet infligi cenſura, reo etiam convicto, & manifeſto, niſi præceſſerit monitio juxta paulo ante dicta; ita ex cap. 26. de Appellat. Quando autem eſt latæ ſententiæ, ut declaretur contracta, exigitur, ut dixi ſupra, ut citata parte, conſtet juridice de crimine patrato. Nam quando cenſura fertur non per modum cenſuræ proprie dictæ, ideſt non per modum pœnæ medicinalis præſervantis, ſed per modum pœnæ vindicativæ poſt delictum perpetratum, nulla requiritur monitio.

Obſervanda in ferenda cenſura contra perſonam particularem.

VI. Quando cenſura fertur contra perſonam particularem, monitio debet fieri coram illa perſona, neque ſufficit quod fiat ad domum illius, niſi tamen ipſa perſona doloſe ſe ſubtraxerit, vel per vim impediat ne monitio fiat, aut ſi non habeat domicilium; quia in his caſibus ſufficiet, ut fiat in Eccleſia præcipua illius loci: quod ſi ſaltem ſemel facta fuerit coram perſona, tunc aliæ duæ poſſunt fieri ad domum; aut ſi facta ad domum innotuerit perſonæ, aliæ poterunt ſimiliter fieri ad domum: ita, ex variis juribus citatis, Suarez diſp. 3. ſect. 11. Alterius lib. 3. diſp. 3. cap. 3. & alii. Et notandum, quod quando monitio fit perſonæ, debent eſſe idonei teſtes, qui factam fuiſſe teſtari poſſint. Porro quando facienda eſt denunciatio perſonæ cenſura affectæ, fieri debet publice in Eccleſia, chyrographum affigendo ad januas ejuſdem, in quo exprimatur cauſa, & reatus cenſuræ.

Obſervanda in Cenſura ferenda contra Communitatem.

VII. Cum, ut jam notavi, excommunicatio non feratur contra Communitates, ne adeo gravi pœna innocentes implicentur; Suſpenſio tamen, & Interdictum, ut ſupra dixi, aliquando infliguntur; & tunc, quando ſunt ferendæ ſententiæ, monitio facienda eſt perſonæ illi, ob cujus delictum ferenda eſt cenſura; cum ipſa perſona, & non Communitas, ſit delinquens & rea: ita citati Doctores.

§. VI. *De juſtitia cauſæ, ob quam cenſura infligitur, & de loco ferendæ, vel latæ cenſuræ.*

Præmittuntur certa apud omnes.

I. CErtum eſt apud omnes, quod ſi cenſura ſit injuſta ex defectu amoris juſtitiæ in Judice, puta quia illam infert ex odio, indignatione, rancore &c. dummodo nil ſubſtantiale a jure requiſitum omittat, eſt valida, quamvis graviter peccet illam inferens, eo quia nulli nocet, niſi ſibi ſoli graviter peccando. Si feratur non ſervato ordine ſubſtantiali juris, puta ſi nulla præceſſerit monitio, vel quidpiam ſimile; eſt invalida, quia non poteſt dici ſententia legitima, ut patet: dixi ſubſtantiali; quia ſi deſit aliquid accidentale, puta aliqua ex monitionibus faciendis, aut aliquod intervallum, aut non fiat in ſcripto &c. remanet valida; quia defectus eſt accidentalis.

Quid agendum in caſu cenſuræ injuſtæ?

II. Cenſura duplici capite dici poteſt injuſta: primo materialiter, quando infligitur innocenti, legaliter & juridice probato reo: ſecundo formaliter, quando omittuntur ea, quæ a jure præſcribuntur, ut neceſſario præſtanda: quando eſt injuſta formaliter, nemo ambigit eam eſſe invalidam: quando vero eſt injuſta materialiter, plurimi cum Cajetano 2. 2. quæſt. 70. art. 4. & Soto in 4. diſt. 22. quæſt. 1. art. 3. docent, ſimiliter eſſe invalidam: & in hanc opinionem inclinare videtur etiam S. Thomas in 4. diſt. 18. q. 2. art. 1. q. 4. ubi hæc habet. *Contingit autem quandoque, quod eſt debita cauſa ex parte excommunicationis* (nempe quod eſt lata ſervato ordine juris) *quæ non eſt debita ex parte excommunicati*, (eo quod ſit innocens) *ſicut cum aliquis pro falſo crimine in judicio probato excommunicatur: & tunc, ſi humiliter ſuſtineat, humilitatis meritum recompenſat excommunicationis damnum:* ubi occurrit obſervandus modus loquendi S. Doctoris; ſi enim excommunicatus ille judicaretur ab Angelico obligatus in conſcientia ſub mortali, ad ſe gerendum tamquam excommunicatum: non diceret: *ſi humiliter ſuſtineat*, ſed quod teneatur ſuſtinere; & proinde ſuſtinendo, judicatur abundantius agere. Neque obſunt verba ſequentia, nempe quod humilitas illa recompenſat damnum cenſuræ: loquitur de damno auxiliorum illorum externorum, nempe adeundi Eccleſiam, recipiendi Sacramenta &c. a quibus ſi innocens ille, reverentiæ gratia, abſtinere velit; hoc humilitatis meritum compenſabit illud damnum coram Deo. Ratio autem aſſertionis eſt: quia Eccleſia nunquam intendit pœnis adeo ſeveris punire innocentes, quod eſſet injuſtum, & nefas ſuſpicari de Sancta Matre: igitur non intendit, innocentem ſubeſſe pœnis ſuis. Quomodo igitur ſe gerere debebit innocens ille? Poſſet quidem, ait Cajetanus loc. cit. omnia facere privatim,

tim,

Digitized by Google

tim, quæ poteſt quicumque alius innocens, & coram illis qui certi ſunt de illius innocentia, proteſtando, ſe neutiquam agere in contemptum cenſuræ, ſed ne tantis bonis privetur, innixus opinioni graviori, & communiori. (Dixi privatim, quia publice nunquam licet ſine mortali.) At quia vix hæc fieri poſſunt tam occulte, quin aliquod ſcandalum ſuboriatur; proinde prudentius aget, ſi exterius ſe gerat tanquam cenſura ligatum; & interea procuret per appellationem ad Superiorem, ut manifeſta fiat ſua innocentia: cum alioquin anima ſua coram Deo nullum detrimentum patiatur, eo quod perſeveret eſset particeps bonorum communium Eccleſiæ. Porro in dubio an cenſura fuerit formaliter juſta, tenebitur, ſecundum omnes, ſe gerere ut cenſura ligatum etiam in foro conſcientiæ; nam in dubio, favendum eſt Superiori, qui certus eſt ſuæ poteſtatis, quæ in dubio non eſt exponenda periculo violationis.

Obſervanda circa locum ferendæ cenſuræ.

III. Circa obſervanda quoad locum ferendæ cenſuræ, notandum primo, quod cenſura, quæ fertur per modum ſtatuti, & legis, afficit ſolos delinquentes, exiſtentes in loco juriſdictioni Superioris ſubjecto; ſtatutum namque dicitur lex Territorii: Cenſura vero lata per modum ſententiæ, afficit perſonam ſubditam, ubicumque fuerit, tametſi extra territorium Superioris, ſive lata fuerit per ſententiam generalem, ſive per ſententiam particularem; cum reſpiciat perſonas ſecundum ſe. Notandum ſecundo, quod quæ fiunt extra Territorium proprium, poſſunt pertinere vel ad juriſdictionem gratioſam, ſeu voluntariam, quæ videlicet non requirit proceſſum, cognitionem cauſæ, ſeu ſtrepitum judicialem; quædam vero ſpectant ad juriſdictionem contentioſam, quæ nempe requirunt proceſſum, cauſæ cognitionem, & ſtrepitum judicialem. His præmonitis. Quando in ferenda ſententia opus eſt juriſdictione contentioſa; ſervanda eſt a Superiore circumſtantia loci proprii Territorii; quia non poteſt in alieno territorio, abſque licentia Superioris illius loci, erigere Tribunal, quemadmodum requiritur ad ferendam cenſuram cum juriſdictione contentioſa; & ita neque ad judicialiter abſolvendum: ſecus autem, ſi non requiratur hæc contentioſa juriſdictio, etiamſi cenſuram ferat per modum ſtatuti.

Aliud obſervandum circa locum.

IV. Superior non poteſt ferre cenſuram per ſtatutum contra exiſtentes in alieno territorio; unde delinquens extra territorium, non incurrit illam: puta ſi in Diœceſi Veneta extaret ſtatutum, ut qui adulterium perpetrat, ſit excommunicatus: ſubditus Venetus illud perpetrans Patavii, non incurret cenſuram, quia delinquit extra ditionem Veneti Præſulis. Si autem cenſura puniatur actus, qui cenſetur conſummari intra Diœceſim, quamvis extra Diœceſim committatur, incurreret cenſuram; puta ſi extaret cenſura contra Canonicos non reſidentes, & abſentes per menſem, Canonicus Venetus Patavii commorans, cenſuram incurreret, quia cenſetur peccatum non reſidendi conſummare Venetiis; & hoc ex fictione juris, ut explicui in tract. 1. cap. 2. §. 8. n. 10. Hinc apparet quid dicendum ſit, ſi Epiſcopus tuliſſet cenſuram contra ſuos Clericos accedentes ad Monaſteria Monialium, a ſua juriſdictione exemptarum, poſita in ſua Diœceſi; nec non contra loquentes cum eiſdem; nam primam cenſuram incurreret Clericus accedens ad illud Monaſterium, quamvis exemptum; quia acceſſus ad illud fit in loco ſuæ ditioni ſubjecto, & per vias uſque ad januas Monaſterii, quæ viæ ſubduntur ſuæ ditioni: ſecundam autem non incurreret; quia locutio cum eiſdem fit in loco exempto, nempe intra locutorium exemptum a ſua juriſdictione.

Aliud obſervandum circa locum.

V. Quando crimen incipitur in loco juriſdictionis, & extra eumdem perficitur; videtur cenſura non incurri; quia cum cenſuræ ſoleant ferri contra actum completum, niſi aliter exprimatur; cum conſummatio fiat extra locum juriſdictionis, illa non incurritur: qui inique v. gr. in loco ſubjecto ſeduceret conjugatam ad adulterium, & diſcederet a territorio, illudque extra patraret, cenſuram non incurreret latam contra tale delictum.

Caſus emergens reſolvitur.

VI. Extraneus perveniens ad Diœceſim, in qua crimen aliquod ſub cenſura prohibetur, animo ibi non manendi, neque ſiſtendi ad longum tempus, ſed modico tempore, puta quouſque perficiat breve negotium, & interea committens illud crimen, quibuſdam cum Bonacina videtur non incurrere cenſuram; eo quod non ſit ſubditus illi Diœceſi. Sed mihi probabilius diſtinguit Suarez diſp. 3. ſect. 5. n. 18. cum Sayro lib. 5. c. 7. n. 22. & aliis, & dicit quod homo ille incurrat cenſuram latam per modum ſtatuti, non vero latam per modum ſententiæ; quia cenſura lata per modum ſententiæ loquitur incontinenti, & dire-

Digitized by Google

ɑe fertur in perſonas ſubditas ſive ab origine, ſive ob eo translatum domicilium: lata vero per modum ſtatuti, cum ſit localis, afficit peccantes in illo loco: & hæc opinio conſonat alteri a nobis traditæ in tract. 1. cap. 2. §. 8. num. 8. de obligatione viatorum legibus loci.

§. VII. *De cauſis a Cenſura excuſantibus*.

Ignorantia invincibilis excuſat. I. PRima cauſa excuſans ab incurrenda cenſura eſt ignorantia inculpabilis juris tam communis, quam particularis: ita paſſim Auctores apud Alterium lib. 3. diſp. 2. cap. 3., quia ignorans inculpabiliter cenſuram, non poteſt eſſe contumax ullo modo contra legem ferentem illam. Qui igitur ſcienter peccat peccato gravi contra legem Dei, ignorat autem ignorantia inculpabili tali peccato adnexam cenſuram; quamvis peccet contra Deum, non peccat contra Eccleſiam, ignorando inculpabiliter ejus legem vetantem ſub cenſura actum illum: ita communior & probabilior Soti, Sylveſtri, Navarri, Vaſquez, Suarez, & aliorum, contra Avilam, & Covarruviam. Similiter excuſat Ignorantia invincibilis facti: ita ex capite *ſi vero* de ſent. excom. ob rationem allatam, quia ignorantia invincibilis excuſat a reatu circa id, quod invincibiliter ignoratur; neque poteſt conjungi contumaciæ a pœna cenſuræ requiſitæ; qui igitur percutit hominem invincibiliter ignorans eſſe Clericum, non incurrit excommunicationem: ita paſſim Doctores.

Ignorantiam invincibilem ſive juris, ſive facti eximere a cenſura incurrenda, certum eſt apud omnes. Num autem invincibilis ignorantia ſolius cenſuræ excuſet ab ea contrahenda, magna eſt inter Theologos diſceptatio. P. Antoine *Tract. de Cenſuris cap.* 1. *q.* 4. fuſe hanc verſat difficultatem, & poſt plures, graveſque Doctores decernit ignorantiam invincibilem ſolius cenſuræ, latæ per legem Papalem, aut canonem univerſalem non excuſare ab ea incurrenda illum, qui ſcit legem eamdem: unde juxta ipſum ad cenſuram contrahendam ſatis eſt, quod quis ſciat, vel ſcire poſſit ac debeat actionem, vel omiſſionem, cui cenſura annexa eſt, eſſe ab Eccleſia graviter præceptam, vel prohibitam. Quare ſi quis v. g. ſciat, vetitam eſſe ab Eccleſia Clerici verberationem, & hunc quem verberat eſſe Clericum, excommunicatione irretitur, quamvis ignoret, huic illicitæ percuſſioni Clericali hanc eſſe pœnam adjectam. Oppoſitum alii ſuſtinent, ſtatuuntque, etiam ignorantiam prorſus invincibilem ſolius cenſuræ ab ea incurrenda excuſare. Quamobrem, inquiunt, ſi quis ſciret jure Eccleſiaſtico interdictum eſſe ingreſſum in Monaſteria Monialium, ſed invincibiliter ignoraret cenſuram, quæ contra delinquentes imponitur, ab eadem cenſura foret immunis. Et hanc ipſi ad hoc evincendum rationem in medium adferunt. Cenſura non contrahitur niſi a contumaci. Porro talis homo non eſt contumax eo modo, qui ad cenſuras contrahendas requiritur. Ut enim quis contumax ſit hoc modo, non ſufficit, ut qualitercumque legem Eccleſiæ tranſgrediatur, ſed eam debet tranſgredi, cum monitus eſt de pœna per eam infligenda; & idcirco ad cenſuram neceſſaria eſt monitio; qui autem pœnam lege latam ignorat invincibiliter, monitus non fuit. Hac una ratione in nihilum occidunt quæ ab Antoine producuntur, atque adeo huic ſecundæ ſententiæ adhærendum cenſemus. Verum quia non ita frequenter occurrit ignorantiam ſolius cenſuræ annexæ legi univerſali eſſe invincibilem, ideo facile ab ea exempti reputandi non ſunt ejuſdem legis tranſgreſſores.

II. Ignorantia vincibilis, & mortaliter culpabilis, craſſa, & ſupina, ſive juris, ſive facti, quæ non valet excuſare ignorantem a reatu mortali, non excuſat a cenſura incurrenda, ita Suarez diſp. 4. ſect. 10. num. 10. Alterius lib. 3. diſp. 2. cap. 3. cum quibus alii plures. Fundamentum deſumitur ex cap. 2. *cum animarum* de Conſtitution. in 6. ubi docemur: ignorantiam, quæ non ſit craſſa, & ſupina, excuſare a ſententiis quorumcumque Ordinariorum; igitur quæ eſt craſſa, & ſupina, non excuſabit. Hinc certum eſt, quod quando ignorantia eſt vincibilis, & culpabilis tantum venialiter, excuſet a cenſura, quæ cum ſit pœna gravis, eſt improportionata peccato levi. An autem poſſit inveniri ignorantia vincibilis, & culpabilis mortaliter, quæ non ſit craſſa & ſupina? videtur Soto, Avilæ, & aliis apud Bonacinam diſp. 2. quæſt. 2. punct. 1. num. 4. poſſe inveniri: puta cum quis ſtuduit quidem, & interrogavit, ut veritatem aſſequeretur, ſed non ſtuduit, neque interrogavit pro merito materiæ, quantum moraliter poterat, & tenebatur; ad differentiam illius, qui aut ni- Non excuſat ignorantia vincibilis ſive juris, ſive facti.

Digitized by Google

nihil, aut modicum ſtuduit, & nil, vel modicum ſciſcitatus fuit: cujus ignorantia merito dicitur craſſa, & ſupina, quod profecto dici non poteſt de primo. An iterum per quamcumque ignorantiam mortaliter vincibilem incurratur cenſura? videtur depromendum ex verbis legis ferentis cenſuram: ſi enim verba abſolute prohibeant crimen aliquod ſub cenſura; v. gr. qui voluntarium homicidium commiſerit, ſit excommunicatus; proculdubio ſufficiet quæcunque ignorantia mortaliter vincibilis; quia cum lex aliud non requirat, quam peccatum voluntarie patratum; hoc voluntarie patrato, cenſura incurritur. Si autem lex non abſolute prohibeat crimen ſub cenſura, ſed ſignificet poſtulare aliquid aliud, nempe aut certam ſcientiam, aut auſum temerarium, dicendo v. gr. qui temere hoc fecerit, qui auſus fuerit, qui præſumpſerit hoc facere, qui ſcienter id fecerit &c., quamvis illud faciendo ex ignorantia mortaliter vincibili peccet; niſi accedat aliqua dictarum conditionum, non videtur incurrere cenſuram; cum lex non operetur ultra verba, quæ continet, & exprimit, ut ait Bonacina loc. cit. q. 1. punct. 3. numer. 18. alios referens, & aſſerens, id eſſe commune: & hinc infert q. 2. punct. 1. numer. 12., ignorantiam etiam craſſam excuſare, quando in lege adſunt dictæ formulæ. Non autem approbare poſſumus id, quod ibidem infert numer. 11. contra Suarez, nempe ignorantiam etiam affectatam (qua quis fugit ſcire legem, & procurat neſcire legem, & alia quæ ſcire tenetur) in caſu dictarum formularum excuſare, quod melius negat Suarez diſp. 4. ſect. 10. numer. 3. quandoquidem ignorantia affectata, nempe quæſita & volita ad liberius peccandum, in jure æquiparatur certæ ſcientiæ. Quæ hactenus diximus de cenſura generatim, intelligenda ſunt etiam de irregularitate inflicta ex delicto; nam quæ incurritur ex defectu, non requirit cognitionem, ſed incurritur etiam ab omnino ignorante, ut dicetur ſuo loco.

Secunda cauſa excuſans eſt Appellatio legitima.

III. Secunda cauſa, excuſans a cenſura incurrenda, eſt Appellatio legitima ad Superiorem, dummodo fiat ante conditionem expletam; v. gr. ſi Titio dicatur: niſi infra menſem reſtitueris bona, quæ Eccleſiæ rapuiſti, ipſo facto eris excommunicatus: appellatio valet ante expiratum menſem, & effectus cenſuræ ſuſpenditur, ita in capite *Præterea* 2. de Appell. & cap. *Paſtoralis* ejuſdem tituli: Expirato vero menſe, non valet appellatio, nec per eam ſuſpenditur effectus cenſuræ. Ita neque valet appellatio a cenſura ipſo facto, pure, & abſolute lata: v. g. contra Clericos publice aleis ludentes; unde ſi Titius probetur publice luſiſſe aleis, jam eſt excommunicatus, quin appellatio ſua poſſit ſuſpendere effectum cenſuræ: poterit quidem ſua appellatio habere vim devolvendi cauſam ad Superiorem, ut judicet de juſtitia cenſuræ, non tamen poteſt habere vim, ut ſuſpendat effectum. Qui autem interpoſuit legitimam appellationem infra tempus, quamvis poſtea illam non proſequatur, adhuc ſuſpendit effectum, ob cauſam jam devolutam ad aliud Tribunal; ex capite *licet* de ſent. excom. in 6.

Aliud obſervandum circa Appellationem.

IV. Appellatio legitima, facta poſt ſententiam declaratoriam cenſuræ incurſæ, habet effectum, ut non efficiat vitandum ipſum declaratum, & denunciatum; cum appellatio ſuſpendat declarationem, & denunciationem: Suarez diſp. 3. ſect. 15. numer. 20. addit: dummodo factum non ſit adeo manifeſtum, ut nulla poſſit tergiverſatione celari; tunc enim non eſſet appellatio, ſed mera eluſio ſententiæ, & declarationis.

Quid requiritur ad legitimam appellationem?

V. Sciſcitaberis: quid requiritur ut appellatio ſit legitima? Duæ requiruntur conditiones; prima, quod fiat ex probabili ſaltem ratione, & ſufficienti cauſa, quæ ſaltem bona fide credatur ſufficiens; qua deficiente, eſſet fraus, quæ nemini ſuffragari debet. Secunda, ut jam dixi, ut fiat debito tempore; & quamvis pro aliis ſententiis præfiniantur decem dies; communior tamen docet, quod poſſit protrahi pro cenſuris ultra decem dies, dummodo fiat infra tempus præfinitum a judice; quo expirato, incurritur cenſura: unde v. g. qui jubetur ſub excommunicatione ipſo facto incurrenda, reſtituere infra menſem, poterit protrahere appellationem etiam ad quindecim dies; ſecurius tamen, & laudabilius aget, ſi quamprimum fieri poteſt appellet, cum etiam ex hac ſollicitudine indicetur juſtitia appellationis: videtur item neceſſarium, quod fiat in ſcriptis, exprimendo appellationis motivum. Et nota, quod v. g. Epiſcopus poteſt abſolvere illum, qui a ſuo judicio appellavit; quia appellatio non tollit ab ipſo poteſtatem abſolvendi, quam-

Digitized by Google

vis impediat poteſtatem ligandi: unde tollit vinculum, quod appellans per appellationem intendit excutere: ita Alterius lib. 4. diſp. 2. cap. 5. dub. 4.

Alia cauſa excuſans a cenſura eſt Impotentia ad actum juſſum.

VI. Tertia cauſa, excuſans ab incurrenda cenſura, eſt impotentia etiam moralis ponendi actionem ſub cenſura præceptam: ita Sotus in 4. diſt. 22. q. 1. art. 2. & alii cum ipſo: quia lex humana in tali caſu deſinit obligare, neque efficitur inobediens contumax: proinde qui non poteſt ſine gravi damno, & jactura longe majori v. gr. facere reſtitutionem, aut ſolvere penſionem juſſam ſub cenſura, excuſatur ab ea incurrenda. Qui vero debens ſub cenſura ſolvere intra menſem, & potens ſolvere circa initium menſis, prævidet in poſterum, ſe redditum iri impotentem, tenetur quamprimum ſolvere, alioquin incurreret cenſuram; quia aliter agendo, manifeſtat contumaciam ſufficientem ad cenſuram incurrendam, quam incurrit non ſtatim ac non ſolvit, ſed elapſo menſe.

Alia cauſa excuſans eſt metus gravis.

VII. Quarta cauſa excuſans, eſt metus gravis; cum enim excuſet ab implendis legibus humanis, multo magis ab incurrendis cenſuris, præſupponentibus contumaciam, quæ non adeſt in operante ex metu. Excipe caſum, in quo metus incuteretur in contemptum legis Eccleſiaſticæ, ſeu ipſius cenſuræ; quia tunc, ut pluries diximus, ex obligatione juris naturalis, teneretur abſtinere ab actu vetito ſub cenſura, etiam vitam amittendo; quia jus naturale obſtringit ad nunquam contemnendam legem ullam, quamvis minimam. Qui itaque v. gr. adulterium ex metu gravi committeret, puta ne amittat vitam, famam, ne vulneretur &c., peccaret quidem graviter contra caſtitatem, & juſtitiam, cenſuram tamen non incurreret adulterio adnexam, ſi adnecteretur. Ita etiam ſi quis jam excommunicatus, metu gravi adactus, celebret, ſacramenta miniſtret &c., non incurrit irregularitatem; quia Eccleſia in eo caſu non cenſetur obligare cum tanto onere, & præcipue ſi nequeat eas actiones omittere ſine ſcandalo &c.: ita Sotus loc. cit. a. 4. Navarrus c. 27. n. 339. Azorius 1. p. lib. 10. cap. 13. qu. 6. & alii.

Communis quidem Theologorum ſententia eſt, metum gravem cadentem in virum conſtantem a cenſura excuſare, ſi res, quæ fit ob talem metum ſit prohibita dumtaxat jure eccleſiaſtico, dummodo tamen metus non ſit incuſſus in contemptum poteſtatis eccleſiaſticæ. At concors non eſt illorum opinio, eumdem metum excuſare, ſi res quæ fit ex metu, non eccleſiaſtico ſolum, ſed divino, & naturali jure vetita ſit. Sunt enim, qui contendunt, in tali caſu cenſuram incurri. Lege Petrum Colet *Tract. de Cenſ. Part.* 1. *cap.* 4. *q.* 2.

VIII. Quinta cauſa excuſans eſt beneplacitum illius, in cujus favorem fuit lata cenſura: v.g. Titius obtinuit, ut Prælatus ſub cenſura jubeat Cajo ſolutionem ſui debiti cum Titio infra menſem; poterit Titius, juxta probabiliorem Suarez diſp. 3. ſect. 6. n. 8. & aliorum, contra Navarrum & alios, protrahere terminum menſis ad annum, quin Cajus incurrat. Ratio mihi evidens: nam poteſt Titius remittere integre debitum, ut nemo inficiatur; in quo caſu cenſuram non incurrit Cajus non ſolvendo; ergo etiam poterit prorogare terminum, quia tota ratio vigoris cenſuræ eſt juſtus favor Titii; ſicut igitur quando cedit huic favori remittendo debitum, Cajus non incurrit; ita neque quando cedit protrahendo. Si objicias, quod hoc eſſet ſuſpendere cenſuras: Reſpondeo, id non eſſe ſuſpendere directe, & poteſtative, ſed indirecte, & ſubtrahendo materiam cenſuræ, quæ materia ſubeſt dominio Titii.

Altera cauſa excuſans, beneplacitum alterius.

§. VIII. *De abſolutione generatim a Cenſuris.*

Quis poſſit abſolvere a cenſura lata ab homine?

I. NEmini dubitandum, quod cenſura lata ab homine ſive per ſententiam generalem, ſive per ſtatutum particulare, poſſit abſolvi ab ipſo, a ſuo ſucceſſore, a ſuo ſuperiore in juriſdictione, & a ſuo ſpecialiter delegato: ex capite *per tuas*; & ex capite *Sacro* de ſent. excom. Ratio de ſe patens. Nota pro delegato, quod expirato termino ſuæ delegationis, ceſſat in eo abſolvendi poteſtas; hoc autem tempus comprehendit etiam caſum, in quo conceſſiſſet reo tempus ad reſipiſcendum, puta ſi infra annum id non præſtiteris; & ipſe intra annum præſtet, poterit a delegato abſolvi, non autem elapſo anno: ita ex capite *Quærenti* de officio delegati, & ita poſt Suarez diſp. 7. ſect. 2. n. 7. & Alterium lib. 4. diſp. 2. docent alii. Hinc, mortuo Epiſcopo, poteſt excommunicatus ab ipſo abſolvi a Capi-

Capitulo, quod ſuccedit in juriſdictione Epiſcopi, donec eligatur ſucceſſor: ex capite *de obedientia*, in 6. & ita mortuo Pontifice, poteſt ſummus Pœnitentiarius abſolvere a caſibus Pontificiis, ſicut poterat antea: ex Clementina *ne Romani* de Electione. Hinc etiam deducitur, quod mortuo ſuperiore, qui intulit cenſuram, hæc perſeveret, ex capite *ſi Epiſcopus* 11. qu. 3. & ex capite *Paſtorali* §. *præterea* de officio Ordinarii.

Quis a cenſuris non reſervatis latis per ſententiam generalem Epiſcopi?

II. A cenſura non reſervata, lata ab Epiſcopo per ſententiam generalem, poteſt jure communi abſolvere, quicunque poteſt abſolvere a peccatis mortalibus: ex cap. *Frequentibus* de Inſtitut. & ex cap. *Nuper* de ſentent. excom., niſi forte in aliqua diœceſi eſſet vetitum, ne confeſſarii ab hujuſmodi cenſuris abſolvant, ſed de licentia ſpeciali Ordinarii. Hinc ſi aliquis irretitus cenſura dicto modo lata, alio transferret domicilium, poteſt a quolibet confeſſario abſolvi: ſecus dicendum, ſi eſſet irretitus per ſententiam particularem contra ſe latam; quia tunc abſolutio ſpectat ad tribunal, a quo fuit illata.

Quis a cenſuris juris communis nemini reſervatis?

III. Similiter a cenſuris juris communis nemini reſervatis poſſunt abſolvere omnes confeſſarii approbati; quia quando Pontifex illas nemini reſervat, cenſetur concedere facultatem abſolvendi ab illis cuilibet legitimo confeſſario: ita ex conſuetudine ubique jam obtinente.

Cenſura nunquam ceſſat ſine abſolutione.

IV. Quamvis reus cenſura ligatus emendetur, non ideo in foro conſcientiæ ceſſat cenſura, quæ perdurat quouſque a legitima poteſtate abſolvatur: ita ex damnatione theſis 44. ab Alex. VII. facta; in qua dicebatur: *Quoad forum conſcientiæ, reo correcto, ejuſque contumacia ceſſante, ceſſant cenſuræ.*

Quomodo impertienda abſolutio a cenſura?

V. Abſolutio a cenſura per quælibet verba, aut ſigna externa ſufficienter manifeſtantia valide impertitur. Obſervanda tamen eſt formula in Rituali expreſſa. Valide impertiri poteſt etiam abſenti, indiſpoſito, immo invito; eo quod ſit pœna, cujus ſublatio unice pendet a voluntate poteſtatem habentis abſolvendi. Ut autem licite impendatur, danda eſt præſenti, ſi fieri poſſit, & aliquo modo diſpoſito, ſaltem per ſeriam voluntatem non amplius patrandi delictum cenſura affectum; niſi forte abſolveretur, ne deterior evaderet.

Abſolutus ab una cenſura non abſolvitur ab aliis.

VI. Abſolutus ab una cenſura, neque abſolvitur ab aliis diverſæ ſpeciei, neque ab aliis ejuſdem ſpeciei; ſi illas incurrerit ob diverſa crimina, quibus fuerunt adnexæ: ex cap. 27. de ſent. excom.; quia nullam inter ſe invicem connexionem habent; hinc qui pluries v. g. percuſſit eumdem Clericum, vel plures Clericos, id explicare debet; & ab omnibus illis excommunicationibus abſolvi.

Caſus reſolvitur.

VII. Qui confeſſus fuit peccata ſua Confeſſario habenti facultatem ſuper tali cenſura, & oblitus fuit invincibiliter fateri illud peccatum tali cenſura affectum; poteſt cenſeri abſolutus ab illa cenſura; quia Confeſſarius in abſolutione a cenſuris, quam præmittit Sacramentali, abſolvit pro quanto poteſt; (quod regulariter non verificatur de reſervatione, ut diximus ſuo loco) tenetur tamen, cum meminerit, peccatum illud fateri, ut directe abſolvatur, ut dictum fuit de Sacramento Pœnitentiæ. Si autem ab illa cenſura non potuiſſet abſolvi, niſi poſt ſatisfactionem partis læſæ, probabilius eſt, quod non fuerit ab illa abſolutus; quia non cenſetur Confeſſarius voluiſſe abſolutionem impertiri quam licite impendere non poterat.

Alter caſus reſolvitur.

VIII. Ille qui in foro tantum conſcientiæ abſolutus fuit a cenſura notoria, adhuc tenetur in foro externo ſe gerere ut cenſura affectum, donec in foro externo abſolvatur; tum propter evitandum ſcandalum; tum ne violetur jus Tribunalis Eccleſiaſtici; unde quouſque ab hoc abſolvatur, poteſt compelli ad luendam pœnam cenſuræ adnexam.

Cenſuræ abſolutio extorta injurioſe non valet.

IX. Abſolutio a cenſura, extorta a Superiore per metus incuſſionem, aut alio modo graviter injurioſo, eſt nulla, quamvis etiam non extorqueatur a reo, ſed ab alia tertia perſona: immo qui illam ita extorquet, incidit in excommunicationem ex capite unico *de iis quæ vi* in 6.: & ſimiliter ſi extorqueatur per fraudem, dolum, &c. verſantem circa motivum finale cenſuræ, eſt nulla, quia deeſt voluntas abſolvendi, quæ ſubſiſtere non poteſt, ſubſiſtente realiter motivo finali cenſuræ.

Quid de abſolutione requirente ſatisfactionem partis?

X. Abſolvens poteſtate ordinaria (nota bene) poteſtate ordinaria a cenſuris, antequam ſatisfactum fuerit parti leſæ, dum hæc potuit ſatisfieri, valide abſolvit: ita communis ex capite *Venerabilem* §. *ſane* de ſentent. excom.; quia habens poteſtatem ordinariam, poteſt illa uti independenter ab omni conditione; peccat tamen graviter, ita abſolvendo, nedum contra charitatem, ut docent omnes, verum et-

iam contra juſtitiam , ut docent multi ; quia ex officio ſuo tenetur procurare redintegrationem partis læſæ . Qui autem abſolvit poteſtate ſibi delegata, ſi eam habeat abſque ulla limitatione , agendo dicto modo, valide abſolvit & ipſe , ſed illicite , ob allatam rationem ; ſi vero eam habeat cum limitatione, nempe cum conditione ut ſatisfiat parti læſæ, tunc examinanda erunt verba, quibus ipſi delegatur poteſtas ; ſi enim verba ſignificent conditionem ſine qua non, v. g. non poſſit dari abſolutio, nullius ſit valoris &c., niſi ſatisfiat læſa pars, niſi redintegretur &c., tunc proculdubio eſſet invalida abſolutio, niſi ſatisfiat parti læſæ , ſi hoc fieri poſſit; nam ſi hoc fieri non poſſit aut abſolute, aut ſine gravi damno , cui non ſubjacet pars læſa; tunc poſſet dari abſolutio , & differri redintegratio ad tempus magis opportunum: quod ſi pars læſa vel majori, vel æquali damno ſuccumberet , tunc reus ſatisfacere debet , neque beneficio abſolutionis frui, niſi reſarciat partem læſam. Si autem verba non ſignificent poteſtatem limitatam ſub dicta conditione ; ſed dumtaxat injungant præceptum , aut monitionem de ſatisfacienda parte ; tunc valide quidem , ſed illicite impertiretur abſolutio, antequam pars læſa redintegretur, ſi hæc redintegrari potuerit ante abſolutionem. Si demum verba ſint æquivoca ; puta : concedimus facultatem abſolvendi, ſatisfacta parte; tunc videtur probabilior opinio Cajetani verbo abſolutio, Sayri lib. 2. cap. 18. num. 10., Suarez diſp. 4. ſect. 5. num. 44. & aliorum, hujuſmodi verba facere ſenſum conditionatum , & limitantem facultatem conceſſam; tum quia hic ſenſus eſt conformior juri; tum quia concedens credendus eſt, prudentia dirigente voluiſſe dicto modo concedere.

Quid, quando necceſſitas aliter fieri poſtulet, vel alia circumſtantia emergat?

XI. Quando neceſſitas poſtulat , ut detur abſolutio ante ſatisfactionem partis , debet abſoluturus exigere a reo cautionem pignoratitiam, vel fidejuſſoriam, vel ſi aliud haberi nequeat, juramentum, de ſatisfacienda parte , quamprimum poterit. Si autem pœnitente ſatisfactionem offerente, pars læſa recuſet illam ; tunc abſolvendus eſt; quia non ſtat per ipſum, quominus ſatisfactio ſequatur . Si tandem dubitetur, an pœnitens teneatur ſatisfacere partem; tunc diſtinguendum eſt : nam ſi hoc dubium ſubſiſtat etiam in foro externo, juxta Navarrum cap. 26. num. 7., Suarez diſp. 7. ſect. 5. num. 4., & alios, poteſt in foro externo abſolvi ; ſi vero dubitatio contingat etiam in foro conſcientiæ, tunc ſi Confeſſario appareat , ipſum teneri, non debet abſolutionem dare, niſi ſatisfacta parte ; quia tenetur agere juxta conſcientiam rationabiliter formatam: ſi vero etiam ipſe dubitet ; poterit illum abſolvere ; cum juxta regulam juris : in dubio potius favendum eſt reo, quam actori . Vide laudatos Doctores.

* Quæres hic, quem effectum pariant, & quantæ virtutis ſint abſolutiones generales a cenſuris, quas nonnunquam Subditis ſuis impertiuntur Prælati Regulares?

Reſp. has eſſe in multiplici differentia; quippe aliæ ſunt , quas Prælati Regulares in fine viſitationis , & in quibuſdam anni ſolemnitatibus dant ſuis ſubditis Religioſis ; aliæ , quas præſidentes electionum tribuunt ante electionem. Primæ cadunt ſuper Excommunicationibus, Suſpenſionibus , & Irregularitatibus , quas ſubditi forte ignoranter contraxerunt , vel obliti ſunt, ita ut ſi poſtea meminerint, & cognoſcant, ſe aliquam cenſuram , vel pœnam reſervatam incurriſſe , non teneantur amplius pro abſolutione ab illis cenſuris , vel pœnis recurrere ad Superiorem facultate præditum , ſed ſatis ſit, quod confiteantur communi Confeſſario peccata , ob quæ illis irretiti fuere ; nam peccata illa, ut ſupponitur , erunt dumtaxat reſervationi obnoxia ratione Cenſuræ , qua ſublata , ceſſat reſervatio peccati . Hæ tamen abſolutiones non ſunt *Sacramentales*, nec per eas quis abſolvitur a culpa, cum tunc non fiat confeſſio ſpecifica peccatorum , ſed ſunt quædam abſolutiones deprecativæ, per quas ſubditi abſolvuntur *ab omnibus Cenſuris , & a pœna debita pro peccatis jam quoad culpam dimiſſis, adhuc in hac, vel altera vita exſolvenda*. Legatur P. Lucius Ferraris *V. Præſ. Regul. n.* 67. qui *num. ſeq.* 68. enixe deprecatur & ſerio monet Prælatos omnes Regulares ad has generales abſolutiones ſuis ſubditis impertiendas diebus omnibus, & Feſtivitatibus , quibus id eis eſt a Sede Apoſtolica per ſpecialia privilegia conceſſum , ne tanto ſpirituali bono fraudentur.

Animadvertendum autem cum Paſſerino *de Elect. canon. cap.* 26. *n.* 119. quod hujuſmodi abſolutiones , ſicut & diſpenſationes ab irregularitatibus, cum ſint datæ cauſa

non

Digitized by Google

non cognita, nec parte audita, nec ſerviant ad exemplum externum, & emendationem aliorum, dantur, ut valeant pro ſolo foro conſcientiæ, & iis non obſtantibus poteſt delictum abſoluti deduci ad forum contentioſum, & de eo cognoſci, & poteſt delinquens excommunicatus denunciari, & debet iterum abſolvi, cum abſolutio pro foro conſcientiæ non valeat pro foro contentioſo.

Abſolutio vero, quæ datur a Præſidentibus electionum ante electionem capitularem cadit ſuper Cenſuras, & Irregularitates, quæ poſſunt eſſe impedimentum inhabilitatis alicujus, ad electionem, ſeu ut eligere, & eligi poſſit. Talis autem abſolutio non ſe extendit ad cenſuras, & Irregularitates, ad quas non ſe extendit facultas abſolventis. Quare ſi quis Religioſus eſſet aliqua cenſura ligatus, a qua Præſes Capituli non poſſet abſolvere, tunc ipſe non eſſet abſolutus; & ſic non poſſet in dicta Capitulari electione eligi, aut eligere. Item talis abſolutio non prodeſt abſentibus; etſi namque abſolutio ab excommunicatione dari poſſit etiam abſentibus per litteras, ut communiter cenſent Doctores; hæc tamen ad præſentes dumtaxat dirigitur. Inſuper talis abſolutio datur pro determinato tempore, ſeu pro tempore electionis *& ad effectum electionis faciendæ*; cum detur ad cautelam, ne ex titulo cenſurarum poſſit poſtea electio alias valida, impugnari. Quamobrem completa electione, ſeu tranſacto tempore electionis, Capitulares, qui aliqua cenſura erant innodati, in eamdem reincidunt; unde ut Electus valeat deinde officium exercere, opus eſt, ut abſolutionem petat a Sacra Pœnitentiaria. Quippe abſolutio, quæ a Præſide tribuitur, hunc dumtaxat præſtat effectum, quod poſſit canonice eligi; non autem quod valeat officium, ad quod electus eſt, exercere. Immo ex vi talis abſolutionis ante electionem datæ, excommunicatus v. g. nec poterat, vel poteſt divinis intereſſe, aut alia facere excommunicatis interdicta.

Caſtellin. *cap.* 13. *num.* 19. putat, hujuſmodi abſolutionem non valere etiam pro determinato effectu, ſi cenſuræ v. g. excommunicationis præceſſerit aliquis rumor, vel inſtantia, vel juridica oppoſitio. Et de inſtantia quidem juridica, ſeu oppoſitione id eſt certum. Siquidem parte inſtante, & opponente nequit judex abſque injuſtitia abſolvere reum, contra quem opponitur cenſura, ſed via juris debet contra illum procedere; „ ſed quod ſufficiat „ ait Paſſerinus *loco cit. num.* 118. rumor „ aliquis non juridicus, ad hoc ut cenſura „ ligatus non ſit capax illius abſolutionis, „ tunc cum nullus inſtat, vel opponit, non „ video unde ſit fundatum; cum cenſura „ ex illo rumore non deſinat eſſe occulta. „ Et quamvis eſſet publica, Prælatus pro „ foro conſcientiæ poſſet abſolvere, & ad „ effectum tollendi inhabilitatem excom„ municati; alias parte non opponente, „ nec inſtante.“

CAPUT II.

DE CENSURIS IN PARTICULARI; ET PRIMO DE EXCOMMUNICATIONE.

§. I. *De Notione, & diviſione Excommunicationis: necnon de primo Excommunicationis Majoris effectu, quoad Suffragia Eccleſiæ communia.*

I. Excommunicatio in genere eſt cenſura Eccleſiaſtica, qua homo baptizatus privatur reſpective bonis communibus Eccleſiæ, dependentibus a poteſtate, & diſpenſatione ejuſdem. Dividitur in eam, quæ eſt ferendæ ſententiæ, ſeu comminatoriam, & in eam, quæ eſt latæ ſententiæ, ſeu effectivam; quod jam habes explicatum in capite antecedente §. 1. n. 4. Dividitur præterea in majorem, & minorem; major privat omnibus indicatis bonis communibus Eccleſiæ, quæ numero ſequenti indicabuntur; minor privat dumtaxat aliquibus bonis communibus Eccleſiæ, nempe receptione, & adminiſtratione licita Sacramentorum, & electione paſſiva ad dignitates, & beneficia Eccleſiaſtica; & contrahitur plerumque ob peccatum veniale, nempe culpabiliter communicando etiam in civilibus cum excommunicato vitando: de qua fuſe diſſeretur ſuo loco: quinam autem ſint vitandi, dicetur, dum agemus de excommunicatione minori in §. 9. Quid ſit Excommunicatio, & quotuplex?

Digitized by Google

Effectus ſummarii excommunicationis Majoris.

II. Cum itaque excommunicatio major privet excommunicatum; 1. communibus Eccleſiæ ſuffragiis; 2. participatione tam paſſiva, quam activa Sacramentorum; 3. Sepultura Eccleſiaſtica, & ſacris functionibus; 4. capacitate ad officia, beneficia, & dignitates; 5. juriſdictione Eccleſiaſtica, voceque activa & paſſiva; 6. communicatione civili cum fidelibus; 7. etiam communicatione judiciali, & forenſi; 8. impetratione gratiarum, & retentione obventarum in eo ſtatu: idcirco quoad primam privationem, de qua diſſerimus in præſenti, obſervandum eſt, quod Eccleſiæ ſuffragia communia dicuntur illa, quæ ab Eccleſiaſticis perſonis offeruntur tanquam ab Eccleſiæ miniſtris pro populo fideli; & ſunt Sacrificia, Horæ Canonicæ, publicæ Supplicationes, Proceſſiones, & alia his ſimilia, quibus perſonæ Eccleſiaſticæ Deum deprecantur nomine Eccleſiæ, ac in perſona ejuſdem. Suffragia autem privata, ſunt illa, quæ quilibet fidelis etiam Eccleſiaſticus offert Deo, non ut Eccleſiæ miniſter, neque Eccleſiæ nomine, ſed pio privato ſuo inſtinctu: hujuſmodi ſunt preces privatæ, eleemoſinæ, jejunia &c. Hæc autem inter ſuffragia communia, & ſuffragia privata eſt differentia, quod prima nedum habent valorem ex merito offerentis, ſed præcipue ex nomine Eccleſiæ, in cujus perſona offeruntur: ſecunda vero valorem, & efficaciam habent ex ſolo merito offerentis.

Primus effectus excommunicationis Majoris.

III. Excommunicatus itaque majori excommunicatione, primo privatur communibus modo explicatis Eccleſiæ bonis: ita ex capite *a nobis* de ſent. excom., itaut qui applicaret dicta Eccleſiæ bona, & ſuffragia excommunicato, peccaret mortaliter; immo, juxta plures, incurreret etiam excommunicationem minorem, quia communicaret cum illo communicatione vetita: excipiunt aliqui ſolum diem Paraſceves, in quo etiam Eccleſia ſolet pro illis ſupplicare: & hæc verificantur etiam de excommunicatis toleratis, & non vitandis, ut docet communior, contra Navarrum, & quoſdam alios; eo quod niſi hoc eſſet verum, tolleretur proprior effectus majoris excommunicationis, qui in tali privatione conſiſtit, tum etiam quia a Concilio Conſtantienſi, in quo fidit Navarrus, nil circa hoc diſcretum fuit inter vitandos, & non vitandos, quibus dumtaxat conceſſit commercium civile.

Quomodo celebrans orare poſſit pro excommunicatis?

IV. Sacerdos, agens ut miniſter Eccleſiæ, graviter peccaret, applicando Sacrificium Miſſæ pro excommunicato; non autem ſi ut perſona privata oret in *Memento* mentaliter pro reſipiſcentia excommunicati, ut docet Sotus in 4. diſt. 22. q. 1. art. 1. & cum eo plures alii; quia id non vetatur ab Eccleſia, cum ſit actus charitatis fraternæ; dum tantum vetat applicationem bonorum communium.

* Vide quæ ad rem hanc tradidimus ſupra *in Append. ad* §. 10. *cap.* 3. *tract.* 14.

§. II. *De ſecundo Excommunicationis effectu, quoad participationem Sacramentorum.*

Excommunicatus invincibiliter ſuſcipiens Sacramenta.

I. Excommunicatus invincibiliter ignorans, vel oblitus ſuam cenſuram, juxta communiorem & probabiliorem, & valide, & fructuoſe ſuſcipit Sacramenta; valide quidem, quia jam pro valore adſunt, ut ſupponitur, requiſita reſpective: fructuoſe etiam, quia non ponit obicem gratiæ, eo quod invincibiliter illum ignoret: & idem dicas, poſito quod invincibiliter ignoret, ſe non poſſe abſolvi a peccatis, quin prius abſolvatur a cenſura, ob eamdem rationem. Secus dicendum, ſi de hoc dubitaſſet; nam tunc tenebatur ſciſcitari a ſapientibus; & multo magis, ſi id ſcienter agere præſumeret: in utroque enim caſu ſacrilegium perpetraret, nullam tamen cenſuram incurreret: excipe Sacramentum Ordinis, quod ſi dicta dubia, aut mala fide ſuſcipiat, incurrit Suſpenſionem; & ſi Ordinem exerceat, etiam Irregularitatem. Si autem ſuſcipiat quodvis Sacramentum metu prudenti graviſſimi incommodi declinandi, excuſaretur juxta dicta in capite præcedenti §. 7. n. 7.

Sacerdos miniſtrans Sacramenta excommunicato.

II. Sacerdos miniſtrans Sacramenta excommunicato non vitando, graviter peccat; quia præbet Sacramenta illi, quem ſcit, eſſe indignum, Eccleſiæ judicio: non tamen ullam cenſuram incurrit, cum in nullo jure inveniatur. Si vero miniſtret vitando, præter culpam gravem, incurrit excommunicationem minorem, ob communicationem cum eodem; item Interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, ex capite *Epiſcoporum* de privilegiis in 6.; item aliquando incurrit præterea excommunicationem majorem Papæ reſervatam ex capite *ſignificaſti* de ſent. excom. quæ eſt contra Clericos participantes in divinis officiis.

Digitized by Google

officiis, & a fortiori in Sacramentis cum vitando. Ut autem hæc excommunicatio incurratur, quinque exiguntur conditiones; 1. ut ſit perſona Clericalis; 2. ut ſciat illum eſſe excommunicatum a Pontifice; 3. ut participet ſponte, & ſine metu; 4. ut participet cum nominatim denunciato; 5. ut recipiat talem excommunicatum, admittendo illum ad officia Divina: quem ſi non admittat, ſed dumtaxat interſit cum illo divinis officiis, ut facerent alii de populo, non incurrit hanc cenſuram: videantur Navarrus c. 17. num. 93. & Suarez diſp. 10. ſect. 2. n. 9.

Sacramenta vitando miniſtrata.

III. Sacramenta adminiſtrata ab excommunicato vitando, quæ profluunt a poteſtate Ordinis ſunt valida, ſi adſint materia, forma, & intentio, ut ſupponitur; quia cum non poſſit privari charactere Ordinis, ita neque valore actuum ab eodem profluentium; quæ vero profluunt a poteſtate juriſdictionis, ſunt invalida; cum privetur omni juriſdictione: proinde Sacramentum Pœnitentiæ ab ipſo adminiſtratum, eſt invalidum, etiamſi illius cenſura a pœnitente ignoretur invincibiliter: qui cum id noverit, tenebitur confeſſiones illas repetere. Excipe caſum, ſi Confeſſio fieret in loco, in quo ignorabatur, ipſum eſſe excommunicatum, & in quo communi errore, & cum titulo colorato habebatur ut legitimus miniſter; quia tunc dicunt Vaſquez de excom. dub. 4. & Suarez diſp. 11. ſect. 2. num. 14., & Alterius lib. 1. diſp. 8. circa finem, & alii multi, eſſe validum; quia in talibus circumſtantiis Eccleſia ſupplet juriſdictionem: ipſe tamen excommunicatus vitandus adminiſtrando incurrit irregularitatem, ex capite *ſi quis Epiſcopus* 11. qu. 1. & ex capite *is cui* de ſent. excom.

Excipe etiam caſum extremæ neceſſitatis, nempe articuli mortis, in quo inſuper valide abſolvit excommunicatus vitandus, juxta ea quæ adjecimus *tract.* 14. *cap.* 4. §. 13. *num.* 1. Vide & quæ addita ſunt *tract.* 13. *cap.* 2. §. 3. *poſt.* *num.* 4.

Sacramenta adminiſtrata a non vitando.

IV. Sacramenta adminiſtrata a non vitando, ſeu tolerato ſunt valida; ut colligitur ex dictis: proinde Sacramentum v. g. pœnitentiæ adminiſtratum ignoranti illius cenſuram, eſt validum, & cum effectu: ſi autem recipiatur a ſciente illius cenſuram, & abſque ulla neceſſitate, probabilius eſt, pœnitentem illum graviter peccare, quia aut cooperatur illicitæ adminiſtrationi, ſi fuerit paratus miniſtrare: aut inducit ad illicite miniſtrandum, ſi non erat paratus: ita cum Navarro cap. 9. num. 10. Suarez diſp. 11. ſect. 4. plures alii: quis enim divinare poteſt, an a cenſura abſolutus fuerit? cum alioquin alius idoneus adiri poteſt.

§. III. *De tertio Excommunicationis effectu, quoad privationem Sacrarum functionum, & Sepulturæ Eccleſiaſticæ.*

I. Quicumque excommunicatus majori excommunicatione privatur facultate audiendi Miſſam, graviterque peccat, ſi illam audiat; niſi forte ad illam audiendam, aliqua neceſſitate compellatur; puta vitandi ſcandali &c.; & etiam, juxta Suarez diſp. 12. ſect. 1. num. 3., Miſſæ inſerviendi, ſi hæc nequeat ſine ſcandalo omitti; & non alius adſit qui inſervire poſſit. Audiens autem ſine neceſſitate, nullam cenſuram incurrit, neque ſi compellat coram ſe celebrari, dummodo ſit perſona laica; nam ſi ſit Sacerdos excommunicatus, & jubeat coram ſe celebrari, vel alia divina officia perſolvi, incurrit irregularitatem, ex capite *tanta* de exceſſibus Prælatorum: & ex capite *illud* de Clerico excommunicato miniſtrante. Si demum dum celebratur Sacrum, interveniat excommunicatus vitandus, qui admonitus a celebrante ut exeat, nolit diſcedere; novam incurrit excommunicationem reſervatam Pontifici; ita ex cap. *eos* de ſent. excom.

Excommunicatus non poteſt audire Miſſam.

* Eamdem excommunicationem incurrunt quicumque prohibent, ne excommunicatus nominatim denuntiatus exeat. Videatur P. Antoine *tract. de Cenſuris c.* 2.

II. Excommunicatus autem qui non procurat, quamprimum poteſt, abſolutionem a cenſura, eſt reus in cauſa omiſſionis Miſſarum non auditarum, ut docet probabilior, alioquin reportaret ſolutionem a debito præcepti ex iniquitate ſua; tenetur ergo tollere impedimentum, quod illum non diſpenſat, ſed impedit ab implendo præcepto. Si enim, etiam juxta adverſarios, eſt reus annuæ confeſſionis, & paſchalis communionis omiſſæ ob dilationem abſolutionis a cenſura, ſine motivo, cur non erit reus etiam Miſſarum non auditarum, ſaltem poſt aliquod tempus ab incurſa cenſura, puta poſt hebdomadam?

Illatio notabilis.

III. Audientes Miſſam ſcienter cum vitando, peccant mortaliter juxta communem

Audientes Miſſam

nem

ſam cum vitando. nem Doctorum, quia in Divinis participant cum eodem, & incurrunt excommunicationem minorem. Qui autem coram eo celebrat, præter lethale peccatum, incurrit etiam Interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ ex cap. *Epiſcopum* de privil. in 6. Et ſi celebret, vel actum Ordinis exerceat, dum eſt Interdictus, incurrit irregularitatem. Suarez diſp. 12. ſect. 2. Alterius lib. 1. diſp. 13. c. 2. m. alii.

Vitandus adſtans celebrationi vel officiis:

IV. Si ad Celebrationem, vel ad Divina officia interveniat vitandus, debet ſtatim moneri, ut diſcedat; ſi nolit, poteſt etiam compelli, quamvis eſſet Clericus; ſi autem neque compulſus diſcedat, ceſſandum eſt a divinis officiis, & a celebratione, ſi nondum facta fuerit conſecratio, quæ ſi fuerit facta, poteſt Sacerdos proſequi uſque ad ſumptionem incluſive, & ſtatim ab altari diſcedere, ſe recipiendo in alium locum, ut cætera compleat, alii vero adſtantes illi Miſſæ, debent inde exire, in quocunque ſtatu fuerit Miſſa: ita communis fere quoad ſingula capita. Si autem vitandus Eccleſiam ingrederetur non ad audiendam Miſſam, ſed dumtaxat ad tranſeundum, vel ad ſe recipiendum in locum ſecurum a perſequentibus illum, vel ad Eccleſiam curioſe conſpiciendam, vel etiam ad orandum ſeorſim in aliqua capella, dicit Suarez diſp. 12. ſect. 2. num. 16. cum aliis, neque Sacerdotem, neque adſtantes teneri diſcedere, quia reapſe in his caſibus illi non communicant in divinis: & ſimiliter dicendum, ſi feratur eo tempore cadaver vitandi in Eccleſiam, dummodo neque Sacerdos, neque adſtantes intendant ullo modo cum illo communicare: ita Bonacina de Excom. diſp. 2. q. 2. num. 14. & alii cum ipſo.

Quid de tolerato?

V. Quæ hactenus diximus contra vitandum, non ſunt applicanda tolerato ſeu non vitando: peccat tamen ipſe mortaliter, aſſiſtendo divinis officiis, quia privatur hoc jure cap. 15. de ſent. excom. Nomine autem divinorum officiorum, præter Miſſæ auditionem, intelliguntur Horæ Canonicæ, Orationes publicæ, Proceſſiones, Benedictiones ſolemnes, Cantus ſolemnis Epiſtolæ, aut Evangelii, aliaque hujuſmodi, quæ ex Eccleſiæ inſtituto publice, aut ſolemniter celebrantur. Tenetur tamen excommunicatus perſolvere Horas ſolus, & ſine ſocio, ſi ad eas teneatur, ex capite *excommunicatus* 11. quæſt. 2. neque dicat Dominus vobiſcum, ſed Domine exaudi orationem &c. Neque poteſt ſe tergere Aqua luſtrali, quæ cum ſit quoddam Sacramentale, habet valorem ex meritis Eccleſiæ; quibus omnibus privatur excommunicatus: ita Navarrus cap. 27. nu. 17. poſt quem Suarez & alii. Poſſunt tandem excommunicati tam vitandi, quam tolerati intereſſe Concioni; tum quia concio non venit ſub nomine officiorum divinorum; tum quia concio eſt opus tendens ad illorum emendationem; ita Navarrus loc. cit. n. 36. & communiter.

* Utique, ut adnotant Doctores communiter, quando excommunicatus Horas canonicas recitat, debet omittere ſalutationem, *Dominus vobiſcum*, & loco illius dicere, *Domine exaudi orationem meam*; adeout ſi ſit Sacerdos, aut Diaconus, dicendo *Dominus vobiſcum*, irregularis fiat, ut advertit Navarrus cum communi ſententia *lib. de Orat. cap.* 7. *num.* 16. quia juxta uſum Eccleſiæ ille verſiculus a ſolis Sacerdotibus, vel Diaconibus dici poteſt, & per ſe fert perſonam publicam. Hoc, ſubdit Suarez *diſp.* 12. *ſect.* 2. *n.* 13., limitandum eſt, niſi intercedat excuſatio a culpa: hæc enim irregularitas, quæ eſt pœna, non incurritur niſi propter culpam, ut ratio pœnæ poſtulat: & ſignificatur in *cap. penult. de ſentent. excomm.* Et quoniam illa pœna gravis eſt, cenſeo non incurri ſine culpa mortali. In hoc ergo poteſt facile excuſari culpa mortalis ex inadvertentia cum levi negligentia: item ſi fiat ex quadam verecundia ſine contemptu, licet fiat advertendo, ex levitate materiæ poteſt eſſe venialis culpa, quia eſt actio valde privata, & nihil fere offendens Eccleſiam. In his ergo caſibus non incurretur irregularitas. Legatur Bonacina *de Excomm. diſp.* 2. *qu.* 2. *punct.* 3. §. 1. *num.* 6. qui cum aliis abſolute non admittit excommunicatum in tali caſu incurrere irregularitatem; nam, *inquit*, parvitas materiæ, ſicut excuſat a mortali, ita videtur excuſare ab irregularitate, quæ impoſita eſt ob peccatum mortale.

Quando res ſacra non habet alium uſum niſi ad lucrandam indulgentiam, vel Eccleſiæ deprecationem ſibi applicandam, tunc non poſſe excommunicatum licite uti hujuſmodi re, ſentiunt aliqui relati a Suarezio *loc. cit. ſect.* 3. *in Corollario*, quia ſe immiſcet Eccleſiaſticæ communioni, & vult eſſe particeps ſuffragiorum Eccleſiæ, quibus eſt privatus, cum in ea re nullus alius uſus inveniatur. Hujuſmodi videtur eſſe uſus aquæ benedictæ; nam in eo nul-

la

Digitized by Google

ſa alia religio aut cultus fingi poteſt. Quod quidem verum cenſeo, *ſubdit* Suarez, ſi actum illum ſub hac propria ratione, & intentione conſideremus. Veruntamen hoc etiam pendere poteſt ex perſonali intentione operantis, qui ſuppoſito uſu illius aquæ, poteſt illa uti tanquam memoriali quodam, quo ad actum pœnitentiæ excitetur; & quia illam jam apprehendit ut rem quandam ſacram, poteſt in quendam Dei cultum ſe illa aſpergere. Et ad hunc modum nulla erit res ſacra, quæ non poſſit habere aliquem ſtudioſum uſum quaſi perſonalem, ut ſic dicam, qui excommunicato licitus ſit, quamvis principalis uſus ejus, propter quem primario eſt inſtituta, ſit alius pendens ex participatione communium bonorum ſpiritualium Eccleſiæ, quibus excommunicatus privatus eſt.

Quid quoad ſepulturam? VI. Excommunicatus, obiens ante abſolutionem a cenſura, quamvis contritus, privatur Eccleſiaſtica ſepultura in loco, ad cadavera fidelium recondenda deſtinato, & benedicto, puta in Eccleſia, Cæmeterio, vel alio conſimili: quod ſi eſſet vitandus, graviter peccaret illum ſepeliens; ſi toleratus, non peccaret graviter; quia grave præceptum Concilii Conſtantienſis loquitur de vitando. Per ſepulturam vitandi polluitur Eccleſia; a qua ſunt & oſſa, ſi cognoſci poſſint, ejicienda: ex capite *Sacris* de Sepulturis. Sepeliens autem ſcienter vitandum in loco ſacro, præter peccatum mortale, ut dixi, incurrit etiam excommunicationem, a qua non poteſt abſolvi, niſi antea ſatisfecerit ad arbitrium Epiſcopi: ita ex Clement. I. de ſepulturis. An autem, ut cenſuram incurrat, requiratur quod propriis manibus ſepeliat? Cajetanus verbo excom. capite 46. Navarrus c.27. n. 137. & alii plures affirmant: Suarez loc. cit. ſect. 5. Alterius lib. 1. diſp. 14. c. 3. & alii negant, ſed ſufficere dicunt, quod mandaverit: videtur hæc probabilior; qui enim per alium facit, per ſeipſum facere videtur.

§. IV. *De quarto effectu Excommunicationis reſpectu Beneficiorum, & fructuum inde perceptorum.*

Quomodo & quibus in caſibus I. PRæſentatio, Reſignatio, Electio, Permutatio, & quæcumque alia proviſio, etiam ſolius penſionis clericalis, facta pro excommunicato, quamvis tolerato, eſt nulla: ita ex pluribus canonibus, & præcipue ex cap. *Poſtulaſtis* cap. 7. de Clericis excom. proinde non poteſt percipere, neque retinere fructus beneficii. Et hoc verum eſt, quamvis ignoret invincibiliter ſuam excommunicationem, ut tenet communior, & probabilior contra Navarrum, & alios nonnullos: quia tametſi non peccet ob invincibilem ignorantiam, invalide tamen recipit ob defectum requiſitæ diſpoſitionis, & habilitatis, quæ eſt immunitas a cenſura; neque aliter intendit Pontifex ut beneficia conferantur. Videri poteſt Suarez tom. 5. diſp. 13. ſect. 1. Si vero ſit innocens, non privatur beneficio: cum Eccleſia nolit innocentem punire: quod ſi in foro probetur legaliter reus, debet ſe gerere ut talem; quoſque per appellationem innocentiam ſuam innoteſcere faciat. Si demum ignorantia invincibili accepit beneficium, & triennio bona fide illud poſſederit, Navarrus, Garzia, & alii a Bonacina citati diſp. 2. q. 2. punct. 6. num. 2. affirmant, poſſe illud retinere; cum a jure ſoli ſimoniaci, & intruſi priventur juvamine triennalis poſſeſſionis; igitur non comprehenduntur excommunicati: contrarium tamen docent Rebuffus, Alterius, & alii citati a Bonacina ibidem. — excommunicatio nullam reddat collationem beneficiorum?

Alii caſus enodantur. II. Sed an illa quæ hactenus diximus de Præſentatione, Reſignatione, Electione, & Permutatione, debeant verificari etiam de Acceptatione, diſcrepant Doctores: Suarez diſp. 13. ſect. 1. n. 17. & diſp. 15. ſect. 2. n. 15. cum nonnullis docet, quod quamvis non fuerit excommunicatus quando fuit electus &c. ſi ſit excommunicatus cum acceptat, totum ſit irritum. E contra Sayrus lib. 2. cap. 5. num. 11. & alii apud Bonacinam loc. cit. punct. 3. n. 9. ſuſtinent validam eſſe acceptationem; idque confirmant præcipue ex deciſione Rotæ, quam citat Covarruvias in cap. *Alma mater* 1. p. §. 7. num. 4. notabil. 11. eo quia jura quæ annullant electionem, collationem &c. factas excommunicato, nil loquatur de Acceptatione; & multo minus de Apprehenſione beneficii: Secus autem dicendum, ſi dum fuit præſentatus, electus &c. erat excommunicatus, & abſolutus ſolum quando acceptat; quia juxta axioma legale: quod ab initio fuit invalidum, tractu temporis non convaleſcit: Rationem addunt; eo quod Beneficium retineri nequeat, ſine titulo; titulus autem præſentationis, electionis &c. fuit invalidus, quia excommuni-

Digitized by Google

municato, & inhabili collatus: igitur invalide acceptatur.

Satisfit quæſito emergenti.

III. Quid igitur agendum illi, qui fuit præſentatus, electus &c. dum erat excommunicatus? debet petere abſolutionem: & iterum præſentari, eligi &c. itaut Beneficium, Penſio &c. ipſi denuo conferatur ab habente facultatem circa illud. Opportune autem monet Bonacina loc. cit. n. 12. excommunicatum, qui cum tali vinculo obtinuit beneficium, cujus collatio tunc pertinebat ad Epiſcopum, non poſſe obtinere diſpenſationem retinendi beneficium ab Epiſcopo, ſi perſeveraverit in excommunicatione uſque ad menſem illum, in quo collatio beneficii pertinet ad Pontificem; eo quod procurare debet, ut ab eo ſibi conferatur beneficium, ad quem tunc ſpectat hujuſmodi collatio: uſu tamen receptum eſt, ut collatio in foro conſcientiæ obtineatur a Sacra Pœnitentiaria, dummodo delictum ſit occultum.

Monitum valde notabile.

Satisfit alteri quæſito.

IV. Sed adhuc interrogabis: quomodo interea ſe gerere debet excommunicatus occultus, cui conferendum eſt ſubito beneficium? numquid tenebitur ſe prodere excommunicatum? Reſpondent Suarez diſp. 13. ſect. 1. num. 11. & alii apud ipſum, quod poteſt ſe alio honeſto titulo excuſare, ſi poſſit; quod ſi non poſſit, & alioquin ex manifeſtatione ſuæ cenſuræ immineat ſcandalum, aut infamia, non teneatur ſe manifeſtare, & poſſit acceptare beneficium, petendo quam primum abſolutionem, & revelando Superiori motivum removendi ſcandalum, aut infamiam; quæ ut declinaret, compulſus fuit acceptare; nam lex humana cum onere adeo gravi non obligat: ſi autem ex ſui manifeſtatione hæc mala non imminent, ſe manifeſtet. Ex dictis apparet, quomodo præſentatus, electus &c. dum erat excommunicatus, nequeat retinere fructus beneficii, quod ſuum non eſt.

Beneficiarius incidens in excommunicationem.

V. Beneficiarius, qui poſt obtentum beneficium incidit in excommunicationem, privatur fructibus beneficii correſpondentibus tempori, quo in cenſura permanſit: ita communis: an vero privetur ipſo facto, an poſt ſententiam judicis? probabilius videtur, quod ipſo facto: nam Canon in cap. 53. de appellationibus, dicit: Quod *Illi excommunicato proventus Eccleſiaſtici merito ſubtrahuntur, cui Eccleſiæ communio denegatur*. Quandoquidem ly *ſubtrahuntur* ſignificat factum ex vi cenſuræ, & non mandatum de imponenda illa pœna; tum etiam quia hæc privatio fructuum beneficii æquiparatur in canone privationi communionis Eccleſiæ, quæ proculdubio incurritur ipſo facto. Hanc tenent plures graves Auctores. Covarruvias lib. 3. variorum c. 13. num. 8. Suarez diſt. 13. ſect. 2. n. 4. Sayrus lib. 2. cap. 5. num. 15, Henriquez lib. 13. n. 4. Ugolinus tabula 2. cap. 12. Meneta de diſtribut. part. 2. q. 13. n. 22. Alterius lib. 2. diſp. 6. cap. 8. Reginaldus lib. 32. n. 56. & alii, contra Bonacinam, & alios ab ipſo relatos loc. cit. punct. 4. §. 2. n. 2.

§. V. *De quinto Excommunicationis effectu, privandi Actibus juriſdictionis.*

Geſta ab excommunicato vitando;

I. Geſta ab excommunicato vitando, & agente ex officio, & uſu ſuæ juriſdictionis, ſunt invalida; quia ex pluribus canonibus privatur ſua juriſdictione. Excipitur caſus, in quo Pontifex eligatur a Cardinalibus excommunicatis, ex Clementina *Ne Romani* de elect. in 6. Conſulto dixi ſuæ juriſdictionis, quæ ſit proprie talis, quia actus qui non ſunt juriſdictionis proprie talis, validi ſunt: ita valide aſſiſteret matrimonio Parochus vitandus; quia iſte non eſt actus juriſdictionis, ſed meri teſtis, ut dictum fuit tract. 14. cap. 7. §. 8. num. 5.; peccarent tamen mortaliter ipſe, & contrahentes eum adhibentes, & incurrerent excommunicationem minorem.

Vide adjecta ſuperius, nempe *tract.* 14. *cap.* 7. §. 8. *poſt. num.* 5.

Geſta ab excommunicato non vitando.

II. Actus juriſdictionis excommunicati non vitandi ſunt validi; quia cum Eccleſia illum toleret, nec vetet, cum illo communicare in rebus ſacris, infertur, quod illum non expoliet ſua juriſdictione: illicite tamen mortaliter agit, ut patet. Cum autem communicare cum illo concedatur, non in ſui favorem, ſed aliorum, ut conſtat ex Extravaganti *ad evitanda*; propterea poteſt dari exceptio contra actus juriſdictionis ab eo elicitos, ſi quis nolit ſecum communicare: unde ſi excommunicatus velit concurrere ad ſuffragium dandum in aliqua electione, poteſt repelli ab aliis: ſicuti etiam Epiſcopus, vel alius Superior, ad quem ſpectat confirmatio electionis, poteſt illam rejicere, ſi excommunicatus interfuerit, ac ſi facta non fuiſſet: ex capite de exceptionibus in 6.

Illiationes ex-

III. Hinc infertur, ſententiam latam a tolera-

Digitized by Google

dictis reſpectu excommunicati tolerati.

tolerato validam eſſe, donec contra ipſam excipiatur: ſicuti etiam Sacramentum Pœnitentiæ ab eo adminiſtratum validum eſſe; & ſimiliter validas eſſe leges ab eo latas, diſpenſationes in votis, conceſſiones indulgentiarum, cenſuras latas, collationes beneficiorum, præſentationes &c. Item facultas adminiſtrandi Sacramenta aliis conceſſa ab Epiſcopo excommunicato tolerato, antequam fieret vitandus, perſeverat in illis: quia ſicut dicta facultas non expirat per mortem concedentis, ita neque per lapſum in excommunicationem non vitandam, ita Sayrus lib. 1. c. 11. n. 11. Sotus diſt. 18. q. 4. a 3. Avila 2. part. c. 6. diſp. 6. dub. 4. & alii. Vicarius Generalis Epiſcopi, qui acceperat juriſdictionem illam amittit ſtatim, ac Epiſcopus evadit excommunicatus vitandus; eo quod ſit unum & idem Tribunal, neque detur appellatio a Vicario ad Epiſcopum: unde etiamſi cauſa aliqua inchoata jam eſſet, res manet infecta, nec Vicarius proſequi illam poteſt: ex capite *Romana* de offic. Vicar. in 6. Non autem res maneret infecta, ſi cauſa jam eſſet inchoata apud Vicarium foraneum, quia non eſt idem Tribunal cum Epiſcopo; ſed datur appellatio ab illo ad iſtum.

§. VI. *De ſexto Excommunicationis effectu, privandi Communicatione Civili.*

Qualiter peccet toleratus?

I. EXcommunicatus toleratus ſponte ſe ingerens ad tractandum civiliter cum aliis fidelibus, plerumque peccat tantum venialiter; quia in re levi deobedit Eccleſiæ jubenti, ne communicet, in capite *nuper*, & in cap. *ſi aliquando* de ſent. excom. ita communis; quando autem a fidelibus invitatur, nullo modo peccat; ita plures, & quidem probabilius, contra Sylveſtrum, Cajetanum & quoſdam alios. Ratio eſt, quia cum ex privilegio Concilii Conſtantienſis permiſſum ſit fidelibus converſari cum toleratis, in Extravaganti *ad evitanda*; ſi ipſe peccaret venialiter converſando invitatus, illi cooperarentur peccato veniali ipſius, quod abſque veniali fieri non poteſt: inde privilegium hoc eſſet perniciosum; quod aſſerere nefas judicamus.

Communicare civiliter cum vitando.

II. Communicare in civilibus cum vitando, plerumque eſt peccatum veniale, ut docent Cajetanus verbo excom. in fine, Suarez diſp. 15. ſect. 5. & alii, quia talis communicandi modus cenſetur levis tranſgreſſio; cui tamen eſt ſemper adnexa excommunicatio minor. Si tamen hæc communicatio eſſet frequens, aut cum animo perſeverandi, videtur probabilius cum Suarez loc. cit., eſſe peccatum lethale, contra alios dicentes eſſe veniale, dempto contemptu legis. Ratio noſtra eſt, quia prohibitio Eccleſiæ abſtinendi a tali commercio eſt de ſe gravis, ut patet ex capite *Sacris* de his quæ vi, & ex capite *ſevere* de ſent. excom. proinde evadere non poteſt levis, niſi ex parvitate materiæ, quæ verificari non poteſt in caſu dictæ frequentiæ.

Communicans cum vitando in crimine.

III. Qui communicat cum excommunicato in crimine criminoſo, incurrit excommunicationem majorem, a qua nequit abſolvi, niſi ab illo, a quo poteſt abſolvi principalis: ut autem participans, hanc excommunicationem incurrat, requiritur primo, quod principalis jam excommunicationem contraxerit; ſecundo, quod participet in crimine illo, propter quod excommunicatus fuit; tertio, ut noverit, ipſum fuiſſe excommunicatum ob tale crimen; quarto, quod ſit vitandus; quinto, quod participet per actionem, quæ ſit notabilis cooperatio: ita communior.

In quibus ſpeciebus actionum vetitum eſt communicare cum vitando?

IV. Quinque actionum genera ſunt fidelibus vetita, ne in illis cum excommunicatis vitandis communicent, hoc hexametro comprehenſa, *Os*, *Orare*, *Vale*, *Communio*, *Menſa negatur*. Nomine Oris ſignificatur quæcumque communicatio per locutionem, per epiſtolas, per nutus, & ſigna, per nuncios, per amplexus, oſcula, munera danda & recipienda, aliave amicitiæ ſigna. Orare ſignificat communicationem in orando ſimul, circa quod aliqua diximus in §. 1. nu. 2. 3. & 4. Vale ſignificat ſalutationem, & reſalutationem, quamvis etiam pileus dumtaxat elevetur, ut docet probabilior: dicere autem illi ſalutanti, Deus te illuminet, vel quid pium ſimile, non cenſetur illicitum, quia id non eſt reſalutare, ſed bene precari apud Deum. Communio ſignificat communicationem civilem in contractibus, quamvis valide ineantur; cohabitationem vel in exercitio corporali, vel cubando in eodem lecto, non autem in diverſo lecto, ſi in diverſorio forte non ſit aliud cubiculum, dummodo non fiat ad modum ſocietatis. Menſa ſignificat ſimul diſcumbere in eadem menſa, vel refectorio: Quod ſi in diverſorio, quo plures itinerantes conveniunt, non adſit alia menſa quam una, ad

quam

Digitized by Google

quam ſedeat etiam vitandus, tunc non tenentur accumbentes ſurgere, & diſcedere, dummodo non comedant ſecum in eadem patina, neque ſociali modo.

Prima Cauſa excuſans ab his prohibitionibus, nempe utilitas.

V. Quinque ſunt cauſæ excuſantes ab obſervandis his vetitis, hoc hexametro comprehenſæ: *Utile*, *Lex*, *Humile*, *Res ignorata*, *Neceſſe*. Utile denotat utilitatem ſpiritualem tam vitandi, quam communicantis cum illo, ex cap. 43. de ſent. excom., & etiam utilitatem temporalem notabilem communicantis, puta petere ſubſidium, ſolutionem debiti activam, vel remiſſionem paſſivam; conſilium omnino neceſſarium, quod ſolus vitandus dare poſſit; neutiquam tamen novum contractum inire, ex c. 34. ibidem. Hinc licite vitandus excitatur ad pœnitendum; conſulitur, ſi medicus ſit, nec alius adſit; licite ab eo recipitur legatum, juxta aliquos Doctores; licite etiam ipſe petere poteſt ab aliis ſolutionem ſui crediti.

Secunda cauſa excuſans, nempe Lex.

VI. Nomine Legis denotatur lex Matrimonii; proinde conjugi licet ab altero, qui ſit excommunicatus vitandus petere, eique reddere debitum; ita probabilior cum Alterio lib. 1. diſp. 15. c. 2. licet inter ſe invicem colloquia habere, obſequia præſtare ad familiæ regimen, ſicut antea faciebant: ex capite *quoniam multos* 11. q. 3. & ex capite *inter alia*, in quibus abſolute conceditur uxori facultas communicandi cum viro excommunicato: & ſimiliter dicendum de viro reſpectu uxoris, juxta Navarrum cap. 27. n. 26. Suarez diſp. 15. ſect. 4. n. 14. & alios graves, contra Sylveſtrum, & alios: nam in correlativis, diſpoſitum pro uno, cenſetur diſpoſitum etiam pro altero. Non tamen ita eſt dicendum de conjugibus futuris, ſeu ſponſis, ob diſparem manifeſtam rationem. Excipiuntur aliqui caſus, in quibus illicita eſt communicatio inter conjuges: Primus, ne communicent in crimine, propter quod lata fuit excommunicatio; quia etiam incurreret excommunicationem eamdem ille qui communicat: ſecundus, ne communicet in divinis, in quibus conjux non eſt alteri ſubjectus: tertius in caſu divortii quoad habitationem; quia tunc ceſſat ratio conceſſionis.

Explicatur Humile, quod eſt tertia cauſa.

VII. Humile ſignificat officium ſubditorum, & famulorum, qui jam inſerviebant hero, antequam eſſet vitandus: ex capite *quoniam multos* 11. q. 1. cui communicare poſſunt communicatione uſuali, domeſtica, & ordinaria: & propterea Religioſi ſuo Superiori, & Magiſtro; milites ſuo Duci; filii, etiam adoptivi, ſuo Patri communicare poſſunt: item privilegio filiorum gaudent etiam aliis affines, qui loco filiorum habentur, ut Gener, Nurus, Privignus, Privigna; ſicuti Patris nomine veniunt etiam Avus, Avia, Abavus, Abavia, Noverca, Vitricus, Socer, Socrus. Item Agricolæ poſſunt communicare in his, quæ ad agriculturam ſpectant. Non poteſt autem communicare cum vitando Filius emancipatus, niſi in his quæ ſunt filii; quoad reverentiam, obedientiam, & amorem. Famuli, qui antea non ſerviebant, nequeunt famulatum vitandi ſuſcipere, juxta probabiliorem Suarez loc. cit. ſect. 5. n. 13. Alterii lib. 5. diſp. 15. c. 3. & aliorum. Item neque frater cum alio fratre, neque famulus cum alio famulo, per ſe loquendo; quia in privilegio non exprimuntur: per accidens tamen ratione ſubjectionis Patri, aut hero, poſſunt; ita Suarez n. 23. & alii ſecum. Item Pupillus Tutori, qui non ſit commenſalis, poteſt communicare in iis dumtaxat, quæ ſpectant ad tutelam; ſi vero ſit commenſalis; in ceteris ordinariis, & uſualibus. Et hactenus dicta intelliguntur etiam de perſonis correlativis. Tandem Vaſſali non poſſunt communicare ſuo Principi vitando; ita ex capite *Nos Sanctorum* 5. q. 6. tenentur tamen ipſi tributa dare.

Explicatur quarta cauſa Res ignorata.

VIII. Res ignorata ſignificat ignorantiam invincibilem, & inadvertentiam, quæ excuſant a peccato, & ad incurrendam minorem excommunicationem. Qui autem dubitat an aliquis ſit vitandus; ſi ſciat, eſſe excommunicatum, poteſt abſtinere; quia a quolibet excommunicato poſſumus: plures tamen dicunt, quod non teneatur, niſi in caſu quo communicare eſſet ſcandalum, vel periculum actus invalidi.

Explicatur quinta cauſa, Neceſſe.

IX. Neceſſe ſignificat neceſſitatem tam ſpiritualem, quam temporalem, pertinentem ad victum, veſtitum, habitationem; neque tantum extremam, ſed etiam talem, propter quam ex conſilio teneremur ſuccurrere indigenti: ita ex laudato capite *quoniam multos* 11. q. 3.: & id verificatur, nedum reſpectu aliorum erga vitandum, ſed etiam reſpectu iſtius erga alios: ut docet Suarez cum aliis; quia non eſt credendum, Eccleſiam velle obligare contra divina conſilia, & jura naturalia. Potes itaque vitando dare eleemoſi-

Digitized by Google

moſinam, qua eget; equum commodare ſibi neceſſarium; tractare ſecum ad pacem ineundam cum inimicis; vel ad evitandum grave malum imminens: neque teneris reſcindere cum tuo gravi damno contractum Societatis cum illo initum ante cenſuram: potes item illum conſulere ſi advocatus ſit, tibique neceſſarius; illum vocare ad tibi medendum, ſi medicus, & alius non adſit &c.

§. VII. *De ſeptimo effectu, privandi Actionibus Forenſibus.*

Omnis judex vitandus judicando peccat, & invalide agit.

I. OMnis judex, ſive Eccleſiaſticus, ſive Secularis, privatur uſu juriſdictionis, quouſque vitandus perſeveret: ita ex cap. *ait aperte*, & ex cap. *decernimus* de ſent. excom. in 6. quia non eſt conveniens, quod expulſus publice ab Eccleſia, judicet membra Eccleſiæ; & idcirco invalide judicat, etiamſi dumtaxat ſit judex Arbiter in forma judicii, juxta legem 1. ff. de Arbitris; non autem ſi ſit Arbiter ex partium conſenſu electus tamquam vir prudens, & peritus; tamen ſine juriſdictione. Peccabit ergo mortaliter vitandus ſententiam judicialiter proferens; quia deobediens Eccleſiæ in re gravi, (quod peccatum incurrit, juxta probabiliorem, etiam toleratus, quamvis iſtius judicium ſit validum) & profert judicium nullum. Vide Alterium lib. 2. diſp. 2. cap. 1. Hinc invalide confertur excommunicato dignitas, quamvis ſæcularis, afferens juriſdictionem, juxta probabiliorem Sayri lib. 1. c. 5. n. 36. & aliorum a Bonacina citatorum diſp. 2. quæſt. 2. punct. 7. nu. 4. Valebit autem ſi ſit dignitas, nullam conferens juriſdictionem.

Quo jure privetur tolleratus?

II. Excommunicatus toleratus privatur jure agendi judicialiter in cauſis etiam civilibus: ex capite *decernimus* de ſent. excom. ſive agat per ſe, ſive per alterum: Excipitur caſus neceſſitatis. Poteſt autem ſeipſum defendere, ut nemo ambigit, ex cap. *intelleximus* de judiciis; quia ſemetipſum defendere eſt juris naturæ, agendo etiam per ſe ipſum ſine procuratore; itaque poteſt appellare, convenire, & in jus vocare alterum, excipere contra actorem, & alios actus facere, ex laudato capite *decernimus*. Si excommunicatus vitandus perſonam actoris faciat, valide agit, ſi non fuerit a Tribunali repulſus; quia quamvis jura prohibeant ipſum agere, non tamen irrita declarant illius acta, ex capite 1. de exceptionibus in 6. ita Suarez d. 16. ſect. 3. Alterius lib. 2. diſp. 3. cap. 1. & alii. An autem agendo peccet lethaliter? reſpondent iidem loc. cit. quod ſi ſemel, aut iterum agat non peccet graviter ob parvitatem materiæ; ſecus vero ſi ſæpius.

Quibus aliis actionibus priventur vitandus, & toleratus?

III. Vitandus, quamvis illicite graviter obeat munera Advocati, Procuratoris, Tutoris, & ſimilium, valida nihilominus ſunt acta per ipſum; quia nullo jure irrita redduntur, & docent laudati Scriptores: ac proinde retinere poteſt quæ accipit in pretium ſuarum operarum. Toleratus licite poteſt ferre teſtimonium; ex capite *teſtimonium* de Teſtibus; & ex capitibus *veniens*, & *decernimus* de ſent. excom. dummodo tamen non ſe ingerat, ſed vocetur. Illicite teſtimonium fertur a vitando; valide tamen; quia eſt actio favens alteri, & non ſibi; tum quia nullo jure declaratur irritum: ita cit. Doctores.

§. VIII. *De ultimo effectu, nullitatis gratiarum impetratarum.*

Quivis excommunicatione majori innodatus illis privatur.

I. QUivis majori excommunicatione innodatus non ſortitur effectum gratiarum Apoſtolicarum pro ſe obtentarum ſive per ſe, ſive per procuratorem, & ſunt irritæ: ex cap. 1. de reſcriptis in 6. Circa hoc punctum plura videre poteris apud Suarez diſp. 17. ſect. 1. Alterium lib. 2. diſp. 7. & 9. Bonacinam diſp. 2. q. 2. puncto ultimo.

✠ Legatur celebre Opus S. P. Benedicti XIV. *de Synod. Diœceſ. Edit. Ferrar. an.* 1760. *lib.* 10. in quo plura ſane de *Excommunicatione*, occurrunt ſcitu, & obſervatu digna. Et quidem *cap.* 1. oſtenditur cenſuras, præcipue latæ ſententiæ Synodalium Conſtitutionum Tranſgreſſoribus, nonniſi ſobrie, & circumſpecte infligendas eſſe; ſed ſimul nonnullorum opinio refellitur, qui excommunicationes, ſpeciatim latæ ſententiæ, tamquam pernicioſas deleri & abrogari vellent. *Cap.* 2. auctoritate, & exemplis earumdem cenſurarum immoderatus uſus inprobatur. *Cap.* demum 3. eorum probatur ſententia, quæ aſſerit, interdum decerni poſſe cenſuram latæ ſententiæ ad cohibendam culpam, quæ in ſe ſpectata eſt levis, ſi ob adjunctas circumſtantias fiat gravis.

§. IX.

Digitized by Google

§. IX. *De Excommunicationis minoris effectibus.*

Cauſæ cur incurratur.

I. QUid ſit excommunicatio minor, traditum habes in §. 1. num. 1. Hæc incurritur communicando in prohibitis cum excommunicato vitando, nedum vivente, verum etiam mortuo; lavando illius cadaver, illud veſtiendo, ad ſepulturam comitando; ita Alterius lib. 1. diſp. 13. c. 1. & diſp. 14. c. 1. afferens textus juris.

Quis ſit excommunicatus vitandus?

II. Excommunicatus vitandus ille eſt, qui per ſententiam judicis Eccleſiaſtici publice denunciatur tamquam excommunicatus: item Clerici percuſſor notorius, ſive notorietate juris, nempe per confeſſionem in judicio factam; ſive notorietate facti, nempe cujus percuſſio fuit publica, ita ut nulla poſſit tergiverſatione celari, neque excuſari ullo juris ſuffragio, quamvis nondum ſit denunciatus ut excommunicatus: debet autem percuſſio fuiſſe facta ſaltem coram ſex, ut docet Sylveſter, verbo *notorium.*

Subjicere hic opportunum erit quæ habet Felix Poteſtas *De Miniſtro Sacrament. Pœnit. cap. 5. num.* 3317. Occultum non eſt, inquit, quod eſt notum majori parti Viciniæ, Parochiæ, aut Monaſterii, dummodo ibi ſint ſaltem decem Perſonæ. Fagundez ait, non eſſe publicum in magna civitate, ſi ſit notum ſeptem, vel octo perſonis. Et Donatus *Tom. 1. p. 2. pag.* 67., ſi ſit notum octo, vel decem perſonis.

Et *num.* 3318. ſubdit: Crimen commiſſum in domo, aut familia non eſt per ſe publicum, quia domus privata non eſt univerſitas, ſeu communitas. Donatus *loc. cit.* niſi ex circumſtantiis prudenter judicetur fore faciliter evulgandum, puta ſi ibi reperti ſint exteri plures loquaces &c.

Sequentia inſuper utpote ſcitu digna adnotanda ſunt cum Continuatore *Prælect. Theol.* Honorati Tournely *Tract. de Conſ. part. 2. cap. 1. art. 3. ſect. 7.* 1. excommunicatos ſive vitandos, ſive etiam occultos ex parte ſua teneri communionem aliorum, quantum poſſunt, vitare tam in civilibus quam in divinis; hoc enim intendit Eccefia, quæ nuſquam excommunicatis favere, aut ſuffragari voluit. Ita Cabaſſut. *l. 5. c. 11. num. 4.* 2. teneri jure naturali quemlibet fidelem, cui certo conſtat, contractam ab aliquo fuiſſe excommunicationem, eum etiam ſi non ſit denunciatus, privatim vitare, præterquam in caſibus neceſſitatis, aliiſque, in quibus eum, ſi denunciatus eſſet, vitare non teneretur. Ratio eſt, quia qui ſe ita vitari ſentit, verecundiæ rubore ſuffuſus inducitur ad ſatisfaciendum pro exceſſibus ſuis; atqui tenetur unuſquiſque ad cooperandum, quantum poteſt, pœnitentiæ, & converſioni peccatorum: ergo. Ita expreſſe D. Gibert *p.* 263., & alii paſſim. Excipe, niſi vitando proderet aliis occultum hujus excommunicati crimen: hac enim de cauſa *eum, qui Pariſiis excommunicatus* denunciatus eſt, *non debeo vitare Bononiæ in publico, ſed tantum in occulto, ſi ibi neſciatur, quia quod eſt publicum Pariſiis, eſt occultum ibi.* Ita Paludanus. Relege tradita §. 6.

Primus effectus excommunicationis minoris.

III. Primus effectus excommunicationis minoris eſt privare paſſiva Sacramentorum participatione; proinde peccat mortaliter recipiens quodvis Sacramentum, antequam abſolvatur: immo graviter etiam peccat miniſtrans illi Sacramentum, ſi illum noverit hoc vinculo detentum. Non tamen graviter peccat qui, huic excommunicationi ſubjectus, ſacramenta miniſtret, ut docent plures cum Navarro cap. 17. num. 27. quia id nullo jure invenitur ipſi vetitum. Sotus tamen in 4. diſt. 22. q. 2. a. 3. cum aliquibus putat, eum peccare venialiter, ſed alii id negant, ob datam rationem. Excipe, niſi celebrando miniſtret ſibi Sacramentum Euchariſtiæ; tunc enim peccaret lethaliter, non quia conficiens Sacramentum, ſed quia recipiens.

* Excommunicationi minori ſubjectus privatur etiam licita adminiſtratione Sacramentorum, ut conſtat ex cap. ultimo *de Cleric. excom.* ubi dicitur, *peccare conferendo eccleſiaſtica Sacramenta.*

Secundus effectus.

IV. Secundus effectus Excommunicationis minoris eſt, impedire ſic excommunicatum, ne poſſit præſentari, aut eligi ad Beneficium, vel Eccleſiaſticam dignitatem, & multo magis ne ei licite conferatur: ex capite ſi *celebrat.* de Clerico excommunicato miniſtrante; dicti tamen actus ſunt validi, quamvis irritandi: propterea graviter peccat tam excommunicatus recipiens, quam præſentans, eligens, conferens, hæc agens. Hæc tamen excommunicatio non privat eadem innodatum facultate eligendi, præſentandi conferendi: ita ex laud. capite *ſi celebrat.* Hinc hac cenſura detentus, poteſt abſque peccato cum aliis fidelibus communicare, etiam in divi-

Digitized by Google

divinis, participare ſuffragia &c. immo & abſolvere a cenſuris, & peccatis, cæteroſque actus juriſdictionis exercere, quia non eſt his privatus ab ullo jure.

Abſolutio ab hac cenſura. V. Abſolutio ab excommunicatione minori lata a jure poteſt impertiri a proprio Sacerdote, ex cap. *Nuper* de ſent. excom. Proprius autem Sacerdos eſt, Pontifex, Proprius Epiſcopus, & Proprius Parochus, qui, utpote gaudentes poteſtate ordinaria, poſſunt etiam extra Sacramentum ab eadem abſolvere; non enim videtur limitata eorum facultas ad abſolvendum intra confeſſionem. Item poteſt abſolvere quilibet confeſſarius approbatus, poteſtate quidem delegata, qui ex vi delegationis poteſt dici proprius Sacerdos. Dixi, lata a jure, quia in caſu quo feratur ab homine, tunc cenſeretur reſervata ipſi inferenti, vel alteri delegato ab eodem: non eſt tamen in uſu quod feratur ab homine.

Hic diſſerendum eſſet de excommunicationibus ſingulatim; quæ cum quampluримæ ſint, ratio inſtituti noſtri non patitur ut de illis diſſeramus, quas proinde videndas tranſmittimus in Canoniſtis, a quibus adamuſſim examinantur conditiones ad eaſdem incurrendas requiſitæ; quandoquidem illas dumtaxat recenſere, ſecluſo ipſarum maturo & prolixo examine, confuſiones multas, æquivocationeſque pernicioſas potius mentibus ingerere valent, quam diſcretam & proficuam legenti afferre notitiam: de illis vero cum tanta prolixitate pertractare, canonicum ſcriptorem ex profeſſo diſſerentem magis decet, quam Compendiarium Moralis Theologiæ Collectorem.

CAPUT III.

DE SUSPENSIONE.

§. I. *De Notione, & Diviſione Suſpenſionis*.

Quid ſit Suſpenſio? I. Suſpenſio eſt Cenſura Eccleſiaſtica, qua perſona Eccleſiaſtica impeditur a functionibus ſui Ordinis, vel Beneficii, vel Officii exercendis, ſive in toto, ſive in parte, ſive in perpetuum, ſive ad tempus.

Suſpenſionis multiplicitas. II. Suſpenſio alia eſt ab officio tantum, ſive illud ſit Ordinis, ſive juriſdictionis: alia eſt a Beneficio tantum, ſive ſit curatum, ſive ſimplex, ſive ſit dignitas tantum: alias eſt a Beneficio, & officio ſimul. Item alia eſt ab officio pro toto, qua quis privatur omni uſu officii ſui; alia pro parte, puta ab audiendis confeſſionibus, non autem a miniſtrandis aliis Sacramentis, aut aliis ad proprium miniſterium ſpectantibus. Item alia eſt Pœnalis, quæ fertur in vindictam delicti præteriti, quæ non fertur per modum cenſuræ, ſed pœnæ: alia Medicinalis, quæ intendit emendationem delinquentis, & hæc proprie eſt cenſura. Item alia eſt Temporaria, quæ fertur ad tempus limitatum, puta ad menſem: alia perpetua, quæ fertur abſque tali limitatione. Demum alia eſt a Jure, quæ ſtatuitur per modum legis perpetuo duraturæ; alia ab Homine, quæ fertur per modum præcepti tranſitorii contra inobedientes: & hæc ceſſat morte illam ferentis: non autem illa quæ fertur per modum legis.

* Vide quod notavimus ſupra *cap.* 1. §. 1, *poſt num.* 3.

§. II. *De effectibus Suſpenſionis*.

Effectus correſpondet modo ferendi ſuſpenſionem. I. Suſpenſio lata abſolute, nulla addita limitatione, habet effectum ſuſpendendi ab omnibus, ideſt tam ab Officio, quam ab executione Ordinis, & ab adnexis eiſdem; quia verba generalia ſunt generaliter accipienda. Suſpenſio lata limitato modo, exprimendo effectum particularem, eo dumtaxat privat: puta ſi Epiſcopus ſuſpendatur a Pontificalibus, privatur dumtaxat uſu horum, & actionibus illis, quæ cum Pontificalibus exercentur, nempe Ordinationibus, Conſecrationibus Eccleſiarum, Confirmationibus &c. Non autem intelligitur privatus illis, quæ ſunt juriſdictionis, quæve ſine Pontificalibus adminiſtrantur. Ita ſuſpenſus ab Ordine, non eſt ſuſpenſus a juriſdictione; neque a Beneficio; niſi tamen beneficium ita adnectatur Ordini, ut nequeat munera ex debito præſtanda præſtare: & tunc non poſſet recipere fructus beneficii, juxta probabiliorem, quia juxta Apoſtolum: *Qui non operatur, non manducet*; fructus enim debentur propter miniſteria; unde tunc ſuſpenditur indirecte a fructibus. Ita ſuſpenſus a Subdiaconatu, cenſetur ſuſpenſus ab Ordinibus eo ſuperioribus; qui enim privatur jure minori intra eamdem lineam, cen-

Digitized by Google

cenſetur privatus jure majori; niſi forte ſuperior ſe clare exprimeret: e contra autem ſuſpenſus a Sacerdotio, non cenſetur ſuſpenſus ab ordinibus infra ipſum.

Suſpenſio abſoluta ab Ordine quid ſignificet?

II. Hinc deducitur, quod ſuſpenſus ab Ordine, quin aliud addatur, cenſetur ſuſpenſus ab omni Ordine; quia prolatio abſoluta æquivalet univerſali: & ſimiliter ſuſpenſus ab Officio, ſine ulla limitatione addita, cenſetur ſuſpenſus ab officio tam Ordinis, quam juriſdictionis, nempe ab utraque poteſtate, ut docet communis. Proinde ſi v. g. Epiſcopus ſuſpendatur ab Officio abſolute, abſque ulla addita limitatione, non poterit celebrare, ordinare, Sacramenta adminiſtrare, beneficia conferre, excommunicare &c. & quamvis ſuſpenſus ab Officio ex terminis non cenſeatur ſuſpenſus a Beneficio, ideſt a fructibus, & proventibus beneficii percipiendis; ut tamen fructus percipiat, debebit per alterum ſupplere, cum ipſe ab actionibus beneficii ſuſpenſus ſit; & niſi ſuppleat, non poterit fructus percipere, ut dixi ſupra. Quando autem per alterum ſupplet, ſufficiet, ut dando ſubſtituto congruam penſionem ſtipendiariam, ſibi deinde retineat quæ ſufficiunt ad congruam ſuſtentationem ſuam; hoc tamen verum eſſe putant aliqui, niſi habeat alia bona patrimonialia, quibus ſe ſuſtentare poſſit; quæ ſi habeat, probabilius eſt, nihil ſibi retinere poſſe pro rata temporis, quo eſt ſuſpenſus ab officio; cum fructus dentur propter miniſteria, aliter ſine ullo labore fructum reportaret ex delicto ſuo.

Suſpenſio a Beneficio quid ſignificet?

III. Qui ſuſpenditur a Beneficio, ideſt a proventibus Beneficii, tenetur adhuc onera beneficii perficere, juxta communem: & niſi habeat patrimonialia, quibus congrue ſe ſuſtentet, poteſt ſibi retinere eos beneficii fructus, qui darentur ſubſtituto onera illa implenti, juxta Avilam 3. p. diſp. 2. dub. 2. concluſ. 3., & Sayrum lib. 4. c. 6. n. 12. & alios nonnullos. Fructus vero, quos ſuſpenſus a beneficio non poteſt percipere, applicandi ſunt in utilitatem Eccleſiæ; ſi autem ſint diſtributiones, quæ dantur intervenientibus divinis officiis, & ipſe reapſe interſit, poteſt illas recipere; ſi vero ſint diſtributiones, quæ dantur ratione beneficii, illas recipere non poteſt; cum ſit privatus beneficii fructibus, ſed dandæ ſunt aliis Clericis. Immo Suarez diſp. 17. ſect. 1. num. 15. cum aliis ab eo citatis putat, ſuſpenſum a beneficio intelligi etiam ſuſpenſum a percipiendis fructibus penſionum Clericalium, ſi quas habeat, quæ ſunt jus quoddam percipiendi portionem fructuum alicujus beneficii; quamvis aliter doceat Alterius tom. 2. diſp. 5. c. 1.

Suſpenſus a beneficio ob contumaciam aut ex alio capite.

IV. *Suſpenſus* a beneficio, ideſt proventibus ob ſui contumaciam, probabilius eſt, quod nil ei tribuendum ſit ob ſui ſuſtentationem, quamvis obeat onera beneficii; eo quia ſtat per ipſum liberari a ſuſpenſione per humiliationem, & obedientiam debitam. Si ſuſpenſio lata fuerit in pœnam delicti jam patrati, danda ei erit portio ad ſui ſuſtentationem, a Superiore taxata, ſi ſuſpenſio fuerit lata ab homine per ſententiam; ſi vero fuerit lata a jure, & delictum non fuerit deductum ad forum, taxatio dictæ portionis fieri poterit a viro aliquo Eccleſiaſtico docto, & probo. Videri poteſt Alterius loc. cit. cap. 4. Nam res eſt valde controverſa inter DD.

Suſpenſus ab Officio.

V. *Suſpenſus* ab officio, nequit Sacramenta miniſtrare, quæ tamen poteſt accipere, quia id non eſt actus officii, nec juriſdictionis: poteſt item ſepeliri Eccleſiaſtica ſepultura: recipere indulgentias &c. Nequit tamen, juxta Alterium tom. 4. diſp. 3. cap. 1. & alios nonnullos, recipere Sacramentum Ordinis, quod recipitur ad exercendas ſacras functiones, a quibus eſt ſuſpenſus: aliis tamen nonnullis non placet hæc opinio; quia odia non ſunt amplificanda, ſed reſtringenda.

Suſpenſus a Divinis Officiis.

VI. *Suſpenſus* a divinis Officiis non poteſt illa ex officio in choro perſolvere, puta hebdomadarium agendo &c.; ſed poteſt illa perſolvere ſicut perſolveret perſona laica: hinc non poteſt diſtributiones recipere, juxta probabiliorem Navarri n. 116., & aliorum, contra nonnullos, quia diſtributiones dantur canentibus ex officio: tenetur autem ad horas privatim recitandas, ut palam eſt.

Extenſio ſuſpenſionum.

VII. *Suſpenſus* ab officio ſine limitatione loci, eſt ubique ſuſpenſus; quia eſt cenſura afficiens perſonam quam comitatur, ubicumque ſit. Similiter ſuſpenſus a beneficio, ſine reſtrictione loci, cenſetur ſuſpenſus nedum a beneficio exiſtente intra territorium Superioris, ſed etiam a beneficiis quæ alibi tenet; quia cum Epiſcopus poſſit ita illum ſuſpendere, poſito quod ſuſpenſioni nulla addatur reſtrictio, cenſendus eſt ab omnibus illum ſuſpendiſſe.

Tempus ſuſpenſionis.

VIII. Sententia ſuſpenſionis latæ, vel contractæ, incipit ab hora, in qua contrahitur, vel fertur, uſque ad ultimam ho-

horam temporis conſtituti, puta menſis anni &c.; quin ulla ratio habeatur, an annus ſit biſſextilis, an menſis habuerit 28. 30. vel 31. dies: non tamen dies inchoata debet haberi ut completa, ut in quibuſdam aliis caſibus; quia pœna impoſita debet compleri; ex capite *ſi annum* de judiciis.

* Quæres, num Epiſcopus ex informata conſcientia poſſit ſuſpendere tum ab Ordine, tum a Beneficio?

Reſp. Priuſquam propoſitam dirimamus difficultatem animadvertendum occurrit, quod ſuſpenſio ex informata conſcientia nullis præmiſſis monitionibus infligitur; unde non eſt cenſura, ſed pœna; quippe ſuſpenſio ubi eſt cenſura prævias omnino exigit monitiones, & ubi eſt pœna, eas minime expoſcit. Competere autem Epiſcopis facultatem ſuſpendendi ex informata conſcientia extra dubium omne verſatur; cum hæc fuerit illis collata a Concilio Tridentino *Seſſ.* 14. *cap.* 1. *de Reformat.* Quare in controverſiam dumtaxat vocatur, ad quid hujuſmodi facultas ſe extendat.

Fuere qui aſſeruerunt, Epiſcopum ex informata conſcientia ſuſpendere ſolummodo poſſe ab aſcenſu ad Ordines, eo quia Concilium Tridentinum *loc. cit.* dum facultatem tribuit ſuſpendendi ex informata conſcientia, ſermonem habet de ſuſpenſione ab aſcenſu ad Ordines.

At hi procul ſane a veritate aberrarunt; ſiquidem ex verbis Concilii „ colli-
„ gitur, ut obſervat S. P. Benedictus XIV.
„ *de Synod. Diœceſ. lib.* 12. *cap.* 8. *n.* 3.
„ poſſe Epiſcopum ob occultum crimen,
„ etiam extrajudicialiter cognitum, non
„ ſolum Clericis prohibere aſcenſum ad
„ ſuperiores Ordines, ſed etiam a ſuſcepti
„ jam Ordinis miniſterio eoſdem interdi-
„ cere; quamvis enim in ſecunda decreti
„ parte, ubi de ſuſpenſione eſt ſermo, non
„ iterentur illa verba: *etiam ob occultum*
„ *crimen*, *quomodolibet*, *etiam extraju-*
„ *dicialiter*: conſtans nihilominus & per-
„ petua Sacræ Congregationis Concilii ſen-
„ tentia fuit, ob continuitatem ſermonis
„ cenſeri repetitam, eamque utrumque ca-
„ ſum complecti. Ab Epiſcopo ſiquidem
„ Alerienſi interrogata . . . *die* 24. *No-*
„ *vembris* 1657., re ſeduloexaminata, af-
„ firmative reſpondit. Et cohærenter ad
„ hanc reſponſionem eadem Sacra Congre-
„ gatio *die* 16. *Decembris* 1730. ſuſtineri
„ dixit *ſuſpenſionem a Divinis*, *ab Epi-*
„ *ſcopo Capritano ex informata tantum*
„ *conſcientia duobus Sacerdotibus infli-*
„ *ctam*, ut videre eſt *in Theſaur. Reſo-*
„ *lut. tom.* 5. idemque reſponſum dedit in
„ cauſa *Oritana*, ſeu *Tarentina*, 20. Au-
„ guſti 1735. *ejuſd. Theſaur. tom.* 7. „

Adeo porro verum eſt (pergit idem S. P. *num.* 4.) poſſe Epiſcopum, virtute prædicti Decreti, ex cauſa ſibi nota Clericum interdicere tam ſacrorum exercitio, quam aſcenſu ad altioris Ordinis gradum, ut neque teneatur *cauſam ſuſpenſionis*, *ſeu delictum manifeſtare ipſi reo*, *ſed tantum Sedi Apoſtolicæ*, *ſi ſuſpenſus ad eam recurſum habuerit*: quod totidem verbis a Sacra Congregatione reſponſum legimus Epiſcopo Vercellenſi *die* 21. *Martii* 1643. Atque, univerſim loquendo, Epiſcopum renuentem alicui Ordines conferre, nullo jure obſtringi ad manifeſtandam cauſam, cur eum repellat, neque ei qui repulſus eſt ullam competere appellationem, ſed tantum permitti adire Sedem Apoſtolicam, eique ſuas querelas exponere, eadem Sacra Congregatio diſerte declaravit *die* 20. *Aprilis* 1668.

Ex hoc vero, ſubdit *num.* 5., quod ſuſpenſus ab Epiſcopo ob occultam cauſam, quam tamen Epiſcopus ſibi notam aſſerit, appellare nequeat ad Superiorem, neceſſario conſequitur, quod, ſi nihilominus appellationem interponere, ejuſque obtentu in Altari miniſtrare, ſeu quovis modo ſuum Ordinem ſolemniter exercere præſumat, ſtatim incidat in irregularitatem. Quidquid enim in contrarium ſenſerint nonnulli Doctores, ita expreſſe definivit Sacra Congregatio Concilii *in Sagonen.* 21. *Junii* 1625.

Ad ſecundam autem propoſiti caſus partem quod attinet: Sentiunt nonnulli poſſe Epiſcopum ex informata conſcientia ſuſpendere a Beneficio, & ad id aſſerendum moventur ex eo quod ubi agitur de ſuſpenſione ab exercitio Ordinis ſuſcepti, videtur ſimul agi de ſuſpenſione a Beneficio, ut præferunt verba illa Trid. Concilii: *Aut qui a ſuis Ordinibus*, *ſeu gradibus*, *vel dignitatibus Eccleſiaſticis fuerit ſuſpenſus*. Alii vero autumant, Epiſcopum ex informata conſcientia nec poſſe ſuſpendere ab exercitio Beneficii.

Verum ſententia hæc a vero prorſus abludit; etenim Sac. Congregatio, ut compertum eſt ex relata paulo ante declaratione *in Segonien.* ſuſtinuit ſuſpenſionem, quam Epiſcopus ex informata conſcientia in-

Bb 2

inflixerat ab exercitio curæ. Etſi igitur adhuc deciſum non ſit, an Epiſcopus ſuſpendere queat ex informata conſcientia a Beneficio; attamen deciſum eſt, ut obſervat Auctor *Additionum ad Bibliothecam* P. Lucii Ferraris *Verb. Suſpenſio, n.* 15. poſſe ſuſpendere ex informata conſcientia ab exercitio Beneficii, quæ ſuſpenſio partialis eſt, nec fructibus privat.

Non pigeat hic ſubnectere animadverſionem laudati S. P. Benedicti XIV. *loc. cit. n.* 6. " Sed, quamquam hæc, *ait*, veriſſi-„ ma ſint; attamen reprehenſibilis foret „ Epiſcopus, ſi in ſua Synodo declararet, „ ſe deinceps, ex privata tantum ſcien-„ tia, pœna ſuſpenſionis a Divinis animad-„ verſurum in Clericos, quos graviter de-„ liquiſſe compererit, quamvis eorum de-„ lictum non poſſit in foro externo con-„ cludenter probari; aut illud non expe-„ diat in aliorum notitiam deducere: e-„ juſmodi ſiquidem Conſtitutio quamdam „ redoleret ambitionem, atque poteſtatis „ oſtentationem; ipſeque Epiſcopus tradu-„ ceretur veluti in ſuperbiam elatus, qua-„ ſi vellet in ſuum Clerum ſibi domina-„ tum adſtruere, qui in exoſam degeneret „ tyrannidem. "

§. III. *De violatione ſuſpenſionis.*

Quomodo peccet violans ſuſpenſionem? I. NEmo ambigit, ſuſpenſum peccare lethaliter, exercendo actus, a quibus eſt ſuſpenſus; cum violet in re gravi Eccleſiaſticum præceptum. Dari tamen poteſt in aliquo caſu parvitas materiæ, ut tantum venialiter peccet: puta ſi ſuſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ, modico tempore in ea moretur dum recitantur Officia divina. Si autem actum aliquem, a quo eſt ſuſpenſus, ſed nondum ut talis denunciatus, exerceat requiſitus ab aliis, dicunt aliqui cum Bonacina de Suſpenſ. punct. 4. num. 4. quod non peccet lethaliter, neque irregularitatem incurrat, quemadmodum graviter peccat, & irregularitatem incurrit, ſi actum ſponte exerceat. Hinc deducitur, communicantem cum ſuſpenſo, nondum declarato, & denunciato, illis actibus, a quibus eſt ſuſpenſus, non peccare mortaliter; quemadmodum mortaliter peccaret communicando in dictis actibus cum ſuſpenſo denunciato ut tali; quia cooperaretur peccato lethali alterius. Excipe caſum neceſſitatis, juxta dicta de Excommunicatis.

Suſpenſus exercens Ordinem. II. Suſpenſus ob delictum, violans ſuſpenſionem per exercitium ſolemne majoris Ordinis, a quo eſt ſuſpenſus, incurrit Irregularitatem: ex cap. *is cui* de ſent. excom. in 6. & ex c. 1. de ſent. & re judicata in 6. & alibi. Propterea ſi exerceat actum illius ordinis non ſolemniter, puta legendo Epiſtolam, dum munus Accolyti exercet, illam non incurrit, quia non agit ſolemniter ex officio. Similiter ſi exerceat actum Ordinis minoris, quamvis ſolemniter, ſi ſit ſuſpenſus ab Ordine generaliter, non incurrit Irregularitatem juxta S. Antoninum, & alios a Bonacina relatos loc. cit. n. 5. Suarez tamen, Navarro, & aliis videtur, dicendum eſſe oppoſitum; & putarem, hanc eſſe probabiliorem: quia vere delinquit ſolemniter contra ſuſpenſionem.

Suſpenſus ab Ordine, aut ab ingreſſu Eccleſiæ. III. Si ſuſpenſus ab Ordine, aquam, cereos, panem &c. benedicat cum ſtola juxta ritum Eccleſiæ, cum violet ſuſpenſionem, incurrit irregularitatem. Suſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ, ſi in ea celebret, incurrit irregularitatem, quia violaret ſuſpenſionem per exercitium Ordinis Sacri publicum in ea. Si autem celebret in Oratorio privato non deputato ab Epiſcopo ut perpetuo in eodem celebretur, illam non incurreret, quia non violaret cenſuram, dicunt Auctores apud Bonacinam ibidem. Alia dicemus in c. 5. §. 5.

Suſpenſus a Pontificalibus, aut a Divinis Officiis. IV. Epiſcopus ſuſpenſus a Pontificalibus, fit irregularis, ſi exerceat actus ſolis Epiſcopis convenientes; ſecus ſi exerceat actus non proprios ordinis Epiſcopalis; vel qui poſſunt fieri ab Epiſcopo non conſecrato. Suſpenſus a Divinis officiis fit irregularis, ſi eadem perſolvat ex officio, & eo modo, quo perſolvi ſolent ab initiatis Sacro Ordine: tenetur tamen alioquin horas perſolvere, ut dixi ſupra.

Suſpenſus a beneficio. V. Suſpenſus a beneficio, ſi fructus beneficii percipiat (modo dicto in §. 2. n. 3. & 4.) quamvis graviter peccet, violando ſuſpenſionem, obedientiam, & juſtitiam; non tamen fit irregularis, quia hæc perceptio non eſt actus Ordinis.

Notabile valde obſervandum. VI. Actus juriſdictionis facti a ſuſpenſo denunciato invalidi ſunt, niſi adſit titulus coloratus, & error communis; quia ab eo ſublata fuit juriſdictio: proinde invalide abſolvit: validi tamen ſunt actus correſpondentes characteri Ordinis, puta conſecrare, confirmare &c. quia quamvis graviter peccet, irregularitatemque incurrat, validi remanent, quippe quod profluant a charactere indelebili. Excepi caſum tituli colorati, & erroris communis; quia tunc

Ec-

Eccleſia ſupplet juriſdictionem, ut alibi explicavi. Actus autem juriſdictionis facti a ſuſpenſo tolerato, & non denunciato validi ſunt, quia cum toleretur ab Eccleſia, non abſtulit ab eo juriſdictionem: ſunt tamen graviter illiciti, quia contra obedientiam Eccleſiæ debitam in re gravi.

§. IV. *De Suſpenſionibus, quibus Eccleſiaſtici ſunt obnoxii.*

Recenſentur caſus. I. CEnſura ſuſpenſionis a Clericis incurritur ipſo facto: 1. qui Ordines recipiunt ab alieno Epiſcopo, ſine dimiſſorialibus proprii Epiſcopi: 2. qui illos recipiunt a proprio Epiſcopo, ſed in aliena Diœceſi abſque Diœceſani licentia: 3. qui illos recipiunt titulo ficto: 4. qui illos recipiunt per ſaltum: 5. qui illos recipiunt, detenti cenſura aliqua: 6. qui illos recipiunt extra tempora ſtatuta a jure, ſine legitima diſpenſatione: 7. qui illos recipiunt ſine legitima ætate aut licentia: 8. qui illos recipiunt poſt Matrimonium contractum, quamvis non conſummatum: 9. qui furtive ordinantur, nempe qui repulſi, ſe intrudunt inter ordinandos, aut alterum, loco ſui, examini ſubſtituerunt: 10. qui eodem die duos Ordines Sacros recipit: 11. qui ordinat, vel ordinatur ſimoniace: 12. Parochus, vel Sacerdos jungens matrimonio ſponſos alterius Parœciæ ſine Parochi licentia. Hæ ſunt præcipuæ ſuſpenſiones, quas Clerici incurrunt. Alias facile videre poteris in Bonacina, qui pro Clericis recenſet triginta novem; pro Epiſcopis triginta quinque; pro Capitulo quinque; pro Regularibus octodecim. Notandum, quod Epiſcopi non incurrunt ſuſpenſionem, nec interdictum lata a jure, niſi fiat ipſorum ſpecialis mentio: ex cap. 4. de ſent. excom. in 6. & etiam alibi diximus.

§. V. *De modis, quibus aufertur ſuſpenſio.*

Tollitur terminato tempore. I. SUſpenſio tollitur primo, per terminationem temporis, pro quo fuit illata, puta per annum, quin alia ſit opus abſolutione. Quidam autem, poſt Sylveſtrum, addunt, quod quando fuit illata ſub conditione, puta ſatisfactionis præſtandæ; tunc ſit etiam opus abſolutione: ſed probabilius videtur oppoſitum, tum ex cap. *Dilecti filii*, tum quia non operatur ultra verba expreſſa; data igitur ſatisfactione, ceſſabit. Neque opponas exemplum excommunicationis, quæ in omni caſu requirit abſolutionem; quia quoad excommunicationem extat uſus & praxis contraria.

Tollitur per abſolutionem. II. Tollitur ſecundo, per abſolutionem, ad quam licite non requirantur determinata verba, optimum tamen eſt exprimere reſtitutionem ad munus, a quo fuerat ſuſpenſus: neque eſt neceſſarium exprimere cauſam, ob quam fuerit illata. In delictis tamen valde gravibus petenda ſunt juramentum de obediendo Eccleſiæ, nec non ſatisfactio, & cautio.

Quid poſſit Epiſcopus circa reſervatas Papæ? III. Epiſcopus abſolvere poteſt ſuos ſubditos a ſuſpenſione perpetua, vel temporaria, reſervata Papæ, dummodo proveniat a delicto occulto, neque ad forum contentioſum deducto; ex Tridentino ſeſſ. 13. cap. 6. Si autem lata fuerit in puram pœnam pro delicto præterito, cum indigeat, non abſolutione, ſed diſpenſatione, non poteſt auferri ab alio inferiore illo, qui eam intulit; quamvis nullum verbum reſervationis expreſſerit; quandoquidem diſpenſatio ex natura ſua reſervari cenſetur, niſi expreſſe concedatur alteri facienda: ita Gloſſa in cap. *cupientes* de electi. in 6. verbo *ſuſpenſos*: eo vel magis quia hujuſmodi ſuſpenſiones infligi conſueverunt ob delicta ad forum devoluta.

CAPUT IV.

DE DEGRADATIONE.

§. I. *De notione Degradationis, & de motivis ejuſdem inferendæ.*

Quid ſit Degradatio, & quotuplex? I. CUM Degradatio duplex ſit, nempe Verbalis, & actualis, ſeu Realis: Verbalis, quæ etiam dici conſuevit Depoſitio, eſt ſententia Eccleſiaſtica, qua perſona Eccleſiaſtica privatur omni officio, & beneficio in perpetuum, ſine ſpe illa in poſterum recuperandi, quamvis degradatus per iſtam verbalem non ommittat privilegium ſtatus Clericalis. Realis ſeu actualis, eſt pœna Eccleſiaſtica, qua perſona Eccleſiaſtica reapſe & actualiter privatur omni officio & beneficio, & etiam ſtatu Clericali, ſine ſpe eadem nunquam conſequendi, & fit aliqua ſolemnitate.

Diverſitas in- II. Hinc notandum eſt diſcrimen inter de-

Digitized by Google

ter degradationes. degradationem, ſeu depoſitionem verbalem, & degradationem realem; nam degradatio realis ſolet fieri ſolemniter, nempe coram perſonis habentibus uſum Mitræ, & Paſtoralis, vel aliis in dignitate conſtitutis, ex Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 4. ubi degradandus introducitur coram Epiſcopo, omnibus inſignibus ſui Ordinis ornatus, nec non vaſibus ad ſuum miniſterium ſpectantibus, quibus omnibus gradatim ab Epiſcopo expoliatur, & tandem capillis tondetur; additis quibuſdam verbis terrorem incutientibus, & abominationem ſignificantibus: & ita degradatus non amplius gaudet privilegiis ſtatus Clericalis, nempe fori, & canonis. Verbaliter autem degradatus, ſeu depoſitus poteſt eſſe abſens; quia contumaciter noluit comparere; & ideo gaudet adhuc privilegio fori & canonis; niſi forte evaſerit incorrigibilis in delictis ſuis. Ita Auctores ex variis juribus.

Quis poſſit degradatum reſtituere?

II. Degradatus quovis modo, non poteſt ad ſtatum priſtinum remeare, niſi ex ſola auctoritate Pontificis, cum nemo inferior Pontifice poſſit in jure communi diſpenſare; degradatio autem ſuos effectus habet a jure communi. Cum autem degradatio non tollat characterem, validæ ſunt actiones eidem correſpondentes, quamvis ſacrilegæ. Tenetur adhuc ad Horas Canonicas, quas recitare poteſt etiam cum aliis, niſi ſit inſuper excommunicatus, nec non ad caſtitatem ſervandam, ut patet.

Crimina degradationem verbalem promerentia.

IV. Crimina punibilia degradatione verbali ſunt, Adulterium, Concubinatus perſeverans poſt monitionem, Simonia notoria, Stuprum, Inceſtus, Furtum, Perjurium, Homicidium, etiam ſolo conſilio patratum, Permiſſio ut Parochianus decedat ſine Baptiſmo, nec non cætera crimina, quæ inferunt Irregularitatem; de quibus in capite 6. diſſeritur: & de his videri poteſt Molina tom. 4. diſp. 49. tract. 3.

Crimina punibilia degradatione Actuali.

V. Crimina punibilia degradatione reali ſeu actuali ſunt, Homicidium qualificatum, Hæreſis, Sodomia ſæpius exercita, & alia videnda in Molina loc. cit. num. 17. Addit Bonacina cum aliis diſp. 4. nu. 7. quod quando in jure invenitur illata Depoſitio, intelligendum ſit de verbali, quia odia ſunt reſtringenda. Degradatus autem, juxta probabiliorem, non eſt alendus fructibus beneficii antea poſſeſſi, quamvis teneretur mendicare; quia id ſibi imputare debet; & Bonacina ibidem teſtatur num. 8. id eſſe uſu comprobatum.

§. II. *De habentibus facultatem degradandi tam verbaliter, quam realiter, & de iis, qui degradari poſſunt.*

Indicantur qui facultatem habent degradandi.

I. Degradatio verbalis, ſeu depoſitio fit ab Epiſcopo, & ex ejus delegatione fieri poteſt a ſolo ſuo Vicario Generali, ita ex Trid. ſeſſ. 13. cap. 7. Degradatio vero realis ſive actualis a ſolo Epiſcopo, & non ab alio, ibidem. Hinc Prælati Regulares non habent facultatem degradandi ſuos ſubditos, niſi per privilegium, vel conſuetudinem id eis concedatur. Degradatio verbalis, utpote actus pertinens ad juriſdictionem, poteſt fieri ab Epiſcopo etiam ſolum electo, & confirmato, quamvis nondum conſecrato: degradatio vero realis ab Epiſcopo, qui ſit etiam conſecratus, quia ſicut ordinare non poteſt niſi Epiſcopus conſecratus, ita neque actualiter, & realiter degradare ab Ordine; quia uterque actus pendere videtur a conſecratione: ita Abbas in cap. *Tranſmiſſum* n. 4. de electione, Barboſa 3. p. de poteſtate Epiſcopi Allegat. 110. num. 24. & alii.

Ritus degradandi realiter.

II. In degradatione reali Sacerdotis requiruntur præſentes ſex alii Epiſcopi, vel, ſi iſti nequeant haberi, totidem Abbates, aut, in defectu iſtorum, ſex aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ in dignitate conſtitutæ. In Degradatione Diaconi & Subdiaconi tres ſufficiunt ex cap. *degradatio* de pœnis in 6.: illi vero confidentes ſunt conjudices cauſæ ab ipſis cognitæ per examen &c., ex cap. 1. in fine 16. q. 7., & ex capite *non poteſt* de ſententia & re judicata: vide Barboſam loc. cit. n. 26., qui omnes aſſentiri debent ſententiæ, nemine diſcrepante; ita ex laudato cap. *non poteſt*. Hæc actio fieri debet in aliqua Eccleſia, ſeu Oratorio, quamvis id non pertineat ad ſubſtantiam degradationis: ex capite *Epiſcopus* 11. q. 3., debetque Epiſcopus indui Pontificalibus.

Perſonæ degradandæ.

III. Perſonæ degradandæ ſunt ſolæ Eccleſiaſticæ, & quamvis non ſit in uſu, ut Clerici Minoribus inſigniti degradentur, tamen degradari poſſunt ex cap. *ſi quis Epiſcopus* 27. qu. 1. cum degradatio fieri debeat uſque ad exeundam veſtem clericalem, ex capit. *degradatio* de pœnis in 6.

Qua via procedatur ad

IV. Regulariter loquendo, nemo poteſt degradari, niſi per viam accuſationis, & non ſolius inquiſitionis, ex capite *Dilectus*

filius

Digitized by Google

ſententiam degradationis? *filius* 2. de ſimonia. Si tamen delictum fuerit notorium, ut nulla poſſit tergiverſatione celari, vel reus deprehendatur in flagranti, a Judice & aliis teſtibus poterit puniri alterutra via; & etiam quando ſpontanea confeſſione reus ſuum delictum fatetur: in quo caſu videtur mitius agendum eſſe, niſi ſcandalum, & delicti atrocitas compelleret procedere ad degradationem.

Quomodo reſtitui poſſit degradatus degradatione reali? V. Reus degradatus degradatione reali & valide, nequit, us dixi, reſtitui niſi de plenitudine poteſtatis Pontificiæ: ex c. *de lapſis*, & cap. *qui ſemel* diſt. 5. Quando autem contingit error in proceſſu, & reus petat reſtitui juridice, poteſt reſtitui per Epiſcopum ex cap. *Epiſcopus Preſbyter* 11. q. 3. quæ reſtitutio cum judicialiter fiat, probabilius eſt, requirere aſſiſtentiam eorum, qui degradationi interfuerunt. Quando reſtitutio fit a Pontifice, poteſt illa fieri quomodo ipſi placuerit. Quando autem fit ab Epiſcopo, debet degradatus iterum indui, & ornari inſignibus ſui Ordinis, ſuique gradus ſolemniter, ſicuti ſolemniter degradatus fuerat, ita in laudato cap. *Epiſcopus Presbyter*.

Quomodo reſtituendus degradatus degradatione verbali? VI. Degradatus degradatione verbali, ſine reſpectu ad degradationem realem, poteſt reſtitui per Epiſcopum, dummodo illata fuerit propter adulterium, & crimina illo minora, ex capite *ſi Clericis* de judiciis, ita Barboſa de poteſt. Epiſ. 3. p. Alleg. 110. n. 20. & alii poſt ipſum, & Alterius tom. 2. diſp. 2. cap. 9. qui addit juxta aliquos etiam a Capitulo, Sede vacante, reſtitui poſſe, tamen poſt actam condignam pœnitentiam.

CAPUT V.

DE

INTERDICTO.

§. I. *De Notione, Diviſione, Intelligentia & cauſis Interdicti.*

Quid ſit Interdictum, & quotuplex? I. INterdictum eſt cenſura Eccleſiaſtica, qua privatur homo participatione quorumdam Sacramentorum, divinis Officiis, & Sepultura Eccleſiaſtica. Triplex eſt, Perſonale, Locale, & Mixtum. Perſonale interdicit perſonæ audire divina officia, ubicumque fuerit: Locale interdicit, ne in loco aliquo eadem celebrentur, unde nedum incolæ, ſed neque advenæ poſſunt ibi illa audire, quamvis incolæ poſſint illa alibi audire: Mixtum interdicit hoc idem tam loco, quam perſonis ibi commorantibus. Hinc, juxta communiorem, ſi interdicatur aliqua Eccleſia particularis, poteſt quis in aliis Eccleſiis illius Civitatis audire & perſolvere divina officia.

Qualiter intelligenda interdicta Localia? II. Interdictum tam locale, quam perſonale eſt duplex, aliud Generale, & aliud Particulare: Generale eſt, quo interdicitur locus univerſalis, puta Regnum, Provincia, Civitas, Caſtrum, Villa: proinde ſi interdicatur Parœcia, quæ ſit totus ambitus Villæ, & Caſtri, interdicitur Villa, & Caſtrum; ſi autem ſint ibidem aliæ Eccleſiæ præter Parochialem, eſt interdictum ſolius Parochialis. Ita ſi interdicantur omnes Eccleſiæ loci, non cenſentur interdicta Oratoria, in quibus ex privilegio conſuetum eſt celebrari ſacrum, juxta Suarez tom. 5. de cenſ. diſput. 32. ſect. numer. 10. & alios. Interdictis omnibus indiſtincte Eccleſiis civitatis, an cenſeri debeat interdicta etiam Cathedralis? Negat Alterius de Interdicto diſput. 1. cap. 4. quia eſt ſpeciali nota digna; & ſicuti nomine Clericorum in pœnalibus non comprehenduntur Canonici, ita neque in hoc caſu Cathedralis. Bonacina autem de Interd. punct. 1. numer. 10. affirmat; quia *omnes* comprehendit etiam illam: putarem veriſimiliorem opinionem Alterii. Interdicta Diœceſi, quidam dicunt intelligi interdictam civitatem, quæ eſt caput Diœceſis; quidam negant, niſi exprimatur, quia Diœceſis ſumitur in ſua ſpecie, prout differt a Civitate, & in odioſis ſtrictior facienda eſt interpretatio. Quænam ſit vero conformior judicet Lector, mihi hæc ſecunda magis arridet.

Qualiter intelligatur Interdictum Perſonale? III. Interdictum Perſonale Generale illud eſt, quo interdicitur Populus totius aut Regni, aut Provinciæ, aut Civitatis, aut Oppidi, aut Villæ; Particulare vero, quo interdicitur aliqua pars communitatis, aut aliqua ſpecialis perſona. Quando interdicitur Clericus, & interdictum fertur a Pontifice, probabilius cum Navarro, Suarez, Covarruvias, & aliis, comprehenduntur etiam Regulares: eo quod Communitas diſtinguatur in Clerum, & Populum tamquam in partes illam dividentes, ſecus autem ſi inferatur ab Epiſcopo, qui in Regulares jus non exercet: Interdicto autem Clero, non intelligitur interdictus populus, ſicuti neque e contra;

Digitized by Google

unde populus poteſt alios Sacerdotes vocare &c. Interdicta familia aliqua comprehenduntur etiam Clerici illius familiæ; ſicuti interdicta Academia, vel Univerſitate quoad ejus doctores, comprehenduntur etiam Clerici in ea docentes; quia omnes ſunt reſpective partes illius corporis civilis.

Notandum alterum circa interdicta perſonalia.

IV. Quando interdicuntur incolæ omnes Civitatis, comprehenduntur etiam incolæ abſentes; quia revera ſunt partes Civitatis; non autem comprehenduntur Advenæ ibi aliquo motivo commorantes, & habentes alibi domicilium ſuum, quia vere non ſunt incolæ; puta ſcholares; neque incolæ illi, qui alio transferunt domicilium ſuum; quia deſinunt eſſe incolæ. Si autem advena, puta ſcholaris & ibi, & alibi teneat domicilium, ait Suarez cum aliis nonnullis, quod cenſeatur interdictus dum ibi moratur, non vero cenſeatur, quando alibi commoratur; quia juſtum videtur, quod ſi ratione domicilii in loco interdicto, eſt interdictus; ob eamdem rationem dum alibi moratur non ſit interdictus. Hinc deducitur, quod transferens domicilium a loco immuni, ad locum interdictum, interdicto fiat obnoxius, cum evadat membrum illius communitatis, & loci.

Notandum alterum circa localia.

V. Interdicta aliqua civitate a Pontifice, intelliguntur interdicta ſuburbia civitati proxima, aliaque ædificia civitati contigua, quamvis extra mœnia civitatis poſita, etiam quamvis non ſint ſubdita illi domino, propter quem illatum fuit interdictum, neque Epiſcopo illius Diœceſis: ita communis, ex cap. *Si Civitas* de ſent. excom. in 6. Si enim dicta loca non comprehenderentur, parvipenderetur interdictum; quandoquidem incolæ faciliſſime poſſent eo pergere ad celebranda ea omnia, a quibus per interdictum prohibentur. Si dicas: igitur ita dicendum erit, ſi interdictum inferatur ab Epiſcopo, quod tamen eſt abſurdum; cum unus Epiſcopus careat juriſdictione in Diœceſi alterius, in qua comprehenduntur loca illa: Reſpondetur, quod etiam tunc comprehenduntur loca illa, non quidem jure Epiſcopi ferentis interdictum, ſed jure communi ex laudato cap. *Si Civitas* ob rationem allatam. Quando a Pontifice interdicitur Civitas, cenſentur comprehenſæ etiam Regularium Eccleſiæ; quia fertur ab habente poteſtatem in illas; ſecus quando infertur ab Epiſcopo. Nota quod quando Superior fert interdictum contra Civitatem, in qua & ipſe moratur, vel ad quam pergit; tenetur & ipſe, excepto ſolo Pontifice, interdictum ſervare; ita diſponente jure communi, cui & ipſe ſubjicitur.

Cauſæ inferendi interdictum.

VI. Cauſa efficiens ferens interdictum eſt Superior, nempe Pontifex reſpectu totius Orbis Chriſtiani, Epiſcopus reſpectu ſuæ Diœceſis, etiam ſine conſenſu Capituli, ob derogationem factam juri antiquo in Capit. *Quæſivi* de iis quæ fiunt a Majore: & etiam Capitulum, Sede vacante. Prælati Regulares poſſunt perſonale interdictum ferre, non locale, quia eorum juriſdictio cadit potius in perſonas, quam in loca. Cauſa, propter quam fertur interdictum, eſt delictum grave, ob finem emendandi delinquentes.

§. II. *De primo effectu Interdicti, qui eſt privatio nonnullorum Sacramentorum.*

Baptiſmi & Confirmationis Sacramenta permittuntur tempore interdicti.

I. Quamvis dixerimus, tres eſſe Interdicti effectus, nempe privare nonnullis Sacramentis, divinis Officiis, & ſepultura Eccleſiaſtica; hi tamen, juxta moderationem juris antiqui, factam a Pontificibus Bonifacio VIII. Martino V. & Eugenio IV., non ita ſunt connexi, ut non poſſint arbitrio Superioris ſejungi: & proinde attente perpendenda ſunt verba, quibus interdictum fertur. Tempore interdicti Localis, ſive generale ſit, ſive particulare, poteſt adminiſtrari Baptiſmus etiam ſolemniter, & Confirmatio: ex capite *Quoniam* de ſent. excom. in 6.: proinde poteſt confici Chriſma in die Cœnæ Domini, januis tamen Eccleſiæ clauſis, & abſque campanarum pulſatione, & cum excluſione populi interdicti. Qui eſt interdictus perſonaliter ratione interdicti generalis perſonalis, poteſt Confirmationem recipere ex capite *Quanto*, ex cap. *reſponſo*, & ex capite *Alma Mater* de ſent. excom. in 6.: non autem qui eſt perſonaliter ſpecialiter interdictus, vel fuit cauſa interdicti illati; niſi prius condignam ſatisfactionem dederit. Similiter interdictus perſonaliter generaliter poteſt miniſtrare Baptiſmum; ſecus autem interdictus perſonaliter in particulari, niſi in caſu neceſſitatis. Ita Epiſcopus perſonaliter ſpecialiter interdictus nequit miniſtrare Confirmationem.

Etiam Sacra-

II. Sacramentum Pœnitentiæ licite miniſtratur cuicumque ſive ſano, ſive infir-

mo

Digitized by Google

mentum Pœnitentiæ. mo tempore interdicti, cum ſolita prævia abſolutione a cenſuris. Excipe Excommunicatos, ut ſupponitur, & etiam eos qui cauſam culpabiliter dederunt interdicto, niſi prius ſatisfaciant; & ſi non poſſint, niſi congruam dederint cautionem; & ſi neque hoc poſſint, niſi jurent, ſe ſatisfacturos, & procuraturos, ut etiam alii ſatisfaciant: ex capite *Alma mater* citato. Poteſt autem hoc Sacramentum miniſtrari a quolibet confeſſario approbato, qui non dederit cauſam interdicto, neque ſit ſpecialiter perſonaliter interdictus; qui ſi talis eſſet, non poſſet niſi in caſu neceſſitatis.

Etiam Sacramentum Euchariſtiæ, & quomodo?

III. Tempore Interdicti localis licite miniſtratur etiam Euchariſtia ſolis morientibus, ſcilicet in probabili periculo mortis conſtitutis, illam ad ipſos deferendo cum conſueta ſolemnitate, etiam pulſando campanulam: ita ex loc. cit. Licite etiam illam recipiunt non morituri extra locum interdictum, dummodo recipiens non dederit cauſam interdicto, neque ſit perſonaliter ſpecialiter interdictus: ſimiliter non poteſt illam miniſtrare qui dedit cauſam interdicto, aut eſt ſpecialiter perſonaliter interdictus; niſi in neceſſitate, & in defectu aliorum: unde ſi eſſet Parochus, deberet alteri committere communionem infirmi: iſti autem perſonaliter ſpecialiter interdicti, aut dantes cauſam interdicto, ut illam licite recipiant in neceſſitate, debent ante receptionem præſtare ſatisfactionem, & ſi non poſſint, dare cautionem de ſatisfaciendo. Tempore Interdicti localis generalis nemo poteſt tempore Paſchali illam ſumere, cum in capite *ſi ſententia* de ſent. excom. excipiatur ſolus articulus mortis. Ita Suarez, & alii cum illo.

Quid quoad Sacramenta Ordinis, & Extremæ Unctionis?

IV. Sacramentum Ordinis tempore Interdicti Localis non poteſt adminiſtrari ex capite *non vobis* de ſponſ.; & ex capite *Reſponſo* de ſent. excom.; quia non eſt de exceptis: in loco autem non interdicto poteſt adminiſtrari alicui non ſpecialiter perſonaliter interdicto. Ita neque Sacramentum Extremæ Unctionis in loco interdicto, quamvis perſonæ non interdictæ, neque illis diebus, in quibus ex privilegio poſſet audiri Sacrum: perſonaliter autem ſpecialiter interdictus non poteſt illud ullibi recipere, ita communiter ex capite *Quod in te* de pœnitentiis, & remiſſionibus.

Quid quoad Sacramentum Matrimonii?

V. Sacramentum Matrimonii nequit a perſonaliter interdictis licite ullibi celebrari, neque in loco interdicto a perſonis non interdictis, ita communis: dixi licite, quia valide celebratur, quamvis peccetur mortaliter. Dixi matrimonium, quia ſponſalia, utpote contractus mere humanus, & valide & licite celebrantur. Benedictiones autem, quæ fieri ſolent ſuper noviter conjugatos, dummodo fiant perſonis non interdictis, & ſine ſolemnitate, & conjugati privilegium habeant adſiſtendi divinis, licite poſſunt fieri. Ex laud. cap. *Alma mater*.

Sunt qui cenſent tempore interdicti periculoſe decumbentibus extremam Unctionem conferri poſſe, ſi nequeant alia Sacramenta ſuſcipere, quia tunc eſt neceſſaria. Juxta multos etiam non ſolum valide, ſed & licite Matrimonium contrahitur in omnibus interdictis. Lege P. Paulum Gabrielem Antoine *Tract. de Cenſuris Cap.* 3. *q.* 3. *n.* 2.

§. III. *De ſecundo effectu Interdicti privationis Officiorum Divinorum.*

Quid intelligatur Divini Officii nomine interdicti tempore vetiti?

I. Officiorum divinorum nomine non intelligitur officium Divinum, quatenus eſt oratio Deo oblata a privata quadam perſona, quæ in quolibet loco fieri poteſt, ſed prout eſt quædam precandi forma publica ab Eccleſia inſtituta, ut perſolvatur in templis a deputatis miniſtris quaſi ex officio, & nomine Chriſtiani populi Deo offerenda: & hæc tempore Interdicti recitari non poteſt; & ſub hoc nomine veniunt aliæ preces publicæ, quæ aliquando Officiis adnectuntur, nempe Pſalmi pœnitentiales, Horæ B. Virginis, Officium Defunctorum, Litaniæ &c. Item intelliguntur etiam Sacramentalia, nempe Benedictiones ſolemnes, quæ vel præcedunt, vel ſubſequuntur Sacramentalium actiones: ex. gr. benedictio Templi, vaſorum Sacrorum, Corporalium, Veſtium Sacrarum, Ramorum, Campanarum, Candelarum, Fontis Baptiſmalis, *Aſperges* ante Miſſam, Benedictio ſolemnis Epiſcopi, Profeſſio ſolemnis in Religione, Benedictio ſolemnis nuptiarum, Profeſſiones, & ſi quæ aliæ, quæ ſolemniter fieri conſueverunt.

Aliqua non vetita.

II. Non vetatur recitatio officiorum, quæ ex modo ſuo non poſtulat perſonam Eccleſiaſticam deputatam, eo quod cenſeantur preces privatæ: neque Litaniæ Confraternitatum, tamen ſine ſuperpelliceo, aut veſte Eccleſiaſtica; & fiant ſine proceſ-

ſio-

Digitized by Google

ſione publica a fratribus laicis: neque alia conſimilia.

Quid quoad celebrationem Miſſæ? III. Tempore interdicti localis generalis prohibentur celebrationes Miſſarum, pulſatio Organorum, & Campanarum pro officio, ſicut & officia, ne publice fiant, Nam celebrare privatim unam Miſſam ſingulis diebus, & divina officia in Eccleſiis, & Monaſteriis, & Hoſpitalibus privatim, ſcilicet januis clauſis, & non extra dicta loca, ita ut illi, quibus vetatur intereſſe, nequeant videre, aut audire, conceſſit Bonifacius VIII. in cap. *Alma mater:* debent autem hæc fieri ſubmiſſa voce, & non cantu, ne audiantur ab exiſtentibus extra, & excluſis perſonis interdictis, & ſine pulſatione campanarum. Perſonæ autem perſonaliter interdictæ neque poſſunt Miſſam celebrare, neque audire. In Interdicto autem locali non generali, ſed ſpeciali, non eſt licitum ſingulis diebus Miſſam aut divina officia celebrare, ſed dumtaxat ſingulis hebdomadis unam Miſſam, ad renovandam Euchariſtiam. Ex capite *Alma mater.*

Quædam permiſſa & conceſſa. IV. Tempore interdicti generalis localis licitum eſt pulſare campanas ad vocandum populum ad concionem, ad comitandam Euchariſtiam pro infirmis, ad Salutationem Angelicam matutinam, meridianam, & veſpertinam, & ad indicandum diem feſtivum, aut jejunii, & ad oſtendendas Reliquias: ex laud. cap. *Alma mater*. Item licitum eſt in Feſtis Nativitatis Chriſti, Paſchæ, Pentecoſtes, & Aſſumptionis B. V. celebrare divina officia, & Miſſas publice, januis apertis cum ſono campanarum, & alta voce; & poſſunt etiam admitti illi, quorum cauſa latum fuit Interdictum, dummodo arceantur ab Altari, neque admittantur ad oblationes: ex laudato capite *Alma mater*. Immo a Martino V. & Eugenio IV. addita ſunt feſta Corporis Chriſti cum Octava, & Conceptionis B. V. cum octava. Circa duo Paſchata, & Natale plures cum Soto in 4. diſt. 22. qu. art. 1. intelligunt tres dies dictarum ſolemnitatum, contra Suarez: prædicta autem feſta incipiunt a primis Veſperis uſque ad completorium diei hora conſueta canendum incluſive: non autem licet in præfatis feſtis accipere Sacramenta, niſi illa tantum, quæ poſſunt recipi aliis diebus, de quibus diximus §. 2. & nota, iſta omnia concedi in Interdicto generali, non in ſpeciali.

Et quibus Clericis conceſſa? V. Pariter tempore Interdicti generalis localis, omnes Clerici etiam extranei poſſunt admitti ad divina officia, adhibitis ſupra indicatis cautionibus: & nomine Clericorum veniunt etiam Regulares in favorabilibus ex canon. *duo ſunt* 11. q. 1. excipe Clericos, qui forte cauſam dederunt Interdicto; ex cap. *Alma mater*; & excipe clericos conjugatos, neque addictos alicui ſacro miniſterio, qui in Eccleſia latina reputantur ut ſæculares; quamvis ſi deferant habitum clericalem, & tonſuram, & alias habeant conditiones a Trid. ſeſſ. 23. cap. 7. requiſitas, gaudeant privilegio fori, & canonis: ſi autem ſint alicui ſacro miniſterio addicti, admitti poſſunt.

Alia conceſſa laicis, & quomodo? VI. Tandem tempore interdicti generalis localis non poſſunt admitti ad divina officia laici, niſi habeant privilegium; quo privilegio gaudentes, tenentur audire illud Sacrum, quod in dictis Eccleſiis, ut diximus ſupra, diebus feſtivis celebrari poteſt; immo etiam ſecum ducere ſuam familiam, juxta Navarrum cap. 21. n. 188. & Sotum loco citato, & etiam famulos: non tamen poſſunt famuli audire ſine dominis ſuis.

§. IV. *De tertio effectu privationis Sepulturæ Eccleſiaſticæ.*

Notantur plura circa ſepulturam. I. INterdictum quodlibet latum ſimpliciter abſque ulla reſtrictione privat locum, & perſonas in eo exiſtentes ſepultura Eccleſiaſtica, ex pluribus canonibus; præcipue ex Clement. 1. de Sepulturis; ita ut laici, quamvis non interdicti, nequeant ſepeliri in loco Sacro interdicto; tametſi poſſint ſepeliri in non interdicto, dummodo cauſam non dederint interdicto: proinde iſti perſonaliter non interdicti, poſſunt deferri, & ſepeliri eccleſiaſtice in loco ſacro non interdicto: ſi autem alio non deferantur, debent ſepeliri in loco ab Epiſcopo deputato, at non benedicto. Si vero laici habeant privilegium aſſiſtendi officiis, poterunt etiam gaudere ſepultura Eccleſiaſtica, juxta Navarrum loc. cit. n. 181. contra alios; quia ſepultura eſt quid acceſſorium divinis officiis. Immo probabilius videtur, & certe mitius cum Sylveſtro verbo Interdict. cap. 5. qu. 2. & Soto loc. cit. quod illis diebus feſtivis, in quibus celebrari poſſunt divina officia, poſſint interdicti ſepeliri Eccleſiaſtice; quia ſi illis diebus poſſunt communicare eccleſiaſtice dum vivunt, poterunt etiam mortui;

Digitized by Google

tui; eo magis quia ſepultura Eccleſiaſtica redolet aliquid officii divini, propter pſalmos qui recitantur.

Quid de ſepeliente interdictum? II. Sepeliens interdictum interdicto perſonali generali, juxta Suarez diſp. 55. ſect. 3. n. 2. & alios, non peccat, ſaltem ex vi cenſuræ, quia non eſt vitandus; & proinde non incurrit excommunicationem latam contra ſepelientes interdictos, in Clement. 1. de ſepulturis, quam incurrit ſepeliens ſpecialiter, & nominatim interdictum. Ut autem quis cenſeatur ſpecialiter, & nominatim interdictus, ſufficit, ut ſit membrum alicujus Communitatis, quæ denuntiata fuit interdicta; quandoquidem valde difficile ſit, omnia & ſingula Communitatis membra ſingillatim nominare: & hæc eſt probabilior.

Quid de Clericis non interdictis? III. Tempore Interdicti localis generalis, & ſpecialis, Clerici qui non fuerunt interdicti, & interdictum obſervarunt, nec eidem cauſam dederunt, poſſunt ſepeliri in loco ſacro, etiam ſpecialiter interdicto, tamen ſine ſolemnitate ulla: ex capite *Quod in te*, de pœnit. & remiſſ. immo ex capite *Alma mater* poſſunt ſepeliri cum Officio, & Miſſa, januis tamen Eccleſiæ clauſis: & idem dicas de Religioſis, qui ut dixi, in favorabilibus accenſentur Clericis.

Interdictum non privat juriſdictione. IV. Perſona interdicta non privatur juriſdictione quam habet; quia hæc privatio non recenſetur inter effectus interdicti. Hinc interdictus, etiam perſonaliter denunciatus, poteſt excommunicare, abſolvere, indulgentias concedere &c.

V. In calce dicendum ſupereſt aliquid de perſona Interdicta ab ingreſſu Eccleſiæ, quæ privatur exercitio Ordinis Sacri in Eccleſia, proinde nequit licite celebrare, & miniſtrare Sacramenta.

§. V. *De Interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ.*

Quid de interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ? I. QUi eſt interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ, privatur exercitio Ordinis Sacri in Eccleſia; proinde non poteſt licite celebrare, nec Sacramenta miniſtrare: & contra agens fit irregularis ex cap. *is cui* de ſent. excom. in 6. Poterit tamen celebrare in Oratorio privato extra Eccleſiam: neque poteſt in Eccleſia ſepeliri, ita loc. cit. neque poteſt in Eccleſia audire officia divina, ideſt ut illa audiat; non autem ſi per eam tranſeundo audiat, & ſi contra agat, peccat mortaliter, quia deobedit Eccleſiæ in re gravi; non tamen fit irregularis; immo juxta Suarez diſp. 34. n. 36. non peccat, ſi dum recitantur divina Officia, intret Eccleſiam, non auditurus, ſed per ſe privatim oraturus: ſi autem Officia etiam extra Eccleſiam conſtitutus audire vellet, vel Miſſam, quæ in eadem celebratur, graviter deobediret præcepto; quia formaliter audiret, quamvis materialiter eſſet extra. Poteſt nihilominus hic interdictus accipere Sacramenta in Eccleſia, dum officia non celebrantur, quia circa hoc non eſt interdictus, ſed duntaxat a divinis officiis, & ſepultura. Hactenus dicta de interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ, verificantur etiam de Suſpenſione ab ingreſſu Eccleſiæ.

§. VI. *De peccato, & pœnis violantium Interdictum.*

I. LAici violantes Interdictum locale generale, vel ſpeciale, mortaliter peccant. Cajetanus tamen verbo *Interdictum* verſus finem, cui adhærent Navarrus, Sylveſter, Valentia, putat eſſe ſolum veniale, ſi deſit contemptus, violentia, inductio ut Clerici violent, ſcandalum, aut alia circumſtantia, quæ gravem efficiat violationem. Violantes autem Interdictum perſonale, peccant lethaliter ex communi, niſi levitas materiæ excuſet a tanto, vel gravis neceſſitas excuſet a toto; quia operantur perſonaliter contra grave præceptum Eccleſiæ: Cajetanus ibidem, cui ſubſcribunt Navarrus, Sylveſter, Angelus. Alterius putat, quod perſonæ non ſpecialiter interdictæ peccent tantum venialiter, niſi addantur circumſtantiæ indicatæ. Violantes graviter, non incurrunt aliam cenſuram, niſi forte aut cogant aliquem celebrare divina officia in loco interdicto, aut prohibeant, ne interdicti exeant, poſtquam fuerint admoniti de exeundo; quia tunc incurrunt excommunicationem Summo Pontifici reſervatam ex Clement. 2. de ſentent. excomm. quam etiam incurrunt ipſi admoniti, ſi nolint exire. Laici violantes qualiter peccent?

II. Clerici utriuſque Cleri violantes interdictum tam generale, quam ſpeciale, tam locale, quam perſonale, lethaliter peccant ob deobedientiam &c. niſi levitas materiæ excuſet a tanto. Si tamen metu gravi, aut diutini carceris, aut verberum, aut amiſſionis bonorum &c. jubeantur a Principe; ne ſervent interdictum, Bonacina- Clerici violantes qualiter peccent?

cina de Interd. diſp. 5. punct. 7. n. 3. dicit, quod excuſentur; quia leges poſitivæ humanæ non obligant cum tanto onere; niſi tamen metus incutiatur in contemptum interdicti, aut interveniat grave ſcandalum; ob præceptum naturale, ſæpe dictum, tunc ſtricte obligans. Cognoſcitur autem tunc juberi in contemptum, ait ipſe, quando Princeps, qui ante Interdictum parum curabat de actionibus, quæ prohibentur, poſt interdictum ſollicite vult, ut obſerventur; & citat Alterium diſp. 8. c. 6. dub. 2.

Quas pœnas incurrant?

III. Clerici ſcienter violantes interdictum per exercitium alicujus Ordinis Sacri, incurrunt irregularitatem, ex cap. *is cui* de ſent. excom. in 6. alibi: incurrunt item ſuſpenſionem ab officio, & conſequenter privantur juriſdictione, violando interdictum locale, ex capite, *tanta* de exceſ. Prælat. videtur tamen hæc ſuſpenſio potius ferenda, quam lata: incurrunt item ſuſpenſionem ab ingreſſu Eccleſiæ violantes interdictum locale ſaltem generale, ex capite *Epiſcoporum* de privilegiis. Immo Regulares non ſervantes interdictum locale generale, quando ſervatur ab Eccleſia Cathedrali, aut Matrice, aut Parochiali, incurrunt ipſo facto excommunicationem, etiamſi interdictum ſit irritum; ex Clement. 1. de ſent. excom. Triplici modo a Clericis utriuſque Cleri violatur interdictum: primo, ſi, interdicto ligatus, functiones ſacrorum Ordinum exerceat: ſecundo, dum, etſi non ſit ipſe interdictus, illa exercet in loco interdicto: tertio, dum etſi nec ipſe nec locus ſit interdictus, confert Sacramenta perſonæ interdictæ: & in primis duobus caſibus incurrit irregularitatem, in tertio autem multi dicunt quod non incurrat, quia hic caſus non eſt expreſſus in jure.

Illatio prima ex dictis.

IV. Ex his infertur, Sacerdotem celebrantem, aut miniſtrantem Sacramenta in loco interdicto, quæ tempore interdicti prohibentur, fieri irregularem etiamſi miniſtret in illis ſolemnitatibus, in quibus, ut vidimus, permittuntur divina officia; quia his permiſſis, non permittuntur Sacramenta. Immo fit irregularis, etiam aſpergendo ſolemniter populum cum *Aſperges me* &c., & faciendo benedictiones ſolemnes ſuperius memoratas; & recitando Divina officia ſolemniter.

Illatio ſecunda.

V. Clerici violantes interdictum per aliquam actionem non propriam Ordinis ſacri, quamvis mortaliter peccent, non incurrunt irregularitatem; proinde neque pulſando campanas, neque recipiendo Sacramenta, neque aſſiſtendo privatim Matrimonio, neque baptizando ſine ſolemnitate, illam incurrunt; quia hæ actiones non ſunt propriæ Ordinis ſacri; illam autem incurrunt ſi celebrent in altari interdicto, ſi ſponſos benedicant, ſi ſolemnitates Baptiſmi exerceant, quia ſunt actiones Ordinis Sacri. Nota, Clericum interdictum, & celebrantem in loco interdicto, duplicem incurrere irregularitatem neceſſario exponendam pro diſpenſatione; quia duplici actione Ordinis Sacri violat cenſuram: celebrans vero coram perſona interdicta, non incurrit tertiam irregularitatem.

Clerici communicantes cum interdictis.

VI. Clerici communicantes cum nominatim interdictis in illis actionibus, a quibus ſunt interdicti, peccant lethaliter, ſicut etiam Clerici habentes regimen illius Eccleſiæ, & hanc communicationem permittentes: ſecus autem ſi communicent in ſolis civilibus, aut cum interdictis non nominatim denunciatis; dicuntur autem nominatim denunciati, qui aut nomine proprio ſignificantur, aut nomine ſui officii, vel alio ſigno talem perſonam denotante.

§. VII. *De Relaxatione Interdicti.*

Varii modi Interdictum tollendi.

I. INterdictum latum ad tempus, aut ſub conditione, elapſo tempore, aut impleta conditione, ceſſat, ad differentiam lati abſolute, ad cujus relaxationem requiritur abſolutio; quam multi affirmant neceſſariam etiam pro lato ſub conditione. Interdictum locale non ceſſat, ſi deſtruatur locus, aut incendatur, quia remanet ſolum, in quo fundabatur: proinde ſi incedatur Eccleſia interdicta, in ejus ſolo nequit quis ſepeliri: ita cum Suarez diſput. 38. ſect. 1. n. 13. etiam alii.

Interdictum Communitatis.

II. Interdictum generale latum in aliquam communitatem, ſi diſſolvatur communitas, ceſſat quoad perſonas innocentes, non quoad reas: quia in tantum innocentes tenebantur, in quantum erant pars illius communitatis, qua ſoluta, non amplius tenentur: non ſic perſonæ reæ; quia reſpectu iſtarum eſt interdictum perſonale, quod comitatur perſonam ubique.

Epiſcopus a quo interdicto abſolvat? a quo Parochus?

III. Epiſcopus abſolvere poteſt ab interdicto locali lato a jure; quia non eſt reſervatum, ex capite *nuper* de ſentent. excom. item etiam a perſonali, ſi ſit occultum, neque Pontifici reſervatum, ex eodem capite. Non poteſt autem, ſi fuerit

latum

Digitized by Google

latum a Pontifice. Parochus vero dumtaxat poteſt abſolvere ab interdicto perſonali particulari non reſervato, ex eodem capite.

Quid dicendum quando Superior non obſervat Interdictum? IV. Interdictum non tollitur, quamvis Superior, qui illud intulit, non obſervet; & inferiores tenentur illud obſervare; quia non datur ſufficiens ratio judicandi fuiſſe ſublatum: ita Alterius diſp. 10. cap. 6. & diſp. 11. c. 6. & alii contra alios oppoſitum docentes.

CAPUT VI.

DE

CESSATIONE

A DIVINIS.

§. Unicus. *De Notione Ceſſationis a Divinis, & de Cauſis, & Effectibus ejuſdem.*

Quid, & quotuplex ſit Ceſſatio? I. Cum ceſſatio a Divinis quamdam convenientiam habeat cum interdicto, idcirco de eadem hic diſſerimus, & eſt prohibitio Eccleſiaſtica, qua Clerici ceſſare debent ab Officiis Divinis, & ab adminiſtratione Sacramentorum, & ſepultura laicorum in loco ſacro. Et eſt duplex; alia generalis, qua prædicta prohibentur in aliquo Regno, civitate, oppido, rure: alia particularis, qua prædicta vetantur alicui particulari Eccleſiæ, vel aliquibus Eccleſiis. Ceſſatio non eſt proprie cenſura, quia eſt ſimplex prohibitio, & violantes ipſam, peccando lethaliter, non incurrunt irregularitatem. Regulares tamen ipſam non ſervantes, quando eam ſervat Eccleſia Matrix, aut Parochialis loci, incurrunt excommunicationem ex Clemen. 1. de ſentent. excomm. qui etiam tenentur illam obſervare, quando eſt generalis, quamvis non ſervetur a Matrice: vide Alterium de Interdicto diſp. 2. cc. 1. & 2. Ceſſatio nunquam incurritur ipſo facto, ſed ſemper comminatorie fertur.

Quomodo infertur & ob quod motivum? II. Ceſſationem poſſunt inferre Pontifex, Epiſcopus, & Capitulum, Sede Vacante, & Concilia. Fertur hoc modo: Nos, ob talem cauſam, præcipimus, talem Civitatem, aut Eccleſiam abſtinere a Divinis Officiis, ab adminiſtratione Sacramentorum, & a ſepultura laicorum in loco ſacro. Motivum illam inferendi debet eſſe etiam gravius motivo Interdicti, cum privet majoribus bonis, ut ſtatim videbitur.

Primus effectus Ceſſationis. III. Primus effectus Ceſſationis eſt prohibitio ob quam Clerici abſtinere debent ab Officiis Divinis, & Horis publice recitandis, a celebratione Miſſarum, quin obſervari poſſit moderatio, quæ conceditur tempore Interdicti, & quam attulimus in capite antecedenti §. 3. num. 2. & ſeqq. unde in Ceſſatione nunquam celebranda ſunt prædicta. Licet tamen pulſare campanam ad ſalutationem Angelicam, & ad alia, quæ non ſint Officia, vel Miſſæ. Licitum eſt, unam dumtaxat Miſſam cum uno tantum ſerviente ſemel in hebdomada celebrare ad renovandam Euchariſtiam pro infirmis, ex capite *quod in re*. Licitum eſt, privatas orationes facere etiam in Eccleſia: & qui tenentur ad Horas, palam eſt, teneri privatim illas perſolvere. Immo ſi quis ex privilegio ſpeciali poſſet Miſſam celebrare, nemo laicorum poſſet illam audire.

Secundus Ceſſationis effectus. IV. Secundus Ceſſationis effectus eſt privatio Sacramentorum: excipiuntur, ex benigna, & communiori Doctorum interpretatione, ſi tamen vera ſit, Sacramenta Baptiſmi, Pœnitentiæ, confirmationis, & Euchariſtiæ pro morientibus deferendæ cum ſolito comitatu, ob reverentiam eidem debitam. Dixi, ſi hæc interpretatio vera ſit; quia in rigore juris, ſolum Baptiſma pro parvulis, & ſola Pœnitentia pro morituris conceditur, & nil aliud.

Tertius Ceſſationis effectus. V. Tertius Ceſſationis effectus eſt privare laicos ſepultura ſacra; qua non privantur Clerici, ex dicta interpretatione Doctorum, ſi iterum vera ſit; dummodo ſepeliantur ſine ſolemnitate funebri. Dixi, ſi vera ſit; quia non invenitur in jure, ſicuti invenitur pro tempore interdicti. Iſti effectus reſtringi non poſſunt, aut alterari ab Epiſcopo illam inferente; ex capite *non eſt vobis* de ſponſalibus.

Violantes Ceſſationem. VI. Violantes Ceſſationem, ut dixi, peccant lethaliter, non tamen incurrunt irregularitatem. Regulares tamen ut dixi num. 1. excommunicationem contrahunt. Ille, propter quem lata fuit Ceſſatio, & noluit ad præviam monitionem deſiſtere a delicto, tenetur reſtituere damna Clericis obventa circa diſtributiones, & alia Eccleſiaſtica lucra; quia fuit cauſa efficax horum damnorum. Cum autem Ceſſatio feratur ab homine, ab eo tolli poteſt, qui illam intulit.

CA-

Digitized by Google

re, benedicere, canere Evangelium &c. Circa hæc tamen, in caſibus occurrentibus conſulendi ſunt viri pii, & docti; at ad Epiſcopum ſpectat judicare; & ſi opus fuerit, privilegium a S. Sede petendum erit.

§. III. *De defectu Natalium.*

Qui illegitimi ſint irregulares? I. ILlegitime nati, ideſt non ex legitimo Matrimonio, quamvis occulti, ſunt irregulares ex cap. 1. de fil. presbyt. Qui naſcitur ex Matrimonio nullo ob impedimentum dirimens, occultum tamen, quod ab altero conjuge ignoraretur, non eſt illegitimus, ex capite *pervenit*, & ex capite *ex tenore qui filii* &c. dummodo connubium fuerit in facie Eccleſiæ celebratum: ita multi contra Cajetanum, & Suarez, contendentes utrumque conjugem debere eſſe ignarum. Expoſiti, quorum genitores ignorantur, ſunt irregulares. An autem irregularem ſe credere debeat ille, cui mater aſſerit cum juramento in articulo mortis, eſſe illegitimum; putarem, affirmative reſpondendum, contra non paucos, oppoſitum, profecto nimis animoſe, docentes: quodnam enim teſtimonium validius matre Catholica moritura, id cum juramento affirmante?

Quomodo legitimentur? II. Iſti illegitimi evadunt legitimi per ſubſequens Genitorum matrimonium, & habiles ad Ordines, & dignitates Eccleſiaſticas, excepto Cardinalatu, ut ſtatuit Sixtus V. in ſuo motu proprio: ut autem per ſubſequens matrimonium legitimentur, requiritur, quod tam tempore conceptionis, quam nativitatis, potuerint genitores matrimonium contrahere; nam ſi tunc non potuiſſent contrahere, ſubſequens matrimonium illos non legitimat; ita communior & probabilior ex capite *tanta qui filii ſint* &c. Unde neque ſpurius, ideſt natus ex adulterio, aut ex inceſtu, aut ex ſacrilegio; neque manzer, ideſt natus ex meretrice, incerto patre, legitimari poſſunt, ſaltem ad Ordines.

Illegitimi ſuſcipientes Ordines. III. Illegitimus, ſuſcipiens Ordines ſine diſpenſatione, peccat mortaliter; quia agit contra præceptum grave Eccleſiæ, & privatur executione Ordinum ſuſceptorum, nullam tamen pœnam incurrit, juxta Navarrum c. 27. n. 96. contra nonnullos.

Quomodo tollatur irregularitas ex defectu natalium? IV. Irregularitas ex defectu natalium tollitur primo per legitimationem factam a Pontifice, ex qua legitimatus remanet habilis ad ordines, & Beneficia ubique; atque in ditione S. Petri etiam ad dignitates ſæculares, & ad hæreditatem, abſque præjudicio tamen tertii, ex capite *Venerabilem*. Dixi per legitimationem, & non per diſpenſationem; quia quando tollitur per diſpenſationem, evadit habilis ad ſolos actus in diſpenſatione expreſſos, quia diſpenſatio cum ſit odioſa, utpote contra jus commune, ſtricte interpretatur; quando vero tollitur per legitimationem, evadit habilis ad omnia, ac ſi eſſet legitimus. Legitimatus autem a poteſtate ſæculari, non redditur habilis ad Ordines, Beneficia aliaſve res Eccleſiaſticas. Secundo tollitur dicta irregularitas per profeſſionem religioſam, ex qua remanet habilis ad Ordines, non vero ad Prælaturas, etiam ſuæ Religionis ex cap. 1. de fil. presbyt. & quoad hoc ſolus Pontifex diſpenſare poteſt; niſi forte in aliqua Religione extaret privilegium Papæ, quod me latet; neque fit habilis ad hæreditatem, juxta probabiliorem; quia id ex nullo jure conſtat. Tertio tollitur per diſpenſationem Papæ, quæ ut dixi, ſtricte eſt interpretanda, & poteſt diſpenſare ad quod ubi placuerit. Epiſcopus autem poteſt dumtaxat diſpenſare quoad Ordines minores, & quoad unum beneficium ſimplex, quod non requirat Ordinem Sacrum ex c. 1. de fil. presbyt.

✠ Neceſſitas recurrendi ad Summum Pontificem pro diſpenſatione ad Ordines Sacros, & Beneficia duplicia locum habet, etiamſi illegitimitas omnino occulta ſit. Ubi tamen irregularitas penitus occulta eſt, haud neceſſe eſt ut ad Datariam, ſed ſufficit, ut ad Pœnitentiariam recurratur. In hac vero diſpenſatione petenda omnino exprimendum eſt, an illegitimus ſit ex ſoluto & ſoluta; ex ſoluta & conjugato; ex Sacerdote, an ex laico, tum quia qui ex graviori nati ſunt crimine, difficilius diſpenſatur, tum quia iidem aliquando duplici egent diſpenſatione. Sic illegitimus, qui in eadem Eccleſia, in qua Pater ſuus Sacerdos beneficium habet vel habuit, beneficium habere vult, indiget diſpenſatione gemina, qua & ad Beneficium ut ſic, & ad Beneficium in tali Eccleſia obtinendum idoneus reddatur. Ita Petrus Colet *Inſtit. Theol. tom. 3. tract. de Irregul. p. c. 1.*

§. IV. *De defectu ætatis, & libertatis.*

Defectus ætatis. I. DEfectus legitimæ ætatis ad ſuſcipiendos Ordines requiſitæ inducit in ordinato irregularitatem, quandiu defectus durat: ex canon. 1. diſt. 50. & cap. ult.

Digitized by Google

ult. de tempor. Ordinat. Tollitur hæc irregularitas adveniente ætate præſcripta, juxta plures: & certe ex diſpenſatione Pontificis. Ordinatus ante legitimam ætatem remanet ipſo facto ſuſpenſus ab executione Ordinis, ex Conſtit. Pii II. *cum ex Sacrorum*: quod ſi Ordinem exequatur, incurrit novam irregularitatem, ob violationem ſuſpenſionis.

✠ Irregularitas ex defectu ætatis non poteſt contrahi per nimiam, & decrepitam ætatem. Si tamen talis ſit ſenectus, ut in morbum declinet, eive æquivaleat, ita ut obſtet, ne ſacræ functiones eo quo par eſt modo exerceri poſſint, tunc inſtar morbi perpetui pariet irregularitatem, vel ſi mavis, ait Colet *loc. ſup. cit. cap.* 4. *concl.* 2. incapacitatem quamdam, in qua utpote quæ juris naturalis eſſe poſſit, nec ipſe Pontifex diſpenſare queat.

Defectus libertatis primus: II. Defectus libertatis primo evenit in conjugato, qui non poteſt, ſine uxoris licentia, recipere Ordines; & illos recipiens, incurrit irregularitatem ex Extravag. *Antiquæ de voto*, & remanet ſuſpenſus ab Ordinibus ſuſceptis, & ab aliis ſuſcipiendis, & inhabilis ab obtinenda officia, & beneficia; ex eadem Extravaganti.

Defectus alter libertatis. III. Secundus defectus libertatis contingit in Mancipiis, quæ in eo ſtatu ſunt irregularia, ex titulo *de ſervis non ordin.* diſt. 53. Si tamen ordinentur de conſenſu expreſſo, vel tacito ſui domini, evadunt libera, ex capite *ſi ſervus ſciente* diſt. 5. Si abſque dicto conſenſu recipiat minores Ordines, remanet adhuc mancipium, ſi vero recipiat Majores evadit liberum dummodo vel ſe redimat, vel aliud mancipium ſubſtituat; aliter remanet mancipium, & debet ſervire in iis, quæ non dedecent Ordines ſuſceptos. Epiſcopus autem, qui illud ſcienter ordinavit, peccavit mortaliter, & tenetur reddere domino duplicatum pretium, aut duos ſubſtituere ſervos; ita ex capite *ſi ſervus abſente domino* diſt. 54. quæ pœna, cum ſit non mera pœna, ſed conſonans æquitati naturali, debet ſolvi ab Epiſcopo ante omnem ſententiam, juxta probabiliorem Suarez diſp. 5. ſect. 3. Si vero Epiſcopus omnino bona fide egit, tenentur ad dictam pœnam cooperatores ſcientes: ſi autem & iſti bona fide egerint, tenetur mancipium ad eamdem pœnam, vel ſaltem ad aliud ſubſtituendum ſuo loco, ex cap. *ex antiquis* diſt. 64. Si demum ſit ordinatum ad Sacerdotium, non debet redigi in ſervitutem, ſed compelli ad ſatisfaciendum meliori modo quo poteſt, ex laud. cap. *ex antiquis*, & capite *frequens* diſt. 54.

IV. Tertius libertatis defectus contingit in obligatis ad ratiocinia, qui ſunt irregulares, quouſque tales ſint; & tenentur reddere rationem adminiſtrationis publicæ, vel privatæ, ut Theſaurarii, Depoſitarii æris publici, Advocati, Magiſtratus, Judices, & alii forenſes, obligati: item Tutores, Curatores, Procuratores, ex cc. 1. & 2. *Ne Clerici, vel Monachi*. Qui autem gerunt adminiſtrationem perſonæ Eccleſiaſticæ, vel perſonarum miſerabilium, ut viduarum, pupillorum, pauperum, cauſarum piarum &c. non afficiuntur hoc impedimento ex cap. *pervenit* diſt. 86. ſicuti neque qui ſunt obſtricti abſque ulla adminiſtratione, reddere rationem de aliquo contractu; niſi forte antequam promoveantur, vel in ipſa promotione moveatur lis de dolo, aut infidelitate in contractu; tunc enim debent, ſe prius lite expedire, neque promoveri, antequam hæc terminetur: qui autem, finita adminiſtratione, & expletis ratiociniis, remanet debitor, & ſufficientem dat cautionem de ſolvendo, juxta communiorem, non eſt irregularis, contra nonnullos ſuſtinentes, quod ſi remaneat debitor Reipublicæ, nondum ſit immunis ab irregularitate: quæ opinio mihi non diſplicet. — Alter libertatis defectus.

V. Quartus libertatis defectus evenit in Curialibus deſervientibus in Curia Principis ex obligatione, qui quandiu tenentur, ſunt irregulares, ut docet communis. Sicut etiam Feudatarii illi, qui ſunt obſtricti perſonaliter ſervire ſuo domino, nec non alii miniſtri agentes cauſas civiles, niſi prius officiis illis ſe abdicent. — Alter defectus libertatis.

§. V. *De defectu Bigamiæ.*

I. TRiplex eſt Bigamia; prima vera, quando quis vere matrimonium iniit & conſummavit cum pluribus uxoribus ſucceſſive. Secunda eſt Interpretativa, quæ multis modis contingit; primo quando jam conjugatus, invalide nubit alteri, & conſummat. Secundo, quando habita una uxore, eaque defuncta, matrimonium contrahit con altera cum impedimento dirimente, & illud conſummat maritali affectu; qui enim nubit ſecundæ cum conſen- — Quomplex Bigamia?

ſenſu ficto, ut copulam obtineat, non eſt bigamus, quamvis graviter peccet. Tertio, quando duo matrimonia cum impedimento dirimente contraxit, illaque conſummavit. Quarto, ſi cum fœmina non virgine contrahit matrimonium, quamvis invalidum, ob latens impedimentum, illudque conſummat: ita ex capitibus *Nuper* de bigamis, *maritum* diſt. 3. *curandum* diſt. 24. Quinto, quando quis contracto matrimonio cum virgine, illud conſummat, poſtquam illa adulterata fuit cum alio, etiam coacta, ex capite *ſi cujus*, & ex capite *laici* diſt. 3. Sexto, ſi uxorem cognoverit, poſtquam fuerit adulterata, ibidem. Ratio omnium eſt, quia in omnibus dictis caſibus matrimonium deficit aliquo modo a perfecta ſignificatione unionis Chriſti cum Eccleſia. Tertia eſt Bigamia ſimilitudinaria, quando quis poſt emiſſum votum, non ſimplex, ſed ſolemne caſtitatis, matrimonium celebrat illudque conſummat; ex capite *quot quot* diſt. 27. q. 1. & ex cap. *nuper* de bigamis. Et omnes iſtæ Bigamiæ efficiunt irregularem.

Quis diſpenſet in Bigamia?

II. Irregularitas propter Bigamiam diſpenſatur a Pontifice; quia non eſt de jure Divino impedimentum, ſed de jure Eccleſiaſtico, quamvis a D. Paulo 1. ad Timoth. 3. ponatur inter requiſita ad Epiſcopatum; ponitur enim non ut conſtituta a Chriſto, ſed ut impoſita ab ipſo Apoſtolo; ita interpretante Eccleſiæ praxi verba Pauli. Nota, quod in ſupplicatione pro diſpenſatione, neceſſarium eſt exponere qualitatem bigamiæ, an veræ, an interpretativæ, an ſimilitudinariæ; quamvis optimum etiam ſit exponere multiplicitatem matrimoniorum initorum, quod a multis non creditur neceſſarium. Epiſcopus autem, creditur, poſſe diſpenſare in irregularitate ob bigamiam dumtaxat ſimilitudinariam, ut apparet ex capite 1. *qui Clerici, vel voventes*.

Bigamus ordinatus.

III. Bigamus, quit fuit initiatus minoribus Ordinibus, non gaudet privilegio Clericorum, ex capite unico de bigamis in 6. Si autem ſit initiatus Ordine Sacro, gaudet; cum enim nequeat vitam ducere ut laicus, ſed clericalem, gaudere debet Clericorum privilegiis. Circa Irregularitatem ex defectu Lenitatis dicetur opportunius in §§. 10, 11, 12.

§. VI. *De Irregularitatibus ex delicto, & primo de infamia.*

Quid ſit infamia, & quorum criminum cauſa incurratur?

I. Cum infamia ſit publica mala opinio de vita & moribus alicujus; alia eſt Juris, alia Facti: Infamia juris incurritur propter aliquod crimen, cui in jure aut canonico, aut civili impoſita eſt pœna infamiæ, quæ delicta recenſet Sayrus lib. 7. cap. 11. & ſunt, Apoſtaſia a fide; Hæreſis, ejuſque favor; Raptus mulierum; Perjurium in judicio; Simonia; Sodomia; Crimen læſæ Majeſtatis; Uſura; Duellum; Bigamia ſimultanea; Lenocinium; Perſecutio Cardinalium; Pugna publica cum feris. Ut autem hæc infamia incurratur, debet crimen eſſe notorium majori parti viciniæ, collegii, aut loci, in quo quis degit. Plures cum noſtris Sylveſtro Verbo Crimen q. 2. n. 3. & Donato 1. 2. tr. 5. q. 21. n. 5. apud P. Lucium Ferraris Verbo Hæreticus n. 43. excipiunt hæreticum, qui quamvis occultus, probabilius eſt, quod incurrat Irregularitatem; tum quia jura non diſtinguunt; tum præcipue quia Clemens VII. conceſſit Inquiſitoribus facultatem diſpenſandi in Irregularitate ob hæreſim occultam: igitur eam incurrit hæreticus occultus. Propterea emendandum eſt quod diximus in prima editione. Item infamia juris incurritur per definitivam ſententiam judicis, condemnantis aliquem de crimine infamiam inferente, puta furto: item quando reus confeſſus fuit crimen ſuum in judicio: unde juris infamia incurritur per notorietatem facti, vel per ſententiam judicis, vel per confeſſionem rei. Infamia autem facti evenit ob commiſſionem criminis, quod apud prudentes viros infamans cenſetur, & innoteſcit majori parti viciniæ, loci &c. Infamia itaque tam juris, quam facti proveniens ex delicto, efficit hominem irregularem; ex capite *infames* 2. p. q. 1. cauſa 6.

Quomodo tollatur infamia pro Ordinibus ſuſcipiendis?

II. Infamia facti tollitur per emendationem notoriam vitæ, & morum. Infamia juris tam Eccleſiaſtici, quam Civilis, tollitur a Pontifice: Civilis vero ſolius, a Principe: Infamia orta ex adulterio, & delictis illo minoribus poteſt tolli per Epiſcopum. Infamia ob quodvis delictum patratum ante Baptiſmum tollitur per idem Baptiſma.

Infamia quouſ-

III. Infamis in uno loco, ubique eſt talis, nam alioquin fruſtraretur finis legum

Digitized by Google

que extendatur? gum infamiam infligentium. Addunt Auctores, infamiam quæ hominem inhabilem reddit ad ordines, oriri etiam ex profeſſione alicujus artis aut officii, habiti communiter apud prudentes ignominioſi, puta lictoris, mimi, hiſtrionis &c. non autem transfunditur in eorum filios, niſi aliunde reddantur indigni, ſicuti transfunditur in filios proditoris Principis; in filios injicientis manus violentas in Cardinalem; & in filios hæreticorum: ex capite *ad legem Juliam* Majeſt. & ex capite *Salicis* de pœnis. Hinc collatio beneficii facta infami, utpote irregulari, eſt invalida.

* Duo obſervanda occurrunt cum Continuatore Tournely *tract. de Irreg.* *part.* 2. *cap.* 6. circa ea, quæ docet Auctor *numeris præcedentibus*.

Primum eſt, quod Epiſcopus non poteſt diſpenſare in infamia orta ex adulterio, & delictis illo minoribus, ut quis de novo ad Ordines vel Beneficia promoveatur, ſed tantum ut acceptis uti poſſit. Vide Interpretes in cap. 4. *De Judiciis*, Barboſam, & Salmanticenſes.

Secundum eſt, quod infamia facti tollitur per mutationem loci; quia implicat eum, qui alicubi ignotus eſt, ibidem infamem eſſe, præſertim cum ex jure, *tamdiu debeat quiſque præſumi bonus, donec conſtet eum eſſe malum*. Infamia vero juridica ſive tollatur per loci mutationem, ſive non, non tollitur irregularitas inde contracta; quia irregularitas eſt impedimentum perſonale & perpetuum, cum illimitate ponitur a jure: atqui impedimentum hujus generis, perſonam ubique comitari debet, donec idem tollatur auctoritate, qua conſtitutum eſt. Confirmatur, quia alioqui jus irregularitatem hanc decernens, facile eluderetur. Ita Ugolinus *Cap.* 60. §. 6. Plura de Infamia, & irregularitate, quæ ex ipſa oritur, nec non de ejuſdem diſpenſatione videſis apud Suarezium *tom.* 20. *De Cenſuris diſp.* 48.

§. VII. *De Irregularitate ob Iterationem Sacramentorum.*

Iteratio Baptiſmi. I. Iteratio culpabilis Baptiſmatis tam in miniſtrante, quam in recipiente inducit irregularitatem, & tot irregularitates, quoties iteratur; & comprehenduntur etiam omnes ex officio adſiſtentes huic reiterationi, ex capite *literarum* de Apoſtatis, & ex capite *confirmandum* diſt. 30. Debet itaque intervenire culpa: cum irregularitas hæc infligatur in pœnam: & privat rebaptizantem promotione ad ſuperiores Ordines, ex laudato capite *literarum*.

An in iteratione Confirmationis, & Ordinis? II. An incurratur in iteratione Confirmationis, & Ordinis, diſconveniunt Doctores. Sancto Antonino 3. p. tit. 28. c. 6. & aliis nonnullis videtur incurri ob identitatem motivi: aliis autem communius videtur, quod non incurratur; quia de his Sacramentis, nil exprimitur in jure.

Quis abſolvat ab hac irregularitate? III. Ab hac irregularitate, propter iterationem publicam, ſolus Pontifex diſpenſat: ſi autem fuerit occulta, etiam Epiſcopus juxta conceſſionem ſibi factam a Tridentino ſeſſ. 24. cap. 6. circa irregularitates ex delicto occulto.

§. VIII. *De Irregularitate ob indebitam ſuſceptionem, & indebitum uſum Ordinum.*

Denotantur aliqui illam incurrentes ob indebitam ſuſceptionem. I. Excommunicatus majori excommunicatione ſi ſcienter, vel cum ignorantia vincibili recipiat Ordines, incurrit irregularitatem ex capit. *cum illorum* de ſent. excom. in 6. ultra ſuſpenſionem ab Ordine ſucepto, ut alibi diximus: eamdemque incurrit etiam Suſpenſus, & Interdictus Ordines ſuſcipiens juxta probabiliorem Sylveſtri verbo irregularitas, & Alterii de interdicto diſp. 9. c. 1. Item, qui eadem die, non advertente Epiſcopo, ſuſcipit duos Ordines Sacros, vel aliquem minorem cum Subdiaconatu, præter ſuſpenſionem, incurrit irregularitatem ex capit. 1. 3. *de eo qui Ordinem furtive ſuſcipit*. A qua, ſi delictum ſit occultum, poteſt Epiſcopus diſpenſare: ſi autem publicum, ſolus Pontifex.

S. P. Benedictus XIV. *de Synod. Diœceſ. lib.* 12. *cap.* 3. *num.* 6. refert „quod „ in nonnullis Diœceſibus eouſque pro„ ceſſerat Clericorum audacia, ut quam„ vis ſuſpenſione irretiti ab exercitio ſe „ abſtinerent Ordinum, quibus erant ini„ tiati, attamen nulla impetrata abſolu„ tione a cenſura, ad ſuperiorem Ordi„ nem aſcendere non dubitarent. Epiſco„ pi, *ſubdit*, in quorum Diœceſibus hæc „ frequentius eveniebant, ad eorum ſa„ crilegam cohibendam temeritatem, cum „ inutilia experti fuiſſent alia, quæ jam „ adhibuerant remedia, quæſierunt a no„ bis in minoribus tunc conſtitutis, an „ ſibi fas eſſet eos Synodali decreto de„ clarare irregulares. Huic interrogatio-

„ ni (* ſic *ſeq. num.* 7.) indubitanter reſ-„ pondimus , id nequaquam ab Epiſcopis „ poſſe decerni; apud omnes enim Cano-„ niſtas principii loco eſt, irregularitatem „ a ſolo Jure , & non ab homine induci „ poſſe: a Jure autem irregularitate qui-„ dem afficiuntur qui contempta , qua „ ligantur , cenſura , in ſuſcepto Ordine „ miniſtrant ,. numquam vero irregulares „ pronunciantur , qui cum ejuſdem cen-„ ſuræ vinculo ad ſuperiorem Ordinem „ aſcendere præſumunt . Scimus enim ve-„ ro, *inquit*, non defuiſſe Doctores, qui-„ bus viſum cum fuerit, aſcenſum ad altio-„ rem Ordinem quoddam eſſe exercitium in-„ ferioris ordinis jam ſuſcepti; idcirco do-„ cuere, irregularitatem a jure in primo „ caſu irrogatam , etiam ſecundum com-„ plecti . . . . . . Sed ſimul non ignora-„ mus, veriorem , & communiorem eſſe „ ſententiam oppoſitam , quæ quamquam „ ſacrilegii reum fateatur , qui ſciens ſe „ cenſuræ vinculo obſtrictum , ſuperioris „ Ordinis gradum audacter conſcendit ; „ eum tamen ab irregularitate abſolvit ; „ quam quidem ſententiam amplexata eſt „ Sacra Congregatio Concilii in *Carino-„ len. ſeu Neapolitana Ordinationis* , „ *die* 31. *Januarii* 1688. ; ſiquidem reci-„ piens altiorem ordinem , nonniſi impro-„ prie dicitur ſolemniter miniſtrare in in-„ feriori Ordine, a cujus exercitio eſt ſuſ-„ penſus : in hac autem materia odioſa , „ & pœnali, non cenſetur cadere ſub le-„ gis cenſuram , quod nonniſi improprie „ verba legis comprehendunt , ut appoſite „ ratiocinantur Suares *de Cenſuris diſp.* „ 42. *ſect.* 3. *num.* 2. Sayr. de Cenſur. „ *cap.* 16. *num.* 22. Layman *Theolog. Mo-„ ral. lib.* 1. *tract.* 5. *cap.* 3. *num.* 5. „ &c. „ Quamvis igitur ſit irregularis , qui ſuſpenſionis cenſura ligatus, ſuſceptum Ordinem ſolemniter exercet , ut & Auctor docet mox *num.* 3. attamen non eſt irregularis qui cum ejuſdem cenſuræ vinculo ad ſuperiorem Ordinem aſcendere audet.

Denotantur alii. II. Qui recipit Ordines per ſaltum, licet ſit ſuſpenſus, non tamen ſit irregularis; quia id non habetur in jure ; ut docet communior: ſi tamen Ordinem, a quo eſt ſuſpenſus , exerceat , illam incurrit , juxta alibi dicta . Qui furtive , ideſt ſine dimiſſorialibus, aut titulo ficto , aut ſine approbatione Epiſcopi*, Ordines ſuſcipit , eſt ſuſpenſus , & etiam irregularis : & quia ſolet Epiſcopus ante Ordinationem præmittere denunciationem , qua ſub excommunicatione jubet, ne quis furtive accedat, propterea diſpenſare ab hac irregularitate ſpectat ad Pontificem . Conjugatus ſuſcipiens Ordines, & committit peccatum mortale , & incurrit irregularitatem, ex Extrav. *Antiquæ concertationis* de voto, & voti redemptione. Item recipiens Ordines ab Epiſcopo , qui renunciavit dignitati Epiſcopali , ex capite primo *de Ordinatis ab Epiſcopo &c.* Item qui recipit Ordines in ſtatu peccati mortalis notorii ; quia eſt infamis , infamia facti.

✠ Recole adjecta *tract.* 13. *cap.* 2. §. 1. *poſt num.* 7. prope finem.

III. Qui eſt ligatus cenſura aut excommunicationis majoris, aut ſuſpenſionis, aut interdicti , ſi exerceat ſolemniter , & ex officio Ordines etiam minores ; etiamſi ſit occultus & toleratus , incurrit Irregularitatem, niſi forte excuſetur ratione neceſſitatis, aut ſcandali vitandi , vel inculpatæ oblivionis: ita ex capite *ſi quis Epiſcopus* q. 3. cap. 1. & alibi. Immo duplicem irregularitatem incurrit , ſi duplici cenſura detentus, Ordines dicto modo exerceat: quænam autem ſint actiones ſolemnes Ordinum, jam ſæpe diximus, in quibus comprehenditur etiam abſolvere ſacramentaliter, etiam occulte; quia eſt ſemper actio ex officio, & natura ſua ſolemnis. A qua irregularitate diſpenſare poteſt Epiſcopus, ſi delictum ſit occultum, & violatio cenſuræ ſit occulta, ex laudato Concilii capite : ſi vero delictum fuerit publicum , ſolus Pontifex. *Indicantur qui ob indebitum uſum.*

IV. Clericus ſcienter & ſolemniter miniſtrans in ordine Sacro , quem non habet, præter excommunicationem inferendam , incurrit irregularitatem ex cap. 1. & 2. de *Clerico non ordinato miniſtrante* ; qui item non amplius debet ordinari, ut jubetur in dicto capite; neque debet ad ulteriores Ordines promoveri, & remanet ſuſpenſus ab ultimo quem recepit. Vide Suarez diſp. 11. ſect. 5. Hinc infertur, Clericum non Sacerdotem Sacramentaliter abſolventem, ſolemniter baptizantem , ſponſis benedicentem , quamvis non ſolemniter , fieri irregularem; ſicuti etiam quando ordinatus per ſaltem exercet actum Ordinis prætermiſſi : & ab hac irregularitate, quippe quæ lata jure communi, ſolus Pontifex diſpenſare poteſt , ad hoc ut ad ulteriores Ordines queat promoveri. *Irregularitas ob exercitium Ordinis quo quis caret.*

§. IX.

Digitized by Google

§. IX. *De irregularitate ob Apoſtaſiam, vel Hæreſim.*

Quomodo eam Hæretici incurrant, nec non Apoſtatæ Regulares? I. HÆretici, juxta graves Doctores, etiam occulti, & multo magis Apoſtatæ a fide, eorumque fautores, & defenſores, etiamſi occulti, ſunt irregulares ex capite 2. *ſaluberrimum* q. 1. de hæreticis in 6. dummodo ſufficienti ſigno exteriori hæreſim ſignificarint. Item Religioſi apoſtatæ a ſua Religione ſunt Irregulares, ex capite *hi qui*, diſt. 50. & in capite *Finali*.

Filii hæreticorum quomodo irregulares? II. Filii hæreticorum in hæreſi morientium uſque ad ſecundam generationem per lineam virilem, & uſque ad primam per lineam fœmineam, ſunt irregulares: ex cap. *ſtatuimus* 2. de hæreticis. Non autem videtur multis irregularis eſſe, qui natus eſt ex patre catholico, deinde lapſo in hæreſim, & in eadem mortuo.

* Obſervat S. P. Benedictus XIV. *de Synod. Diœceſ. lib.* 12. *cap.* 1. *n.* 4. quarumdam Synodorum, & quorumdam Capitulorum ſtatuta, queis ab Ordinibus, & Beneficiis arceantur deſcendentes ex Judæis, ſacris adverſari canonibus: hi ſiquidem, conſentiente Apoſtolo 1. *ad Timoth.* 3. ubi in Epiſcopum ordinari vetuit *Neophytum, ne in ſuperbiam elatus in judicium incidat diaboli*, ſolos Neophytos, ideſt recens ad fidem converſos, irregulares pronunciarunt. Ita decrevere Concilium Nicænum *can.* 2. Laodicenum *can.* 3. Arelatenſe 2. *can.* 1. Deſcendentes autem a Judæis nunquam Ordinum, & Beneficiorum dixere incapaces; quin immo Alexander III. *in Cap. Eam te, de reſcriptis*, ab Epiſcopum ſcribens Tornacenſem, in Canonicum recipi juſſit, qui ex judaiſmo ad Chriſtianam fidem fuerat converſus. Aliter dicendum foret, ſi in Beneficii erectione a fundatore cautum eſſet, ne unquam illud conferatur deſcendenti a Judæis; quoniam in Beneficii fundatione permittitur fundatori leges & conditiones illi apponere, etiam juri communi adverſantes; ſicuti ad rem animadvertunt Solozarn. *loc. cit. verb. Sed licet*, & Fermoſin *in Cap. Ex ſpeciali*, *num.* 35. *de Judæis*. Idem judicium ferendum eſſet, ſi Summus Pontifex juſtis de cauſis ſtatuiſſet, ne in aliqua regione deſcendentes a Judæis promoveantur ad Ordines, quod reapſe in regno Portugalliæ ſervari juſſit Sixtus V. ſuis Apoſtolicis litteris datis *die* 15. *Januarii* 1588. & confirmatis a Clemente VIII. *die* 18. *Decembris* 1600. quarum executionem inculcavit Sacra Congregatio Sancti officii Epiſtola ad Collectorem ejuſdem regni data *anno* 1611. Quod autem diximus de Judæis (ſic idem S. P. Benedictus XIV. *num.* 5.) etiam in iis locum ſibi vindicat, qui originem ducunt ab aliis infidelibus; videlicet & hos ab Ordinibus recipiendis prohiberi non poſſe, ſi ceteris polleant qualitatibus, animique dotibus a ſacris canonibus præſcriptis. Non tamen idcirco improbamus, *ſubdit, num.* 6., Conſtitutionem conditam a Synodo Mexicana, quæ *lib.* 1. *tit.* 4. §. 3. Maurorum, aliorumque infidelium filios circumſpecte admodum Ordinibus initiari præcepit. Aliud quippe eſt „ deſcendentes ab infidelibus, ab Ordinibus prorſus excludere; aliud cum cautela & delectu illos promovere. Primum improbavimus: alterum commendamus, ne ſecus homines ſuſpectæ fidei ſacris addicantur miniſteriis. Etenim, quamquam Eccleſia ex hominibus coaluerit ab infidelitate converſis, nunquam tamen Neophytos inter ſacros Eccleſiæ miniſtros cooptari permiſit, niſi antea probati, certum ſuæ fidei dediſſent teſtimonium; ut patet ex Concil. Nicæn. *can.* 2. Quantum vero temporis neophyti probationi ſit præmittendum, non conveniunt Doctores. Alii unum annum ſatis eſſe putant: alii biennium requirunt: alii exigunt decennium: alii demum cum Covarruvia, & Gibalino *de irregul. cap.* 3. *q.* 3. cum nullum hac de re ſit certum tempus definitum a Jure, id relinqui autumant arbitrio Epiſcopi, cujus eſt perpendere, an recenter ad fidem converſi tantæ ſint virtutis, atque in Fide conſtantiæ, ut Eccleſiaſtica miniſteria illis tuto committi valeant. Quæ autem diximus de neophytis, congruere poſſunt etiam eorumdem filiis, ſi experientia compertum ſit, eos aliquando in Fide nutaſſe; nam & illos probare oportebit, priuſquam Ordinibus initientur: non exinde tamen licebit inferre, eos poſſe itidem abſolute, ac perpetuo ab Ordinibus arceri: multoque minus ab iiſdem excludi poterunt infidelium nepotes, pronepotes, atque abnepotes.

III. Ab hac irregularitate ob hæreſim diſpenſat ſolus Pontifex, ut docet probabilior, tam quoad ſuſceptionem Ordinum, quam quoad uſum ſuſceptorum. Quis diſpenſat ab Irregularitate ob hæreſim?

* Sancta Tridentina Synodus *Seſſ.* 24. *c.* 6. ſic

Digitized by Google

6. ſic ſanxit: *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum, diſpenſare; & in quibuſcumque caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, delinquentes quoſcumque ſibi ſubditos, in Diœceſi ſua per ſeipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum, in foro conſcientiæ gratis abſolvere, impoſita pœnitentia ſalutari. Idem & in hæreſis crimine in eodem foro conſcientiæ eis tantum, non eorum Vicariis ſit permiſſum.* In quæſtionem autem vertitur a Theologis, an ſublata Epiſcopis per Bullam Cœnæ facultate abſolvendi ab hæreſi occulta, ablata etiam cenſeri debeat facultas diſpenſandi ab irregularitate ob illam contracta. Affirmant Doctores plures, quibus & Auctor ſubſcripſit aſſerens *n. præced.* quod ab hac irregularitate ob hæreſim diſpenſat ſolus Pontifex, tam quoad ſuſceptionem Ordinum, quam quoad uſum ſuſceptorum. Ad ſic ſentiendum moventur ipſi ex Cap. *Cum illorum* de ſentent. Excom. ubi generatim dicitur Epiſcopos non habere diſpenſandi facultatem in his caſibus, in quibus abſolutio eſt illis interdicta; *cum majora illis intelligantur prohibita, quibus vetita ſunt minora*; ubi Gloſſa, Panormitanus, & alii advertunt, poteſtatem diſpenſandi majorem votari, quam poteſtatem abſolvendi ab excommunicatione, & pro regula ſtatuunt, non poſſe quem diſpenſare, ubi non poteſt abſolvere; quamvis e converſo poſſit quis interdum abſolvere, & non diſpenſare, quia conceſſo minori, non propterea conceditur quod majus eſt. " Quod argumentum, inquit Suarez *tom. 20. de Cenſur. diſp.* 43. *ſect.* 1. adeo apud me urgens eſt, ut conſiderata reſtrictiſſima reſervatione hæreſis, quæ nunc eſt in uſu Eccleſiæ, probabiliſſimum exiſtimem, etiam quoad ad diſpenſationem hujus irregularitatis nunc eſſe reſervatam Summo Pontifici non ſolum quoad promotionem, ſed etiam quoad exercitium Ordinum. "

Nihilominus alii & quidem graviſſimi oppoſitum ſuſtinent hac innixi ratione, nempe quia facultas abſolvendi ab hæreſi occulta, & facultas diſpenſandi ab irregularitate ob illam contracta, ſunt duæ diverſæ facultates ad duos actus diſtinctos, quorum unus non pendet ab alio: unde non ſequitur, *ajunt*, quod ſublata facultate abſolvendi, cenſenda ſit etiam ablata facultas diſpenſandi. Videantur Cardinalis de Lugo de Fide *diſp.* 23. *ſect.* 4. *n.* 130. & Felix Poteſtas *tom.* 1. *part.* 4. *cap.* 5. *num.* 3338.

Sententia hæc non leve probabilitatis pondus ſibi conciliare videtur ex his, quæ habentur in Vita S. Franciſci Saleſii a Petro Hyacintho Gallizia italico idiomate deſcripta *lib.* 2. *cap.* 32. Quippe refert ipſe, Saleſium ad Epiſcopatum evectum, coram S. P. Clemente VIII. examen ſubiiſſe, promovendis ad Epiſcopatum ab eodem Pontifice indictum, atque inter quæſtiones eidem propoſitas, de hac in primis fuiſſe a Pontifice interrogatum, num Epiſcopi poſſint diſpenſare ab irregularitate ex delicto occulto proveniente. Saleſius, *ſubdit*, affirmative abſque ulla limitatione reſpondit, & ad ſuam evincendam, firmandamque reſponſionem Tridentini ſanctionem ſuperius relatam in medium protulit; ac inſuper difficultates aliquas contra ſuam reſponſionem a Pontifice objectas diſſolvit. Hinc autem, *pergit idem*, occaſionem ſumpſit Pontifex ipſum ulterius interrogandi, valeant ne Epiſcopi ab hæreſi abſolvere? Et Saleſius pariter affirmative reſpondit, & ad hanc quoque ſuam probandam reſponſionem, ejuſdem Concilii auctoritatem adduxit. Verum Pontifex, qui nuper juſtis de cauſis talem facultatem a Tridentino Epiſcopis conceſſam revocaverat, mox ſubjecit, aliam ſibi mentem, aliam eſſe voluntatem. Ad quod Saleſius ut verus atque obſequens Eccleſiæ filius ſumma animi demiſſione repoſuit: Beatiſſime Pater, ſi quidem hæc eſt mens Sanctitatis veſtræ, eidem acquieſco, atque a mea ſententia recedo. Narrationi huic integra habenda fides eſt, cum ut fide omnino digna referatur quoad ſecundam partem & a S. P. Benedicto XIV. *de Synod. Diœc. lib.* 9. *cap.* 4. *num.* 9. Videtur itaque S. P. Clemens VIII. ſuo ſilentio primam approbaſſe Saleſii reſponſionem; quod ſcilicet Epiſcopi vi facultatis iiſdem a Tridentino conceſſæ queant diſpenſare ab omni irregularitate ex delicto occulto proveniente, adeoque & ab ea quæ ex delicto hæreſis proficiſcitur. Si enim aliter ſenſiſſet Pontifex, profecto ſententiam ſuam pandere non omiſiſſet, ſicuti non omiſit, dum ſermo fuit de facultate Epiſcoporum circa abſolutionem ab hæreſi occulta &c.

Inter cæteros ſententiam hanc amplexatus eſt Em. Cardinalis Albitius *de Inconſt.*

Digitized by Google

conſt. in Fide cap. 25. In primis *num.* 42. ob oculos ponit varias Doctorum reſponſiones ad argumentum oppoſitæ opinionis deſumptum ex indicato textu juris Canonici, & præſertim *num.* 43. aſſerit quod non habet locum argumentum a minori ad majus, quando ſumus in privilegiis; & propterea, *ſubdit*, per privilegium quis quandoque poteſt majora, qui non poteſt minora. Deinde *num.* 44. ex praxi Sacræ pœnitentiariæ ſuam aſſertionem confirmat: Sed quod, *inquit*, tollit omnem difficultatem, eſt, quod ita ſervatur in praxi; nam licet Sacræ Pœnitentiariæ a ſanctæ mem. Papa Urbano VIII. ſublata fuerit facultas abſolvendi ab hæreſi occulta Hæreticos, ſi habent complices, vel conſcios; non tamen adempta eſt illi facultas diſpenſandi ſuper irregularitate ob dictam hæreſim contracta, ideo obtenta abſolutione ab hæreſi a Suprema, & Univerſali Inquiſitione, Hæretici abſoluti adeunt Sacram Pœnitentiariam, & ab illa obtinent diſpenſationem ſuper irregularitate eam ob cauſam contracta. Et ita, *ſubdit*, obſervatum fuit toto tempore, quo fuit Corrector, demum Datarius Sacræ Pœnitentiariæ. Idem teſtatur P. Theſaurus *in ſua praxi M. S. tit.* 5. *ad* 4. Eamdem facultatem M. Pœnitentiario attribuit etiam S. P. Benedictus XIV. in Conſtit. quæ incipit *Paſtor Bonus* edita *idibus Aprilis* 1744. §. 16.

Nihiloſecius limitat præcitatus Cardinalis ſuam aſſertionem *n. ſeq.* 45. Advertendum tamen eſt, *ait*, quod licet Epiſcopus per ſupradicta poſſit diſpenſare ſuper hujuſmodi irregularitate, ut Clerici in ſuſceptis Ordinibus Minoribus, & fortaſſe Sacris miniſtrent, non tamen poterit diſpenſare cum Sacerdote in Altaris miniſterio; quia cum ſit res graviſſima, ſoli Pontifici eſt reſervata. Poſtea plures allegat Doctores ita ſentientes & præcipue Pegna, qui *part.* 3. *comment.* 175. refert S. Pium V. *anno* 1567. Pontificatus ſui II. inhibuiſſe Generali Inquiſitori Hiſpaniæ, ne poſſet cum Clericis lapſis in hæreſim diſpenſare, ut vel ad ſuperiores Ordines aſcendant, vel ſi Sacerdotes ſint, poſſint in Altaris miniſterio deſervire.

Verum, ſi quod poſt ſeriam diſcuſſionem ſentimus, pandere licitum ſit, ſufficiens nobis non ſuppetit fundamentum ad hanc admittendam limitationem, immo potius oppoſitum apparet. Quandoquidem ex una parte Tridentina Synodus abſolute concedit Epiſcopis facultatem diſpenſandi *in irregularitatibus omnibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum;* ex alia vero parte nullam faceſſit difficultatem relata a Pegna S. Pii V. prohibitio, ſpeciatim, quia, ut animadvertunt nonnulli, illa facta fuit Inquiſitori, non Epiſcopis. Ipſemet P. Suarez ambigit, num ad Epiſcopos ſit ipſa extendenda. Hinc Doctores plures, & præſertim Thomas Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 25. *n.* 18. Cardinalis de Lugo, & Felix Poteſtas *locis citatis* nulla adhibita limitatione, ſuſtinent, poſſe Epiſcopos diſpenſare in irregularitate ob hæreſim occultam contracta. Et hanc ſententiam poſtremis hiſce temporibus adoptarunt & Continuator Tournely, & P. Philippus de Carboneano. Ille quippe *tractat. de Irreg. part.* 3. *cap.* 5. *in calce* ſic paucis, nulla facta exceptione, ſeſe exprimit: *Ubique vero Epiſcopus cum hæreticis occultis diſpenſare poteſt*. Iſte autem *in notis* ad P. Antoine *q.* 7. *cap.* 3. *de peccatis fidei oppoſitis*, aſſertionem quidem affert Cardinalis Albitii, nempe quod vigore Bullæ Cœnæ non cenſeatur Epiſcopis ſublata facultas diſpenſandi ab irregularitate ex hæreſi occulta proveniente; limitationem vero ab eodem Cardinali poſitam prætermittit. Et ſane allata argumenta ſatis valida videntur ad hanc abſolute facultatem Epiſcopis adjudicandam. Nihilominus hæc omnia Sapientiorum judicio ſubmittimus.

" Sed quidquid ſit de Epiſcopis (ſic *n.* „ 47. prædictus Cardinalis Albitius) certum eſt, Inquiſitores nullam habere facultatem diſpenſandi ſuper irregularitate ob hæreſim, vel apoſtaſiam, vel aliam in fide inconſtantiam contracta etiam occulta & in foro conſcientiæ, ut teſtatur Pegna dicto *Comment.* 175. *part.* „ 3. " Equidem Clemens VII. facultatem conceſſit Inquiſitoribus, & eorum Commiſſariis diſpenſandi cum Clericis Sæcularibus, vel Perſonis Religioſis ſuper quavis irregularitate contracta ob hæreſim, vel apoſtaſiam. At talem conceſſionem fuiſſe revocatam per inhibitionem S. Pii V. cenſet idem Pegna. „ Vel certe dici poteſt, „ *ſubdit* Suarez *loc. cit.* illam conceſſionem „ fuiſſe perſonalem, & non perpetuam, „ quantum ex tenore ejus colligi poteſt. „ Denique certum videtur, *addit idem*, „ non fuiſſe uſu receptam, ideoque ſtandum eſſe juri communi, niſi conſtet in

Digitized by Google

„ aliquo eſſe a Pontificibus immutatum.„ Legantur etiam Thomas Sanchez, & Cardinalis de Lugo *loc. cit.*

§. X. *De irregularitate propter homicidium licitum & juſtum, & mutilationem: ubi etiam de defectu Lenitatis.*

Requiſita ad illam incurrendam. I. CUm irregularitas ex defectu Lenitatis incurratur ob homicidium, vel mutilationem juſte factam, ut evenit in carnificibus; idcirco ut incurratur, debent prædicta fieri in hominem viventem, ab homine doli capaci, baptizato, & proxime influente in dictas actiones in pœnam illatas, & extra caſum neceſſitatis, & juſtæ ſuæ defenſionis, ex capite *ſi quis viduam* diſt. 50. & ex capite *ſi quis poſt Baptiſmum* diſt. 51. ex Clement. *ſi furioſus* de homicidio. Hinc ſequitur, omnes proxime confluentes ad mortem, vel mutilationem juſtam incurrere hanc irregularitatem excepto ſolo Pontifice: propterea Judices, Aſſeſſores, Fiſcales, Lictores, Conſiliarios, Accuſatores, Notarios, Teſtes, alioſque cooperatores illam incurrere.

An Doctor conſultus, & Confeſſarius? II. Si quis Doctor conſulatur, an quis occidendus ſit, vel mutilandus, & ipſe affirmative reſpondeat; vel interrogatus de qualitate pœnæ infligendæ, ipſe reſpondeat, mortem, aut mutilationem eſſe inferendam, & hæc ſequatur, fit irregularis. Secus vero, ſi interrogatus veritatem aperiat, reſpondendo interroganti, ſuam obligationem eſſe vel accuſandi, vel condemnandi &c. quin inducat ad illas actiones, ſed dumtaxat interrogantem illuminando de debito ſui muneris, pro conſcientia, reliquendo illius arbitrio id agere, vel omittere, immo optime faciet, ſi proteſtetur, ſe non intendere concurſum ullum habere in factum; ſed dumtaxat ut Doctorem, ſe aperuiſſe veritatem obligationis. Hinc Confeſſarius nolens abſolvere in confeſſione judicem, vel alium miniſtrum; qui non vult implere obligationem circa mortem, aut mutilationem malefactoris, & qui dicit illis, non poſſum vos abſolvere, niſi proponatis parere legibus veſtris tam naturalibus, quam poſitivis circa hoc punctum; non incurrit irregularitatem; quia facit quod debet. Cavere tamen debet, ne dicat directe, illum ſuſpendere facias, mutilare &c. ſed tantummodo obedias legi tibi præcipienti &c. Plura circa hoc videre poteris in Sayro lib. 6. de Cenſuris capitibus 15. 16. 17. 18. & 19. & in Bonacina de Irregularitate q. 4. punct. 1. Hinc quicumque aut ſuaſione, aut actione accelerat mortem, aut mutilationem juſte condemnato fit irregularis: item porrigens gladium juſte bellanti, ut aliquem ex inimicis occidat.

III. Accuſans alium in cauſa criminali juſta, ſi accuſet, non ut puniatur morte, aut mutilatione, ſed dumtaxat ut redintegretur in damnis ſibi, vel ſuæ Eccleſiæ illatis, & proteſtetur, ſe non petere vindictam, non incurrit: ſi vero accuſet ad petendam juſtam vindictam, & hæc ſequatur, incurrit: ex capit. penult. de homic. in 6. & ex Clement. in homicid. 2. part. §. 5. Quid de Accuſatore criminali?

IV. Ab incurrenda irregularitate excuſantur ab auctoribus apud Bonacinam puncto 2. num. 7. etiamſi ſequatur mutilatio, accuſantes juſte aliquem, cum proteſtatione quod accuſant pro mera redintegratione in damnis illatis, & nullatenus ad vindictam: alioquin manerent Clerici expoſiti malefactorum rapinis, quia ſcirent, ſe non poſſe ab illis accuſari, cum ingenti ſubverſione pacis, & boni communis. Item ſi accuſent de injuria non illata, ſed inferenda quam aliter evadere non poſſunt, niſi accuſando; addita proteſtatione modo dicta. Et nota, adeo eſſe neceſſariam hujuſmodi proteſtationem, ut ſi omittatur etiam ex oblivione inculpabili, & ſequatur mutilatio, accuſator fiat irregularis; quæ proteſtatio fieri debet coram judice, petendo ſolam redintegrationem, vel ſolam damni inferendi impeditionem, & quod nullo modo intendit cauſam ſanguinis: ex capite 2. de homicidio in 6. Et hanc proteſtationem debet præmittere etiam laicus, ſi non vult fieri irregularis. Et proinde ſi Clericus conſulens accuſationem, ſimul conſulat proteſtationem non fit irregularis, quia ſi non fit irregularis accuſans cum proteſtatione, multo minus conſulens accuſationem & proteſtationem. Plura videas in Sayro loco cit. Quinam accuſantes excuſentur ab incurrenda irregularitate?

V. Teſtis in cauſa ſanguinis fit irregularis; quia tametſi juſte, cooperatur proxime mutilationi, aut morti, ita ex capite *ſi quis viduam* diſt. 50. Neque excuſare valet proteſtatio, quæ dumtaxat excuſat, dum agitur de proprio intereſſe, capite *Prælatis* 2. de homicidio. Hinc Quid de Teſte?

Cle-

Digitized by Google

Clerici non ſunt compellendi ad teſtimonium ferendum contra reum in tali cauſa. Ab auctoribus autem excuſatur ab irregularitate teſtis, qui ex metu gravi compellitur ad teſtimonium ferendum in cauſa ſanguinis, quia ſicuti hic metus excuſat ab incurrendis cenſuris, ita etiam ab iſta irregularitate; nec non quando a jure naturæ inducitur ad teſtandum contra proditorem Patriæ, aut in proprio intereſſe, ut diximus.

Quid de Advocato, & aliis miniſtris? VI. Advocatus contra reum, Procurator, Fiſcalis, aliique miniſtri tribunalis in cauſa ſanguinis incurrunt irregularitatem, quin adjuventur a proteſtatione: ita ex juribus allatis.

§. XI. *De irregularitate ex defectu Lenitatis propter bellum.*

Quinam ratione belli illam incurrant? I. PUgnantes in bello etiam juſto mutilando, occidendo, irregularitatem incurrunt defectu lenitatis: ex capite *petitio tua* de homicidio. Conſulens autem Principi bellum juſtum, non fit irregularis ex dicto capite *petitio tua*. Clerici qui interſunt bello juſto, non incurrunt illam, ſi hortentur milites ad viriliter agendum, fortiter dimicandum &c. in bello juſto, ex laudato capite. Similiter neque Duces exercitus, Conſiliarii militares, Tibicines, Timpaniſtri, aliique officiales eam non incurrunt, dummodo per ſe neque occidant, neque mutilent: neque conficientes, vendentes, præbentes arma pro bello juſto, ex laudato capite. Secus autem ſi bellum ſit injuſtum; tunc enim præfati omnes ſunt irregulares, immo etiam ſarcinas cuſtodientes, & alio quovis modo cooperantes; quia revera cooperantur morti & mutilationi culpabili, nec excuſantur a laudato capite *petitio tua*.

Clerici pugnantes. II. Clerici pugnantes in bello juſto de licentia Pontificis, illam non incurrunt; ſicuti neque præbentes arma ad pugnandum generaliter, dummodo non contra hunc aut illum determinate; neque pugnantes juſte pro defenſione Patriæ, neceſſitate poſtulante.

* Vide *Inſtit.* 101. Em. Cardinalis Lambertini poſtea S. P. Benedict. XIV., ex qua ad rem hanc plura excerpſimus, atque edidimus *Tom. 1. Tract. IV. cap. IX. §. IV. poſt num. XXX.*

§. XII. *De Irregularitate ob exercitium medicinæ, chirurgiæ, &c.*

Quando Medici, & Chirurgi illam incurrant? I. LAici exercentes Medicinam, aut Chirurgiam ſecundum regulas artis non incurrunt irregularitatem, quamvis mutilent, aut inculpabiliter vitam adimant; quia non agunt ex defectu lenitatis, ſed ad ſuccurrendum proximo. Si autem ex negligentia eorum gravi infirmus compellatur mutilationem ſubire, aut mortem, tunc illam incurrunt ex delicto.

Aſſiſtentes infirmo, &c. II. Aſſiſtentes infirmo, ſi aſſiſtentiam præſtent debita cautela, & diſcretione, etiamſi per accidens ei mors acceleretur, non incurrunt irregularitatem, neque ex defectu lenitatis, neque ex delicto: bene vero ſi ex gravi omiſſione cautelæ, & diligentiæ. Similiter ſuadens alicui actionem aliquam piam, puta ſe projiciendi in flumen, ſcientem natare, quamvis cum aliquo periculo, ut liberet aliquem certo ſubmergendum, & reapſe ipſe quoque ſubmergatur, non incurrit irregularitatem, quia non intendit mortem ſe projicientis, ſed liberationem illius, cui imminet immerſio.

Clerici exercentes Medicinam &c. III. Clerici etiam beneficiarii non incurrunt illam, exercendo medicinam vel chirurgiam ſecundum regulas artis, præter abſciſſionem & aduſtionem, quæ etiam ipſis conceduntur, ſi non ſint in Sacris; abſciſſio & aduſtio prohibentur ſolis conſtitutis in ſacris, ex capite *ſententiam ſanguinis*, *ne Clerici*, *vel Monachi*; & ex cap. *tua nos* de Homicidio. Immo neque conſtituti in Sacris illam incurrunt, quando tempore neceſſitatis, & nullo extante, qui amputet vel adurat, has actiones exercent; quia neceſſitas nulli ſubeſt legi poſitivæ humanæ.

* Diſſenſio eſt inter Doctores, an ſectio, vel apertio venæ comprehendatur ſub inciſione, ita ut Clericus ſacris initiatus ſcindendo venam ad emittendum ſanguinem, ſit irregularis, ſecuta morte. Bonacina cum aliis affirmat contra Rodriguez & Molinam, quia qui venam aperit, proprie dicitur incidere, & huic ſententiæ libenter ſubſcribo, ait Cl. Sylvius *tom. 5. Reſol. Var.* Verb. *Chirurgus poſt concl.* 2.

Animadvertendum autem 1. eſt, quod Clericus exercens officium Medici, vel Chirurgi abſcindendo, vel adurendo ſecundum regulam artis, ſi mors non ſequatur,

tur, non eſt irregularis, quia irregularitas non conſurgit ex quacumque mutilatione, vel abſciſſione, ſed ex ea ſolum quæ dirigitur ad privationem partialis vitæ, & eſt conjuncta cum defectu lenitatis, ut ex illa, quæ fit a judice, vel a miniſtro juſtitiæ; ex illa autem, quæ ordinatur ad vitam conſervandam non oritur.

Animadvertendum 2. eſt, quod Sacerdos, qui ſecundum regulam artis applicat emplaſtrum mollificativum, quo apoſtema ſeſe aperit, & mors inde ſequitur, ſine ejus culpa, non eſt pariter irregularis; quia non exercet chirurgiam ſcindendo, vel urendo. Idemque judicium eſt, ſi ſecundum peritiam artis jubet, vel conſulit inciſionem, vel aduſtionem; quia Clericis inhibetur ipſa inciſio & aduſtio; non autem mandatum, vel conſilium de incidendo vel adurendo; cenſura vero, vel pœna lata contra facientes, non ligat mandantes & conſulentes, niſi exprimatur. Sic cum aliis præcitatus Sylvius *concl.* 3. *&* 5. Legatur etiam S. P. Benedictus XIV. *de Synod. Diœc. lib.* 13. *cap.* 10. ubi plura docet circa hanc materiem.

§. XIII. *De irregularitate propter homicidium ad ſui, proximi, & cæterarum rerum defenſionem, nec non de caſuali.*

Occidens ob defenſionem non incurrit.

I. Occidens aliquem injuſtum invaſorem actualem cum moderamine inculpatæ tutelæ, (juxta dicta in tr. 8. c. 2. §§. 1. 2. 3.) ut ſe defendat a morte, vel gravi vulnere, non incurrit irregularitatem: ex Clement. *ſi furioſus* de Homicidio: idemque dicendum de defendente ſuam pudicitiam, aut notabilem quantitatem bonorum temporalium neceſſariorum ad conſervandum ſtatum ſuum juſte acquiſitum, nec non de defendente vitam proximi ſui; intellige ſemper cum moderamine, loco citato explicato: & circa hoc caute legendus eſt Bonacina de irregularitate qu. 4. puncto 6. ubi docet theſim, quæ poſt ipſius mortem damnata fuit ab Alexandro VII. num. 18. circa occidentes judicem &c.

Citata ab Auctore Clementina eos dumtaxat ab irregularitate eximit, qui occidunt, cum aliter mortem propriam vitare nequeunt. Quare irregularis evadit, qui alium necat vel ob honoris, aut bonorum defenſionem; vel ut ſervet vitam Patris, Fratris, alteriuſve conſanguinei aut proximi innocentis, quam aliter ſervare non poteſt; hi enim caſus minime excipiuntur. Lege Contin. Prælect. Theolog. Honorati Tournely *Tract. de irregular. Part.* 2. *c.* 8. *art.* 2. & ea quæ addita ſunt *tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 2. §. 2. *poſt num.* 3. *&* §. 3. *poſt num.* 4.

Homicidium caſuale.

II. Homicidium mere, & ſimpliciter caſuale illud eſt, quod præviderì nec potuit, nec debuit, neque in ſe, neque in ſua cauſa; & hoc ſi eveniat, non inducit irregularitatem; ex capite *lator*, & ex capite *dilectus* de Homicidio, quippe quod non ſit voluntarium: ſecus autem dicendum de interpretative volito in ſua cauſa; quemadmodum etiam de occidente, vel mutilante hominem, dum daret operam rei illicitæ habenti adnexum periculum homicidii, vel mutilationis; quia etiam hoc reputatur ſufficienter volitum in ſua cauſa. Hinc aromatarius conficiens medicinas ex rebus corruptis, unde infirmus moriatur, incurrit irregularitatem. Magiſter indiſcrete tractans diſcipulos, aut percutiendo ita, ut ex verberibus ſequatur mors, vel mutilatio, fit irregularis: puta ſi projiciens contra aliquem magno impetu librum, excutiat oculum, aut auriculam adeo frequenter & indiſcrete trahat, ut graviter lædatur, marceſcat, & amputari debeat &c. Ita etiam mandans v. g. Titio, ut fuſtibus percutiat Sempronium, qui in rixa Titium mutilat, vel occidit, mandans ille incurrit irregularitatem; quia juſſit actionem, cui adnexum erat tale periculum. Similiter dormiens cum infantulo, illumque inadvertenter opprimens, & ſuffocans; aut projiciens lapidem in Cajum, excutit oculum a Sempronio parum a Cajo diſtantem; aut incutiens terrorem etiam ex joco mulieri prægnanti, quæ ob dictum terrorem abortum fœtus animati ſubeat: aut notabiliter negligens in cuſtodienda fera, quæ exinde fugiens aliquem dilaniet, vel detruncet; fiunt omnes illi irregulares ob dictam rationem.

Caſus varii.

§. XIV. *De irregularitate propter homicidium, vel mutilationem voluntariam.*

Circa hoc notanda.

I. Homo baptizatus occidens, vel mutilans ſufficienti voluntate hominem, incurrit irregularitatem: ita ex pluribus textibus juris, quos referre eſt ſuperfluum. Sed attente nota, quod nomine

ne

Digitized by Google

ne membri mutilati, non intelligitur quæcumque pars humani corporis, ſed illa pars ſignificatur, quæ aut habet officium diſtinctum ab aliis partibus, ut omnes conveniunt, puta manus, pes, naſus, auricula, oculus &c. aut etiam officium conjunctum cum aliis partibus, puta digitus manus, ut docent Cajetanus 2. 2. quæſt. 68. art. 1. & Sotus lib. 5. de juſt. quæſt. 2. art. 1. & alii cum ipſis, contra alios. Hinc mamillam a fœmina abſcindens incurrit irregularitatem; quia illa eſt pars proprium officium habens; ſecus illam ab homine abſcindens, quia nullum officium habet, niſi ad merum ornatum, ut etiam alibi dixi cum Soto.

Mandans. II. Mandans homicidium vel mutilationem, niſi revocet ſerio mandatum, & revocatio innoteſcat mandatario, incurrit irregularitatem, quamvis tacite dumtaxat mandet, ideſt talia verba proferendo, ut ver. gr. ſervus, aut filius ſibi ſuadeant, gratum fore hero, aut genitori ut inimicum mutilet, vel occidat; eo quod ſufficienter inducit, & influit in actum illum: immo etiamſi mandet tantum verberationem, & ex ea ſequatur in verberante, aut verberato mutilatio; ob rationem ſupra allatam; quia mandat actionem, cui adnectitur periculum mutilationis, vel mortis.

Conſulens. III. Conſulens mutilationem, vel mortem, ſimiliter incurrit irregularitatem, cum in effectus illos influat, etiam quamvis revocet, & retractet conſilium; eo quod retractatio non tollat a mente conſiliati motiva, quæ illum induxerunt ad ſtatuendam mutilationem, vel mortem: ad differentiam mandantis & ſerio revocantis, reſpectu mandatarii, in quo tota ratio agendi erat mandatum, quo ſerio revocato, tota aufertur ratio agendi; quæ non aufertur ſola retractatione conſilii reſpectu conſiliati, in quo, ut dixi, remanent motiva, & argumenta inducentia. Putarem tamen (juxta tradita in tract. 9. cap. 5. §. 23. num. 4.) quod quando conſilians affert motiva efficaciſſima, & optime valentia evertere motiva anteriora, ſicut, ut ibidem dixi, me referendo ſapientiori judicio, non tenetur ad reſtitutionem; ita neque hic incurreret irregularitatem. Illam itaque proculdubio incurrunt cooperantes, & conſilium ferentes ad præfatas actiones, ſicuti etiam non impedientes illas, dum ex juſtitia impedire tenentur. Qui ratum habet homicidium, vel mutilationem nomine ſuo patrata, ipſo tamen antea nihil ſciente, non incurrit irregularitatem; ſicuti ex jure ſpeciali incurrit excommunicationem, qui ratam habet percuſſionem Clerici, nomine ſuo factam, quamvis ipſo omnino inſcio.

(Alii cooperantes.)

§. XV. *De Diſpenſatione in Irregularitate.*

I. EX Concilio Trid. ſeſſ. 24. cap. 6. Epiſcopus poteſt diſpenſare cum ſuis ſubditis ſicuti in omni ſuſpenſione, ita in omni irregularitate proveniente ex delicto occulto, & non ad forum contentioſum deducto, excepta illa quæ contrahitur ob homicidium voluntarium. Sicuti etiam diſpenſare poteſt cum illegitimo ad Tonſuram, & Ordines Minores, & ad Beneficium ſimplex, quod non requirat Ordinem majorem; ita ex capite 1. de filiis presbyter. in 6. ſicuti etiam in Bigamia ſimilitudinaria ex cap. 4. de Clericis conjugat: In cæteris autem omnibus irregularitatibus ſolus Pontifex, vel alius habens ab eo privilegium diſpenſat. Et nota quod facultas diſpenſandi in irregularitate nunquam cenſetur conceſſa, niſi clare & diſtincte exprimatur. Ita Stylus Curiæ. Diſpenſantes in irregularitate.

* De diſpenſatione Irregularitatis plura docet ſcitu digna Continuator Tournely *tract. de Irregularit. part.* 3. *cap. ult.* & præſertim declarat, quandonam delictum in præſenti materia occultum dicatur, & quandonam deductum ad forum contentioſum, ut pariat irregularitatem: *Regula* autem 7. cenſet Irregularitates Papæ reſervatas, in duplici caſu ab Epiſcopo relaxari poſſe. 1. quidem cum dubiæ ſunt. Ratio eſt, quia reſervatio, utpote odioſa, reſtringi debet ad caſus certæ irregularitatis: unde Epiſcopi in dubio caſtitatis voto, dubia cenſura, dubio & incerto matrimonii impedimento diſpenſare poſſunt. Videatur Fagnanus in cap. *Veniens*, *de filiis Presbyt.* 2. eædem irregularitates ab Epiſcopo relaxari poſſunt vel in perpetuum, vel ad tempus, cum irregularis vel nunquam ad Apoſtolicam Sedem recurrere poterit propter paupertatem ſuam; vel ſaltem hic & nunc recurrere nequit ob imminens ſcandalum.

Ratio

Digitized by Google

Ratio eſt, quia alioqui reſervatio eſſet in deſtructionem.

Prælati Regulares. II. Paulus III. Generali Societatis Jeſu, & per communicationem etiam aliis Religionum Prælatis conceſſit privilegium diſpenſandi in omnibus irregularitatibus ſuos ſubditos, exceptis illis, quæ incurruntur ob homicidium voluntarium, mutilationem, & Bigamiam. Immo Benedictus XIII. in Bulla quæ incipit *Pretioſus* data anno 1727. §. 25. concedit Prælatis Ordinis noſtri, *Diſpenſare poſſe ſuper quavis Irregularitate; ex homicidio voluntario orta dumtaxat excepta. Poſſit tamen ſolus Magiſter Ordinis ab irregularitate hujuſmodi diſpenſare cum fratribus ſuis ſubditis, dummodo homicidium non fuerit appenſatum, & intra Clauſtra extiterit conſummatum.* Quando diſpenſatur in irregularitate, poteſt diſpenſans hac formula uti juxta Rituale. Auctoritate mihi conceſſa diſpenſo tecum ſuper irregularitate, quam contraxiſti ob talem cauſam; & habilem te reddo, & reſtituo te executioni Ordinum, & officiorum tuorum, & ad omnes Ordines ſuſcipiendos; ſi pœnitens Ordine ſacro careat.

* Animadverſione dignum eſt quod præcitatus Continuator Tournely docet *ibid. Regula* 2. nimirum irregularitatem quamlibet ex delicto proprio conſurgentem tolli per Baptiſmum; vel accuratius loquendo, nullam irregularitatem ante Baptiſmum incurri ratione proprii delicti. Ratio eſt, quia Baptiſmus omnem maculam, ac proinde omnem, quæ ex ea macula ſequi poſſet, indecentiam tollit: unde ex conſequenti aufert omne fundamentum irregularitatis ex delicto, quæ poſt Baptiſmum ſuboriri poſſet. Aliud eſt, *ſubdit*, de irregularitate ex defectu, niſi defectus ſit lenitatis; nam bigami, illegitimi, laborantes aliquo corporis vel animæ defectu, quo quis ad Ordines inhabilis ſit, accepto etiam Baptiſmo ad Clericatum abſque diſpenſatione promoveri non poſſunt.

TRACTATUS XVI.

DE STATU RELIGIOSO.

CAPUT PRIMUM.

DE NOTIONE

STATUS RELIGIOSI, EJUSDEMQUE OBLIGATIONIBUS.

§. I. *Explicatur Notio Status Religioſi.*

Notio Status Religioſi. I. A Religione, inter morales virtutes eminentiori, nomen Status Religioſi depromptum dignoſcitur; illius namque officium, in præſtando cultum Deo tanquam Supremo univerſarum creaturarum Domino, poſitum eſſe, fatentur omnes. Cum igitur a quocumque Statu Religioſo cujuſvis Inſtituti ſpecialis emittatur profeſſio, ſe exercendi in operibus ad divinum cultum vario modo tendentibus; hinc factum eſt, ut hujuſmodi ſtatus vitæ, Status Religioſi nomine donaretur. Vox autem Status, ex ipſa ſuimet ſignificatione, immobilitatem quandam, ſeu ſtabilitatem refert; itaut qui in hunc ſtatum cooptari deſideret, ad opera divini cultus, ab unoquoque religioſo Inſtituto præſcripta, ſe firmiter, ſtabiliter, & uſque ad mortem dicare conſtituat. Ex his definiri poteſt Status Religioſus cum S. Thoma 2. 2. qu. 186. art. 2. *Diſciplina quædam, ſeu exercitium perveniendi ad perfectionem;* & quidem per obſervantiam trium votorum ſolemnium, Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ, veluti per media præcipua; nec non per obſervantiam, & praxim aliarum virtutum &c.

Requiritur Eccleſiæ approbatio. II. Requiritur ad ſtatum Religioſum proprie talem; quod ſit approbatus ab Eccleſia, ut habetur ex c. *nimia* Concil. Later. 4. tit. de Relig. domib. & ex Greg. IX. cap. unico de Relig. domib. in 6. Ratio quoque idem manifeſtat; nam vota paupertatis, & obedientiæ religioſæ requirunt auctoritatem Superioris, gaudentis ſpirituali juriſdictione: paupertas namque poſtulat, non poſſe uti aliqua re temporali, ſine dependentia a Superiore; quemadmodum

dum & obedientia, reſpicit præceptum Superioris, Chriſti vicem gerentis, quam auctoritatem nemo habere poteſt, niſi ex Eccleſiæ approbatione, a qua profluit quæcumque juriſdictio ſpiritualis.

Requiritur trium votorum emiſſio.

III. Requiritur inſuper emiſſio trium votorum prædictorum, ut aperte docet S. Th. loc. cit. aa. 3. 4. & 5. Quandoquidem ſtatus religioſus eſt quædam ſchola perfectionis acquirendæ; perfectioni autem, quæ in ſtricta cum Deo conjunctione conſiſtit, maxime adverſantur tria illa a S. Joanne in ſua 1. Epiſt. c. 2. indicata, nempe *concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ:* idcirco neceſſe eſt, ut ad perfectionem religioſam tendens, his tribus omnino vale dicat; quod efficitur per emiſſionem illorum trium votorum ſolemniter factam; qua perſona ſub religionis poteſtate conſtituatur, ab eademque nomine Eccleſiæ acceptetur, ut exinde reciproco pacto vovens fiat membrum Religionis, & Religio evadat mater, rectrix, & domina religioſi; qui cum ſe devoverit Religionis ſervitio juxta propria inſtituta: ipſa quoque ad eundem alendum, & gubernandum quoad tempus totius vitæ fideliter teneatur.

Emiſſio votorum ſub certa Regula.

IV. Hinc præfatorum votorum emiſſio, ab Inſtituto aliquo Regulari Eccleſiæ nomine acceptatorum, fieri debet ſub determinata aliqua norma, ſeu regula vivendi, nempe juxta Conſtitutiones ab Eccleſia approbatas, quas in ſingulis Ordinibus Regularibus profitentur illi, qui eiſdem adſcribuntur: non enim hactenus apparet, fuiſſe in Eccleſia diverſo modo emiſſa prædicta vota, ut docent Navarrus lib. 3. Conſil. tit. de Regularib. Conſil. 9., Rodericus tom. 3. q. 21. art. 1. & q. 78. a 2. Lezana tom. 1. c. 2. nu. 1. & alii. Quandoquidem Conſtitutiones Ordinum nedum ſunt præfatorum votorum antemurale, verum etiam media neceſſaria ad conſequendum finem, quem unaquæque Religio, ad inſerviendum Deo, atque ad perficiendos ſuos alumnos, ſibi præfixit.

§. II. *De obligatione tendendi ad perfectionem, eſſentialem eidem ſtatui.*

In quo conſiſtat ſcopus perfectionis Religioſæ?

I. CUM juxta S. Thomam 2. 2. q. 186. a 2. ſcopus, ad quem collimat ſtatus Religioſus, (*qui eſt diſciplina vel exercitium perveniendi ad perfectionem*) ſit ipſa perfectio; & hæc perfectio, ex eodem S. D. ibidem, ſit perfectio Charitatis, ait enim: *Perfectio Charitatis eſt finis ſtatus Religioſi*, idcirco explicandum eſt, quid ſignificetur nomine perfectionis charitatis. Perfectio charitatis in hac peregrinatione aſſequibilis in eo videtur poſita, quod anima, habitu jam charitatis ornata, ex vi repetitorum actuum virtutum moralium ita paſſiones immoderatas domuerit, ſenſuſque ſui corporis ita cohibuerit, ut ei promptum ac facile, ſit in actus virtutum theologalium, & præcipue amoris erga Deum frequenter erumpere, necnon imperare aliis facultatibus praxim aliarum virtutum moralium, quin reſiſtentiam aut ullam, aut valde modicam experiatur; eapropter facillimum eidem ſit, quoſcumque actus virtutis tam ad Dei gloriam, quam ad proximi utilitatem operari, juxta ſpiritum, vocationemque proprii Inſtituti: & circa hanc perfectionem, quæ eſt ſcopus ſtatus Religioſi, poteſt religioſus ſemper proficere, tam quoad intenſionem actuum virtutum, & præcipue amoris in Deum, quam quod extenſionem imperativam hujus amoris ſuper actus aliarum virtutum; & exinde habituali quadam & fere continua gaudeat conjunctione cum Deo intellectuali, & affectiva. Propterea notandum, quædam eſſe media neceſſaria cuicumque perſonæ pro quocumque ſtatu ad perfectionem tendenti; & ſunt cohibitio paſſionum per praxim virtutum theologalium, & moralium, mortificatio ſenſuum, & Orationis ſtudium; quædam vero eſſe neceſſaria in particulari, & reſpective ad ſtatum perſonæ ad perfectionem tendentis; & hujuſmodi ſunt pro ſtatu Religioſorum præter modo indicata, omnibus communia, obſervantia exacta votorum ſolemnium, & regularum proprii cujuſque Inſtituti: & in hoc ſenſu docuit S. Thomas 2. 2. qu. 186. art. 2. in arg. ſed contra: quod *Ad ea quæ ſunt ſupererogationis non tenetur aliquis, niſi ex propria obligatione; ſed non quilibet Religioſus obligat ſe ad omnia, ſed ad aliqua determinata, quidam ad hæc, quidam ad illa, non ergo omnes tenentur ad omnia:* & in fine corporis articuli concludit: *Non tenetur Religioſus ad omnia exercitia, quibus ad perfectionem pervenitur, ſed ad illa, quæ determinate ſunt ei taxata ſecundum regulam, quam profeſſus eſt.* Per quæ verba non excludit S. D. tria memorata nempe cohibitionem paſſionum, mortificationem ſenſuum, & orationis ſtudium, communia, ex Evangelio, quibuscun-

buſcunque tam Eccleſiaſticis, quam Sæcularibus, perfectionem aſſequi optantibus: quippe quæ ſint media neceſſaria ad charitatem nedum augendam, ſed & conſervandam: ſed ly *non omnia*, ab Angelico indicata, ſunt quæ omnino ſupererogatoria ſunt; puta corporis cruciatus per cilicia, flagellationes, ſeveriſſima jejunia, longas vigilias, aliaque ſimilia, quæ paſſim leguntur a Sanctis adhibita; ad hæc, inquam, non tenetur Religioſus ex vi hujus obligationis, ſed prout hujuſmodi, aut alia præſcribuntur a ſua regula.

Quo niſu teneatur Religioſus tendere in hanc perfectionem?

II. Ad hunc felicem Perfectionis terminum conari tenetur ex vi profeſſionis ſuæ quæcunque Religioſa perſona, non quocunque modo; ſed, ut verbis Auctorum a Collegio Salmanticenſi adprobatorum, tr. 15. c. 1. punct. 2. a 16., utar, *tenetur ſemper, totis viribus, magnoque ſtudio*, præfatam perfectionem procurare; eo quod vel ſit de ipſa ſtatus Religioſi eſſentia, ut tenet probabilior, ex data definitione S. Thomæ; vel ſaltem proprietas inſeparabilis ſtatus religioſi, ut contendunt alii; concordantibus alioquin omnibus, teneri Religioſum ſub mortali, nunquam deponere animum ſincerum conandi, ſtudendi, procurandi ad præfatam perfectionis metam pervenire: & hujus obligationis executio, ut ajunt indicati ſcriptores, (minime de ſeveritate doctrinæ ſuſpecti) conſiſtit in *continuo quodam motu* erga perfectionem: itaut nunquam ab hoc motu, & progreſſu Religioſus homo quieſcat, nec dicat; ſatis eſt; ſed ſemper ad altiora adſpiret, juxta vocationem ſui Inſtituti.

Animadverſio valde notanda.

III. Cum igitur hæc vera ſint, & ab univerſis admiſſa, nonne videtur juſtum, & rationabile motivum habuiſſe eximius ille ac piiſſimus Doctor Martinus Navarrus, Canonicus Auguſtiniani Inſtituti profeſſor, dicendi in cap. *quia porro* 12. q. 1. n. 10. hæc verba: *Terribilis eſt multis Religioſis hæc ſententia, qui neque actu, ſeu actualiter, nec virtute, ſeu virtualiter habent animum ſe in dies magis in charitate perficiendi; nec curant plus quam boni Clerici ſæculares, vel laici ad eam tendere*? Qua enim veritate affirmare poteſt Religioſus, ſe habere animum ſincerum, volentem, ſollicitum tendendi *magno ſtudio, totiſque viribus* ad perfectionem charitatis, qui contentus abſtinere a peccatis mortalibus, modicam, vel nullam ſollicitudinem impendit abſtinendi a venialibus deliberatis? qui in ſenſibus ſui corporis reprimendis nullum ſtudium adhibet? qui viam pœnitentiæ & mortificationis quaſi omnino ignorat? qui quaſdam regulares obſervantias jam ſtabiliter dimiſit, quaſdam raro exequitur, cæteras ex mera conſuetudine abſque ullo ſpiritus fervore perficit? qui quæ Dei ſunt, pluribus diſtractionibus, negligentiis, deordinationibuſque commaculat? qui orationi vacandi nulla cura tangitur? qui converſandi cum Deo in corde ſuo nullum penitus uſum habet? qui temporis inſumendi in ludis, ſolatiis, ſpectaculis, aliiſque dedecentibus modis nullo conſcientiæ ſtimulo pungitur? qui totus eſt in propriis commodis procurandis, in magna fama ſibi concilianda, qui, ut paucis multum dicam, hujus graviſſimæ obligationis tendendi ad perfectionem charitatis tali oblivione occupatur, ut fere nunquam menti ſuæ ſe illa offerat; eamque ſe offerentem, concito gradu vix tranſeuntem dimittit? Hujuſmodi religioſus, repeto, dici poterit *magno ſtudio, totiſque viribus* ad perfectionem charitatis conari, quemadmodum ſua requirit obligatio ſub gravi? Nonne igitur merito jure protulit Navarrus, terribilem eſſe multis Religioſis hanc ſententiam?

Illatio valde notanda.

IV. Hinc nedum mortaliter peccat Religioſus, qui relinquit media ad perfectionem conducentia juxta ſtatus ſui vocationem, ex contemptu, nempe ex animo ſe non ſubjicendi regulis, ut explicat S. D. loc. cit. a. 9. ad 3.; nedum peccat mortaliter, juxta omnes, qui eegulas non obſervat eo pravo fine, ut ſuam perfectionem impediat; nedum qui ſuo pravo exemplo regulæ relaxationem inducit, vel ampliat; verum etiam lethaliter peccat, juxta Sylveſtrum verbo Religio c. 1. q. 3., Tabienam verbo Religio q. 4. n. 5. Cordubam in regul. S. Franciſci q. 3. dub. 3., Aſcanium Tamburinum de jure Abbatum tom. 3. diſp. 3. q. 6. n. 3. Garziam tom. 1. tract. 5. definit. 2. dub. 7. n. 2., Lezanam tom. 1. cap. 1. n. 10., Barboſam de Jure Eccleſ. lib. 1. cap. 42. n. 12. & Colleg. Salm. loc. cit. nu. 21., & alios, qui contentus ſervare præcepta regulæ ſub gravi obligantia, conſuetudinem habet tranſgrediendi cætera tale vinculum non afferentia; nullam rationem habens de ſui Ordinis Conſtitutionibus, vitamque tranſigens modo dudum deſcripto: idque probant indicati Auctores ex S. D. qui loc. cit. a 2. docet: *Tertio modo pertinet aliquid ad perfectionem inſtrumentaliter, & diſpoſi-*

Digitized by Google

ſpoſitive, ſicut paupertas, continentia, abſtinentia, & alia hujuſmodi. Dictum eſt autem quod ipſa perfectio charitatis eſt finis ſtatus religioſi. Manifeſtum eſt autem, quod ille, qui operatur ad finem, non ex neceſſitate convenit, quod jam aſſecutus ſit finem; ſed requiritur, quod per aliquam viam tendat ad finem: & ideo qui ſtatum religionis aſſumit, non tenetur habere perfectam charitatem, ſed tenetur ad hoc tendere, & operam dare, ut habeat charitatem perfectam . . . Similiter etiam non tenetur ad omnia exercitia; quibus ad perfectionem pervenitur, (cum hæc ſint pene innumerabilia, immo quamplura etiam ſuæ vocationi adverſantia, ut patet) *ſed ad illa, quæ determinate ſunt ei taxata ſecundum regulam, quam profeſſus eſt*: atqui Religioſus vitam ducens modo ſuperius deſcripto, non adhibet inſtrumenta, & media ad perfectionem conſequendam, neque ad id operam dat, dum non vivit juxta ea, quæ ſibi ſunt per regulam taxata; ergo vivit modo contrario illi, ad quem gravi obligatione tenetur: ergo notabiliter violat obligationem gravem tendendi ad perfectionem.

Præſtat integrum D. Thomæ textum adferre, ut clare innoteſcat, in quo ſita ſit perfectio, ad quam omni niſu adſpirare tenentur quicumque ſeſe Deo per ſolemnem profeſſionem dicarunt, quidque agere debeant, ut huic obligationi ſatisfaciant: *Dicendum*, inquit *S. D. 2. 2. q. 186. art. 2. in corp., quod ad perfectionem aliquid pertinet tripliciter. Uno modo, eſſentialiter. Et ſic, ſicut ſupra dictum eſt, ad perfectionem pertinet perfecta obſervantia præceptorum. Alio modo ad perfectionem pertinet aliquid conſequenter: ſicut illa quæ conſequuntur ex perfectione charitatis, puta quod aliquis male dicenti benedicat, & alia hujuſmodi impleat, quæ etſi ſecundum præparationem animi ſint in præcepto, ut ſcilicet impleantur, quando neceſſitas requirit, tamen ex ſuperabundantia charitatis procedit, quod etiam præter neceſſitatem quandoque talia impleantur. Tertio modo pertinet aliquid ad perfectionem inſtrumentaliter, & diſpoſitive, ſicut paupertas, continentia, abſtinentia, & alia hujuſmodi. Dictum eſt autem, quod ipſa perfectio charitatis eſt finis ſtatus religionis. Status autem religionis eſt quædam diſciplina, vel exercitium ad perfectionem perveniendi; ad quam quidem aliqui pervenire nituntur exercitiis diverſis, ſicut etiam medicus ad ſanandum uti poteſt diverſis medicamentis. Manifeſtum eſt autem, quod ille, qui operatur ad finem, non ex neceſſitate convenit, quod jam aſſecutus ſit finem, ſed requiritur quod per aliquam viam tendat ad finem. Et ideo ille qui ſtatum religionis aſſumit, non tenetur habere perfectam charitatem ſed tenetur ad hoc tendere, & operam dare, ut habeat charitatem perfectam. Et eadem ratione non tenetur ad hoc, quod illa impleat, quæ ad perfectionem charitatis conſequuntur. Tenetur autem, ut ad ea implenda intendat, contra quod facit contemnens. Unde non peccat ſi ea prætermittat, ſed ſi ea contemnat. Similiter etiam non tenetur ad omnia exercitia, quibus ad perfectionem pervenitur, ſed ad illa, quæ determinate ſunt ei taxata ſecundum regulam, quam profeſſus eſt*. Itaque juxta S. D. perfectio, ad quam anhelare debent qui ſe per ſolemnem profeſſionem Deo mancipabunt, eſt perfectio charitatis; quamvis enim ipſi non teneantur habere charitatem perfectam, attamen adſtringuntur ſemper operam dare, ut habeant charitatem perfectam: unde talis obligatio, quam contrahunt in ſua profeſſione conſiſtit in continuo quodam motu tendendi ad hanc charitatem perfectam acquirendam; ita ut ab hoc motu, & progreſſu numquam quieſcant. Ut autem gravi huic obligationi ſatisfaciant, non tenentur tendere, & obniti ad perfectionem per omnia opera conſiliorum, aut ſupererogationis, ſed per illa tantum quæ ſunt ſecundum regulam, & obſervantiam ſuæ Religionis.

Cl. Sylvius D. Thomæ doctrinam expendens, ſic ſuo commentario eam illuſtrat. „ Docet, *ait*, non quemlibet Re„ ligioſum teneri ad omnia conſilia: quo„ niam ad ea quæ ſunt ſupererogationis „ non tenetur aliquis niſi ex propria obli„ gatione, quando nimirum non occurrit „ caſus neceſſitatis; qui ſi occurreret, jam „ non eſſent conſilia, ſed præcepta: at„ qui non omnes Religioſi ſe obligant ad „ omnia conſilia, ſed ad aliqua determi„ nata: ergo non omnes tenentur ad il„ la. Confirmatur; quædam conſilia ſunt, „ quæ conſequenter ſe habent ad perfe„ ctionem, veluti benedicere maledicenti„ bus, & rapienti pallium, addere & „ tunicam; ſed religioſi non tenentur ad

„ hoc

„ hoc, ut jam habeant perfectionem; ergo non tenentur ad illa conſilia actualiter exequenda, extra tempus, quo honor Dei, aut ſalus proximi peculiariter id requirat. Quo caſu quilibet Chriſtianus ad ea tenetur. Probatur conſeq. Qui enim ad finem aliquem tendit, non eſt neceſſe, quod eum jam ſit adeptus, ſed oportet, quod ad eum conetur: religioſi autem ſunt in ſtatu tendendi ad perfectionem: & qui religionem profitentur; non profitentur, ſe eſſe perfectos, ſed profitentur, ſe adhibere ſtudium ad perfectionem conſequendam. „

„ Quod autem attinet ad ea conſilia, quibus ad perfectionem poteſt perveniri: neque ad illa omnia tenentur Religioſi, ſed ad illa ſola, quæ ſecundum uniuſcujuſque religionis regulam ſunt præſcripta: quoniam ad alia non tenentur ex præcepto, cum ea nullus legitime ipſis præcipiat; nec tenentur etiam ex voto, cum illa non voverint; & ſatis eſt ut tendere, ac pervenire poſſint ad perfectionem, per obſervantiam regularem ſui Inſtituti, quando quidem illud Inſtitutum ſit per Eccleſiam probatum velut ad iſtum finem ſufficiens. „

„ Ceterum, *ſubdit*, etſi Religioſus non ad omnia conſilia teneatur, ideoque non peccet eorum obſervantiam prætermittendo, aut prætermittere volendo, ſi tamen illa contemnat, graviter peccabit. Contemnit autem non qui tantum ea negligit, ſed qui ea vel ſecundum ſe, vel ſecundum quod a Chriſto conſuluntur vilipendit, ſciens ac volens nihili, aut parvi æſtimans ea quæ Chriſtus tanquam magna, multumque ad perfectionem decentia conſuluit. Quod peccatum quamvis in omnibus grave foret, maxime tamen in Religioſis, qui cum faciant profeſſionem acquirendæ perfectionis, peculiariter in eis eſt irrationabile, quod parvipendant ea, quæ ad perfectionem ſunt a Chriſto data conſilia, ideoque grave peccatum mortale in ipſis foret; ſicuti, & graviter peccarent, ſi ſic conſilia contemnerent, quod firmiter ſtatuerent ea non ſervare; quia hoc eſſet animum firmare contra ſpiritualem profectum. „ Hucuſque præcitatus Theologus.

Hinc colligunt Salmanticenſes *Tract.* 15. *cap.* 1. *punct.* 1. *n.* 18., obligationem tendendi ad perfectionem, quam contrahunt Religioſi, non eſſe diſtinctam ab obligatione ſervandi vota, & obſervantias regulares ſuæ profeſſionis, ſed eſſe eamdem cum illa, vel in ea imbibitam; ſicut obligatio obediendi Deo, ei placendi, in eoque ultimum noſtrum finem collocandi, non eſt diſtincta ab obligatione ſervandi mandata Dei, ſed in ea incluſa. Ex quo fit, *ſubjungit*, non committere duplex peccatum in confeſſione detegendum, Religioſum, qui contra aliquod votum, vel præceptum delinquit: unum contra illud, & aliud contra iſtam obligationem; ſed unum dumtaxat; quia una eſt obligatio, quæ frangitur.

Sentiunt autem ibidem *num.* 22. quod non tenetur Religioſus vi hujus obligationis domitas, & ſuperatas habere paſſiones inordinatas, dummodo ad illas evincendas conetur, quia per hoc ſuæ ſatisfacit obligationi. Sicut miles, cui imperatum eſt cum hoſte pugnare, adimplet præceptum præliando, tametſi non vincat inimicum.

V. Objicies: S. D. loc. cit. docet, ſolum contemnentem inſtrumenta ad perfectionem acquirendam, agere contra debitum tendendi ad perfectionem; ait enim: *contra quod facit contemnens*: idemque repetit in reſp. ad 1. *& ideo religioſus non eſt tranſgreſſor profeſſionis, ſi non ſit perfectus, ſed ſolum ſi contemnat ad perfectionem tendere*: igitur quamvis Religioſus non obſervet regulas conſtitutioneſque ſui Ordinis. quamvis deſidioſe vivat, & ad venialia precavenda, virtuteſque exercendas ſuæ vocationi congruas, modicam ſollicitudinem habeat; quæ alioquin ſunt media, & inſtrumenta perfectionis acquirendæ, dummodo abſit contemptus, & præcepta, votaque cuſtodiat, non erit gravis tranſgreſſor obligationis tendendi ad perfectionem. Objectio proponitur.

VI. Reſpondeo in primis, objectionem propoſitam illud deducere, quod neque per ſomnium potuit Angelicus verbis a ſe prolatis docere: Qua enim ratione dici poterit, quod S. D. qui præciſe ſtatuit, *requiri, quod per aliquam viam Religioſus ad finem perfectionis tendat*: *& teneri operam dare, ut habeat charitatem perfectam: teneri ut ad ea implenda intendat, quæ perfectionem charitatis conſequuntur, juxta ea quæ ſibi ſunt taxata per regulam*: & deinde immediate ita Religioſum dimiſerit libertati ſuæ, ut ſub gravi non teneatur, niſi ad ea, ad quæ tenentur univerſi Chriſtifideles, qui ut ſalutem Reſolvitur.

lutem

lutem aſſequantur, ad præcavenda mortalia in ſpecie, unica obligatione tenentur? Quis ſibi fingere poterit, ut Religioſus, quem univerſi Theologi cum eodem Angelico aſſerunt, teneri *ſeria diligentia*, *perpetuo conatu*, *impenſoque ſtudio* ad perfectionem charitatis nanciſcendam, relictus fuerit ab Angelico plenæ ſuæ libertati, exequendi, vel non exequendi ea media, quæ neceſſaria ipſe aſſeruit ad perfectionem attingendam, etiamſi ſtabiliter, perpetuo, aut plerumque illis non utatur; & a quocumque reatu abſolvatur, poſito, quod illa media non contemnat? Quid, amabo, amplius exigitur a laico fideli, vel Clerico? Non ne etiam iſti, ſi opera ſupererogationis ex contemptu non faciant, lethaliter peccant? In quo igitur diſcernetur obligatio illorum ab obligatione Religioſi Deo mancipati? Non tenentur illi tendere ad perfectionem charitatis, quia nulla obligatione devinciuntur; non tenetur Religioſus, ex ſenſu objectionis, quia quamquam ſit gravi obligatione affectus, tamen contra hanc graviter non peccat, niſi contemnat: nonne & laicus contemnens ſimiliter peccat? in quo ergo diſcriminabuntur? Vides, lector æquiſſime, hallucinationem, obliquamque intelligentiam verborum S. Doctoris, quæ, nonniſi cum ipſius gravi injuria, poſſunt ad tam perniciofum ſenſum detorqueri.

Difficultatem faceſcit quod aſſerit Auctor *num. præcedenti* nempe, quod Clerici, vel Laici non teneantur ad perfectionem. Etſi namque, ut Doctores plures animadvertunt, ad ſublimiorem illam, ad quam Religioſi anhelare adſtringuntur, minime obligentur; attamen & ipſi ſuo modo ad perfectionem tendere debent; idque clarum eſt tum ex Divina Scriptura, tum ex SS. Patribus. Ex Divina quidem Scriptura. Quippe omnibus Chriſtianis Chriſtus dixit *Matth. c. 5. Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*: *c. 7.*: *Intrate per anguſtam portam*: & *c. 11.*: *Tollite jugum meum ſuper vos*. Omnibus Chriſtianis dixit Paulus *ad Epheſ. 4. Induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis*: & cap. 6. *accipite armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare*. Omnibus Chriſtianis dixit Petrus 1. *c. 1. in omni converſatione ſancti ſitis, quoniam ſcriptum eſt: ſancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum*: & *cap. 2.*: *vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis*. Omnibus Chriſtianis demum dixit Jacobus *c. 1. ſitis perfecti, & integri in nullo deficientes*.

Ex SS. Patribus vero, præcipue ex Ambroſio, & Joanne Chryſoſtomo. *Chriſtianum cum dico*, ait ille *Serm. 17. in pſal. 118. perfectum dico*. *Hoc plane eſt*, inquit iſte *Lib. 3. adverſus vitæ Monaſticæ vituperatores num. 13. quod evertit Orbem univerſum, quod ſummæ vitæ bene agendæ diligentia Monachis opus eſſe arbitramur, ceteris negligenter vivere licere. Non ita plane, non ita eſt, ſed eadem ab omnibus Philoſophiæ ratio requiritur*. Alia plura habet *ibidem*, quæ hoc idem confirmant. Lege inter cæteros Auctorem Operis ex gallico italice exarati, cui titulus: *Avviſi, e Rifleſſioni ſopra le Obbligazioni dello ſtato Religioſo Tom. 1. cap. 2. n. 6. & ſeqq.* ubi materiem hanc verſat, & in propatulo ponit.

VII. Loquitur itaque S. D. de tranſgreſſore non obfirmato, non perpetuo, non tenoris paulo ante deſcripti; ſed de tranſgreſſore, qui ex infirmitate, & cum aliquali horrore ſui defectus, labitur identidem in quaſdam venialitates, & regularum violationes; retinendo tamen animum conſtantem, & firmum proficiendi ad perfectionem charitatis, & reapſe identidem ad hoc conantem, cui animo non repugnat niſi contemptus, prout intelligitur ab Angelico, ideſt animus ſe non ſubjiciendi regulis. Et niſi hoc modo explicetur Angelicus, ſequeretur, quod qui conſtitueret non amplius conari ad perfectionem, cum proteſtatione, quod non faciat ex contemptu, ſed ut indulgeat ſuæ imbecillitati, non peccaret mortaliter; quod tamen a nullo theologorum admittitur; affirmantibus cunctis, animum verum & ſincerum tendendi ad perfectionem, debere eſſe perpetuum, & nunquam deponendum: erit igitur S. Thomas intelligendus vel modo explicato, vel de contemptu etiam dumtaxat implicito, qui a mortali reatu immunis eſſe non poteſt. *Explicatur ſolutio*

VIII. Circa quod, ut clarius me explicem, præmitto tanquam certum, omnes illas actiones, quæ quando ſunt expreſſæ, formales, & explicitæ, habentur ut peccata mortalia, etiam quando ſunt interpretative, virtualiter, & implicite factæ, judicantur tales: do exempla: Simonia nedum formalis, & expreſſa eſt peccatum letha- *Reſponſio ſecunda; & explicatur contemptus implicitus.*

Digitized by Google

thale, verum etiam quando eſt interpretative, virtualis, & implicite ſimonia: & ſimiliter eſt de blaſphemia, de pactis cum dæmone, de uſura gravi, & de quocumque alio crimine mortali; nam quoties verificetur, fuiſſe ſimoniam, blaſphemiam, pactum, uſuram implicite talia, dubio procul mortalia cenſentur: ita quoque eſt de contemptu cujuslibet obligationis; qui cum ab omnibus Theologis affirmetur mortalis, quando eſt expreſſus, formalis, & explicitus; mortalis quoque habendus erit quoties verificetur interpretativus, virtualis, & implicitus. Hoc poſito, ſciſcitor a te, mi dilecte frater, quando cenſebis, aliquem Religioſum reum contemptus impliciti, & virtualis? Reſpondebis, quando ex modo ſe gerendi apparet, ipſum nullam omnino rationem habere alicujus legis, aut obligationis: nempe quando degit in continua obligationis tranſgreſſione firmiter, & ſtabiliter; quando propoſita quacunque occaſione legis violandæ, violat; & propoſita occaſione obſervandæ, non curat; atque ita ſe gerit, ac ſi nullo erga eaſdem vinculo teneretur: ita enim judicamus cæteros divinarum legum implicitos contemptores, legumque Eccleſiaſticarum; qui earumdem cenſentur virtuales, & impliciti contemptores, quando dicta promptitudine, atque ſtabilitate illas tranſgrediuntur, nullam omnino rationem habentes de multitudine, conſuetudine, & firmitate tranſgreſſionum, neque de ſemper majori animi obfirmatione in illis violandis: ex quo enim alio capite deduci poterit contemptus implicitus? Recte reſpondiſti ſciſcitanti; quandoquidem non ſuppetant alia indicia interpretativi, & impliciti contemptoris. Pari igitur modo diſcurrendum erit de contemptore gravis obligationis tendendi ad perfectionem; jureque merito habendus erit interpretativus, implicituſque contemptor ejuſdem, qui & erga ſui Inſtituti leges (quibus tanquam mediis ad perfectionem uti tenetur ex S. Thomæ doctrina) dicto modo ſe gerit, & de paſſionibus refrænandis nil curat, & de oratione, mortificatione, cæteriſque virtutibus comparandis tanta ducitur indifferentia, ac ſi nullo vinculo ad perfectionem aſſequendam teneretur. Hunc itaque exiſtimo verum, & genuinum ſenſum illius exceptionis inſertæ ab Angelico in ſuperius allata doctrina, dum dixit, *Requiritur, ut per aliquam viam tendat ad finem* (perfectionis charitatis): *tenetur ad hoc tendere, & operam dare, ut habeat perfectam charitatem; tenetur ut ad ea implenda intendat*: en poſitiva, gravis, & ſtricta obligatio. *Contra quod facit contemnens*, nempe ſive expreſſus, & formalis, ſive implicitus, & virtualis: *unde non peccat, ſi ea prætermittat*, ex infirmitate, aliquoties, & identidem; *ſed ſi ea contemnat*, ſive explicite, ſive implicite, modo explicato.

IX. Confirmantur hactenus dicta, quadam ſimilitudine indicata ab Angelico loc. cit. Scholaris quidam ſuſcipit onus addiſcendæ philoſophiæ: fiat hypotheſis, quod ad illam diſcendam teneatur ſub mortali, ex vi præcepti gravis ſibi a Superiore impoſiti: ſciſcitor, quando peccabit graviter contra ſuam obligationem? peccabit ne mortaliter dumtaxat quando formali actu contemnit ſuam obligationem; an vero etiam quando ſuæ obligationi notabiliter deeſt; puta nunquam aut raro exercitationibus philoſophicis operam dando, documenta præceptoris non retinendo, nunquam, vel rariſſime tradita meditando, ita ut, expleto curſu, quamvis aliquid modicum inſulatim perceperit, nihil tamen coordinatum, connexum, fundatum proferre queat? profecto nullus abſolvet hujuſmodi ſcholarem ab omiſſione mortali contra ſuam obligationem gravem comparandæ philoſophiæ: ita quoque diſcurrendum de obligatione circa ſtudium perfectionis charitatis: *Sicuti qui intrat ſcholas, non profitetur ſe ſcientem, ſed profitetur ſe ſtudentem ad ſcientiam acquirendam*, ait Angelicus; ita Religioſus, *profitetur ſe adhibere ſtudium ad perfectionem conſequendam:* igitur ſicuti graviter peccat ſtudens ille, qui tenetur gravi obligatione ſtudere philoſophiæ, ſi deſcripto modo ſe gerat; ita deficit graviter contra ſtudium perfectionis, ad quod ſub gravi tenetur Religioſus, ſi paullo ante deſcripto modo in ſtudio perfectionis ſe gerat. Neque iterum obtrudas, contra hanc obligationem peccare ſolum contemnentem; nam & ego iterum dicam diſtinguendo, ſolum contemnentem vel explicite, vel implicite; concedo; dumtaxat explicite, nego.

Confirmantur dicta, ex Angelico.

X. Hinc detegitur eorum hallucinatio, aliquando etiam a me audita, qui dicunt, in tribus votis, eorumdemque obſervantia, charitatis perfectionem eſſe repoſitam: verum dicerent, ſi ſola tria illa vota, eſſe media & quidem efficaciſſima ad chari-

Hallucinatio detecta.

charitatem augendam & corroborandam affirmarent; at falſum eſt, in eiſdem ſolis charitatis perfectionem eſſe conſtitutam. Quot Sancti fuerunt, & coluntur, Principes, Conjuges, Epiſcopi, Duces, Milites, Vidui, qui utpote Sancti, Charitatis viatricis perfectionem proculdubio nacti ſunt, quin Vota illa emiſerint, & obſervarint? non igitur charitatis perfectio in tribus illis votis conſiſtit. Neque reſpectu religioſæ perſonæ, obſervantia ſimplex & mera eorumdem votorum ſufficit ad perfectionis ſtudium, niſi conſocietur ſtudio, & exercitio aliarum virtutum, quibus paſſiones frænentur, ſenſus coerceantur, &c., ut ſpiritus eo majori unione cum Deo gaudeat per praxim frequentem, & repetitam actuum virtutum theologalium, & præcipue dilectionis erga Deum.

Explicatur magis. XI. Diſtinguendus igitur eſt terminus, ad quem ſincere, & ſerio adſpirare & tendere tenetur Religioſus, (qui terminus ex Angelico *eſt perfectio charitatis*) a mediis ad hunc terminum conſpirantibus: his mediis accenſentur præcipue illa tria vota, accenſentur item obſervantia regularum Inſtituti, fuga ſollicita venialium, praxis frequens orationis, exercitium actuum virtutum moralium, repetita elicentia actuum virtutum theologalium, quam maxime charitatis; (quæ non augetur a Deo, niſi dependenter ab actibus amoris, ad augmentum diſponentibus) & proinde ſerio tendens, prout tenetur, ad perfectionem charitatis, his mediis ſedulam operam dare neceſſe habet; neque ſibi de votorum obſervantia blandiri, quæ ab omnibus hic recenſitis disjuncta, ad perfectionem charitatis modicum conferre poteſt.

Explicatur & urgetur adhuc. XII. Explico ſimul & urgeo. Certum eſt, tria illa vota pertinere ad tres particulares virtutes morales Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ; certum quoque eſt, unamquamque virtutem moralem intra certos terminos concludi, neque exire poſſe confinia ſuæ materiæ: ſi igitur juxta indicatam hallucinationem, in ſola votorum obſervantia perficeretur religioſi obligatio gravis tendendi ad perfectionem, ſequeretur, quod quamquam nulla ſollicitudine tangeretur, ſe exercendi in aliis virtutibus moralibus, & theologalibus, non contraveniret ſuæ obligationi, dummodo pauperem, caſtum, & obedientem ſe cuſtodiret, & propterea quamvis vel nullam, vel modicam rationem haberet acquirendi humilitatem, patientiam; pœnitentiam, miſericordiam, ſtudium orationis &c.; immo quamvis omitteret ſedulam curam augeſcendæ fidei, ſpei, charitatis, adhuc ſuæ obligationi, ſerio, & toto conatu tendendi ad perfectionem charitatis, optime ſatisfaceret. Qui autem audivit unquam perfectionem adeo portentoſam? Quis unquam dicet hominem ſincere conantem ſtudere perfectioni, qui memorata exercitia negligat, contentus dumtaxat ſe cuſtodire in ſtatu viri caſti, pauperis, & obedientis? Qui talem perfectionem ſibi adoptavit, eam ſibi retineat: at perfectionis metam nunquam attinget, immo ſibi caveat, ne, ſi non apprehenderit diſciplinam, juſte iraſcatur Dominus, & tandem pereat de via juſta.

* Videantur, & ſerio perpendantur quæ docet D. Thomas 2. 2. *q.* 186. *art.* 9., iis namque magis magiſque firmantur, ac perſpicua redduntur quæ in toto *præced.* §. tradita ſunt.

§. III. *De neceſſitate trium votorum ad ſtatum Religioſum*.

I. CUM ſtatus Religioſus, ex ipſamet voce *ſtatus*, poſtulet firmitatem, & perpetuitatem perſonæ ſe divino cultui devoventis, & hæc perpetuitas non habeatur ex lege aliqua, aut ſtatuto; eo quod hic ſtatus voluntarie aſſumatur; hinc ſequitur, quod vinculum, & obligatio permanendi in eo ſtatu oriri debeat ab ipſa voluntate ſtatum aſſumentis, ac proinde ex voto, quo perpetuo perſona adjiciatur divino cultui. Cum autem ſtatus religioſus ſit eſſentialiter ſtudium, & ſchola perfectionis acquirendæ, neceſſe erit, ut vota, hujuſmodi ſtatum conſtituentia, ſint circa abdicationem earum rerum, quæ perfectioni acquirendæ nimis adverſantur: hujuſmodi vero res ſunt illa tria bona mundana, in quibus mundialis felicitas cenſetur repoſita, nempe divitiæ, carnis illecebræ, & honores, juxta illud Joannis ſupra relatum: *omne quod in mundo eſt* &c.: ut igitur conſtituatur ſtatus religioſus per contrapoſitionem ad ſtatum mundialem, tanquam ſtatus inimicorum irreconciliabilium, neceſſe erit, ut ſtatus religioſus eas obligationes perpetuas intrinſece involvat, quibus profitens hunc ſtatum, teneatur perpetuo abdicare a ſe omnem ſollicitudinem circa tria præfata bona mundialia: Vota requiruntur.

Dd 2 hoc

Digitized by Google

hoc autem fit per emiſſionem trium votorum Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ: quorum primum evellit ſollicitudinem acquirendi, & poſſidendi bona temporalia; ſecundum eradicat omnem ſpem fruendi illecebris quibuſvis carnalibus; tertium captivat perpetuo liberum arbitrium, ne de ſuis actibus diſponat, niſi prout cenſebitur a legitimo Superiore; cujus nutu duntaxat poteſt, præcipue quoad omnia exteriora, libertate ſua uti, quo voto tollitur aſpiratio ad quemvis honorem. Hæc omnia egregie explicantur a S. D. loc. cit. in art. 6. quem legas.

Objectio reſolvitur. II. Si dicas, quod perfectio vitæ religioſæ præcipue in actibus interioribus, & maxime amoris Dei, ſit repoſita, nec non in obſervantia cæterarum Inſtituti regularum: Reſpondet S. D. loc. cit. ad 1., quidem in actibus dilectionis præcipue perfectionem eſſe repoſitam; vota tamen ad illos ordinari ſicut media ad hunc finem: & proinde non illi actus, ſed vota conſtituunt ſtatum religioſum, eo quod ſint via, & tendentia quædam ad dictum finem: cæteræ autem regulæ, ait ad 2. ordinantur ad tria vota reſpective, ut illas conſideranti conſtabit.

Votum obedientiæ præcipuum. III. Obſervat demum S. D. in art. 8., quod in voto obedientiæ alia duo contineantur, tanquam in principali: tum quia in ipſo offertur Deo quod majus eſt, nempe propria voluntas; tum quia, tametſi Religioſus teneatur ex voto ad continentiam, & paupertatem; hæ nihilominus ſub obedientia cadunt; tum denique quia votum obedientiæ proprie ſe extendit ad actus propinquos fini religionis.

CAPUT II.

DE

VOTO

PAUPERTATIS.

§. *De materia voti Paupertatis Religioſæ.*

Materia voti Paupertatis. I. MAteria voti paupertatis religioſæ ſunt bona exteriora, nempe quidquid pecunia æſtimari poteſt, aut comparari; & propterea nedum dominium rerum temporalium, quod eſt jus diſponendi de re aliqua, verum etiam Uſusfructus, Uſus, & Poſſeſſio ſunt hujus voti materia, & quidem proxima, quibus omnibus privatur perſona Votum paupertatis emittens: & quamvis in tractatu 9. ſuis locis de his omnibus ſpeciebus dominii diſſeruerimus; nihilominus quid hæc ſint, iterum hic breviter indicare, non erit importunum. Uſusfructus eſt jus utendi, & fruendi re aliqua aliena, ſalva rei ſubſtantia: puta jus utendi fructibus agri, quibus & veſci poteſt uſufructuarius; & quod ſupereſt, donare, vendere &c. ſalva agri, & arborum ſubſtantia. Uſus eſt jus utendi re aliena, at non ſimul fruendi, ſalva pariter rei ſubſtantia; puta jus veſcendi fructibus agri dumtaxat ad proprium uſum; non vero donandi, vendendi &c. Poſſeſſio eſt jus inſiſtendi rei non prohibitæ poſſideri, nempe detinendi rem actione exteriori acceptam juſte, ut ſupponitur. His itaque omnibus privat religioſa paupertas; quippe quod involvant aliquod dominium, & ſint res pretio, & pecunia æſtimabiles.

An paupertas privet uſu meri facti? II. Diſputari ſolet, an paupertas religioſa privet etiam uſu meri facti? Nota quod hic uſus conſiſtit in actione, qua homo percipit utilitatem ex re aliqua, quamquam nullum jus in ipſam habeat. Huic uſui facti correſpondet nedum actualis, ſed etiam habitualis detentio rei, ut illa homo utatur, quando ipſi neceſſe fuerit; ſicuti Religioſus utitur veſtibus, libris &c. ſuo uſui conceſſis; quæ detentio non eſt poſſeſſio, ſed quidam potius moraliter continuatus uſus facti; qui idcirco non includit poſſeſſionem, quia non exercetur nomine proprio, ſed nomine alterius, nempe Superioris, vel Religionis concedentis. Ita explicato uſu meri facti, videtur dubitari non poſſe, quod non comprehendatur ſub voto, immo neque comprehendi poſſit; quandoquidem ſi verſetur circa neceſſaria ad vitam, jam patet, quod jure naturali excludatur a voti obligatione; ſi autem verſetur circa alia neceſſaria, & convenientia, ut Religioſus efficiatur idoneus ad inſerviendum religioni, puta circa uſum librorum; patet ſimiliter quod hic uſus non cadat ſub voti obligatione; eo quia religio ipſa teneatur de his providere ſuis alumnis, eoſdemque incitare, ut illis mediis utantur, ad finem Inſtituti conſequendum.

Objectio reſolvitur. III. Neque opponas, quod in hujuſmodi uſu reluceat aliquod jus, puta in uſu alimo-

Digitized by Google

alimoniæ, qua utendo, religioſus illam conſumit; nemo autem aliquid conſumere poteſt, quod ſub ſuo jure non cadat: atqui, ex vi voti, religioſus omni jure circa temporalia privatur; ergo etiam jure uſus facti. Reſpondeo diſt. primam propoſitionem, relucet aliquod jus improprie, & vocetenus tale, concedo, proprie tale, nego; & diſtinguo minorem; nemo conſumere poteſt id, circa quod non habet jus vel proprie, vel improprie tale, concedo; dumtaxat proprie tale, nego. Privatur quidem religioſus ex vi voti omni jure proprie dicto, quale eſt illud, quod exercetur nomine proprio; non autem jure improprie tali, quod exercetur nomine alterius; & dependenter ab illius auctoritate.

Poſſunt religiones poſſidere bona in communi.

IV. Poſſidere bona immobilia, & proventus in communi, aperte conceſſit Religionibus Tridentina Synodus ſeſſ. 25. de Regularibus cap. 3. *Exceptis domibus Fratrum S. Franciſci, Capuccinorum, & eorum qui Minores de Obſervantia vocantur.* Id autem non repugnat voto paupertatis, eo quod dominium horum bonorum ſit penes Religionem; quæ bona nequeunt diſtrahi, vel expendi, niſi de licentia Capituli, Superiorum &c., prout unaquæque religio in ſuis ſtatutis conſtituit.

* Bona immobilia, & mobilia pretioſa Conventuum & Eccleſiarum alienari nequeunt ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, ut & Auctor docet infra *cap.* 4. §. 2. *num.* 1. Non ſufficit igitur ad illa diſtrahenda licentia Capituli, Superiorum &c. Legatur S. P. Benedictus XIV. *de Synod. Diœceſ. Lib.* 9. *cap.* 8. *num.* 9. prope finem; & *Lib.* 12. *cap.* 8. *n.* 9. *& ſeq.*

Poſſunt hæredes eſſe, & quomodo?

V. Hinc deducitur, & habetur etiam in Clementina *exivit* de verborum ſignificat. quod omnes Religiones dominii capaces poſſunt recipere hæreditates, legata, donationes &c.; eapropter ſi earum religioſi ante profeſſionem de ſuis bonis non diſponant, ipſæ Religiones ſuccedunt in dictis bonis, quamvis Religioſus de hoc nihil dixerit; quia cum non diſpoſuerit, ſecuta profeſſione, ipſum monaſterium ſuccedit in omnibus juribus temporalibus religioſi profeſſi.

☞ Legantur P.P. Salmanticenſes *Tract.* 12. *cap.* 2. *Puncto* 12. §. 1. ubi rem hanc luculenter exponunt, aliaſque difficultates ad hanc materiam ſpectantes proponunt, ac reſolvunt; præſertim vero poſteaquam *n.* 168. ſtatuerunt, hæreditatem, vel legatum Religioſo relictum immediate ad Monaſterium, non ad Religioſum pertinere, inquirunt *n. ſeq.* 169. an validum ſit, & firmum legatum, quod relinquitur Religioſo ea conditione, ut ipſe illud poſſideat abſque dependentia a Superioris voluntate? Animadvertunt autem tripliciter hoc contingere poſſe. 1. videlicet, quod teſtator relinquat tam commoditatem legati, quam ejus proprietatem, & dominium Religioſo ea conditione, ut nequeat Superior illud impedire; & ſic cenſent, probabilius legatum caducum eſſe, & nullum, quia Religioſus eſt incapax, ratione voti paupertatis, omnis proprietatis, & dominii, & ita ipſi non poteſt tale legatum competere; nec etiam Monaſterio, quia talis clauſula non ſolum continet conditionem impoſſibilem, aut turpem rejiciendam, ſed ingreditur ſubſtantiam ipſius legati, & ſic vitiat illud. 2. poteſt illa clauſula intelligi, ut teſtator relinquat Religioſo commoditatem, & dominium Monaſterio, (quod ſemper præſumendum eſt, niſi conſteti de oppoſito) ſub conditione, *ne Superior poſſit illam auferre.* Et tunc, *inquiunt*, rejicitur illa conditio ut turpis, & impoſſibilis, & ſubſiſtit legatum, ut probat Sanchez *Lib.* 6. *c.* 17. *n.* 2.. 3. accidere poteſt, ut legatum Superioris voluntati relinquatur ſubjectum, addita hac pœna, *ut ſi Superior uſum, & commoditatem illius neget ſubdito, ceſſet legatum, & tranſeat ad extraneum*; & in tali caſu, *ajunt*, valet legatum; & ſi Superior velit illius commoditatem a ſubdito auferre, ceſſat & tranſit ad ſubſtitutum; quia illa non tam eſt pœna, quæ judicis ſententiam requirat, quam conditio, ſub qua ſolum cenſetur teſtator relinquere Monaſterio legatum, & ſic, ea ceſſante, ceſſat legatum, & tempus, pro quo fuit relictum.

VI. Cavendum tamen eſt Religionibus, ne nimia opum, & redituum abundantia noceat diſciplinæ, & tepeſcere faciat charitatem; quia, regulariter loquendo, nimia hæc redituum abundantia multis commoditatibus aditum pandit, & elongat religioſos a miniſteriis laborioſis, præcipue audiendi pauperum, & peccatorum confeſſiones; nam multi, tenentes ad pompam Litteras Patentes audiendi confeſſiones, aut nullius, aut nonniſi alicujus Magnatis confeſſiones audiunt; quemadmodum enim indigentia temporalium ſolet acuere ſollicitudinem charitatis in ſuccurrendis proximis, etiam honeſto motivo ſecundario con- Monitum notabile.

Digitized by Google

ſulendi neceſſitatibus monaſterii; ita abundantia avertere conſuevit ab hujuſmodi miniſteriis obeundis: & appoſite dixit S. Thomas 2. 2. q. 88. art. 7. *Quod habere superabundantes divitias in communi, ſive in rebus mobilibus, ſive immobilibus, eſt impedimentum perfectionis, licet non totaliter excludat eam: habere autem de rebus exterioribus in communi ſive mobilibut, ſive immobilibus, quantum ſufficit ad ſimplicem victum, perfectionem religionis non impedit, ſi conſideretur paupertas per comparationem ad communem finem religionum, qui eſt vacare divinis obſequiis.*

Monitum alterum. VII. Cavere item debent Religiones, ne bona ſuperflua proprio ſtatui retineant; ſi enim neque laici licite retinere poſſunt ſuperflua perſonæ, & ſtatui ſuo, ſed juxta Chriſti mandatum, tenentur in eleemoſinas erogare; multo magis ad id tenebuntur Religiones opulentæ, voto paupertatis obſtrictæ; & quemadmodum contra Chriſti maudatum peccant laici, ſi quod ſuperfluum habent, in eleemoſinas non erogent, ſed potius in novas, & ſuperfluas eorum vanitates, voluptates, & tripudia nova conſumant, falſo putantes, quod ita expendendo pecuniam, hæc illis non ſit ſuperflua; cum excogitandarum vanitatum, & voluptatum nullus ſit finis; ita, & multo gravius Religionum Superiores, & monaſteria peccabunt contra Chriſti mandatum, ſi quod ſupereſt perſonis, & ſtatui pœnitentiæ, & paupertatis voto devinctis, impendant in novas commoditates procurandas, in nova ſolatia, in nova mobilia etiam eccleſiaſtica, (habendo jam convenientiſſima) & non in ſubveniendo tot pauperibus, quorum multitudo variorum ſtatuum jam replet civitates, oppida, rura, immo & vias pene omnes cujuſcunque loci habitati: quam obligationem multa monaſteria opulenta maturius perpendere deberent, ne in Chriſti judicio, a ſiniſtra ejus poſita, ille ipſis improperet, quod eſurierit, ſitierit, nudus fuerit &c. nec ab ipſis fuerit, prout tenebantur, ſubventus: Et circa hoc punctum non ſunt amplius audiendi ſcriptores illi, pernicioſa liberalitate concedentes monaſteriis retinere ſuperflua, quippe qui ſcripſerint ante annum 1679. quo ab Innocentio XI. reprobata fuit theſis n. 12. quæ vix in aliquo perſonarum genere ſuperfluum inveniebat; & ideo quadantenus excuſandi; ſi qui vero idem docuerint poſt theſim confixam, nullo modo ſunt excuſandi, neque multo minus audiendi; ſed charitative reprehendendi; cum ex terminis ipſis invicem pugnent votum paupertatis, & ſuperfluorum retentio.

§. II. *De variis contra paupertatis votum peccandi modis: & primo quoad Acquiſitionem rerum.*

I. Jam patet ex dictis, religioſum graviter contra hoc votum peccare, ſi dominium, aut proprietatem alicujus rei pretio æſtimabilis, & valoris ad grave ſufficientis, habeat, volendo illam habere tamquam dominus. Quod ſi dumtaxat optet habere, vel delectatione moroſa delectetur, ac ſi rem aliquam haberet ut dominus, diſtinguendum videtur; ſi enim hoc deſiderium, & hanc delectationem retineat in ſenſu compoſito voti, palam eſt, eum peccare mortaliter, & ſacrilege in affectu contra votum; quia concupiſcit & delectatur de re ſibi graviter illicita: ſi vero optet, ac delectetur in ſenſu diviſo a voto; ideſt, ſi voto non tenerer, vellem illam rem habere &c. videtur non peccare lethaliter; eo quod non ſit de objecto de ſe, & ab intrinſeco malo, ſed malo dumtaxat, quia prohibito ſibi, eo modo, quo quis, firmus in voluntate ſervandi jejunium, delectetur, & optet comedere carnes, ſi jejunium præceptum non eſſet; erit autem veniale, & quidem pingue. Optans habere qualiter peccet?

II. Cum autem triplici modo peccare poſſit religioſus contra hoc votum, nempe aut male acquirendo, ſeu recipiendo; aut male poſſidendo; aut denique male utendo; idcirco, incipiendo ab acquiſitione; graviter peccat religioſus, qui ſine Superioris licentia acquirit, aut recipit quantitatem notabilem rei pretio æſtimabilis, ad mortale ſufficientem. Ratio patet, quia ſacrilege diſponit de re notabili eam ſibi applicando, ſine Superioris licentia. Quænam vero quantitas requiratur ad violationem voti mortalem, difficile eſt determinatu; quæ difficultas in varias opiniones traxit auctores, quibus examinatis, ſalvo meliori judicio, putarem dicendum, hanc gravitatem eſſe deducendam nedum ex ipſa quantitate rei in ſe, ſed ex quantitate iſta comparata voto, & diſciplinæ regulari, quæ vigeat in monaſterio; comparata quidem voto; eo quod ſublatio iſta rei affert violationem promiſſi, in ordine ad divinum cultum Dei facti: unde in hypotheſi quod Quantitas notabilis quænam ſit?

Digitized by Google

unus aureus ſit materia gravis pro furto reſpectu cujuſcumque, non propterea quis dicet, quod qui voviſſet erogare in eleemoſinam duos tantum argenteos, & omitteret, idcirco eum non peccaturum mortaliter, ſed omnes affirmarent omiſſionem eſſe lethalem; eo quia vovens deeſſet in re notabili Deo promiſſa: Hinc doctiſſimus Suarez qui ſapienter, & diffuſe de hoc diſſerit tom. 3. de Relig. lib. 8. c. 6. & lib. 7. c. 11. art. 24. cenſet, quod quantitas, quæ omiſſa in eleemoſina voto promiſſa, ſufficeret ad omiſſionem gravem, ſit computanda quantitas ſufficiens ad violationem gravem voti paupertatis, ſi eam religioſus ſibi applicet ſine licentia; & proinde ex hoc capite, nempe comparative ad votum, putarem quod quantitas octo librarum venetarum, ſit gravis reſpectu cujuſcumque religioſi cujuſvis Inſtituti. Per comparationem vero ad diſciplinam monaſterii, putarem, quod ſi diſciplina vigeat, & exacta rerum communitas obſervetur, etiam minor quantitas ea, quam modo aſſignavimus, ſufficiat ad mortale; quia etiam ex hoc capite augetur malitia ſublationis per ordinem ad cultum Dei in voto emiſſo conſideratum; nemo enim dubitabit, quod horribilius appareat vitium proprietatis in tali monaſterio, quam in alio diſciplinæ jam collapſæ, & in quo peculii abuſus jam prævaluit.

Objectio reſolvitur.

III. Dices, a pleriſque comparari furtum Religioſi furto filii familias; qui profecto propter ſublatam dictam ſummam, per ſe loquendo, non cenſetur reus culpæ lethalis. Reſpondeo, per id corroborari potius doctrinam poſitam; dummodo perpendatur quid interſit inter patrem carnalem, & patrem ſpiritualem, ſeu Superiorem monaſterii: ille namque rationabiliter cenſetur non invitus circa dictam ſummam, quia & filius eſt aliquid ſui, & tandem in filium devolvenda ſunt aut omnia, aut ex parte, bona patris. Superior autem prudenter debet cenſeri invitus, ita ut, præcipue ubi viget diſciplina, & vita communis, ex vi ſui muneris obſiſtat, quantum poteſt, hujuſmodi violationibus ſacri voti, & proinde velit quoad hoc punctum indulgere minus quam poteſt, & nil faveat violatori. Dixi præcipue ubi viget diſciplina; nam etiam ubi eſt collapſa; cum agatur de voto, cenſendus eſt Superior, ne ſuo muneri graviter deſit, eamdem habere ſollicitudinem, ne circa illud nimis laxetur; unde ſe reſtringat ad eam ſummam, quæ minus vulneret votum emiſſum. Itaque neque approbo abſolute regulam dicentium, ſummam notabilem pro religioſo eſſe illam, quæ ſtatuitur pro furto abſolute; neque illam, quæ ſtatuitur pro furto filiorum familias; ſed eſſe illam, qua notabiliter lædatur, tam fidelitas promiſſi Deo nuncupati, quam voluntas Superioris rationabiliter volentis quoad hoc, minus quam poteſt, relaxare; conſiderata diſciplina monaſterii communem vitam ſervantis; quibus perpenſis; putarem quod excedere quatuor libras nummarias, nempe medium ducatum argenteum venetum, non vacet a mortali.

Quænam licentia requiratur?

IV. Licentia Superioris, quando moraliter haberi poteſt, debet eſſe expreſſa, ita poſtulante regulari modo procedendi; quando autem moraliter haberi non poteſt, ſufficiet licentia præſumpta, & interpretativa, credendo ſincere, quod ſi Superior adeſſet, illam conceſſurus eſſet. Diſtinguendum tamen eſt; nam ſi res ſit uſu præſenti conſumenda, puta cibus oblatus, non requiritur ulterior expoſitio Superiori facienda; quia ratihabitio eſſet inutilis, utpote de re jam conſumpta: ſi vero res accepta exiſtat, illam recipiendo cum licentia præſumpta, eadem Superiori tradatur, ut vel ratam habeat acceptionem, vel revocet illam, ſi voluerit. Neque admittenda videtur opinio nonnullorum, ſufficere licentiam præſumptam, etiam quando Superior moraliter adiri poteſt, a quo adeundo retineatur religioſus ob aliquem pudorem, humanumve reſpectum; tum quia nulla eſt ſufficiens ratio excuſare valens religioſum ita ſe gerentem; tum quia eſt aperire aditum relaxationi voti; tum quia in materia juſtitiæ, non licet ſibi applicare aliena bona, cum ſolo præſumpto & probabili conſenſu domini, quando expreſſus haberi poteſt; ergo a fortiori neque in materia hujus voti, quod addit titulo juſtitiæ etiam vinculum religionis: tum denique, & urgentius, quia, in jure, nunquam aliquid non expreſſum vim habet operandi, niſi inquantum continetur in aliquo jam expreſſo: atqui in caſu noſtro nihil eſt invenire expreſſum, in quo hoc tacitum contineatur; quin potius omnium Religionum regulæ oppoſitum continent; cum igitur hic tacitus conſenſus non habeat actum aliquem expreſſum Superioris, in quo contineatur,

neatur, ſine fundamento ſufficere aſſeritur, ad ſibi applicandum recepta, quando expreſſus haberi poteſt: immo Superiores prudentes, & cordati has licentias reprobare tenentur, quando peteſt haberi expreſſa, ne voti diſciplina relaxetur.

* Addenda hic ſunt majoris explicationis gratia quæ habet P. Antoine *tract. de Obligat. cap.* 2. *q.* 5. Licentia, *inquit*, Superioris requiſita debet eſſe vel expreſſa, vel implicita, quæ ſcilicet contineatur virtualiter & implicite in alia expreſſa, vel tacita, quæ rei cognitionem in Superiore ſupponit, & quæ ex circumſtantiis prudenter adeſſe judicetur, ut cum Prælatus ſciens ſubditos aliquid accipere, retinere, donare, non prohibet cum facile poſſit; nam tunc tacite conſentire cenſetur: ſecus ſi difficile impedire poſſet, eo quod, v. g. timet, ne domus turbaretur tuis querelis; tunc enim mere tolerat, non concedit; unde non excuſaris. Licentia tamen tacita, vel generalis in Religionibus bene ordinatis non conceditur, niſi in rebus levis momenti, & crebro occurrentibus.

Recipiens rem, putans Superiorem renuentem. V. Quod ſi Religioſus rem illam reciperet, credens, quod illam recipiendo, diſplicceret Superiori; proculdubio peccaret contra votum graviter, vel leviter pro ratione materiæ; quia reciperet ſine licentia præſumpta, mala fide, atque ex propria voluntate, independenter a voluntate Superioris, qui prudenter cenſeri non poteſt velle, quod ſibi diſplicet; idque aſſeritur ab omnibus, loquendo de voluntate renuente circa ſubſtantiam rei; pluribus deinde affirmantibus, quod ſi religioſus ſit certus de voluntate Superioris circa ſubſtantiam rei, & ſolum credat, quod ſit renuens circa modum recipiendi ſine licentia, non peccet graviter ſi, ob pudorem, ratihabitionem non petat. Verum id videtur ſine fundamento affirmari; nam certum eſt apud omnes, licentiam requiri pro valore actus, cum vigor voti in dependentia a voluntate Superioris poſitus ſit, ut valide accipiatur, donetur &c.; qua igitur ratione fieri poterit, ut contra votum non agam, dum potens habere licentiam, pudore victus, non petam? ceſſat ne vinculum legis, dum, potens diſpenſationem petere, ſola præſumpta legiſlatoris voluntate, me diſpenſem; minime gentium: ita in præſenti, non ceſſat vinculum obligationis petendi licentiam, ſi potens petere, pudore victus omittam, Superiore rationabiliter invito circa hunc modum me gerendi.

Licentia extorta eſt nulla. VI. Licentia a Superiore extorta per metum, dolum, fraudem, alioſque modos voluntarium minuentes, non ſufficit ad excuſandum religioſum a crimine proprietatis, ea acquirendo, per hujuſmodi licentiam conceſſa; cum licentia debeat eſſe omnino voluntaria.

Licentia injuſte denegata. VII. Ex licentia injuſte, & irrationabiliter negata, ſi denegetur pro actione, cujus omiſſio efficiat Religioſum deficientem contra præceptum graviter obligans in materia juſtitiæ, vel charitatis, non ſequitur, ut Religioſus peccet, agendo contra licentiam, ut patet; quia votum nequit eſſe ligamen iniquitatis: ſi autem ex denegata licentia nil ſequatur in Religioſo contra præcepta; tunc, quamvis Prælatus denegans forte graviter peccet contra juſtitiam, aut charitatem, aut pietatem, religioſus contra talem negationem licite agere nequit; quandoquidem nil eſſet pernicioſius diſciplinæ voti, quam facultas agendi in tali caſu: nil namque facilius eſſet religioſis, quam ſibi ſuadere, licentiam injuſte denegari. In hoc itaque caſu paupertas, & dependentia ſubditi non eſt irrationabilis, ſed honeſta, & debita; & eo perfectior, quo minori ratione denegatur petita licentia. Id confirmatur a ſimili in voto obedientiæ, ad quam tunc dumtaxat ſubditus non tenetur, quando obedire nequit ſine peccato: at quando obtemperare poteſt ſine culpa, quantumvis ſit imprudens præceptum, non diſpenſatur ſubditus ab obediendo.

Religioſus ſemper acquirit monaſterio. VIII. Igitur quæcunque bona *a Religioſis, quovis modo acquiſita, ſtatim ea Superiori tradantur, conventuique incorporentur* monet, jubetque Synodus Trid. ſeſſ. 25. cap. 2. de Regular. nam quidquid religioſus quovis modo acquirit, ſemper monaſterio acquirit ut habetur in cap. *ſtatutum* 18. q. 1. Immo etiam religioſus male acquireret, puta ſibi donatum contra prohibitionem, ſemel tamen acquiſitum, acquirit monaſterio; quæ acquiſitio firma non eſt, niſi a Superiore approbetur; qui ſecundum motiva quæ ſibi videbuntur, poterit illam reſcindere, & rem donatori reſtituere.

Quid de acceptione rerum uſu conſumptibilium? IX. Circa uſu conſumptibilia, nota primo, quædam unico actu conſumi, ut eſculenta, & poculenta; quædam, quamvis corruptibilia, habere tamen uſum permanentem, quanquam uſu conſumantur; & hæc

hæc poſſunt accipi, vel ad unum actum tranſeuntem, vel ut retineantur ad uſum durabilem. Nota ſecundo, hæc bona vel accipi a Religioſo ex ipſo monaſterio, vel ab extraneo, & ad merum uſum, & non ut poſſideantur. His prænotatis: Certum eſt, quod accipere hujuſmodi, & dictis modis ex bonis monaſterii ſine licentia, ſit contra paupertatis votum; eo quod fiat independenter a voluntate Prælati, & violentur ſimul religio, & juſtitia; cum & ſit contra votum, & accipiatur alienum: quando autem hæc acceptio ſit lethalis, difficile eſt determinare: ſi ſermo ſit de eſculentis, & poculentis; audi doctum, & pium Suarez loc. cit. lib. 8. c. 11., ubi cum num. 40. caute præmiſerit, duo extrema eſſe cavenda; primum, ne nimis alleviando culpam, relaxationi locus aperiatur; ſecundum, ne nimis aggravando, fragilitas humana periculo exponatur: ideoque ſubdit, ad lenitatem potius eſſe inclinandum: „ In bonis uſu conſumptibilibus, ait ipſe, pertinentibus „ ad cibum, & potum, ſi tantum ad proprium uſum actualem, ut ſic dicam, & „ tranſitorium aliquid ſumatur, regulariter non videtur peccatum mortale, niſi damnificatio religionis eſſet nimia, & „ in re extraordinaria, & pretioſiore; extra hujuſmodi enim caſum, res hujuſmodi reputantur levioris conditionis: & „ quamvis Prælatis hoc diſpliceat, non „ tamen ita ſunt involuntarii, ut illam „ reputent materiam gravem in ordine ad „ paupertatem, ſed ſolum in ordine ad decentiam, & perfectionem religionis: ſecus vero eſſet, ſi hujuſmodi res in magna quantitate acciperentur, & occulte „ retentæ paulatim conſumerentur, nam „ illud eſſe poſſet grave peccatum. De „ aliis vero rebus, quæ uſu non conſumuntur ſtatim, ſi non accipiantur ut occulte, & ut proprie poſſideantur, ſed ſolum ad uſum publicum, & expoſitum „ arbitrio Superioris, ſicut retinentur res „ aliæ; ordinarie exiſtimo materiam eſſe „ ſolum peccati venialis, niſi peculiares „ circumſtantiæ intercedant, quæ indicent „ deformitatem graviorem: ut ſi id fiat „ frequenter, & quaſi ex animo deliberato applicandi illo modo res monaſterii „ ad ſuum uſum; vel ſi ob eam cauſam „ privarentur alii uſu talis rei, cum notabili incommodo illorum, aut monaſterii. Hæc Suarez.

Obſervandum circa modo dicta.

X. Circa hæc obſervandum addo, primo, quod ſi Superior interdixiſſet expreſſe hujuſmodi rerum acceptiones; nemini liceret accipere, abſque culpa gravi, aut levi pro quantitate materiæ. Secundo, quod ubi non viget conſuetudo res hujuſmodi ſic accipiendi, non ſit introducenda; cum tendat ad corruptelam contra votum; & Superior diſſimulando, non eſſet tutus in conſcientia; quia ipſi demandata eſt cura diſciplinæ monaſterii, ne abuſus contra eamdem introducantur: propterea ubi viget obſervantia regularis, & Communitas, obſtare tenetur hujuſmodi conſuetudinibus: atque religioſi hos abuſus introducentes, vel de recenti introductos foventes, non ſunt immunes a culpa plerumque gravi, quippe quod abuſus vergat in detrimentum commune diſciplinæ regularis.

Quid de acceptis ab extraneo?

XI. Accipere hujuſmodi res ad quemvis proprium uſum ab extraneis, eſt contra votum paupertatis; quia cum uſus ille acceptatus ſit pretio æſtimabilis, ſive res ſtatim abſumatur, ſive tractu temporis, jam Religioſus accipit aliquid pretio æſtimabile ſine licentia; & peccat contra votum: & in hoc conveniunt omnes. Hinc, quando res per uſum tota conſumitur, & tanti valeat ut ſit ſumma ſufficiens, erit culpa gravis: puta ſi ab extraneo accipias vaſculum liquoris exquiſiti, & valoris unius aurei, illumque ſine licentia abſumas. Si vero res, ab extraneo accepta ad uſum, non ſit ipſo uſu conſumptibilis, ſed diu duratura, puta liber magni valoris: tunc non eſt menſuranda culpa ex pretio rei conceſſæ ad uſum, ſed ex ipſo uſu, nempe quanti æſtimari poſſit talis uſus; unde ſi uſus ſit brevis temporis, erit culpa venialis; ſi vero eſſet adeo diuturnus, ut æſtimaretur multi pretii, eſſet culpa lethalis. Quoad uſum vero pecuniæ mutuo acceptæ; cum pecunia tranſeat in dominium accipientis, non eſt dubium, quod ſi ſit ſumma ſufficiens, acceptio ſit mortalis; tum quia ſibi uſurpat dominium rei mutuo acceptæ; tum quia ipſe non poteſt de ſuo reſtituere; cum nihil habeat quod ſuum ſit; neque poſſit reſtituere de rebus religionis; quæ cum non conſenſerit in talem contractum, neque reſtituere tenetur: & quoad hoc peccat etiam contra juſtitiam, reſpective ad mutuum dantem; qui mutuo non dediſſet, ſi hæc ſibi innotuiſſent. Excipitur caſus neceſſitatis, ut notant omnes cum Turrecremata in cap. *non dicatis* art. 5., puta, ſi

ta, ſi religioſus itinerans infirmetur in aliquo diverſorio, & non habeat ſufficientem ſummam ſuis neceſſitatibus providendis? quia tunc licite mutuare poteſt ab aliquo pecuniam; tunc enim juſte præſumitur aſſenſus religionis, quæ reſtituere tenetur mutuo accepta &c.

Quid de accipiente ad meram cuſtodiam?

XII. Accipere ab extraneo rem, vel pecuniam duntaxat ad cuſtodiam, eidem reddendam quando repetierit, directe & per ſe non videtur eſse contra votum; quia nil ſibi religioſus applicat: minus tamen decet Religioſum id agere ſine licentia Superioris expreſsa: immo plerumque eſt grave peccatum contra obedientiam, quæ in monaſteriis ordinatæ diſciplinæ ſolet religioſis imponi a Superioribus, nec non a legibus, ne hujuſmodi cuſtodiam religioſi ſuſcipiant; & quia obedientia verſatur circa rem notabilem, ut ſupponitur, & ad vitandas perturbationes in caſu, quo res depoſita aut amittatur, aut furto ſurripiatur; idcirco obligat ſub mortali.

* Vide quæ habet Auctor *tom.* 1. *tract.* 10. *cap.* 14. *num.* 6. quæque nos *ibidem* adjecimus.

Quid de accipiente ad erogandum in eleemoſinas?

XIII. Accipere ab extraneo ſummam, erogandam in eleemoſinas; ſi ab ipſo dante deſtinentur pauperes, quibus ſit eroganda, conveniunt omnes, non requiri licentiam, ex vi voti paupertatis; quia Religioſus nil ſibi acquirit: ſi autem relinquat religioſo electionem pauperum, Lezana docet requiri licentiam; ita in Summa p. 1. cap. 9. num. 39. quia tunc non habetur ut merus miniſter, ſed ut adminiſtrator. Paſserinus autem de Statibus tom. 1. q. 186. art. 7. inſpectione 9. num. 198. afferens Sanchez, & Suarez dicit, neque in hoc caſu requiri licentiam; quia quamvis eligat ipſe pauperes, nihil omnino acquirit, neque ullum commodum pretio æſtimabile: hæc videtur magis ad verum accedere: Dixi ex vi voti paupertatis; quia aliunde peccare poteſt contra votum obedientiæ, ob prohibitionem forte a regulis, vel Superioribus factam.

* Obſerva, quod ut docet *Sanchez*, non peccat Religioſus contra votum paupertatis, ſi inconſulto Superiore recuſet acceptare rem ſibi ex liberalitate oblatam; quia vi illius non obligatur ad acquirendum Religioni, ſed ad non alienandum, accipiendum, utendum ſine licentia. Poteſt tamen peccare contra caritatem, impediendo ſine juſta cauſa bonum Religionis, cui illa res ipſo acceptante acquirenda erat. At non peccabit, ſubdit P. Antoine *loco ſuperius citato num.* 6. ſi donum non neceſsarium Religioni recuſet ex juſta cauſa v. g. ut liberior ſit ad ſua miniſteria obeunda, vel ad majorem ædificationem.

§. III. *De modo peccandi contra hoc votum per detentionem rerum.*

Retentio repugnans voto.

I. MAnifeſtum eſt, quod non quæcunque rerum detentio ſit contra votum; immo neceſſarium eſt Religioſo retinere veſtes, lectum, libros &c., dummodo hæc retineat ad merum uſum, & de Superioris licentia. Retentio itaque illa voto repugnat, quæ fit independenter ab hujuſmodi licentia, & nomine proprio. Indicia vero hujus animi proprietarii plerumque iſthæc ſunt. Primum, & indubitabile retinere ſine dicta licentia. Secundum, ſi, obtenta licentia, ita occulte retineatur, ut a Superiore inveniri non poſſit, aut ſine magna difficultate, ne rem auferat: ita S. Bonav. in ſpecul. diſciplinæ ad Novit. p. 1. cap. 4., Sylveſter verbo Religio cap. 6. q. 7., Valentia diſp. 10. q. 4. punct. 3., & alii: idque verificatur, ut notat Suarez loc. cit. cap. 12. num. 4., nedum de dono receptis ab extraneo, ſed etiam de receptis a Religione, etiam commodato, præcipue ad diuturnum tempus; & erit culpa gravis, aut levis pro ratione materiæ, & actionis; magis namque requiritur ad grave in mero uſu occulto, quam in donatione: quia quamvis acquiſita non retineantur nomine proprio, in modo tamen ſe gerendi res ſubtrahitur a poteſtate Superioris. Tertium, claudendo ſub clavi particulari rem, quamvis cum licentia acquiſitam, niſi Superior clavem illam conceſſerit; qui uſus non eſt a Superioribus permittendus, niſi ex graviſſima cauſa, ut communiter docent Auctores; & quammaxime ubi hic abuſus non obtinet. Requiritur tamen in Religioſo, etiam ubi invaluit, animus aperiendi ad nutum Superioris.

Retinere rem cum licentia irrationabili.

II. Retinere rem cum licentia quidem, ſed irrationabiliter conceſſa, ſine juſta cauſa, quamvis non ſit peccatum proprietatis, ut patet, eſt tamen grave, vel leve, pro materia, contra paupertatem, tam in concedente, quam in retinente; & hoc verificatur circa bona ſuperflua perſonæ, & ſtatui religioſi; ita Navar. Com. 2. in Regul. n. 21., referens Cardinalem Alexan-

drinum.

Digitized by Google

drinum; & lib. 3. de reſtit. cap. 1. n. 3.: ubi Navarrus dicit; peccare peccato etiam proprietatis; quod non videtur verum, cum non retineat nomine proprio, ſed nomine Religionis, & Superioris, qui injuſte licentiam conceſſit: eamdem tenent S. Antoninus 3. p. tit. 16. Turrecremata in cap. *dicatis*, qui citat Humbertum; Dionyſ. Carthuſ. de reformatione Clauſtr. art. 5., Majorem in 4. diſt. 38. q. 9., Graphis 2. p. deciſ. lib. 13. cap. 19. num. 30., Azorium tom. 1. lib. 12. cap. 12. qu. 1., Molinam tom. 2. de Juſtitia diſput. 276., & alios. Ratio eſt; quia, juxta omnes, licentia injuſte conceſſa ab homine, circa ea quæ ſunt juris altioris humano, eſt invalida; atqui in caſu noſtro eſt hujuſmodi; cum ſit circa ea quæ ſpectant ad votum Deo factum; igitur peccant & concedens, & retinens, & quidem contra paupertatem; eo quod retinere ſuperflua, ex terminis repugnat pauperi ex voto. Si enim abundantia nimia diſſonat paupertati; quid erit dicendum de ſuperfluitate, quæ ex Chriſti mandato neque a laicis retineri poteſt? Accedit præceptum Tridentinæ Synodi ſeſſ. 25. de regular. cap. 2., quo jubetur tam Superioribus, quam ſubditis, ut *Mobilium uſum ita Superiores permittant, ut earum ſupellex ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſunt, conveniat; nihilque ſuperfluum in ea ſit . . . Quod ſi quis aliter quicquam tenere deprehenſus fuerit, is biennio activa & paſſiva voce privatus ſit, atque etiam juxta ſuæ regulæ, & Ordinis conſtitutiones puniatur*: quæ verba gravitatem præcepti manifeſtant, etiam ex pœna transgreſſoribus injuncta.

* Animadvertendum hic eſt, fieri poſſe, ut quod non repugnat paupertati Religioſæ, ſpectatæ in genere, repugnet paupertati, ut eſt propria talis Religionis. Sic in quibuſdam Religionibus quædam permittuntur, quæ non permittuntur in aliis, repugnante earum inſtituto.

Illatio notanda. III. Hinc inferas, mortaliter peccare, pro ratione materiæ, tam Superiores concedentes, quam ſubditos retinentes utenſilia argentea, ſive ex alia materia pretioſa, tam pro tabacco, quam pro menſa, quam pro aliis quibuſvis privatis, & domeſticis uſibus; cum haberi poſſint alia, ſtatui pauperum convenientiora, & æque utilia. Neque audiendæ ſunt omnino futiles excuſationes, nempe argentea diutius duratura; quia ſtatus paupertatis ad hoc non inſpicit, ſed ad decentiam vitæ pœnitentis, humilis, pauperis; aliter & induſia lanea quæ pluris valent, & brevius durant lineis, dimitti poſſent, cum tamen id falſum ſit, & ſic de aliis; quia ut dixi, ad hoc religio non inſpicit. Item peccant mortaliter tam Superiores concedentes, quam ſubditi retinentes veſtes ſæculares, ut larvati diſcurrere poſſint per ea loca, in quibus inconveniens eſt, religioſum habitum comparere: quænam enim neceſſitas, aut convenientia eſt, ut ad ea loca ſe conferant, ubi quaquaverſum offendantur occaſiones peccandi, a quibus ſæculares ipſi aliquo Dei timore tacti, ſollicite fugiunt? in quibus caſtitas mentis, & non raro etiam corporis periculum ſubit? eapropter, ſi hujuſmodi indumenta ſuperfluis non accenſeantur, quid unquam ſuperfluum erit reputandum? His addo declarationem Sac. Congreg. relatam a Fagnano in cap. *Monachi*: *Regulares, præter ſupellectilem, quæ ſtatui paupertatis regularis convenit; non poſſe de licentia ſuorum Superiorum Regularium alia bona mobilia ſuperflua, & dependenter a voluntate eorumdem Superiorum, & ad ſolum uſum proprium poſſidere, ſeu retinere; & poſſidentes, vel tenentes mobilia ſuperflua, non excuſari propter licentiam Superiorum a culpa, & pœna*. Quid clarius?

IV. Dictorum occaſione ſciſcitaberis: peccant ne religioſi mortaliter ex alio capite, præfatis indumentis utentes, ullamve cenſuram incurrunt? Huic quæſito reſpondet Doctiſſimus noſter Bannez in 2. 2. q. 12. a. 4. concl. 2. *Religioſus dimittens habitum ſuæ religionis, & aſſumens alium quemcumque, ut occultata perſona, libere poſſit divagari per vicos, & plateas, abſque eo quod cognoſcatur cujus Religionis ſit, etiamſi id faciat tantum ad horam, incurrit excommunicationem: concluſio hæc certa eſt apud omnes*: ita Bannez. Hæc Bannez aſſertio fundatur in lege Canonica 6. Decretal. tit. 23. c. *ut periculoſa*, in qua dicitur: *Ut periculoſa* (nota ſcopum Canonis) *evagandi materia ſubtrahatur, diſtrictius inhibemus, ne de cætero aliquis quamcumque religionem tacite, vel expreſſe profeſſus, in ſcholis, vel alibi habitum ſuæ religionis dimittat . . . . Si quis horum violator temerarius extiterit, excommunicationis incurrat ſententiam*: atqui temeraria habitus dimiſſio illa eſt, quæ fit abſque ratio- **Quæſtio incidens de religioſis larvatis incedentibus.**

tiona-

tionabili, & juſta cauſa, ut affirmant communiter Canoniſtæ & Theologi, teſte Sylveſtro verbo excom. c. 9. n. 51. *temere, ſine cauſa rationabili, ſecundum omnes auctores*: cum igitur depoſitio habitus ad larvam aſſumendam, ſit ex irrationabiliſſima cauſa, nempe ex motivo, propter quod Canon fuit conſtitutus, nempe evagandi per plateas, per theatra &c. proinde cenſura incurritur. Sententiam Bannez ſequuntur Sylveſter loc. cit. Graffius lib. 3. de Regularib. cap. 5. n. 77. Suarez t. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 5. num. 8. Barboſa in lib. 6. Decretal. in cap. *ut periculoſa*, Salonius quæſt. 5. art. 6., Lezana tom. 2. verbo Ludus, Colleg. Salmant. tract. 15. cap. 6., puncto 6., n. 149., & 151., Diana tom. 7. tract. 5. Comitolus lib. 6. q. 8., Clericatus Diſcordia 43., p. 4., Rotarius t. 1. lib. 3. cap. 1., punct. 1. reſ. 6. Larvis ergo utentes religioſi ad publice diſcurrendum occultati per civitates; graviter peccant, & excommunicationem ipſo facto incurrunt. Hinc reprehendendus videtur Manrique, qui in ſua Opella morali part. 3., c. 2., §. 8. oppoſitum libere docet, nullo prorſus adducto fundamento, præter illud, quod ita viderit fieri a viris, quos ipſe vocat timoratos; ſed qua ratione religioſis timoratis accenſendus ſit religioſus larvatus, vagans per vicos, & plateas, fateor, me non percipere.

Solvitur objectio.

V. Objices, Clerici ſæculares larvati incedentes, videntur non peccare mortaliter, quamvis habitum clericalem deponant, & perſonam occultent, ut alii credantur quam ſint: ergo neque Clauſtrales graviter peccabunt. Reſpondeo, falſum eſſe, Clericos non peccare, & quidem graviter: ita communis Doctorum, qui de hoc diſſerunt, & dubio procul omnes illi, quos vidi; quorum nemo eſt ſeveræ doctrinæ ſectator: hi ſunt Reinfeſtuel tom. 4. in lib. 3. decret. Tit. 1., §. 5., num. 138., afferens Belletum & alios: Laurentius in lib. 3. Decret. Tit. 1. q. 8. n. 3., citans Sylveſtrum, & Sanchez: & aliis omiſſis P. Lucius Ferraris recentiſſimus & perdoctus Auctor Bibliothecæ Canonicæ, t. 1., litera C, art. 4., n. 14. qui hæc profert: Clerici non poſſunt perſonati incedere, ſeu larva, ut vulgo dicitur *maſchera* ſe tegere; ex cap. *cum demum* 12. de vita & honeſt. Clericor., ex cap. nullus diſt. 33. ex cap. nullus presbyteror. diſt. 5. de conſecrat., hæc ille: & addit, Sac. Congregationem ſub die 10. Aprilis, 1654. declaraſſe; Clericis incedentibus perſonatis tempore bachanalium, poſſe ab Epiſcopo imponi pœnam excommunicationis. Cum igitur etiam Clerici mortaliter peccent, & pœna excommunicationis puniri poſſint, a forti ri peccant regulares profeſſi, qui pœnæ prædictæ jam ſubjiciuntur, ut oſtendi.

Præceptum Tridentini circa bona religioſorum.

VI. Claudo hunc paragraphum præcepto Synodi Tridentinæ loc. cit. cap. 2. *Nemini Regularium, tam virorum, quam mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia cujuſcunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquiſita, tan quam propria, aut etiam nomine conventus poſſidere, vel retinere, ſed ſtatim ea Superiori tradantur, conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui regulari concedere, etiam ad uſumfructum, vel uſum, adminiſtrationem, aut commendam. Adminiſtratio autem bonorum monaſteriorum, ſeu conventuum ad ſolos Officiales eorumdem, ad nutum Superiorum amovibiles, pertineat.* Hinc deducas, qualiter peccent contra hoc grave Synodi præceptum Superiores illi qui ſuis ſubditis liberam concedunt cenſuum livellariorum adminiſtrationem, ut illis utantur ad ſuum beneplacitum; nec non quomodo peccent ſubditi, licentia injuſte conceſſa utentes, & multo magis ſi pecuniam cenſuariam expendant in ludos, & in res ſuperfluas &. dedecentes, & forte criminoſas; ad quæ omnia nullo modo ſe extendere poteſt Superioris facultas; cum voto adverſentur.

§. IV. *De modo peccandi contra paupertatem per Uſum.*

Dependentia in Uſu.

I. NEminem latere poteſt, uſum proprietarium, nempe utendi rebus conceſſis cum dominio, & pro omni libito, interdici religioſis ea ratione, qua interdicitur dominium; nil enim refert, quod dominio rerum priventur, ſi eiſdem uti poſſint tanquam domini, & pro omni genio: quinimmo magis obligat paupertas pro praxi in uſu rerum, quam in earum dominio; cum nil proſit carere dominio, ſi pro genio de eiſdem diſponere queant, ut patet. Tenentur igitur uti rebus ſibi conceſſis ad eos uſus, ad quos ſibi conceduntur, & non aliter, niſi licentia ad alios uſus petatur.

Explicatur variis exemplis.

II. Hinc nedum eſt religioſo illicitum graviter, vel leviter pro ratione materiæ reci-

recipere, & retinere ſine licentia, ut dictum fuit; verum etiam donare, commutare, deſtruere, commodare ſibi conceſſa, etiam intra religionem, ſine licentia; quandoquidem etiam commodare, eſt diſponere de re, præter uſum ſibi conceſſum, qui eſt, ea re utendi ad talem determinatum uſum; puta, uti libro ad legendum, non ad commodandum alteri. Similiter neque poteſt ſibi conceſſa ad veſcendum, dare alteri ſine licentia; quia eſt diſponere de cibo ultra uſum ſibi conceſſum. Multo minus poteſt pecuniam, ſibi pro emendis v. g. libris conceſſam, in aliud expendere, ſine licentia: & ſic de aliis.

* Notandum hic eſt, quod ſi Religioſus ſine licentia valida Superioris aliquid donet, vel alienet, accipiens tenetur illud reſtituere Religioni. Quia Religioſus caret poteſtate alienandi, & ſic transferendi ejus dominium.

Qui autem donum accipit a Regularibus excedens ſummam *Scutorum decem*, in caſum incidit reſervatum Summo Pontifici; nullam tamen cenſuram incurrit. Reſervatio cadit in recipientes, non vero in donantes. Vide Conſtit. Clementis VIII. quæ incipit: *Religioſæ Congregationes*; & Conſtit. Urbani pariter VIII. quæ incipit: *Nuper a Congregatione*. Ab hujuſmodi caſu ne quidem Summus Pœnitentiarius abſolvere poteſt, quoadusque reſtitutio facta non ſit. Hæc omnia confirmata fuere a S. P. Benedicto XIV. in Conſt. quæ incipit: *Paſtor bonus* edita *idibus Aprilis* 1744. Sic ſeſe explicat ipſe §. 26. *Accipientes munera a Regularibus, exceptis rerum medicinalium, ſeu devotionis muneribus, ultra valorem decem Scutorum monetæ, contra præſcriptum a Prædeceſſoribus Noſtris Clemente VIII.; & Urbano pariter VIII. in ſuis Conſtitutionibus, XIII. Kalendas Julii Anni MDXLIV,; & XVI. Kalendas Novembris Anni MDCXL. reſpective editis, non abſolvat, niſi facta reſtitutione*; vel, *ſi eam de præſenti nequeant adimplere, cum obligatione eamdem, quam primum poterunt, faciendi. Qui vero infra prædictum valorem ejuſmodi munera acceperint, eos, injuncta arbitrio ipſius Majoris Pœnitentiarii, ſeu Confeſſarii per eum eligendi, eleemoſyna, quæ in beneficium Religionis, ſeu Conventus, cui de jure facienda eſſet reſtitutio, ſi caute fieri poſſit, erogetur, abſolvere, ſeu abſolvi mandare poſſit.*

III. Peccat religioſus graviter vel leviter pro ratione materiæ contra uſum rerum ſibi conceſſarum, ſi ex negligentia illas perdat; ſi ſinat, eas vel a tineis corrodi, vel deteri, vel marceſcere: ſi tanta incogitantia illis utatur, ut, ex modo indiſcreto illas adhibendi, ſit cauſa, quod aut citius conſumantur, aut in majori quantitate, quam neceſſe ſit. Et circa hoc vereor, ne facilius peccetur graviter in monaſteriis vitæ communis; cum enim ibi ex communi penu religioſi quoad omnia provideantur, loco manifeſtandi gratitudinem erga beneficentiam religionis ſedulæ matris, & ſollicitiori cura cuſtodiendi ſibi conceſſa; turpi ingratitudine incidunt in indicatam ſocordiam, qua nedum reatu ingrati animi gravantur; ſed quammaxime violati voti paupertatis; & non raro in materia notabili; quæ talis ſenſim evadit, dum, modo aliquid deperdendo, modo alicujus obliviſcendo, modo aliud non curando, modo aliud perire ſinendo, modo aliud oſcitanter tractando, & identidem his modis ſe gerendo, facillime ad eam ſummam aſcendunt, quæ gravem voti violationem conſtituat. **Peccat negligenter tractando ſibi conceſſa.**

IV. At ſciſcitaberis; ut negligentia in tractandis rebus ad uſum conceſſis cenſeatur gravis, quanta eſſe debebit? Reſpondeo doctrina ab univerſis admiſſa in materia contractuum; dicendo quod quando omittitur ea diligentia, quæ ſaltem a diligentioribus impendi ſolet, tunc, ſi quod deperditur &c. ſit notabile, erit culpa gravis. Rationem affero ex communiter admiſſis in contractu cedente in utilitatem utriuſque contrahentis, in quo committens culpam levem juridicam, tenetur juxta omnes ad reſtitutionem: culpa autem levis juridica, ex communi eſt omiſſio diligentiæ præſtitæ a diligentioribus: (ad differentiam culpæ leviſſimæ quæ eſt omiſſio diligentiæ præſtitæ a diligentiſſimis) cum autem contractus, initus inter religionem & religioſum, ſit in utilitatem utriuſque, tenetur utraque pars pro culpa levi juridica: igitur graviter peccabit religioſus damnum afferens religioni in ſuis bonis, ſi in eiſdem, ſibi conceſſis, cuſtodiendis, & utendis, non præſtet diligentiam, quam diligentiores præſtare conſueverunt. Dixi ſaltem; quia timeo, ne teneatur etiam pro culpa leviſſima juridica, omittendo nempe cuſtodiam diligentiſſimorum; eo quia religioſus reſpectu religionis, ſe habeat potius ut Precarius; quam ſub alio titulo; Precarius **Quæſitum opportunum.**

Digitized by Google

carius autem, ex communi, tenetur etiam pro culpa leviſſima, ſeu ex omiſſione cuſtodiæ diligentiſſimorum. Non igitur ſine cauſa dixi, me multum vereri, ne graviter hoc votum violetur ex hoc capite, etiam ubi viget communitas rerum; & quidem ob deſcriptam incuriam.

* Quoties Religioſus damnum injuſte intulit ſive extraneis, ſive Religioni, ejus bona uſurpando vel deſtruendo, vel aliter nocendo, tenetur reſtituere, quantum poteſt, ex iis bonis, de quibus licite poteſt diſponere in alios uſus, vel imminuendo expenſas, quas licite poſſet ex Conventus bonis facere, niſi condonet Prælatus, vel Dominus. Nam injuria omnis jure naturali reſarciri debet, quantum fieri poteſt, niſi condonetur. Sic poſt alios P. Antoine *loc. ſupra cit. n.* 7.

Ludere quando illicitum religioſo?

V. Circa ludos Alearum, italice *disfortuna*, & præcipue chartarum, quantum dedeceant Eccleſiaſticas Perſonas, & præcipue Regulares, declarant Sacri Canones, Ordinumque regulæ; & idcirco Theologi communiter damnant peccati lethalis religioſos hujuſmodi ludis, præcipue frequenter, operam dantes: ſufficiet afferre duos recentiores perdoctos, nec de ſeveritate doctrinæ ſuſpectos. Primus eſt P. Paſſerinus tom. 2. q. 187., art. 2.: „ Ludi chartarum, ait ipſe, maxime cupiditati, & avaritiæ deſerviunt, eo quod de „ uno ex illis ad aliud eſt facilis tranſitus . . . Inde eſt, quod nedum in religionibus Obſervantibus, ſed & in omni Religione Prælati hujuſmodi peſtes, „ & ludos voluptuoſos, nulla conſuetudine obſtante, juxta ſancita in Concil. „ Tridentino ſeſſ. 22. cap. 1. de reformat., extirpare debent; & graviter peccant, ſi id non faciant, & ſi hujuſmodi ludos permittant; & multo amplius „ ſi dent licentiam eis ludendi ſuis ſubditis, (at, dico ego, quid ? ſi forte Superior ipſe ſuo exemplo oppoſitum doceret ?) Manifeſtum eſt enim, quod per „ uſum horum ludorum ſub prætextu recreationis fratrum, ſternitur via ad diſſolutionem Religionum: „ hæc Doctor primus. Audi ſecundum; qui eſt P. Rotarius tom. 1. 2. lib. 3. cap. 1. puncto 12. n. 13. & 14., ubi concedens, quod nos non audemus concedere, nempe licere aliquando regularibus, chartis ludere, deinde ſic ſcribit: „ Secus dicendum, ſi ſæpe vacarent prædictis ludis; nam tunc difficile „ excuſarentur a mortali (nota bene) „ etiamſi luderent ſine ſcandalo, ut ex „ communi Doctorum teſtatur Lezana verbo ludus num. 4. erit autem ludus frequens, & ludens dicitur conſuetudinarius, ſi ſemel in hebdomada fiat, juxta Bordonum reſol. 33. num. 3. Claudit demum hoc punctum Giribaldus gravibus verbis, quibus invehitur in religioſos ſæpe ludentes ludis vetitis alearum & taxillorum, cauſa lucri. Reſignolus: ſive hoc faciant, neſcientibus, „ ut communiter contingit, ſive etiam „ videntibus, & non contradicentibus Superioribus, (verba ipſius ſunt) abominabile hoc vitium eſt, ut religioſum ſtatum, & perfectionem evertat, ſanctitatem comminuat, vota diſrumpat. „ Heu quam gravibus pœnis ad ſupremum „ Dei tribunal obnoxii erunt, nedum religioſi ludentes, ſed Superiores etiam „ ſcientes, & corruptelam hanc non reſecantes, quæ cedit nedum in animarum perniciem, ſed etiam in Religionis everſionem! Ex dictis patet, communem ſententiam eſſe, quod etiamſi „ non obſtent decreta, neque ſit ſcandali „ periculum, neque ingens pecunia ludo „ exponatur; tamen in religioſo conſuetudo ludendi nequit a mortali excuſari, cum nimis adverſetur ſtatui religioſo. „ Hæc Doctor ſecundus: ambo doctrinæ non ſeveræ, quibus communiter aſſociantur alii.

Illationes notandæ.

VI. Ex his inferri debet primo, ex communi, Superiores permittentes introductionem ludi chartarum in ſuos conventus, graviter peccare, ſicuti & introductos, extirpare non procurantes. Secundo dictis ludis religioſos utentes, ſaltem aliqua frequentia, certo peccare lethaliter; dixi ſaltem aliqua frequentia, ut communem opinionem indicarem: cæterum adopto opinionem ſemper damnantem ut mortales in religioſis hujuſmodi ludos; niſi forte parvitas materiæ, nempe breviſſimi temporis, & magnæ raritatis excuſet; eo quia & jura Eccleſiaſtica nimis urgeant; & hujuſmodi ludi nimis regulari ſtatui adverſentur; & regulares obligationes, præcipue ſtudium perfectionis exterminent. Tertio inferendum, graviter peccare Superiores, qui, ubi toleratur abuſus peculii, concedunt religioſis, ludentibus aliis ludis honeſtis & non vetitis, puta teſſeribus, ſchacchiis, pilla &c., ut pecuniam exponant, quamvis intra clauſtra, quia id diſſonat paupertatis voto, & excedit ſuam

aucto-

Digitized by Google

auctoritatem, quæ nil poteſt circa ea quæ ſunt voti læſiva. Eo vel magis, quod eſt moraliter impoſſibile, impedire tranſitum paullatim de modica ſumma ad majorem, & de majori ad grandem, cum voti jactura ſemper majori. Similiter peccare ipſos religioſos tam ſine licentia pecuniam exponentes, quam cum licentia; quæ cum ſit injuſta, & ſine honeſta cauſa; quandoquidem diſcordet a voto, & a regularitate, nequit licitum reddere actum. Si opponas: igitur nil pretio æſtimabile poterit cum licentia exponi, ad acuendam honeſtam delectationem ludentium? Reſpondeo, poſſe aliquid licite exponi de licentia, puta imagines, cereolos &c., pecuniam vero non; quia eſt eſca nimis alliciens avaritiæ famem, nimiſque adverſans voto; uſus enim aliarum rerum, imaginum, cereolorum &c. conceditur religioſis quibuslibet; neutiquam uſus pecuniæ, ob datam rationem.

* Relege Auctorem *tom.* 1. *tract.* 10. *de* 7. *Decal. Præcept. cap.* 11. §. 2. *n.* 4. ubi docet, peccare lethaliter, & ad reſtitutionem teneri qui ludit cum Religioſo profeſſo quantitatem reſpective notabilem exponente.

De uſu peculii. VII. Circa uſum peculii pecuniarii, ubi ex neceſſitate tenetur, ad ſubveniendum neceſſitati religioſorum, a religione non ſufficienter proviſorum; ut innocens coram Deo inveniatur, & ſecurum in conſcientia utentem conſtituat, has poſtulat conditiones, ipſimet voto, & religioſo ſtatui inſitas. Prima, quod ſit ſub totali poteſtate, & auctoritate Superioris; ita ut ab ipſius nutu pendeat illud habere, vel eo privari. Secunda, ut non reſideat apud ipſum religioſum: ſed in capſa communi. Tertia, ut ejuſdem uſus ſit ob neceſſitates, quibus religio nequit præſto eſſe, puta pro itineribus neceſſariis, & decentibus; pro medicinalibus, pro libris comparandis, veſtibus &c. Quarta, ut non expendatur in uſus ſuperfluos, indecentes, & irreligioſos; quia quoad hos non ſe extendit Superioris facultas. Quinta, ut ſit in ea quantitate, & ſumma, quæ neceſſitatibus prudenter occurrendis ſufficere poſſit. Sexta, quod illo utens, ſincero animo promptus ſit ad acceptandam vitam communem, ſi offeratur occaſio; immo quantum in ſe eſt, illam optet, & ſuo modo procuret: veh autem illi, ſi aut reſiſtat, aut exturbet tractatus ejuſdem introducendæ! (de quo in ſequenti paragrapho) Septima, ut quoties peculio utendum eſt, toties licentiam petat; &, ſi fieri poteſt, per miniſtros expendatur, quod expendendum eſt. Hæ ſunt conditiones requiſitæ, & a Doctoribus paſſim indicatæ, ad licitum peculii pecuniarii uſum, quippe quod a voto, & ſtatu regulari poſtulentur.

§. V. *De qualitate obligationis ad Vitam Communem.*

Vitæ communis notio. I. Vita communis, Conſiliis Evangelicis a Chriſto accenſita, ita deſcribitur a Sancto Luca Actorum cap. 2., & 4., atque ab Apoſtolis executioni mandata: *Omnes etiam qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia; poſſeſſiones, & ſubſtantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat. Nec quiſquam, eorum quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat; ſed erant illis omnia communia . . . Quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum; dividebatur autem ſingulis, prout cuique opus erat.* Hanc vivendi rationem conſtituerunt ſuis alumnis, quotquot fuere Sacrarum Religionum Fundatores, volentes ut omnia temporalia, a religioſis quocumque modo acquiſita, in unum confuſim conferrentur; quibus adminiſtrandis aliqui, Superioris auctoritate, inſtituerentur, ut cuilibet religioſo, de ejuſdem Superioris licentia, tribueretur, prout eiſdem opus eſſet, juxta confinia Conſtitutionum ab unoquoque Inſtituto ſtatutarum: neque ullus apud ſe quidquam haberet, niſi ad merum uſum facti, ad Superioris nutum revocabilem.

Vita communis an intima voto paupertatis? II. Hujuſmodi vitam communem ita intimam paupertatis voto quidam Theologi arbitrati ſunt, ut ſine ipſa, neque votum ipſum ſubſiſtere poſſe affirment; tum quia religioſi voveant non paupertatem in genere, ſed juxta regulam, in quam cooptari voluerunt; & cum omnis regula Ordinum Religioſorum jubeat vitam communem, proinde voventes paupertatem juxta regulam proprii inſtituti, videntur ſimul vovere vitam communem. Hunc ſenſum videntur admittere noſtræ Conſtitutiones diſt. 1. cap. 13. textu 2., loquentes de emiſſuris profeſſionem: *Verumtamen antequam ſtabilitatem, & communem vitam promittant, & obedientiam Prælato* &c. En quomodo pro eodem accipere viden-

Digitized by Google

videntur votum paupertatis, & vitam communem. Et ſimiliter Clariſſimus Præmonſtratenſium Ordo in Capitulo celebrato anno 1615. manifeſte ita ſentire profitetur: *Communis vitæ ratio adeo neceſſaria eſt, ut, ea non ſedulo obſervata, paupertatis Evangelicæ votum, quod nihil proprii admittit, inviolatum eſſe nequeat.* Momenta quidem gravia, quæ admodum probabilem hanc opinionem efficiunt.

Vita communis quæm neceſſaria voto.

III. Cæterum quamvis communius doctores diverſo modo opinentur, fatentur tamen omnes, abſque vitæ communis obſervantia, multis paupertatis votum patere periculis, multiſque violationibus, ut facile conſtabit perpendenti paulo ante tradita, circa ea quæ præſtanda ſunt a religioſis, ut votum cuſtodiant, & quæ cavenda, ne in ejuſdem violationes impingant; & præcipue mature conſideranti, quæ pro innoxio peculii pecuniarii uſu indiſpenſabiliter requiruntur. At, quod fateri etiam debent omnes, illud eſt, vitam communem cum excluſione peculii cadere ſub præcepto gravi, ita ut valde ſibi metuere debeant de ſalutis æternæ diſpendio, qui in gradu Superioris ſunt conſtituti, ſi illam quanta poſſunt prudenti & ſedula cura in ſua monaſteria introducere non ſatagant; nec non ſubditi, ſi vel eam recuſent, vel ne introducatur, impediant.

Vita communis præcipitur a Sac. Conciliis.

IV. Hoc præceptum grave habetur in Conciliis Generalibus Lateranenſi tertio 1189. ſub Alexandro III. capite *Monachi*: & Lateranenſi quarto 1213. ſub Innocentio III., capite *Prohibemus*. Sed ut ad proximiora accedamus, Concil. Tridentinum ſeſſ. 25. de Regularibus cap. 1., abſolute, & efficaciter jubens reformationem Regularium tam virorum, quam mulierum inter alia vult: *Ut obedientiæ, Paupertatis, & caſtitatis; ac ſi quæ alia ſunt alicujus Regulæ, & Ordinis peculiaria vota, & præcepta, ad eorum reſpective eſſentiam*; nec non ad communem vitam, *victum, & veſtitum conſervanda, pertinentia, fideliter obſervent.* Et cum in ſequentibus capitibus plura alia ſtatuat, tandem cap. 22. concludit: *Hæc omnia & ſingula in ſuperioribus decreta & contenta, obſervari S. Synodus* præcipit in omnibus Cœnobiis, & Monaſteriis &c.

Vita communis jubetur a Clem. VIII.

V. Et quamquam ſcriptores aliqui Tridentinum præceptum quibuſdam interpretationibus extenuare tentaverint, illius vigorem in tuto poſuit Clemens VIII. ſua declaratione, anno 1599. emanata, in qua ſub undecim capitibus comprehendit quidquid intentum efficaciter concludere valet. Num. 1. hæc profert: *Quo Tridentini Concilii decreta de paupertatis voto cuſtodiendo fidelius obſerventur, præcipitur, ut nullus ex fratribus, etiamſi Superior ſit, bona, immobilia, vel mobilia, aut* Pecuniam, *proventus, cenſus, eleemoſynas ſive ex concionibus, ſive ex lectionibus, aut pro Miſſis tam in propria Eccleſia, quam ubicumque celebrandis, aliove ipſorum juſto labore, & cauſa, & quocumque nomine acquiſita, etiamſi ſubſidia conſanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tanquam propria, aut etiam nomine conventus, poſſidere poſſit, ſed ea omnia ſtatim Superiori tradantur, & conventui incorporentur, atque cum cæteris illis bonis, reditibus, pecuniis, ac proventibus confundantur; quo communis inde victus, & veſtitus omnibus ſuppeditari poſſit.* Et numero 2. *Neque Superioribus, quicumque illi ſint, ullo pacto liceat eiſdem fratribus, aut eorum alicui bona ſtabilia, etiam ad uſumfructum, vel uſum, adminiſtrationem, aut commendam, etiam depoſiti, aut cuſtodiæ nomine concedere.* Et num. 3. *Nulla quorumcumque Superiorum diſpenſatio, nulla licentia, quantum ad bona immobilia, vel mobilia fratres excuſare poſſit, quominus culpæ, & pœnæ ab ejuſdem Concilii decretis impoſitæ, & ipſo facto incurrendæ, obnoxii ſint, etiamſi Superiores aſſeverent, hujuſmodi diſpenſationes, aut licentias concedere poſſe,* quibus ea in re fidem minime adhiberi volumus. Et numero 5. *Fratrum veſtitus, & ſupellex cellarum ex communi pecunia comparetur, & omnino uniformis ſit fratrum, & quorumcunque Superiorum, ſtatuique paupertatis, quam profeſſi ſunt, conveniat &c.* Et numero 8. *Omnes, etiam Superiores, quicumque illi ſint, eodem pane, eodem vino, eodemque obſonio, ſeu, ut ajunt, pictantia, in communi menſa prima, vel ſecunda, niſi infirmitatis cauſa impediti fuerint, veſcantur; neque ſingulare aliquid, quo privatim aliquis in cibum utatur, ullo modo offerri poſſit,* Et numero 9. *Superiores omnes, etiam Generales . . . . cum contigerit in ali-*

quo

Digitized by Google

quo conventu commorari, eam pecuniæ quantitatem in commune conferant, ex qua ſibi, & iis qui ſecum ſunt, victus ad præſcriptum regulæ, & conſtitutionum ſuppeditetur. Hæc ſunt quæ ex declaratione Clementis ſelegimus, quibus quid ſolidum reſponderi queat, penitus ignoro; dixi ſolidum, quia non deſunt qui aliqua reſponſa effutiant, at revera hominibus piis, & doctis minus digna.

Accedunt Declarationes Sacræ Congregat.

VI. Clementinum Decretum invicto robore ſuſtinuit Sac. Congregatio ſuis reſponſis ad quæſita ſibi propoſita, atque a doctiſſimo Fagnano ejuſdem Congregationis Secretario relatis in Commentario ad Caput *Monachi* de ſtatu Monachorum n. 1. „ Quæſitum fuit, ait ille, an in iis ſimilibuſque caſibus (quos ſuperius retulerat) nempe de aliquo annuo proventu, ſibi a Novitiis in profeſſione reſervato pro religioſis ſuis indigentiis, aut eiſdem a propinquis collato, aut a religioſis profeſſis ſuis laboribus parto, prædicatione, lectione &c. ut ex eo emantur cenſus perpetui pro religioſis indigentiis; aut quando ex reditibus unicuique ex fratribus aut ſororibus aſſignatur ſingulis annis certa portio ſiva in pecunia, ſive in aliis ſpeciebus, ad hoc ut ex ea paret ſibi neceſſaria ad vitam, (ut plerumque fit) nec Monaſterium eis aliquid ultra præſtare, nec ipſi, accepti ultra rationem reddere teneantur: quæſitum eſt, an in iis & ſimilibus caſibus liceat Regularibus utriuſque ſexus, habere prædictos annuos reditus, ſeu proviſiones annuas, vel bonorum ſtabilium adminiſtrationem, (nota bene) ſeu peculium non ſuperfluum, nomine conventus, ac de Superiorum licentia, & dependenter ab eorum voluntate ac nutu; adeo ut ſint immunes a culpa, & a pœna, de qua Concil. Trident. ſeſſion. 25. de Regularibus cap. 2.? Hæc fuerunt Quæſita propoſita: audi nunc reſponſum Sac. Congregationis. Sacra Congregatio *negative reſpondit*, videlicet in nullo ex ſupradictis caſibus licere regularibus utriuſque ſexus habere prædictos annuos reditus, ſeu proviſiones annuas, vel bonorum ſtabilium adminiſtrationem, ſeu peculium non ſuperfluum nomine conventus, ac de Superiorum ſuorum licentia, & dependenter ab eorum voluntate & nutu; nec eſſe immunes a culpa, & pœna a Tridentino, loco citato indicatis. Hactenus Fagnanus " Qui num. 62. alteram conſimilem declarationem refert in quadam cauſa Neapolitana; & alteram num. 63. & 64. in qua Archiepiſcopo Urbani præcipitur, *ut quamdiu Moniales illæ communem vitam non ſuſciperent; interdiceret ipſis receptionem puellarum ad habitum, & profeſſionem.* Et inſuper num. 75. affirmat Clementis VIII Decreta, fuiſſe deinde innovata a Paulo V. a Gregorio XV. & ab Urbano VIII.

Et confirmationes aliorum Pontificum, Pauli V. Gregorii XV. & Urbani VIII.

Confirmatur auctoritate Innoc. X. & Alex. VII. & Innoc. XI.

VII. Deinde Innocentius X. Urbani ſucceſſor in decreto edito anno 1654. relato ab eodem Fagnano in 2. par. tertii Decretalium, capite *Relatum ne Clerici vel Monachi*, prohibet Superioribus, ne ad habitum Religionis Novitios admittant, niſi ſub conditione ſervandi vitam communem: *Sub exacta tamen vita communi ad præſcriptum regulæ, non obſtante quamvis laxiori conſuetudine, ſeu potius corruptela in contrarium introducta; ſervataque forma Sacrorum Canonum Concilii Tridentini, & Conſtitutionum Apoſtolicarum, ac præcipue decretum S. M. Clementis Papæ octavi*. Idem confirmavit Alexander VII. Innocentii ſucceſſor anno 1655. qui ſub eadem conditione ſervandæ communitatis, conceſſit recipi ad habitum Novitios. Deinde Innocentius XI. hoc idem, omni adhibita ſollicitudine, executioni mandari ſtuduit, edita etiam Conſtitutione, quæ incipit; *Cum nos* 1679. 6. Octobris.

Confir. matur ab Innoc. XII

VIII. Poſtea Innocentius XII. nedum idem inculcavit, confirmavitque, verum etiam Sacram Congregationem erexit ſub titulo Diſciplinæ Regularis, ut reformationi Regularium, juxta omnia hactenus indicata decreta, invigilaret; a qua Sacra Congregatione plura emanarunt decreta, in quorum initio inter cætera, hæc habentur nomine Pontificis: *Conſtituit, & declaravit, ſe licentiam recipiendi novitios in ſingulis approbatis Ordinibus benigne conceſſurum* (tunc enim erat vetita veſtitio, ut monaſteria reluctantia vitæ communi extinguerentur) *dummodo tamen quæ pro regulari vita inſtituenda tam a Sacroſancta Tridentina Synodo, quam a prædeceſſoribus ſuis Romanis Pontificibus, præcipue vero felicis recordationis Clemente octavo, nec non Innocentio decimo, & Alexandro ſeptimo pro Novitiorum receptione, & profeſſorum educatione ſalubriter conſtituta* ſunt;

Digitized by Google

ſunt; quibus omnibus firmiter inhæret Sanctitas ſua, eaque, quatenus opus ſit, confirmat & renovat. Quocirca Sacra Congregatio ab eodem SS. D. N. ſuper diſciplina Regulari ſpecialiter deputata, de mandato Sanctitatis ſuæ, præſentis decreti tenore denunciat omnium & ſingulorum Ordinum Regularium Superioribus tam Generalibus quam Provincialibus, ut ſtatuant omnimodam obſervantiam regulæ, & Conſtitutionum cujuſcumque Ordinis, & Decretorum Apoſtolicorum; præcipue vero exactæ vitæ Communis. *Poſtquam vero regularem obſervantiam, &* ſignanter quoad exactam vitam Communem *cum effectu ſtabilitam fuiſſe, tum ex eorumdem Superiorum Generalium, ſeu Provincialium relatione, quam Præpoſiti & Fratrum in præfatis conventibus degentium* Jurejurando firmato teſtimonio, ... *eidem Sacræ Congregationi ſufficienter conſtiterit; tunc Sanctitas Sua antedictam licentiam, quam hactenus diſtulit, Novitios ibi recipiendi, benigne concedet*. Deinde probibet, ne in poſterum *erigantur Monaſteria, & Conventus religioſorum virorum, niſi ſub expreſſa obligatione exactæ vitæ communis ab omnibus religioſis ibi commorantibus perpetuo, ac inviolate ſervandæ.*

Benedictus XIII. IX. Demum Benedictus XIII. in Conſtitutione ſub die 5. Junii 1726. quæ incipit: *Quod Apoſtolicæ*, dolens, vota ſuorum Prædeceſſorum intentum non obtinuiſſe, & volens Provinciam utriuſque Lombardiæ, cujus fuerat alumnus, quamque tenero proſequebatur amore, in melius provehere, dicit: *Pro conſervanda, & dilatanda per totam Lombardiæ Provinciam ſeveriore diſciplina, has regulas præſcribimus, atque ut perpetuo obſerventur, diſtricte præcipimus, & mandamus*. Primo vita Communis &c. „. Neque obtrudas modo, ſilentium S. Sedis, ac ſi diſſimulet, & permittat religioſis vitam communem non amplecti, & peculia pecuniaria retinere; hunc namque prætextum caute, ac ſapienter præoccupavit Innocentius XII. in Decreto edito anno 1698. incipiente *Debitum Paſtoralis*, in quo clare dicit: *Ut conſtans enixaque voluntas noſtra incœptum opus hujuſmodi peculiari ſtudio ſummaque animi contentione proſequendi magis omnibus innoteſcat, omniſque tranſgreſſoribus vano falſoque* ſilentii noſtri *prætextu ſeſe excuſandi occaſio penitus præcidatur; motu proprio prædictam Congregationem Cardinalium, & Prælatorum ſuper diſciplina Regulari, tenore præſentium perpetuo approbamus, & quatenus opus ſit, etiam perpetuo erigimus, ac inſtituimus: Ipſius autem Congregationis facultates ſint ... potiſſimum exactæ vitæ communis obſervantiam promovendi &c.* En objectio tua penitus convulſa.

X. Omnibus his documentis ante oculos poſitis, fateor, imbecillitati meæ ſuaderi non poſſe, quod vita communis, extincto peculiorum uſu, non cadat ſub gravi præcepto, afficiente Superiores, ut eam pro viribus promoveant, atque ſubditos, ut illam ſincero animo optent, & data occaſione prompte amplexentur. Et quamvis Sacra Congregatio non cogat reluctantes, ideo non cogit, non quia approbet modum vivendi abſque vita communi; ſed ad evitanda illa gravia inconvenientia, quæ germinare ſolent ex indocilitate reluctantium, ſibi patrocinia undequaque conquirentium, cum magno fidelium ſcandalo, & tumultu, ingentique Sanctæ Eccleſiæ quietis perturbatione. Veh itaque reluctantibus, & impedientibus! quos deploro intimo cordis mei ſenſu tamquam in æternæ ſalutis periculo conſtitutos. Si plura deſideres, videſis volumen P. F. Danielis Concina inſcriptum titulo: *Diſciplina Apoſtolico monaſtica* Diſſertationibus Theologicis illuſtrata &c.

☞ Non pigeat hic adiicere, & ob oculos ponere quæ Patres Ordinis Prædicatorum in poſtremo Capitulo Generali Romæ celebrato anno 1756. ſub Reverendiſſimo P. F. Joanne Thoma de Boxadors ejuſdem Ordinis Generali Magiſtro in eodem Capitulo electo, ſtatuerunt, vel potius in aliis Capitulis jam ſancita confirmarunt ad communem vitam in Conventus ejuſdem Ordinis introducendam. „ Quæ a poſtremo „ Capitulo Bononienſi (ſic illi *pag.* 86. „ num. IV.) in memoriam revocata fuit, „ ordinationem in alio Capitulo Bononienſi „ anno 1706. latam hic iterum ad ver„ bum tranſcribimus, ejuſque obſervatio„ nem ſummo ſtudio commendamus. Vi„ tam communem, ſeu perfectam rerum „ omnium communitatem ſtatui religioſo „ adeo individuam, & neceſſariam, qua, „ dum vigeret, effloruit ſemper religio, „ & tot fere ſanctos aluit, quot habuit „ religioſos, ut in omnes Provincias, ac „ Conventus revocent Priores ſeu Pro-

„ vin-

„ vinciales, ſeu Conventuales, jam toties „ in Capitulis Generalibus ordinatum, inculcatum, & ſub interminatione Divini judicii præceptum eſt, ut ſupervacaneum videri poſſit illius introducendæ „ nova dare præcepta, ſeu novas concedere leges. Nihilominus quia necdum „ obtineri potuit, ut in omnes omnino „ Conventus introduceretur, mandamus ac „ diſtricte præcipimus, ut iis in Conventibus, in quibus introducta eſt, cuſtodiatur quam diligentiſſime, nec rimam „ admittant Superiores, qua e Conventibus erumpere poſſit; ubi vero necdum „ perfecte introducta eſt, curent, ſatagantque, ut, ſi nequeunt aliter, ſenſim & ſenſim illam introducant, eas „ ſtatuendo depoſiti leges, talemque in „ veſtitu, & ſupellectili Fratrum præſcribendo modum, qualia in variis Capitulis Generalibus præſcripta ſunt & ſtatuta, ut, quoad fieri poterit, ad vitam „ perfecte communem accedant quam proxime: Superiores hac in parte muneris „ ſui potiſſima negligentes, ſeu indulgentiores a ſuis officiis volumus amoveri, „ eoſque inhabiles præſenti decreto declaramus ad quævis Ordinis noſtri munia; „ & ſi quem contingat eligi in Priorem „ Conventualem ſeu Provincialem, quem „ in concilio Patrum per vota ſecreta conſtiterit non eſſe vitæ communis amantem, diſtricte prohibemus, ne hujuſmodi electus confirmetur, ſed alius vitæ „ communi ſeu cuſtodiendæ ſeu introducendæ aptior eligatur."

* Legatur S. P. Benedictus XIV. *de Synod. Diœceſ. lib.* 13. *cap.* 12. *n.* 21. ubi modum præſcribit ſervandum, cum agitur de perfecta vita communi in Monialium Cœnobia invehenda; & quænam præſtanda ſint, priuſquam operi manus admoveatur, ſapienter ſuggerit.

✠ Celebriores Theologi communiter aſſerunt: non eſſe licitum juvenibus Religionis habitum ſuſcipere, atque ſolemnem emittere profeſſionem in iis Monaſteriis, vel Conventibus, in quibus vita Communis non ſervatur, atque aliarum præcipuarum Regularum, & conſtitutionum obſervantia non viget. Videantur inter cæteros S. Antoninus 3. *p. tit.* 16. *c.* 2. & Em. Cajetanus in 2.2. *p.* 188. *a.* 9.

CAPUT III.

DE VOTIS CASTITATIS, ET OBEDIENTIÆ.

§. I. *De obligationibus ad votum Caſtitatis pertinentibus.*

I. Maniſeſtum ex traditis in hoc opere variis in locis merito cenſeo, quod votum caſtitatis Religioſæ conſtringat perpetuo voventem ad abſtinendum a quocunque actu venereo tam interiori, quam exteriori: ac proinde ſi contra hanc obligationem delinquat, præter malitiam luxuriæ contra Temperantiam, incurrit malitiam ſacrilegii contra Religionem. Immo ſi religioſus peccans, ſit etiam Sacris Ordinibus initiatus, aggravat notabiliter peccatum ſuum, ob duplicem titulum caſtitatis ſervandæ, afferentem duplex motivum proximum continentiæ; ac proinde violator duplex hoc vinculum frangit, augetque malitiam ſuam eo gradu, ut ſit in confeſſione explicanda. Addunt aliqui, quod ſi violator voti ſit Sacerdos, hunc gradum maniſeſtare teneatur, eo quod gradus Sacerdotalis notabiliter augeat deformitatem impudicitiæ, quamalter ſimplex Ordo Sacer; quæ longe majori quadam ratione repugnat quotidie ſacrificanti, & ſumenti Agnum Immaculatum, quam repugnet aliis Ordinatis, ad eidem inſerviendum dumtaxat deſtinatis. *Obligatio voti Caſtitatis.*

✠ Vide quæ habentur *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 13. §. 7. *n.* 2.

II. Hinc monita cuncta, quæ univerſis Chriſtifidelibus dantur ad cuſtodiendam caſtitatem proprii cujuſque ſtatus, potiſſimo titulo commendantur Religioſis; omnes enim plurimorum Conciliorum Canones ad defendendam Clericorum continentiam conſtituti, eo urgentius ad protegendam religioſam conſpirant. Cum autem cuncti Canones colliment ad inducendos Clericos, ut omni ſedulitate, totoque conatu arceantur a contubernio, a converſatione, a colloquiis, a viſitationibus, ab aſpectu, &, ſi fieri poſſet, etiam a recordatione mulierum; ab omnibus his potiori titulo arceri debent Religioſi Clauſtrales; quandoquidem omnes auſteritates, pœnalitates, pœnitentiæ actus, quibus ſingula Sacra *Præcautiones ad votum ſervandum.*

Inſtituta plus minuſve abundant, in illud conſpirant, ut caſtitatem in ſuis alumnis ſartamtectam conſervent. Majori nihilominus vigilantia indigent Inſtituta mixta ex contemplatione & actione, præ Inſtitutis ſoli contemplationi vacantibus; cum enim illa in proximorum ſalute procuranda multis modis verſentur, & quam maxime in adminiſtrando Sacramento Pœnitentiæ, conciones habendo, aliaque utriuſque miſericordiæ opera proximis impendendo, juxta ſcopum cuique Ordini præfixum; fit inde, quod neceſſitas non raro compellat ad tractandum cum perſonis mulieбris ſexus; quocirca hujuſmodi animarum miniſtris, præcipueque Confeſſariis attentiſſima cautio, atque oculatiſſima vigilantia neceſſaria eſt, ut animum tam proprium, quam ſuarum pœnitentium a quacunque affectione reciproca defæcatum cuſtodiant: & quam maxime quoad hoc invigilare debent ſuper illas, quas filias vocitant ſpirituales, facillime namque ex frequenti collocutione, quanquam de rebus ſpiritualibus, gignitur quædam affectio, aut in altero, aut in utroque colloquente, quæ prima fronte ſpiritualis creditur, ideoque a multis negligitur, & pedetentim, niſi ſumma vigilantia diſcernatur, & præfocetur, tranſit in ſenſibilem; & hæc, ſi munuſculis foveatur, verbis mollibus colatur, ſignificationibus benevolis alatur, viſitationibuſque non neceſſariis augeatur, facillime tranſit in ſenſualem, tametſi a principio vix diſcerni queat.

Monita S. Bonaventuræ circa hoc punctum.

III. Non moleſte feras, Lector benevole, ac ſtudioſe Confeſſor, ſi ex Angelico Thoma, vel potius ex Seraphico Bonaventura, aliqua exſcribam, ad periculoſæ hujus affectionis ſpiritualis inſidias detegendas; (cum adhuc incertum ſit, cui eorum ſit tribuendum Opuſculum *de modo confitendi, & puritate conſcientiæ*; quamvis longe probabilius ſit, eſſe Bonaventuræ adſcribendum; tum quia ſtylus id manifeſtet; tum quia in editione Romana Opuſculorum S. Thomæ minutioribus characteribus inveniatur impreſſum: cujuſcumque eorum illud ſit, magni eſt Doctoris, eximii Sancti, atque peritiſſimi in arte) in hujus autem capite 22. hæc ſcribit. „ Talis affectio multos ſpirituales ſub ſpecie amicitiæ ſpiritualis a ſtatu orationis impedivit ... Et quoniam ſpiritualibus loquor, propter quos iſta ſcribuntur, noverint ipſi, quod licet carnalis affectio ſit omnibus periculoſa, & damnoſa, tamen eſt magis perniciosa, maxime quando converſantur cum perſona, quæ ſpiritualis videtur. Nam quamvis eorum principium videatur eſſe purum: frequens tamen familiaritas domeſticum eſt periculum, delectabile detrimentum, & malum occultum, bono colore depictum; quæ quidem familiaritas quanto plus creſcit, tanto plus infirmatur principale motivum, & utriuſque puritas maculatur ... Ad tantum vero in brevi deveniunt, ut jam non velut Angelos, ut cœperant ante, ſe invicem alloquantur, & videant, ſed tanquam carne veſtitos ſe mutuo intueantur, .. & exinde unus incipit appetere alterius præſentiam corporalem, qua inſit eis præſentia mentalis; ſicque ſpiritualis devotio paulatim convertitur in corporalem & carnalem.. Et non minus horrendum eſt, cum ii proprium errorem percipere, & emendare deberent, in ipſius potius nutrimento erroris, totum illud judicant ex maxima charitate procedere, .. ac ſi pro ſe invicem orare cogantur gratia, & virtute divina; ac per hoc conſolationem ſimpliciter ſenſualem quam habent, ... aſſerunt ſpiritualem eſſe, ac divinam ... Proinde modos inſolitos, & cautelas mirabiles adinvenerunt, quibus procurant ſimul colloqui; & frequenter, allegantes unus alteri cauſas, utilitate, ac neceſſitate depictas: cum tamen in veritate nil aliud ſit cauſa, niſi onus, cui ratio ſuccumbit; ſic itaque carnali concupiſcentia, ſeu complacentia excæcati, ... allocutiones divinas pro carnalibus commutantes, ammodo, niſi mora ſerotina cogente, aut alia inevitabili cauſa, non poſſunt ab invicem diſcedere; & tunc invite, & triſtes diſcedunt: hæc autem triſtitia eſt certiſſimum indicium, quod carnis vinculo ſunt alligati ... Denique quamvis ſe multis exponant periculis, & multa mala incurrant, & eorum obtenebratis conſcientiis judicant, tanquam ſpiritualibus ſibi quædam eſſe licita; quæ fieri nequeunt abſque periculo & peccato ... Tandem ſpirituales prædicti quandoque ſe deduci permittunt, ut ſe invicem familiariter tangant ſub ſpecie charitatis, reſerantes ſibi invicem mutuum cordis amorem, quem imprudenter charitatem appellant: ſed in hac reſervatione amoris eſt ſummum periculum, quia ex hoc fabricantur ſagittæ, quæ mentes eorum vulnerant mor-

Digitized by Google

„ taliter, & venenant ... Hæc venenoſa „ affectio ſumme impedit puritatem con- „ feſſionis & cordis munditiam, ... quia „ perſonæ tales, quandiu ſunt hac ſagit- „ ta percuſſæ, quaſi nunquam pure, & „ integre confitentur ... Tantum de hac „ materia dixiſſe ſufficiat, ut per hoc ani- „ mentur per viam puram & immacula- „ tam incedere, & fugere *Periculoſam* „ *hanc peſtem, familiaritatem mulierum* „ *ſpiritualium, quæ non melius quam* „ *fugiendo vitatur*. Satis enim poſſet quis „ hac ſagitta percuſſus ſe jejuniis, vigiliis, „ & diſciplinis affligere, & orare; quia „ ſi non fugiat perſonam, & omnem oc- „ caſionem deſpiciat, nunquam curabitur „ ab illo morbo, ſed magis augebitur il- „ lud vulnus.“ Hactenus S. Bonaventura, qui deinde dicta confirmat auctoritatibus Sanctorum Patrum.

Modus in directione tenendus.

IV. Oppones: ſunt igitur ab Eccleſiis & confeſſionalibus repellendæ virgines, & juvenculæ, aliæque honeſtæ fœminæ, ſpiritualem, & cælibem vitam inſtituere optantes, & in perfectionis ſtudio ferventer proficiſci? Minime gentium: immo potiori virginitatis jure, vitæque caſte ducendæ propoſito, veniant in lætitia & exultatione, adducanturque in Templum Regis; attamen noniſi magna adhibita prudentia, cautione, diſcretione, ſobrietate, ac ſpirituali ſagacitate. Atque in primis Director mature perpendat earumdem vocationem ad hujuſmodi vitæ genus; cum, juxta Pauli monitum, non ſit credendum omni ſpiritui, ſed probandi ſint ſpiritus, utrum ex Deo ſint. Deinde poſt exploratam vocationem, firmitatemque in eadem, ſuper ipſas invigilet, atque eiſdem inculcet, ut ſummo ſtudio, linguæ, oculorum aliorumque corporis ſenſuum mortificationi inſiſtant; ſeceſſum in propria domo diligant; omnibus domeſticis ſe ex corde ſubmittant; a familiæ ſervitio non ſe ſubtrahant, immo cæteros in laborando præveniant; a vanis ornatibus prorſus abhorreant; modeſte, & verecunde veſtes componant, atque ad cætera exteriora tam quoad ſe, quam quoad alios ita ſe habeant, ut ad ſuimet cuſtodiam, aliorumque ædificationem cuncta conſpirent. Deinde inculcet, ut moderationi paſſionum inceſſanter operam dent; ut virtutum moralium imprætermiſſæ exercitationi vacent: preces, meditationes, & acceſſum ad Sacramenta ita temperent, ut compati poſſint cum ſtatu, & circumſtantiis perſonæ. Duo ſemper præ oculis Director teneat, primum, ne perſona ſpiritualiter vivens, unquam ſe agmen mulierum ſpiritualium ingreſſam exiſtimet; immo ſuo judicio valde longinquam ab hujuſmodi vitæ ratione ſincere ſe credat. Secundum, ut cor ſuum a quacumque nimia affectione erga humanas perſonas defæcatum cuſtodiat, & præcipue erga Directorem; qui, poſt data ſalubria documenta & monita, quo rarius ad ſecum colloquendum admittet eam, eo felicius illius perfectum promovebit: caveat autem ſummopere a viſitationibus domeſticis, ſi velit, ne brevi exſiccentur germina, quæ multo labore antea excoluerat. Iis aliiſque cautis modis, apud probatos Doctores legendis, fieri poterit, ne ſibi noceat ſpiritualis fœminarum directio; dummodo & ipſe ſumma vigilantia cor ſuum cuſtodiat; ne, ob profectum, quem in via Domini aliquam facere animadverterit, peculiari quodam vinculo ſpirituali erga eamdem afficiatur: memor illius Hieronymiani canonis ad Nepotianum: *Omnes virgines Chriſti, & puellas, aut æqualiter dilige, aut æqualiter ignora.*

§. II. *De ſpectantibus ad votum Obedientiæ.*

I. VOtum obedientiæ in eo poſitum eſt, quod homo offerat Deo proprium arbitrium, ipſique promittat, ſe obtemperaturum ſuis Superioribus quoad omnia, quæ juxta propriam regulam juſte jubebunt: quæ obedientia reſpectu juſſorum juxta regulam, vocatur a S. Bernardo in opuſc. de præcepto & diſpenſat. obedientia *neceſſitatis* ad differentiam illius obedientiæ, quæ dicitur *perfectionis*, quæque obtemperat in omnibus, quæ non ſunt contra Deum. Notio hujus voti.

Tituli inducentes obligationem obediendi.

II. Religioſus parere tenetur obedientia neceſſitatis ſuo Superiori triplici titulo, nempe titulo Traditionis humanæ quia nempe ſe tradidit religioni, ad vitam ducendam juxta Superiorum juſſa: titulo Voti Deo emiſſi, obediendi homini propter ipſius Dei amorem; & titulo Juriſdictionis, qua pollet quilibet Prælatus Eccleſiæ, reſpectu ſuorum ſubditorum. Cum autem vovens promiſerit, obedire non cuicumque voluntati Prælati, ſed dumtaxat præceptis illius; eo quod motivum ſpecificans virtutem obedientiæ ſit Præceptum; propterea certo non peccat mortaliter, ſi non exequatur ea, quæ optantur, etiam ardenter, a Prælato, eo quia non extet præceptum; immo, juxta plures,

Digitized by Google

res, neque venialiter; quia nullo modo violat præceptum, quod non extat; ſed dumtaxat peccat mortaliter, quando præcipitur aliquid grave illis modis in conſtitutionibus præſcriptis. Dixi aliquid grave, quia quemadmodum legislator non poteſt aliquid leve ſub gravi jubere, ut dictum fuit in tract. 1. cap. 2. §. 5. nu. 7. ita neque Prælatus præcipere.

Quando peccetur graviter?

Requiſita ad inobedientiæ peccatum & ad obedientiæ virtutem.

III. Cum vero S. Th. 2. 2. q. 104. a. 2. docuerit; quod *ſpeciale obedientiæ objectum ſit præceptum tacitum, vel expreſſum Superioris; voluntas enim Superioris quocumque modo innoteſcat, eſt quoddam tacitum præceptum*: fit exinde, quod quamquam religioſus regulariter non peccet graviter, niſi agat contra præceptum expreſſum, nihilominus graviter peccare poteſt, ſi agat contra præceptum tacitum, quando videlicet notum eſt, Superiorem intendere ad aliquid obligare velle; puta ad applicationem ſacrificii pro oneribus Sacriſtiæ &c. Qui vero obedit, præveniendo præceptum, perfectius obedit: ideo concludit Angelicus: *Et tanto videtur obedientia promptior, quanto expreſſum præceptum obediendo prævenit, voluntate tamen Superioris intellecta*. Quamobrem plus requiritur ut quis peccatum inobedientiæ committat, quam ut virtutem obedientiæ exerceat; ad illud namque requiritur violatio præcepti expreſſi, vel taciti: ad iſtam ſufficit ſola notitia voluntatis Superioris quocumque modo intellectæ.

Modus perfectæ obedientiæ.

IV. Ut religioſus perfecte obedientiam exerceat, quatuor requiruntur conditiones, a S. S. Doctoribus communiter aſſignatæ: prima, ut Religioſus id prompte exequatur, quod a Superiore jubetur. Secunda, ut obediat etiam voluntate, nempe animo volente, exequendo quod præceptum fuit. Tertia, ſubmittendo etiam proprium judicium judicio Superioris, judicando id melius eſſe, quod a Superiore præcipitur, quamvis melius ſuo judicio non appareat; & hic eſt perfectiſſimus obediendi modus. Quarta, ut obediat, nullo expectato præcepto, ſed ſola voluntate Superioris ſignificata.

Animadverſio notanda.

V. Ex hactenus dictis deducas, quam longe diſtent a religioſa obedientia ſubditi illi, qui, circa diſpoſitionem vitæ ſuæ, ea munera conſtanter recuſant, quæ ſibi non placent, quamquam ipſis certo conſtet, quod Superior vellet, ut ab ipſis obirentur; eaque ſola libenter amplectuntur, quæ favent eorum genio, ambitioni, commodo, & peculio. Quid reſpondebunt Chriſto Judici, cui cum ſpoponderint obedientiæ voto abdicationem proprii arbitrii quoad inſerviendum Religioni, *& ſe ſubjiciendi ſuperioribus quantum ad generalem diſpoſitionem vitæ ſuæ*, ut inquit S. Thom. Quodlib. 10. a. 10. ad 3. in quo conſiſtit obedientiæ praxis; diſponere ſategerunt, non pro Superiorum voluntate, ſed pro genio ſuo? Quid ergo erit illis? Quam mercedem erunt recepturi, dum vix unam poterunt afferre actionem, vix unum perfunctum miniſterium, quod non fuerit procuratum, quæſitum, retentum ex propria voluntate, neutiquam ſuſceptum ex ſimplici, & ſincero obediendi motivo, abſque admixtione propriæ voluntatis? viderint ipſi.

Materia voti obedientiæ.

VI. Materia voti obedientiæ eſt totum id, quod confert ſive directe, ſive indirecte ad conſervationem Sacri inſtituti, ad præſidium votorum, ad ſubſidium regularis diſciplinæ. Dixi ſive indirecte; quia Superior præcipere poteſt, quod conſpirat ad arcenda peccata, ad evitanda ſcandala, ad impediendas Conſtitutionum violationes: & etiam novas ordinationes facere ad hujuſmodi præſervanda; quia totum id virtualiter ſpectat ad conſervationem, & præſidium Sacri Ordinis.

Obedientia quandoque obligat ad actiones vitæ periculo adjunctas.

VII. Hinc non mirum, ſi Cajetanus, Suarez, Sanchez, & alii communiter docuerint, poſſe ſubditum a Superiore obligari ad quaſdam actiones, vitæ periculo conjunctas, quando commune bonum religionis id poſtulaverit, puta inſerviendi religioſis peſte ictis in conventu commorantibus; miniſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ etiam ſæcularibus tempore peſtis, ſi Parochi non ſufficiant, & Religio ſit Inſtituti mixti, nempe etiam proximorum ſaluti dicata; quandoquidem hæc conformia ſunt & charitati domeſticis debitæ, & obligationi in Inſtituto fundatæ.

Quid agendum in dubio de poteſtate Superioris?

VIII. In dubio, an id quod præcipitur, ſit intra confinia facultatis Superioris, juxta communem, obtemperandum eſt, quia poſſeſſio favet Superiori certo de ſua auctoritate præcipiendi, qua non eſt expoliandus a ſubdito dubitante, an ad rem præceptam ſe extendat, cum alioquin certus ſit, ſe ad obediendum teneri in omnibus, quæ illicita non ſint, aut contra regulam; quemadmodum miles in ſimili caſu tenetur obedire Duci imperanti. Pariter in dubio, an extet præceptum, juxta probabiliorem, tenetur obire; quia

in-

Digitized by Google

in concurſu an cedere debeat, & vulnerari libertas ſubditi, aut auctoritas Superioris; rationabilius videtur, integram poterius ſervandam eſſe Superioris voluntatem, & auctoritatem, quam ſubditi libertatem; quæ & eſt inferior illa, & ſe habet veluti quædam pars reſpectu totius. Et a fortiori obtemperandum eſt, quando ſubditus habet pro ſe opinionem probabilem non obediendi circa aliquid, & probabilior eſt opinio Superioris jubendi circa idem, ut conſtat ex dictis in tract. 1. c. 1. in toto §. 6. In caſu demum quod & pro Superiore, & pro ſubdito extarent opiniones æque probabiles, opinio ſubditi cedere debet, eadem enim eſt ratio, ac in caſu dubii.

Præcipienti ſupra regulam, an parendum?

IX. Prælato particulari præcipienti aliquid ſupra regulam, puta novas auſteritates v. g. abſtinendi a vino, abſolute loquendo, non tenetur ſubditus obedire; quia non vovit obedientiam, niſi juxta regulam: Immo peccat Prælatus hæc præcipiendo: idcirco S. Bernardus in laudato opuſculo: *Prælati juſſio, vel probibitio non prætereat terminos profeſſionis, nec ultra extendi poteſt, nec contrahi citra: nihil me Prælatus prohibeat eorum, quæ promiſi, nec plus exigat, quam promiſi.* Conſulto dixi Prælato particulari; quia ſi a Capitulo Generali ſtatuantur, & præcipiantur, obediendum erit, ut patet. Conſulto item dixi abſolute loquendo; quia ſi in aliqua communi neceſſitate, ad placandam indignationem divinam, juberet jejunium, vel quidpiam ſimile, eſſet obediendum; quia id eſſet ſecundum regulam, ſaltem implicite.

* D. Thomas 2. 2. *q.* 104. *art.* 5. *ad* 3. ad rem hanc hæc habet: *Dicendum*, ait, *quod Religioſi obedientiam profitemur quantum ad regularem converſationem, ſecundum quam ſuis Prælatis ſubduntur. Et ideo quantum ad illa ſola obedire tenentur, quæ poſſunt ad regularem converſationem pertinere. Et hæc eſt obedientia ſufficiens ad ſalutem. Si autem etiam in aliis obedire voluerint, hoc pertinebit ad cumulum perfectionis, dum tamen illa non ſint contra Deum, aut contra profeſſionem regulæ, quia talis obedientia eſſet illicita. Sic ergo poteſt triplex obedientia diſtingui, una ſufficiens ad ſalutem, quæ ſcilicet obedit in iis, ad quæ obligatur: alia perfecta, quæ obedit in omnibus licitis: alia indiſcreta, quæ etiam in illicitis obedit.* Legatur & *in corp. ejuſdem articuli.*

Quid de præcepto ad acceptandas Prælaturas?

X. Videtur quod non poſſit Superior regularis præcipere ſubdito, ut acceptet prælaturam extra Ordinem, puta Epiſcopatum, neque ſubditus teneatur præcipienti obedire; quia circa rem prætergredientem confinia Regulæ, immo conſtituentem ſubditum extra regulam, & ſubjectionem Religionis; ita S. Antoninus 3. p. tit. 20. cap. 1. §. 6., & alii ſecum. Laudabiliter tamen faciet, ſi animo ſincere reluctante, & vere coram Deo de propria imbecillitate timente, præcipienti obediat, quippe quod ipſi manifeſtetur divina voluntas: & idem dicas de præcepto ad acceptandum Beneficium cum cura animarum. Immo ſi religioſus acceptaret electionem ad Epiſcopatum, ſine obtenta Superioris majoris licentia, acceptatio eſſet nulla, ex capite *quam ſit* 18. q. 2., & ex capite *ſi Religioſus* de Elect. in 6., eo quod, ut multi ſuſtinent, ex vi voti obedientiæ tenetur ad hanc licentiam obtinendam; cum acceptet ſtatum, qui ipſum eximit a ſubjectione Religionis, cui ſe in perpetuum tradiderat. Putarem tamen, quod ſi electio fiat immediate a Summo Pontifice, quamvis laudabile foret licentiam obtinere etiam a Superiore, ea non videretur neceſſaria, niſi forte in Bulla electionis exprimeretur; quia auctoritas ſuprema Pontificis eligentis eo ipſo ſubtrahit electum a ſubjectione Religionis. Ad Prælaturas intra Ordinem acceptandas valide, & licite præcepto obligari poteſt; quia præceptum eſt intra jura Religionis, & proinde ſubditum ligare poteſt, atque is ad obediendum tenetur, etiamſi minus ſufficientem ſe credat, quia in hoc dubio parendum eſt, & cedendum auctoritati certæ.

* D. Thomas 2. 2. *q.* 185. *art.* 2. ad examen vocat, *utrum liceat Epiſcopatum injunctum omnino recuſare?* Et ſic *in corp.* difficultatem ipſe dirimit: *Dicendum*, inquit, *quod in aſſumptione Epiſcopatus duo ſunt conſideranda. Primo quidem, quid deceat hominem appetere ſecundum propriam voluntatem. Secundo quid hominem deceat facere ad voluntatem alterius. Quantum ergo ad propriam voluntatem, convenit homini principaliter inſiſtere propriæ ſaluti: ſed quod aliorum ſaluti intendat, hoc convenit homini ex diſpoſitione alterius poteſtatem habentis. Unde ſicut ad inordinationem voluntatis pertinet, quod aliquis proprio motu feratur in hoc, quod aliorum gubernationi præficiatur: ita*

Digitized by Google

etiam ad inordinationem voluntatis pertinet, quod aliquis omnino contra Superioris injunctionem prædictumgubernationis Officium finaliter recuſet, propter duo. Primo quidem, quia hoc repugnat charitati proximorum, quorum utilitati ſe aliquis debet exponere pro loco & tempore. Unde Auguſtinus 19. de Civit. Dei dicit: quod negotium juſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis. Secundo quia hoc repugnat humilitati, per quam aliquis Superiorum mandatis ſe ſubjicit. Unde Gregorius dicit in Paſtorali: Tunc ante Dei oculos vera eſt humilitas, cum ad reſpuendum hoc quod utiliter ſubire præcipitur, pertinax non eſt. Plura docet S. D. & in reſponſionibus ad oppoſita argumenta, quæ materiam eamdem magis magiſque declarant.

§. III. *De variis contra obedientiam peccandi modis.*

Modi peccandi graviter contra præceptum.

I. PEccat graviter Religioſus contra obedientiam, nedum frangendo præceptum in regula contentum, aut a Superiore juxta regulam impoſitum, verum etiam oretenus factum, & ex orealterius ex commiſſione Superioris eidem annunciatum; quia quocunque ex iis modis deobedit præcepto ſufficienter propoſito. Secundo peccat graviter, tranſgrediendo ordinationes Superioris, quamvis non præceptas, ex contemptu; qui in eo conſiſtit, juxta S. D. 2. 2. q. 186. a.9. ad 3.: *Quando voluntas ſubditi renuit ſubjici ordinationi legis, vel regulæ* (aut Superioris) *& ex hoc procedit ad faciendum contra legem, vel regulam*, aut Superioris præceptum. Quamobrem ſubditus reſpondens vel Superiori aliquid ordinanti, vel alteri annuncianti ordinationem ejuſdem, quamvis non præceptam, & dicens: nolo obedire, nolo id agere, ex communi, peccat mortaliter contra obedientiam; quia ex modo ſe gerendi contemnit Superioris vocem, & auctoritatem: & peccat duplici malitia, ſacrilegii contra votum; & injuſtitiæ contra ſuam Religionem, cujus ſervitio ſe perpetuo tradidit, juxta beneplacitum Superiorum.

* Legatur integer D. Thomæ textus loco ab Auctore *num. præced.* citato; videaturque Em. Cajetanus, qui ſuo commentario S. D. doctrinam illuſtrat. Revolvantur inſuper quæ ad rem hanc addidimus tum *tom. 1. tract. 1. cap. 2. §. 5. n. 12.* tum etiam *hujuſce tract. cap. 1. §. 2. n. 4.*

Peccat graviter rejiciendo reformationem a Capitulo ſtatutam.

II. Peccat graviter religioſus contra obedientiam, & etiam contra propoſitum tendendi ad perfectionem, ſi ſe ſubmittere renuat, & contradicere conetur reformationi ſtaturæ a Capitulo Generali ad reparandum collapſum inſtitutum. Ita Sylveſter verbo Religio cap. 6. q. 6. Vaſquez in 1. 2. q. 5. a. 2. diſp. 154. cap. 1. n. 25. & ſeq. Azorius tom. 1. lib. 23. cap. 11. q. q. 17. 19. Sanchez lib. 6. cap. 2. num. 35. & alii; quia Religio, in Cœtu Superiorum repræſentata, habet jus reparandi proprias jacturas, & obligandi ſubditos ad reparationem acceptandam, quippe quod præceptum ſit omnino juxta regulam. Et quia religioſus quicumque, Inſtituti quantumvis relaxati, & collapſi, tenetur ſub mortali habere animum ſincerum tendendi ad perfectionem, juxta ſuperius dicta; eo ipſo quod ſe opponit reformationi, & reluctatur ſe ſubjicere eidem, manifeſtat patenter animum a perfectione averſum, & minime ad perfectionem tendere ſincere volentem: immo peccat etiam gravi peccato ſcandali, dum conatur impedire profectum etiam ſuorum Confratrum, & relinquere illis apertam occaſionem ſpiritualis ruinæ. Neque prodeſt quidquam, ſi dicat, ſe profeſſum fuiſſe ſtatum religionis, quem invenit; quandoquidem profeſſus fuit regulam, non prout collapſam; eſſet namque profeſſio iniqua, Deoque abominabilis; ſed regulam abſolute, quæ ſemper arguit profeſſos reformationi obnoxios, ſi hac indigeant, & ab habentibus poteſtatem præcipiatur.

Quando peccetur venialiter contra hoc votum?

III. Peccat venialiter contra obedientiam religioſus, qui ſciens a Superiore aliquid fuiſſe demandatum, quamvis abſque præcepto, ſine juſta cauſa, illud facere advertenter omittit; ſi enim ita peccat filius, hoc modo deobediens ſuo genitori, tametſi immunis a ligamine voti, potiori ratione ita peccabit religioſus dicto modo ſe gerens, cum ex vi voti teneatur ſe Superiori ſubmittere *quantum ad generalem diſpoſitionem vitæ ſuæ*, ut audivimus a S. D. atqui hoc ipſo quod tranſgreditur demandata a Superiore, ſe ſubtrahit a diſpoſitionibus factis a Superiore rectore vitæ ſuæ; igitur &c.

Qualiter peccet deobediens regulis?

IV. Deobediendo regulis, & conſtitutionibus non obligantibus ad culpam, abſolute, ex ſe, & ex vi earumdem, nullum committitur peccatum: in praxi tamen, ſi deliberate vel ex malo habitu violentur, neſcio excuſare deobedientem a cul-

Digitized by Google

a culpa veniali, propter hæc motiva mihi, & omnibus doctrinæ S. Thomæ diſcipulis inſolubilia. Certum eſt in via S. Thomæ, non dari in homine deliberate operante actum indifferentem, ut probavimus in tract. 3. cap. 3. §. 1. num. 3. ſed aliquem finem debere ab ipſo operante reſpici; qui ſi honeſtus ſit, efficit actionem bonam; ſi vero dedecens, efficit actionem malam: atqui deliberate frangens conſtitutionem, non poteſt hanc violationem dirigere ad finem honeſtum; quandoquidem non amplius eſſet violatio regulæ, neque poteſt illam dirigere ad finem indifferentem, qui in agente deliberate, juxta Angelicum, extare non debet; igitur reſpiciet actio illa finem dedecentem; ergo erit mala venialiter: idque multo magis verificatur de frangente regulas ex habitu; eo quod, ut vidimus in tract. 2. cap. 1. §. 2. num. 9. peccans ex habitu, peccat, ut docet S. Thomas, ex certa malitia. Adde, quod violatio deliberata, aut ex habitu ſemper profluit ex inordinata aliqua affectione aut curioſitatis, aut vanitatis, aut ineptæ lætitiæ, aut acediæ &c.

Mens S. Doctoris circa hoc. V. Non me fugit S. Doctorem in 2. 2. q. 186. a. 9. ad 1. dicere: *In Ordine Prædicatorum tranſgreſſio talis, vel omiſſio ex ſuo genere non obligat ad culpam, neque mortalem, neque venialem*. At obſervare debes ly ex *genere ſuo*, nempe ex vi regulæ, quod & ego quoque affirmavi; evadit tamen culpabilis ex adjunctis: & ideo ſubjungit S. D. *qui tamen poſſent venialiter vel mortaliter peccare, ex negligentia, vel libidine, vel contemptu*; & quammaxime ex defectu honeſti finis, quod eſt idem ac ex negligentia.

Peccatur graviter ex contemptu tam explicito, quam implicito. VI. Ex contemptu igitur tranſgredi conſtitutiones eſt lethale, ex contemptu quidem formali, & explicito, quando quis renuit ſubjici regulæ, & ex hoc agit contra regulam, ut dixit S. Doctor citatus num. 1.; ex contemptu autem implicito, quando tranſgreditur Religioſus modo deſcripto in cap. 1. §. 2. num. 8.; ubi quod diximus de contemptu implicito tendendi ad perfectionem, accomodatur cuicunque alteri obligationi.

Gravis obligatio Superiorum circa Regulas. VII. Quamquam autem ſubditi identidem tranſgrediendo regulas, ex vi earum nec venialiter peccent, non ita cenſendum eſt de Superioribus, hujuſmodi tranſgreſſiones diſſimulantibus, & permittentibus; ſi enim prudenter, & moraliter poſſint aut collapſas regulas erigere, aut extirpare violationes gliſcentes, aut præcavere imminentes, tenentur ſub mortali, omni adhibita diligentia, id præſtare; ut plures docent Auctores non ſeveri, laudati & approbati a Collegio Salm. tract. 15. cap. 4. puncto 6. n. 63., quos inter etiam Diana, quibus addo recentiſſimum P. La Croix, qui lib. 3. part. 1. num. 707. docet, peccare mortaliter Superiorem, ſi negligit obſervantiam legum de ingreſſu in aliena cubicula, de ſilentio &c., quæ profecto non ſunt inter conſtitutiones gravioris ponderis. Ratio eſt, quia, ex vi muneris ſui, eſt ipſi demandata ſub gravi peccato cuſtodia ſpiritualis ſuæ Communitatis, profectus ſpiritualis ejuſdem, quæ inſeparabilia ſunt a cuſtodia legum, earumdemque integritate: atqui tam legum integritas, quam profectus Communitatis non leve detrimentum patiuntur a diſſimulatione tranſgreſſionum, ut patet: igitur ex obligatione, orta ex juſtitia legali, reus erit gravis omiſſionis, ſi in hoc notabiliter deficiat. Et confirmatur: ſi ex ſua diſſimulatione reſultet notabile damnum reditibus temporalibus monaſterii, non ne graviter delinqueret? a fortiori ergo peccabit non impediens regularum violationes; cum ad id tanto urgentius teneatur, quanto bona ſpiritualia præſtantiora ſunt temporalibus. Idemque Theologi explicant exemplo cuſtodis ex officio alicujus vineæ, a qua ſi plures ſucceſſive, & ſine ulla conſpiratione auferant unum botrum uvæ, nemine iſtorum graviter peccante, quippe quod ſinguli ignorent damnum aliorum; ipſe tamen cuſtos graviter peccat, ſi damnum illatum ſit grave, ut ſupponitur, diſſimulando illa modica furta: ita eſt de cuſtode ſpirituali monaſterii. Immo S. Antoninus 3. p. tit. 9. c. 5. docet teneri Superiorem nedum amovere violationes regularum, quæ ipſi occurrunt, & innoteſcunt, ſed, quod *debet eſſe ſollicitus ad inquirenda vitia ſubditorum: nec ſufficit, quod corrigat defectus, quos contingit, eum ſcire, ſed debet inquirere diligenter vitam ſubditorum, ſi forte etiam occultos defectus poſſit deprehendere, ut admonendo, & præcavendo, malis obviet*. Cavere tamen debet, ne aut indole ſuſpicioſa inductus, aut nimiis ſcrupulis exagitatus, aut triſtitiæ habituali obnoxius, evadat nimis anxius, moroſus, & indiſcretus; præ oculis ſemper tenens illud

S. Au-

Digitized by Google

S. Auguſtini in Regula: *Diſciplinam libens habeat, metuendus imponat: & quamvis utrumque ſit neceſſarium, tamen plus a vobis amari appetat, quam timeri, ſemper cogitans, Deo ſe pro vobis redditurum eſſe rationem.*

CAPUT IV.

DE NONNULLIS ALIIS OBLIGATIONIBUS RELIGIOSAS PERSONAS AFFICIENTIBUS.

§. I. *De obligatione circa Clauſuram virorum Clauſtralium.*

Notio Clauſuræ. I. Clauſuræ nomine, juxta Doctores, intelligitur totum illud ſpatium, quod intra ſepta Monaſterii, ſeu Conventus continetur. Hæc clauſura verificatur etiam de illis hoſpitiis, in quibus Religioſi Conventum, & Eccleſiam habent, quamvis ſine Euchariſtia; dummodo Horas divinas communiter recitent, & in iis Conventibus ſaltem aliqui degant; eo quod hujuſmodi hoſpitia ſint vere Conventus. Non autem clauſi dicuntur, neque clauſura afficiuntur illi Conventus, ſeu illæ domus, quæ nondum declaratæ ſunt Conventus, quæque interea conſtruuntur, in quibus aliqui Religioſi morantur ad illas conſtruendas deputati, ut docent communiter, & quæ proinde ut Conventus nondum habentur.

Quid de choro & Sacriſtia? II. Sacriſtia, ad quam accedi non poteſt, niſi per Eccleſiam; certum eſt quod non contineatur in clauſura, ſicuti neque Chorus ad quem niſi per Eccleſiam accedatur; quia ſunt partes potius Eccleſiæ, quam conventus: ita ab oppoſito, ſi in chorum & ſacriſtiam nequeat haberi ingreſſus niſi per conventum, jam patet, quod clauſuræ ſubjiciantur. At quando tam chorus, quam ſacriſtia habent portas tam conventui, quam Eccleſiæ correſpondentes, putarem cum Suarez, & aliis, quod Chorus non ſit in clauſura comprehendendus, contra Salmant. & alios ab ipſis relatos; nam ſemper chorus reputatur pars Eccleſiæ, in qua Religioſi pſallentes Deum collaudare intendunt; & janua, quæ communicat conventui, non ad aliud deſervit, niſi ut Religioſi a conventu deſcendant in Eccleſiam, & chorum clam a ſecularibus; unde janua illa principaliter non vergit ad conventum, ut præſupponunt adverſarii, ſed vergit principaliter ad Eccleſiam, ut Religioſis pateat aditus ad ipſam. Similiter ſi Sacriſtiæ janua ſit immediate in Eccleſia, quamvis etiam habeat portam interiorem communicantem cum conventu, non cenſetur intra clauſuram; quia & ipſa tunc reputatur pars quædam Eccleſiæ, quamvis aliquantum remotior choro; & janua illa interior non tam aperit aditum ad conventum, quam conventus ad ipſam; non enim per ſe aſcenditur ad conventum per ſacriſtiam, ſed a conventu in ſacriſtiam deſcenditur, ut Sacerdotes, ſacris veſtibus induti, prodeant in Eccleſiam ad celebrandum. Si vero ſacriſtia non habeat januam immediate in Eccleſia, ſed ut pateat ingreſſus ad ipſam, neceſſe ſit per aliquem alium locum tranſire, qui communicet conventui; tunc ſacriſtia habenda eſt in clauſura; quia reapſe communicat Eccleſiæ, ſed omnes januæ ejus immediate communicant conventui, qui proculdubio clauſuræ ſubjicitur.

III. Circa hortos, & viridaria, ſi careant janua exitum aperiente ad viam publicam, certum eſt apud omnes, in clauſura contineri: ſi autem habeant etiam talem januam, præter illam, quæ communicat cum conventu, longe probabilius eſt, nihilominus clauſuræ ſubjici: tum quia ita communius judicatur, tum quia janua communicans viæ publicæ, per accidens extat, nempe, ut introducantur neceſſaria ad horti culturam, & non ut per eam introducantur perſonæ vetitæ; tum item quia etiam janua conventus, quamvis immediate ſit in via publica, non propterea aperit aditum violationi clauſuræ; tum item quia horti intra circuitus, & ſepta monaſterii concluduntur; tum denique, quia cum ſint loca voluptatis, & ſolatii, conformius eſt fini legis de clauſura, ut intra eamdem recludantur. Quid de hortis & viridariis?

IV. Clauſura quæ eſt a jure, immutabilis eſt a Superioribus Religionis: talis eſt Clauſura Dormitorii, Refectorii, aliorumque locorum interiorum Conventus; quia hujuſmodi loca a Sacris Canonibus in clauſura declarantur comprehenſa. Clauſura alia eſt a Superioribus, nempe a Generali, vel Provinciali, quando prudenter dubi- Quotuplex ſit clauſura & quomodo immutabilis?

dubitatur de aliquo loco, an clauſuræ ſit accenſendus; & hæc mutabilis eſt, cum poſſit ab eadem auctoritate auferri, a qua fuit impoſita: prudentia tamen has variationes reprobat. Dixi a Generali, vel Provinciali; quia cum declarare clauſuram loci dubii, ſit res gravis momenti, dictis Superioribus reſervata videtur; & quidem ut minus variationi ſubjaceat.

Clauſuræ obligatio.

V. Clauſura per ſe obligat religioſos ſub mortali, tum jure naturali, orto ex vi voti obedientiæ ſuis Prælatis, tum jure poſitivo Tridentini ſeſſ. 25. cap. 4. de Regular. *Ne liceat regularibus a ſuis conventibus recedere etiam prætextu ad Superiores ſuos accedendi, niſi ab eis miſſi aut vocati fuerint:* Non tamen idcirco peccant, dum exeunt conventu de licentia expreſſa, aut tacita, aut ex conſuetudine obtinente, & permiſſa, ſuorum Superiorum. Si autem quis interdiceretur, ne exiret abſque expreſſa licentia, peccaret mortaliter ob indicata motiva: non tamen ex præciſa fractione clauſuræ excommunicationem incurreret, quæ nullibi invenitur. Peccaret etiam mortaliter quicunque noctu exiret; tum quia eſt unus ex caſibus qui poſſunt reſervari, ut vidimus in tr. 14. c. 4. §. 10. tum quia egreſſus furtivus, & contra voluntatem Superioris attentatus. Et hæc eſt ſententia communis. Idemque dicas de aliquo alio exitu, qui in circumſtantiis conjici poſſit contra eamdem voluntatem.

Prætextus exeundi ſine licentia.

VI. Jam audiſti a Concilio vetitum exitum ſine licentia, etiam prætextu accedendi ad Superiores: audi modo Bullam Sixti V. anni 1588., in qua addit: *Quod ſi dicerent, ſe ad Apoſtolicam Sedem confugere ob gravamina a ſuis Superioribus ſibi illata; & ideo ab ipſis Superioribus licentiam, & literas obtinere non potuiſſe; non propterea ullo modo recipi debent, niſi de fide dignorum teſtimonio, & de petita ab eis licentia, & per ſuos Superiores denegata conſtiterit;* atque ex Decreto Sac. Congregat. 1585. remittendi ſunt ad ſuos Superiores ſeveriori pœna plectendi, ab Urbano VIII. approbato: *Nullos Fratres Romam venire Superiores permittant, niſi a Generali, vel Protectore Ordinis dumtaxat licentiam in ſcriptis impetraverint. Si quis autem ſine hujuſmodi facultate Romam venire præſumpſerit, voce activa, & paſſiva biennio privatus exiſtat, ſubiturus etiam alias arbitratu Superiorum infligendas pœnas; quæ item omnia adverſus eos, qui ſupradictos admiſerint, & receperint, ſine ulla exceptione locum habeant.* Hæc facultas concedendi licentiam, ſe conferendi Romam, deinde conceſſa fuit etiam Provincialibus, duntaxat ob motivum alicujus cauſæ communis totius Provinciæ. Et nota, quod pœna illata vocis activæ, & paſſivæ, reſervatur S. Sedi: vide Lezanam tom. 1. cap. 18. num. 14. 15. 16.

Licentia exeundi quando penitus innocens?

VII. Ut igitur exitus e clauſura ſit undequaque innocens, debet eſſe cum licentia Superioris. Si concedatur ſine rationabili cauſa, illam concedens peccabit plus minuſque, juxta motivum, regulam, & frequentiam, nec non juxta moram temporis permanendi extra clauſtra. Circa id audiatur S. Congregatio ab Urbano VIII. approbata: *Nullus e conventu egredi valeat, niſi ex cauſa, cum ſocio, licentiaque ſingulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta a Superiore; qui non aliter eam concedat; niſi cauſa probata, ſociumque exituro adjungat; non petentis rogatu, ſed arbitrio ſuo, nec eumdem ſæpius. Licentiæ vero generales exeundi nulli omnino concedantur. Contravenientes autem pœna gravi, etiam carceris, ad Superioris arbitrium plectantur. Eamdem etiam janitor ſubeat, ſi ſciens, exeundi facultatem fecerit.*

Pœnæ mulierum ingredientium clauſuram regularium, & illorum illas admittentium.

VIII. Mulieres, extra caſus permiſſos, ingredientes clauſuram Regularium, ipſo facto incurrunt excommunicationem S. Sedi reſervatam, niſi ignorantia invincibilis illas excuſet; ita communis ex Conſtitutione S. Pii V. incipiente, *Decet Romanum Pontificem* edita anno 1570., in qua clare comprehendit, *omnes & quaſcumque mulieres tam in genere, quam in ſpecie*. Religioſi autem admittentes illas, contrahunt ipſo facto pœnas privationis officiorum, & inhabilitatis in poſterum ad eadem officia, nec non ad quæcumque alia, & etiam Suſpenſionem a Divinis: ita in citata Conſtitutione: *ſine alia declaratione ipſo facto*. Ubi notant auctores, quod quamvis ſuſpenſio ipſo facto incurratur, privatio tamen officiorum, puta Prælaturæ, Dignitatis, Lectoratus &c., requirunt ſententiam judicis ſaltem declaratoriam; quia pœnæ conſiſtentes in abdicatione juris jam poſſeſſi, cum ſint difficillimæ executionis alicujus contra ſeipſum; propterea poſtulare videntur, quod infligantur ab altero, ut diximus in tract. 1. c. 2.

Digitized by Google

1. c. 2. §. 5. n. 9. A ſuſpenſione illa poſſunt abſolvi a ſuis Superioribus, immo videtur a quovis alio Confeſſario ſui Ordinis, cum non inveniatur reſervata.

* Regulares quamvis ex relata ab Auctore *num. præced.* S. Pii V. Conſtitutione non ligentur excommunicatione introducendo, vel admittendo fœminas intra Conventuum ſuorum clauſuram, ipſam tamen excommunicationem incurrunt, introducendo, vel admittendo ipſas ſub licentiarum prætextu ex Conſtitut. Gregorii XIII. incipiente *Ubi gratiæ*. Imò ipſam excommunicationem abſolute incurrunt, ſive introducant prætextu licentiarum, ſive ſine talium licentiarum prætextu ex declaratione S. Congregationis Epiſcoporum & Regularium. Legatur P. Lucius Ferraris Verb. *Conventus art.* 3. *n.* 6. & 7. ubi integrum affert Decretum.

Quænam mulieres excipiantur? IX. Excipiunt multis a lege *S.* Pii V. Imperatrices, Reginas, filias & neptes Regum. Alii etiam excipiunt, ſed pauciori numero, Fundatrices Conventuum: quonam autem jure illas omnes excipiant, me latet; cum expreſſio S. Pii ſit adeo univerſalis, quemadmodum notat communior, ut claudat aditum exceptionibus. Caſu autem quo de licentia intrent prædictæ mulieres, jam patet, quod cum decenti comitatu, quidem reſtricto ad paucas ſodales, ingredi permittantur.

Quando mulieres ingredi poſſint? X. Caſus autem, in quibus permittitur mulieribus ingreſſus in clauſuram Regularium, ſunt. Primo, Neceſſitas, puta in incendio, cui extinguendo paucitas maſculorum non ſufficeret ſine opera mulierum: item neceſſitas ex parte fœminæ, puta ut ſe ſalvet ab illam inſequentibus ad vulnera, gravia verbera, ſtuprum, carcerem, evitanda. Secundo, Pietas, nempe Proceſſio aliqua, etiam ad ferendam Euchariſtiam infirmo, aut in funere defuncti in Capitulo ſepeliendi, aut ſi quodvis aliud officium celebretur in Clauſtro, vel Capellis ejuſdem: ita idem Pius V., qui addit: *Quando divinum officium in Eccleſia monaſteriorum, vel Regularium hujuſmodi proponitur, vel propter aliquam quamcunque cauſam eſt tantus concurſus populi, quod commode non poſſent ingredi, & egredi per principalem portam Eccleſiæ*, concedit, *ut dictæ mulieres una cum aliis ſæcularibus perſonis poſſint ingredi, & egredi per portam clauſtri monaſteriorum, & Regularium locorum hujuſmodi, dummodo recto tramite accedant ad portam, qua exitur a monaſterio.* Quando patet ob dictas cauſas ingreſſus, non peccant contra clauſuram, ingredientes curioſitatis gratia, quia extat cauſa, & occaſio illas diſpenſans: tenentur tamen, expleta ſacra functione, ſtatim egredi; & ſi diutius permaneant, peccant quidem graviter, ſed excommunicationem non incurrunt; quæ lata eſt contra indebite ingredientes, non contra licite ingredientes, & indebite morantes.

XI. Si demum Superior ad hoc functionem inſtitueret, ut mulieres ingredi poſſent: multi dicunt cum Roderico in expoſitione Bullæ Pianæ num. 16., & tom. 1. q. 48. art. 3. quod peccaret mortaliter, quia ageret contra præceptum Bullæ, & conceſſionem ejuſdem, quæ non concedit, niſi ob motivum pietatis, & non cum clauſuræ detrimento. Alii apud Bonacinam dicunt, peccare venialiter ab abuſum non gravem ſuæ poteſtatis; ſed prima videtur probabilior, & Bullæ conformior. Caſus occurrens reſolvitur.

XII. Verum Benedictus XIV. felicis memoriæ in ſua Conſtitutione, data anno ſecundo ſui Pontificatus die 3. Januarii 1742., incipiente *Regularis diſciplinæ* &c. abolet præfatas facultates mulieribus conceſſas, ingrediendi monaſteria virorum, etiam in Proceſſionibus, ſepulturis, aliiſque piis ſupplicationibus &c. Poſtquam enim reprobavit eos, qui ſub variis prætextibus privilegiorum, indultorum, prærogativarum &c. Fœminas introducunt, vel admitti ſinunt, ita proſequitur.

„ *Alii denique, ſub pietatis, ac religionis prætextu, cum ſupplicationes, ſive cum Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, ſive cum Sacris Sanctorum Sanctarumque Reliquiis, Statuis, & Imaginibus per Clauſtra, Septa, & alia Monaſteriorum loca, de more, ut aſſerunt, habentur, ſine ullo prorſus diſcrimine, maſculos & fœminas ſupplicationes hujuſmodi per eadem loca ſequi & comitari licitum, quinimo, ut indulgentias lucrari valeant, neceſſarium eſſe oſtendunt.* „ Id omnino vetat.

Revocat deinde quaſcunque facultates, licentias, & quocumque alio pacto nuncupatas conceſſiones, factas ſive per E. S. R. Eccleſiæ Cardinales, ſive per ſacras Cardinalium Congregationes, ſive per Legatos a Latere, ſive per Apoſtolicos Nuncios, *Quocumque modo, ac tenore, & ſub quibuſcumque verborum formis expreſſas.*

Dein-

Deinde declarat; *Per præſentes non eſſe derogatum iis conceſſionibus, quæ ad favorem, quarumcumque nobilium Fœminarum, ex eo quod ſive* „ earumdem majores, ac pro tempore exiſtentes de Familia, fuerint, & habeantur Fundatores, vel inſignes Benefactores illius Monaſterii, intra clauſtra, vel ſepta Fœminas etiam de Familia ingredi, vel conceſſum, vel cautum eſſe ſibi voluerunt, & de conceſſione hujuſmodi confirmationem ab Apoſtolica hac S. Sede obtinuerunt, ſive Fœminæ hujuſmodi ſint Conſanguineæ, & affines eorum, qui ſunt domini in temporalibus locorum, in quibus Monaſteria ſita reperiuntur, & quacumque legitima tituli, vel conſuetudinis cauſa, & occaſione, ingreſſu hujuſmodi de præſenti gaudent, factæ, & impertitæ fuerunt: dummodo conceſſiones hujuſmodi per Apoſtolicas in ſimili forma Brevis, vel ſub Plumbo deſuper expeditas literas dumtaxat, & non aliter omnino factas, & impertitas fuiſſe, prius Ordinariis locorum Antiſtitibus, vel Præſulibus per legitima, & authentica documenta conſtare fecerint; & dummodo nec vagandi, nec otiandi, nec comedendi, cænandique, nec per ambulacra, cubicula, cænacula, aliaque loca & officinas diſcurrendi cauſa, ſed ad Eccleſias accedendi, Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium audiendi, aliaque erga Deum pietatis officia, & opera exercendi ſtudio ingrediantur; & dummodo de earum adventu, & ingreſſu interdiu, & opportune faciendo, Superiores pro tempore exiſtentes prius certiores fiant ad hoc ut abſque Fratrum incommodo, & offenſione, recto tramite ad Eccleſiam pergatur, & alia de jure ſervanda ſerventur. „

Tandem cenſuris ſubjectos eſſe declarat illos, qui antedictis facultatibus uti volunt.

Non eſt omittenda alia Conſtitutio ejuſdem Pontificis eodem die, & anno edita ſuper Clauſura Monialium, quæ incipit *Salutare in Catholica Eccleſia &c.* In ea confirmat ſanctiones eccleſiaſticas antea editas, & inſuper omnes facultates quibuſcumque conceſſas ingrediendi, aut permittendi ingreſſum in clauſuram Monialium abrogat, quocumque privilegio, ac forma traditæ fuerint, & facultatibus ejuſmodi *ſive pro ſe, ſive pro aliis temere uti audentem*, pœnis & cenſuris Apoſtolicæ Sedi reſervatis ipſo facto incurrendis mulctat. Suum tamen jus concedit, quoad diſpenſationes Ordinariis, & aliis reſpective Superioribus, qui jus obtinent diſpenſandi in caſibus neceſſariis, & ſervatis de jure ſervandis. Habetur hæc Conſtitutio *Tom.* 1. *Bullarii num.* 40.

* In Literis autem ad Epiſcopum Portugallenſem incip. *Per binas* datis *die* 24. *Januarii* 1747. vetat idem S. Pontifex educandas Puellas, & famulas in clauſuram Monialium introduci quacumque ex cauſa ſine authentica Apoſtolicæ Sedis licentia toties quoties impetranda, & prævio examine Ordinariorum loci, ubi ſunt Monaſteria, ſuper moribus, fama, habilitate, neceſſitate ipſarum Educandarum, ſeu famularum. Extant hæ Literæ *Bullarii Tom.* 2. *num.* 26.

P. Paulus Comitolus S. J. *Lib.* 6. *Reſp. Moral. q.* 22. ad examen vocat an Moniales (eadem & de Religioſis reſpectu puellarum difficultas excitatur) puerum, puellamve infantem, aut lac ſugentem intra Monaſterii ſepta recipientes excommunicatæ necne ſint? Et reſpondet ſe ſemper in eam partem fuiſſe propenſum, ut excommunicationis pœnam ſubirent, niſi iis juſtæ aliqua inſcientiæ excuſatio ſuffragaretur, ob hæc argumenta. 1. quia Romani Pontificis conſilium, unde ſanctio illa manavit de introitu, & intromiſſione virorum, ſeu mulierum, in Monialium ſacra domicilia, ea fuit, ut omnis materia prolapſionis religioſis viris, ac mulieribus, quæ ſe a profanæ multitudinis convictu ſegregarunt, ſubtraheretur. At hæc materia non tolleretur ſi infantes puellas in Monachorum, & infantes pueros in Monialium ædes fas eſſet introferre: Quippe cum illa ætatula ſermonis, ac vitii ignara peccatur impunius: Neque enim vim ſcelerum, quam patitur, aut repellere, aut viribus ulciſci, aut voce prodere, aut judicio perſequi poteſt; & idcirco perquam probabile eſt, Moniales, de quibus eſt quæſtio, nexu excommunicationis Romano Pontifici reſervatæ vinciri. 2. quia ſi horum infantium intromiſſio permiſſa eſſet, tempus ſervandæ Legis, ſubeundæque pœnæ incertum eſſet ac varium, & unuſquiſque illud ſuo fingeret arbitrio. 3. Demum quia a Peruſiæ Epiſcopo de hac ipſa controverſia conſultus Cardinalis S. Severinæ Summus Pœnitentiarius, & Inquiſitor reſpondit: quæ hujus ætatis, de qua eſt initio poſita quæſtio, infantes, intra Monaſte-

Digitized by Google

riorum ſepta recipiunt, excommunicationem eas nequaquam vitare; teſtaturque litteras Cardinalis ſe vidiſſe, & legiſſe, & inſuper in conventu Parochorum Civitatis Bononienſis Archiepiſcopo palam dictum eſſe, idem fuiſſe a S. P. Clemente VIII. reſponſum: unde ait, non ſecus hac de re ſentire eſſe cuiquam nunc integrum. Eamdem ſententiam amplexati ſunt plures, præſertim Pontas *V. Monaſterium, caſ.* 9. & Petrus Colet *Inſtit. Theolog. Tom.* 1. *Tract. de Legibus cap.* 5. *ſect.* 2.

Quod dictum eſt de parvulis, a fortiori de amentibus pubertatem nactis ſentiendum, quorum præſentia majoris cauſa mali eſſe poſſet. Non peccarent tamen ipſi, neque eſſent excommunicati, ſicut neque qui vi, aut vinculis conſtricti intro abriperentur.

§. II. *De obligatione non alienandi bona Monaſteriorum.*

Explicantur prohibitio, & pœnæ additæ.

I. Certum eſt apud omnes, quod poſt Decretum Sacr. Congregat. 1624. die 7. Septembris approbatum ab Urbano VIII., quo revocantur omnia privilegia, antea nonnullis Religionibus conceſſa; & quo innovatur Extravagans Pauli II. quæ incipit *Ambitioſæ* cum pœnis in eo poſitis, & aliis adjunctis, certum, inquam eſt, vetitum eſſe omnibus locis piis Epiſcopi auctoritate erectis, & principaliter Conventibus, & Monaſteriis alienare bona immobilia, & mobilia pretioſa Conventuum, & Eccleſiarum, ſine expreſſa Sac. Congregationis licentia, in locis, ubi præfatum Urbani decretum eſt receptum: & cum in laudata extravaganti *Ambitioſæ* Superioribus, qui non ſint Epiſcopi, vel Abbates gaudentes juriſdictione quaſi Epiſcopali, infligantur pœnæ excommunicationis, & privationis officii, & beneficii, & adminiſtrationis bonorum, quæ alienare intendunt, ipſo facto incurrendæ; & Epiſcopis, atque Abbatibus infligatur interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ; in quo ſi per ſex menſes perſeveraverint, incurrant ſuſpenſionem a præſidentia quam habent in ſpiritualibus, & temporalibus; idcirco alienantes hæc bona has pœnas reſpective incurrunt, & irritantur acta facta; & reſtituenda ſunt dicta bona: & ſi emptor mala fide egerit, in pœnam privatur jure repetendi pretium, quod cedere debet in utilitatem Eccleſiæ, vel monaſterii: ſi vero egerit bona fide, & res non extet, nec Eccleſia, aut monaſterium ditius factum fuerit, ſimiliter pretium amittet; ſi autem res extet, & ex pretio monaſterium ditius evaſerit, tunc pretium reddere tenetur: quando autem res non extat, nec Eccleſia ditior evaſit, tunc onus redintegrandi emptorem bonæ fidei pro pretio erogato ſpectat ad illum, qui nomine Eccleſiæ contraxit. Videri poſſunt reſpective Vaſquez opuſc. de redditibus cap. 2. §. 2. dub. 14. Suarez tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 27., Molina diſp. 468. conc. 6., Lezana tom. 1. cap. 10., & Bonacina de contractu Feudi diſp. 3. q. 8. puncto 4. quorum aliqui addunt, poſſe ab emptore bonæ fidei retineri res, vel earum fructus, titulo compenſationis pretii ſibi reſtituendi.

II. Excipitur juxta omnes, poſt Sanctum Thomam 2. 2. q. 120. art. 1. caſus neceſſitatis, & ſi periculum ſit in mora, ita ut non vacet petere, & obtinere diſpenſationem; quia in hujuſmodi caſibus lex poſitiva cedit juri naturali. Excipitur caſus.

III. Bona, quæ ſine licentia alienari nequeunt, ſunt, Immobilia, & Mobilia pretioſa, quæ ſervando ſervari poſſunt. Immobilia, ex laudata Extravaganti, ſunt, Fundi, Prædia, Domus, Vineæ, Oliveta, Arboreſque fructiferæ, & cætera quæ habent radicem fixam: item Cenſus, annui reditus, & Jus ad illos; Commendæ, Beneficia Eccleſiaſtica, Cathedræ, Debita rerum immobilium, Jus patronatus, Uſusfructus longi temporis, & Jura ad hujuſmodi res; & ſufficit quod hæc jura ſint ad decennium: vide Barboſam de poteſt. Epiſcopi part. 2. Allegat. 65. n. 46. dicentem, eſſe communem ſententiam. Item Greges pecorum &c., & Bibliotheca inter immobilia quæ alienari non poſſunt recenſentur, ſumptis utriſque in uno corpore. Quænam bona alienari non poſſunt?

Em. Cardinalis Petra *Tom.* 5. *Comment. ad Conſtit.* 5. *Pauli II. Sect.* 2. *num.* 15. inquirit, num poſſit Superior Regularis incidere arbores fructiferas in proprio viridario? Et ſic reſpondet. „ Videtur, inquit, ſimile dubium fuiſſe propoſitum „ *in Sacra Congregatione ſub die* 27. *Januarii* 1665. ibi: *Nonnulli Regulares* „ *religioſæ conſcientiæ ſupplices petunt,* „ *ut per hanc Sacram Congreg. declaretur, an Prælatus, ſive Superior Regularis poſſit incidere, ſeu incidi facere in* „ *ſuo Monaſterio, ſeu Viridario arbores* „ *fructiferas ibidem exiſtentes, & incidendo, ſeu incidi mandando, incidat in* „ *pœnas comminatas* in Extravag. *Ambitio-*

tio-

Digitized by Google

„ *tioſæ do rebus Eccl. non alien.* & in Decretis generalibus hujus Sac. Congregationis *de reb. Regul. alien.* Sac. Congregatio cenſuit: *Non reſpondendum niſi in caſibus particularibus*: *tom.* 24. *decret. pag.* 235. Et quidem optima ratione; quia aliquando in Viridariis opus eſt arbores renovare, & alias eradicare pro majori utilitate ipſius: & ſic debet conſiderari fructus comparative ad viridarium, non ad ſingulas arbores. Unde in dubio *Inciſionis arborum* 29. *Julii* 1684. Sacra Congregatio dixit, *Ad mentem*, quæ fuit non incidiſſe in pœnas contentas in decr. *de reb. Eccl. non alien.* Prælatum Regularem, qui arbores inciderat, alias ſubrogando in aptiori loco; Et alia quoad inciſionem arborum vide late Paſſerinum *de ſtatu hom. Tom.* 1. *q.* 185. *art.* 7. *n.* 340. *& ſequent.*" ubi dictus Paſſerinus inter alia animadverſione digna *n.* 367. ſentit quod licite incidi poſſunt arbores, ſi materia ſit parva, & ex inciſione fundus non reddatur notabiliter deterior, allegans ad id Rotam *deciſ.* 553. *part.* 2. *rec.* Peyrinum, Lezanam, Donatum, Carlinum, & concludit, quod non dubitat, hujuſmodi notabile detrimentum non eſſe arbitrarium, & conſiderandum tam ex quantitate, & qualitate arborum, ac fine, ad quem fuerunt plantatæ. Unde poteſt contingere, quod in ordine ad pœnas incurrendas, nec inciſio quinque, ſex, decem, & amplius arborum, ſi ſint parvæ, & vix natæ, ferat modicum nocumentum; & quod contra unius ſingulariſſimæ in ſuis qualitatibus ſit notabiliter æſtimanda, & reddat fundum notabiliter deteriorem.

Quænam ſit circa hæc bona parvitas materiæ?

IV. Quænam autem circa hujuſmodi bona cenſenda ſit parvitas materiæ, varie definitur a Doctoribus. A Bonacina loc. cit. n. 7. & ab aliis nonnullis res valoris decem aureorum reputatur parvitas. Sed, aliis tranſmiſſis, puto ſtandum judicio Dianæ part. 4. tr. 4. reſol. 223. Lezanæ loc. cit. c. 10. n. 4., & tom. 3. verbo Alienare n. 7. & Peyrini tom. 1. in Conſtit. Julii II. n. 15., videlicet rem valoris vigintiquinque aureorum eſſe parvam materiam; quia, ajunt ipſi, ita declaravit Sac. Congregatio.

Quænam mobilia ſint, quæ alienari non poſſunt?

V. Bona mobilia quæ alienari nequeunt ſunt illa pretioſa, quę ſervando ſervari poſſunt: & ſunt omnia Vaſa & inſtrumenta Eccleſiaſtica aurea, argentea, & ex lapide pretioſo, puta candelabra, lampades &c. item gemmæ, paramenta pretioſa, aliive ornatus, qui non de facili conſumuntur, ſed durant, & quorum valor decem aureos excedit: item omnes illæ res, quæ fructificant, & per triennium durant: hæc omnia ſunt quæ alienari non poſſunt. Quæ vero neque dictum valorem attingunt, vel quæ triennio non durant, ſed uſu conſumuntur, alienari valent. Vide Borboſam 3. p. de poteſt. Epiſcopi allegat 95. n. n. 38. 39. Porro Antonius a Spiritu Sancto tract. 3. diſp. 8. n. 1137. & Delbene tom. 2. c. 17. diſput. 1. n. 24. aſſerunt, Sacram Congregationem declaraſſe, quod res mobilis excedens valorem vigintiquinque ducatorum, alienari non poſſit.

Pecunia qualiter alienari non poſſit?

VI. Pecunia in quantavis ſumma alienari poteſt; niſi forte fuerit retracta ex venditione mobilium pretioſorum, vel immobilium, vel recepta ad inveſtiendum, aut ad emenda pretioſa Eccleſiaſtica &c. quia tunc reducitur ad genus rerum mobilium, vel immobilium, quæ alienari nequeunt.

Reliquiæ alienari non poſſunt.

VII. Inter res quę alienari non poſſunt, juxta probabiliorem, recenſentur etiam reliquiæ inſignes; eo quod quamquam non ſint pretio æſtimabiles, idcirco pretioſiores quibuſcunque mobilibus cenſendæ ſunt: & idem dicas de vaſis aureis, argenteis, excedentibus ſupradictum valorem, quæ offeruntur a fidelibus.

Actiones alienantes vetitæ.

VIII. Actiones, ſeu contractus prohibiti circa hujuſmodi, ſunt, Venditio, Donatio, Permutatio, Feudum, Emphyteuſis, Locatio ad longum tempus, ſumere cenſus etiam redimibiles, cedere juribus, accipere pecuniam ad Cambium, vel mutuum cum onere ſolvendi lucrum ceſſans, vel damnum emergens, reddere pignora, dare in pignus, aut hypothecam; ex declarat. Sac. Congregat. 2. Martii 1643. allata a Lezana loc. cit. verbo Alienare n. 13., & Peyrino tom. 2. privileg. Conſtitut. 8. Urbani VIII. Excipitur caſus neceſſitatis, & periculi in mora petendi licentiam a Sancta Sede.

Illicita eſt renunciatio hæreditatis.

IX. Illicitam graviter eſſe renunciationem hæreditatis rei immobilis, vel mobilis pretioſæ conventui factam, docet communis apud Salamantic. tract. 25., c. 7., punct. 2. n. 39.; quia eſt prodiga renunciatio, graviter lædens charitatem Conventui, & Religioni debitam. Niſi forte juſtiſſima, & urgentiſſima cauſa id agere compellat, Quod licite poſſit ſuperior cum

ſuo

Digitized by Google

ſuo Conſilio tranſactionem facere ſuper re litigioſa, eo quod res litigioſa vere non ſit acquiſita, nec certe acquirenda, aſſeruimus cum Lezana & aliis in prima editione: nihilominus oppoſitum eſt dicendum cum docto & erudito P. Lucio Ferraris in ſua prompta Bibliotheca Canonica tom. 1., Verbo *Alienare*; Artic. 4. n. 12., afferente plures Rotæ deciſiones, & tandem Decretum Sac. Congregationis concil. in *Aſculana Beneplaciti* 14. Februarii 1699. reprobando Doctores oppoſitum docentes. Renunciationem præfatam eſſe etiam invalidam, nobis probabilius videtur cum Barboſa 3. p., de Pot. Epiſc. Allegat. 95. n. 54. & aliis ab ipſo relatis; nam primo jus ad rem immobilem accenſetur bonis immobilibus; igitur ſi legatum ſit ſaltem ad rem immobilem, illius renunciatio ſine licentia erit invalida: & pari ratione etiamſi res ſit mobilis pretioſa, jus ad illam erit inter pretioſa mobilia recenſendum. Secundo, quodvis legatum in ſpecie relictum poſt mortem teſtatoris, tranſit in legatarii dominium, etiam antequam adeatur hæreditas, ex lege 2. *Titio*, ff. *de furtis*, leg. 1. *Sed utrum*, ff. *si quid in fraudem*: immo legata relicta Eccleſiæ, & idem eſt de monaſteriis, tranſeunt in ejus poteſtatem, etiam ante traditionem: leg. *Final.* de Sacroſ. Eccleſ. Tandem quia Pupillus non poteſt repudiare legata ſibi relicta, eo quia non poſſit alienare ſua; leg. *magis puto* 5. *de rebus eorum:* Eccleſia autem, & monaſterium, pupillis coæquantur.

An licita ſit permutatio?

X. Aſſeruimus in prima editione, licitam eſſe Permutationem bonorum tam mobilium, quam immobilium unius Eccleſiæ cum alia, idque deduximus ex Capite *de rebus Eccleſiæ non alien.* ubi dicitur, *non liceat Epiſcopo, vel Abbati terram unius Eccleſiæ vertere in aliam; quamvis ambæ in ejus poteſtate ſint; tamen ſi commutare voluerit terras earum, cum conſenſu ambarum partium faciat*. Et plures hoc extendebant ad bona unius Conventus, cum bonis alterius. Nihilominus oppoſitum eſt dicendum, & præcipue ob Auctoritatem Sac. Congregationis Concil. *in una Neapolitana*, 24. Januarii 1532. *Dubio propoſito mature diſcuſſo, cenſuit, permutationem inter duas Eccleſias, abſque ſolemnitatibus, factam*, (ideſt ſine licentia &c.) *effectuatam minime ſuſtineri; & Rectores earum Eccleſiarum incidiſſe in pœnas cap. 11. ſeſſion. 22. de Reformatione, &c. Extravagantis Ambitioſa &c.* Ita laudatus Ferraris loc. cit. num. 13.

Ad quantum tempus locare liceat?

XI. Locationes prohibitæ ad longum tempus, illæ ſunt, quæ excedunt triennium ex dicta Pauli ſecundi Extravaganti; itaut irrita ſit locatio diuturnior, etiam ad plura triennia repetita, puta novennalis; nec non locatio ad triennium cum pacto renovandi, poſt expletum triennium: & eſt communis. Monet tamen Barboſa allegat. 95. n. 4. cum aliis, quod locatio, ſi ſit rei, quæ ſoleat fructificare dumtaxat ſingulis bienniis, vel trienniis, poterit locari etiam ad novennium; quia tunc reſpiciendum eſt ad fructus, non ad tempus.

Cauſæ legitimæ alienandi.

XII. Cauſæ legitimæ exponendæ in petitione licentiæ ad alienandum, ſunt: Prima, Neceſſitas, ſi Eccleſia, vel conventus gravetur ære alieno, nec ſolvere poſſit, niſi bona alienet: ex Authentica *Sancimus* cap. de Sacroſ. Eccl., vel ſi indigerent reparatione, aut reædificatione. Secunda eſt evidens utilitas, ex cap. *ſine exceptione* 12., q. 2. Tertia eſt incommoditas, ſeu inutilitas rei alienandæ, puta quia modicam utilitatem affert, quæ certo valde augebitur ex ipſius alienatione: vel ſi inferior ſit fructus, expenſis ad illam conſervandam: ex loc. cit. & ex Clement. 1. de rebus Eccl. non alien. Quarta eſt pietas, puta pro redimendis captivis periclitantibus, pro alendis pauperibus, gravi admodum neceſſitate languentibus, pro defendenda fide, & Religione. Aliqua iſtarum ſufficit. Et nota quod ad ſimplicem mutationem unius rei in aliam, puta crucis argenteæ, pene inutilis in calicem, Vineæ vetuſtiſſimæ in Olivetum recens; &c. non requiritur aliqua ex dictis cauſis; cum nullo modo in tali caſu alienentur bona, ſed præſtantiorem ſtatum obtineant, ac prudenter adminiſtrentur.

Aliæ ſolemnitates requiſitæ.

XIII. Expoſita in petitione licentiæ aliqua ex dictis cauſis, requiruntur ex juribus citatis adhuc aliæ conditiones ad alienandum valide: Prima, prudens examen eorum, ad quos pertinet, an expediat; & ſufficit quod ex tribus partibus Capituli duæ aſſiſtant; ex cap. 1. *de his quæ fiunt*. Secunda, conſenſus majoris partis Capituli collegialiter congregati; nec ſufficit aſſenſus etiam omnium ſeorſim. Tertia, conſenſus Superioris nedum localis, ſed etiam vel Generalis, vel Provincialis re-

Digitized by Google

reſpectu Religionum, quæ licentia debet præcedere contractum, ſine qua eſt nullus, ut notat Peyrinus in Conſt. Julii ſecundi nu. 14. Quarta, ſubſcriptio religioſorum, expreſſis ſingulorum nominibus, ſaltem manu Notarii facta, ut advertit Molina diſp. 468., n. 4. Quinta, conſenſus Pontificis, vel Sac. Congregationis, ubi Extravagans Pauli ſecundi, & Decreta Urbani octavi ſunt recepta.

Quædam notanda.

XIV. Notandum primo, ſi alienatio fiat ſine juſta cauſa, quamvis juſta putetur, remanet invalida, nedum in foro Eccleſiæ, juxta omnes, verum etiam in foro conſcientiæ, juxta probabiliorem Navarri in Com. de alien. nu. 9., quia reapſe eſt nulla. Nota ſecundo, ſubſiſtente juſta cauſa, & deficientibus ſolemnitatibus, quamvis ſit illicita, plures cum Navarro ibidem n. 7., & Sylveſtro verbo Alienatio nu. 13., dicunt eſſe validam; quia ſubſiſtit finis adæquatus legis. At Suarez de legib. lib. 3., c. 14. n. 9. & aliis videtur probabilius, eſſe invalidam, probato defectu; eo quod ſit lex fundata in præſumptione juris, ſeu periculi, quæ non ceſſat obligare, quamvis periculum ceſſet in aliquo caſu particulari, ut & nos diximus in tract. 1. cap. 2. §. 5. n. 13. 15.

Caſus incidens.

XV. In caſu quod legetur monaſterio aliquid ea conditione, ut poſſit ab ipſo libere alienari, poterit illud libere alienare; quia id agit ex facultate legislatoris; ſicut enim is poterat legare cum conditione, ut poſt viginti annos res legata transferatur in ſuum nepotem, & id fieri oporteret; ita etiam ut libere poſſit alienari; ſic Barboſa loc. cit. allegat. 95. n. 61. cum multis. Ab oppoſito autem ſi legaretur res ſub conditione ut nunquam poſſit alienari; adhuc, ſervata juſta cauſa, & ſolemnitate requiſita, poſſet alienari; quia legator non poteſt derogare juri; & eſſet conditio rejicienda ut turpis; ita Sylveſter verbo alienatio, q. 28. & alii multi.

Prohibitio donationum.

XVI. Clemens VIII. in Bulla incipiente *Religioſæ* in ordine 28. vetuit, ne Religioſi, Superiores, Capitula Generalia, & Provincialia cujuſcumque Ordinis & Inſtituti faciant donationes, ſeu largitiones notabiles, ſub pœnis privationis dignitatum, graduum, munerum, & officiorum, & inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda, nec non infamiæ, & ignominiæ perpetuæ, privationiſque vocis activæ, & paſſivæ: & quod contra ipſos procedi poſſit, ſicuti contra fures. Non propterea contra Bullam agit Superior, ſi eleemoſinas faciat de bonis conventus, redditibus proportionatas, donationes moderatas, & maxime remuneratorias, prout prudentia dictaverit; quia id ſpectat ad rectam, prudentem, religioſam, & piam adminiſtrationem. Ita neque religioſi contra Bullam agunt, ſi de licentia Superioris aliquas modicas donationes faciant; & multo minus ſi quaſdam eleemoſinas de licentia erogent.

* Vide quæ adjecta ſunt *cap.* 2. §. 4. *poſt. num.* 2.

§. III. *De prohibitione alloquendi Moniales*.

Ut Regulares loquantur cum monialibus quid requiratur?

I. Regulares nunquam poſſunt alloqui Moniales ſibi conjunctas, aut alias perſonas intra clauſuram degentes, ſine licentia Ordinarii: ita Sac. Congreg. 12. Kalend. Decembris 1623., & 6. Novemb. 1648., & 23. Julii 1649. Nec Epiſcopus poteſt concedere hanc licentiam niſi ſint Regulari conjunctæ in primo, vel ſecundo gradu, & quater dumtaxat in anno, pro die, & hora certa, & extra Adventum, Quadrageſimam, Feriam ſextam, Sabbathum, Vigilias, & dies Feſtos; quæ licentia ſubſcribi debeat a Superiore regulari pro monialibus ſibi ſubjectis, regiſtrari, & confeſſario conſignari, qui aſſiſtat cum auſcultatricibus: ita expreſſe dicta Sac. Congregat. juſſu Urbani VII. 12. Kalend. Decemb. 1625.

* P. Gaudent. a Janua de Viſitat. *tom.* 1. *c.* 4. *dub.* 11. *ſect.* 4. *n.* 28. quæſtionem verſat, ac diſcutit, an Epiſcopus, vel alius Superior Ordinarius concedere valeat Regularibus quibuſcumque etiam non conjunctis in primo, & ſecundo gradu, licentiam alloquendi Moniales? Et affirmativæ ſententiæ adhæret hoc præſertim ductus motivo, quod Sac. Cong. Concilii interpres *anno* 1669. & iterum *anno* 1672. ſtatuit, Regulares, qui Moniales alloquuntur ſine licentia Ordinarii, puniendos eſſe ab eodem Ordinario, & peccare mortaliter. Hinc enim infert, dictam S. Congregationem ſupponere, quod Ordinarius poſſit Regularibus facultatem impertiri alloquendi Moniales. Sed quidquid, ait Auctor *Addit. ad Bibliothec.* P. Lucii Ferraris verbo *Moniales in addit. ad art.* 4. *n.* 4., in utramque partem in hac quæſtione dici poſſit, videtur amplectenda hæc affirmativa ſententia,

tia, attenta praxi; nam ubique fere locorum Ordinarii licentias haſce alloquendi Moniales concedunt Regularibus. Ipſemet P. Lucius Ferraris *V. Moniales art. 4. nu.* 15. Videtur, ait, permiſſum Epiſcopis, ut talem licentiam Regularibus concedere poſſint; & ad id probandum relata affert Decreta *n.* 19.

Doctrinam hanc ſaltem ſic abſolute non admittimus; cum extent Decreta Sac. Congregationis Epiſcoporum & Regularium, unum editum juſſu Sixti V. *Nonis Maji* 1590., alterum juſſu Urbani VIII. vulgatum 12. *Kal. Decembris* 1623. in quibus expreſſe edicitur *nullo Religioſo cujuſcumque Ordinis &c.* (*Superiore, Viſitatore, vel Viſitatoribus, Confeſſario Ordinario, & Extraordinario, cum ad tempus deputabitur, exceptis*) *licere abſque licentia expreſſa ejuſdem Sac. Congregationis accedere ad Monaſteria, ſeu Domus quarumcumque Monialium, vel Sororum ad colloquendum, ſive tractandum cum eis &c.* ſolumque in ſecundo facultas tribuibuitur *Locorum Ordinariis, ut licentiam concedere poſſint per quatuor vices ad ſummum quolibet anno, cuicumque Regulari, ut Moniales ſibi in primo & ſecundo tantum conſanguinitatis gradu conjunctas convenire, & alioqui poſſit &c.* Hæc Decreta ad litteram exhibet P. Ferraris *l. c. n.* 14. & 15. Juxta hæc igitur nequeunt Locorum Ordinarii Regularibus licentiam impartiri alloquendi Moniales, quæ non ſunt ſibi conjunctæ in primo aut ſecundo conſanguinitatis gradu, ſicut & Auctor cenſet *n.* 1.

Ad Decreta vero Sac. Congreg. Concilii his poſteriora, quæ afferuntur a laudatis Theologis, qui contendunt poſſe Locorum Ordinarios abſolute, & indiſcriminatim licentiam Regularibus dare colloquendi cum Monialibus, reſpondetur, quod in ipſis non eſt ſermo de Regularibus Moniales alloquentibus ſine licentia Epiſcopi, ſed ſimpliciter *abſque legitima facultate*; ac dumtaxat ſtatuitur poſſe illos *ab Ordinario coerceri*, non quomodocumque, ſed *tamquam a Sedis Apoſtolicæ Delegato*. Reſponſio vero affirmativa, quam eadem Sac. Congregatio dedit die 26. *Novemb.* 1672. ad Dubium ipſi hiſce verbis propoſitum: *An Regulares accedentes ad colloquendum cum Monialibus ſine licentia Epiſcopi peccent mortaliter?* vel in hoc ſenſu intelligenda eſt, quod nempe peccent mortaliter Regulares accedentes ad colloquendum cum Monialibus ſine licentia Epiſcopi, ſi hanc negligant, dum ipſis a Sac. Congregatione conceditur licentia dependenter ab Epiſcopo, ſicuti revera ordinarie concedi ſolet; vel dicendum ſermonem eſſe de Regularibus, qui abſque licentia Epiſcopi Moniales alloquuntur etiam in primo vel ſecundo gradu conſanguinitatis ſibi conjunctas. Hæc dicta ſint, ut clare innoteſcat Sacrar. Congregationum Decreta inter ſeſe cohærere. Ceterum ubi legitima invecta eſt conſuetudo, quod Epiſcopi abſolute, & univerſim talem Regularibus impertiantur facultatem, non negabimus, hanc ſufficere. Quippe „ nihil magis tritum, ait „ S. Pontifex Benedictus XIV. *de Synod.* „ *Diœceſ. lib.* 12. *cap.* 8. *n.* 8., quam legem „ quamlibet, etiam canonicam, poſſe con„ traria conſuetudine, quæ ſit rationabi„ li, & legitime præſcripta abrogari, „ juxta textum *in cap. final. de conſue*„ *tudine.* " At certe pluribus in locis talis conſuetudo non viget; immo oppoſitum obſervatur; atque adeo in illis ſatis non erit licentia Epiſcopi.

Pœnæ contra loquentes.

II. Regulares, abſque legitima licentia alloquentes moniales, vel alias Perſonas intra clauſuram, etiam ab Epiſcopi juriſdictione exemptas, eiſdemque Regularibus ſubjectas, peccant mortaliter, quamvis alloquantur per quodcumque modicum tempus; & transgreſſores poſſunt ab Ordinario coerceri ſub pœnis excommunicationis, privationis vocis activæ, & paſſivæ, & aliis; ita Sacr. Congreg. approbante Clemente IX. ſub die 11. Maii 1669. contra illos qui dicebant, *loqui cum monialibus uſque ad quadrantem horæ cum dimidio non eſſe interdictum*, declaravit; *colloquendo etiam per quodcumque modicum temporis ſpatium cum monialibus, aut aliis intra clauſuram degentibus, peccare mortaliter; eoſque ſub excommun., privationis vocis activæ, & paſſivæ, aliiſque . . . ſtatutis pœnis poſſe ab Ordinario tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato coerceri*; & eam approbavit Sum. Pontifex die 7. Junii ejuſdem anni: & hoc eſt verum, *etiamſi loquantur ob bonum finem, per quodcumque modicum temporis ſpatium*, ex alia declaratione ſub die 26. Novembris 1672.

Exiſtimamus has, aliaſque hujuſmodi Sacræ Congregationis Declarationes non ita eſſe intelligendas, quaſi in re, qua de agimus, dari non poſſit parvitas ma-

teriæ:

teriæ; cum hæc etiam in pluribus præceptis Legis Divinæ locum habeat, ut compertum eſt; ſed per eas ſolum jure meritoque reprobari opinionem illorum, qui aſſerebant non eſſe interdictum loqui cum Monialibus uſque ad quadrantem horæ cum dimidio, vel ſaltem (hæc periodus in Editione anni 1763. per incuriam & oſcitationem fuit omiſſa, & ſtatim poſtea appoſita in folio in hujuſce 11. Tomi calce ſeorſim adjecto, in quo errata præcipua, quæ in additamentis irrepſerant, notata ſunt) tandiu, ut dici quis poſſit vere *colloqui cum Monialibus &c.* Unde eadem S. C. declaravit Regulares, *colloquendo etiam per quodcumque modicum temporis ſpatium cum Monialibus, aut aliis intra Clauſuram degentibus, peccare mortaliter.* Quocirca noſtro quidem judicio, reus minime foret mortalis peccati, qui unum, vel alterum verbum cum Moniali, vel alia intra Clauſuram degente proferret; immo ab omni peccato foret immunis, ſi hoc aut urbanitatis gratia, aut ob aliud rationabile motivum præſtaret.

* Attendenda eſt Conſtitutio S. P. Benedicti XIV. *de Acceſſu ad Monaſteria Monialium*, quæ incipit *Graviſſimo animi mærore* edita *die* 31. *Octobris* 1749. Etſi namque ad Archiepiſcopos, Epiſcopos, aliosque Locorum Ordinarios per Eccleſiaſticam ditionem conſtitutos fuerit dumtaxat directa; attamen quæ in ea ſancita reperiuntur, ab omnibus accurate obſervanda ſunt, cum in ea confirmentur antiqua Decreta, quibus omnes ſubjiciuntur. Extat *tom. 3. Bullarii n.* 12.

Prædicatores Monialium. III. Regulares miſſi ad crates monialium, ut concionentur, peccant mortaliter, & incurrunt cenſuras, & pœnas, ſi abſque expreſſa licentia colloquendi, *Immediate poſt concionem, cum aliquibus, vel cum una tantum, omnibus aliis audientibus, immiſceant ſermones cum quæſtionibus, vel dubiis ſpiritualibus, aut materiis ipſius concionis.* Ita expreſſe Sac. Congregatio 21. Maii 1672. Additur noviſſima Conſtitutio Clementis XII. 12. Februarii 1737. in qua irritat, & annullat omnes facultates a Romanis Pontificibus prædeceſſoribus per eorum vivæ vocis oraculum, vel per eorum reſcripta, quibuſcumque perſonis conceſſas, & inter cætera multa, n. 14. revocatur *Facultas Regularibus alloquendi moniales etiam conſanguineas, aliaſque perſonas intra clauſuram degentes, abſque peculiari Superiorum, ad quos quomodocumque ſpectat, licentia*: & verſus finem diſtricte prohibet, *ne quis deinceps indultis, facultatibus, & gratiis, ſic per nos revocatis, & abrogatis, ullatenus uti audeat, ſeu præſumat, ſub pœna excommunicationis, ac privationis officiorum, & dignitatum, & quorumvis beneficiorum obtentorum, vocis activæ, & paſſivæ, nec non inhabilitatis ad audiendas confeſſiones, & ad officia, dignitates, & beneficia hujuſmodi in futurum obtinenda, ipſo facto, abſque ulla alia declaratione, per tranſgreſſores reſpective incurrenda; a qua non niſi a nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente, præterquam, quoad excommunicationem præfatam, in articulo mortis conſtituti, abſolutionis, diſpenſationis, ſeu rehabilitationis beneficium valeant obtinere.* Vale dicas igitur oraculis &c., ſi quæ habebas & receperis ante dictum tempus.

IV. Superiores Regulares, & Confeſſarii Monialium non egent licentia Ordinarii ad colloquendum cum monialibus eorum curæ commiſſis; quod intelligitur nedum de Provinciali, verum etiam de Superiore locali, cui cura Monaſterii monialium incumbit: ipſi namque excipiuntur in decretis Sixti V., & Urbani VIII. prout etiam declaravit Sac. Congregatio 23. Novembris 1592., & 27. Septembris 1641. Superiores, & Confeſſarii

V. Decreta quæ interdicunt locutionem cum Monialibus comprehendunt etiam Abbatiſſas, Prioriſſas, & Officiales Monaſterii: ita Alexander VIII. in Conſtitutione quæ incipit *Sacroſancti*: & ita etiam cenſuit Sac. Congr. anno 1654. quæ Commiſſario Generali Ordinis Minorum interroganti, an loquentes cum Abbatiſſis &c. incurrant pœnas in decretis contentas? Reſpondit: *Regulares loquentes cum Abbatiſſa incurrere eaſdem pœnas*; ita in lib. 19. Decretorum fol. 425. apud Monacellum p. 2., tit. 10., formul. 15. n. 17. ſed, ſalvo meliori judicio, videtur tolerari a Præſulibus mos, qui jam invaluit, ut Abbatiſſas & Superioriſſas alloqui poſſint, iiſdem Ordinariis non contradicentibus, neque conquerentibus; & præcipue ſi allocutio verſetur circa negotia monaſterii, vel alicujus utilis conſultationis gratia. In prohibitione comprehenduntur etiam Abbatiſſæ.

VI. Regulares, qui, loquentes cum Monialibus, inveniuntur abſque requiſita licentia, poſſunt ab Epiſcopo pœna carceris puniri ex decreto Sac. Congregat. 2. Mar- Poſſunt regulares pœnæ carceris puniri.

Digitized by Google

Martii 1617. & denuo anno 1624. ſub Urban. VIII. ad dubium 14.

Loquens per feneſtram, aut per nutus.

VII. Colloquens cum moniali per feneſtram alicujus monaſterii, ſeu conventus, aut palatii alicujus, aut domus, etiam per nutus, & ſigna, incurrit pœnas latas contra accedentes, ut probabilius docet Donatus Laynenſis tom. 4. tract. 6. quæſt. 152. citans plures; quia intantum prohibetur acceſſus, ne eveniat allocutio; quæ per ſe primo prohibetur; pariter nutus & ſigna ſunt locutiones quædam factis peractæ, & ſufficienter ſignificantes. Similiter pœnas incurrit loquens per interpoſitam perſonam, ut docet laudatus Laynenſis num. 7. cum pluribus; & etiam qui alloquitur monialem, ipſa tacente; non tamen incurreret, ſi loquentem monialem audiret, ipſeque taceret, ut docet Graſſius tom. 1. Conſil. 22. de excom. num. 30. Idemque dicas de ſcribente epiſtolas moniali, ſi in diœceſi extet prohibitio ſub cenſuris.

Loquens per interpoſitam perſonam.

Confeſſarii monialium etiam Generales indigent approbatione Epiſcopi.

VIII. Confeſſarii Regularium indigent approbatione Ordinarii ad audiendas confeſſiones monialium ſibi ſubjectarum, non obſtante conſuetudine etiam immemorabili, & quamquam ſint Generales Ordinis. Cum enim Sacræ Congregat. propoſitum fuerit dubium: *An Abbas Generalis Vallumbroſanorum poſſit audire confeſſiones monialium ſibi ſubjectarum, abſque præcedenti approbatione Diœceſani?* Sacra Congregatio Concilii die 13. Novembris 1637. reſpondit: *Non poſſe:* & univerſim quoad alios regulares id clare vetuit Gregorius XV. in Conſtitutione *Inſcrutabili*, & Sacra Congregatio Concilii 12. Julii 1618. in reſponſo ad dubium 2. idem jam declaraverat.

* Jam ſupra *tract.* 14. *cap.* 4. §. 6. *poſt num.* 5. *pag.* 167. ob oculos poſuimus ſententiam, quam amplexati ſunt Auctores *Appendicis ad tract.* 6. Curſus Theologiæ Moralis Collegii Salmanticenſis. *Editionis Venetæ anni* 1750. *cap.* 6. *punct.* 2. §. 1. *n.* 74. *& ſeqq.* quamque adoptavit P. Lucius Ferraris *in noviſſim. Suppl. &c. V. Approbatio n.* 3. videlicet quod Generales & Provinciales non indigeant ſpeciali approbatione Epiſcopi Diœceſani pro excipiendis confeſſionibus Monialium, quæ ſub gubernio eorum exiſtunt, ac inſuper palam fecimus id illos oſtendere tum ex Bulla 119. Benedicti XIII. incip. *Paſtoralis Officii ſollicitudo* §. 8. quæ ſanctionibus ab Auctore *num. præced.* allatis lege poſterior eſt, utpote condita *die* 27. *Martii* 1726. tum etiam ratione *loc. cit.* indicata, qua forte motum S. P. Benedictum ad Generales, & Provinciales a communi lege & ordinatione excipiendo, iidem Auctores exiſtimant.

CAPUT V.

DE

NOVITIATU.

§. I. *De Requiſitis ad validum, & licitum Novitiatum.*

Debet voluntarie ſuſcipi.

I. UT Novitiatus, ab habente ætatem congruam licite ſuſcipiatur, debet ſponte, & libere ſuſcipi: proinde qui vi, fraude, aut metu compellunt virum ad inchoandum novitiatum, aut illum proſequendum, mortaliter peccant, juxta omnes. Dixi virum; quia compellentes fœminas, incurrunt etiam excommunicationem ex Trident. ſeſſ. 25. c. 18. de regularibus. Nihilominus vir ita inchoans novitiatum, valide operatur, quia in nullo jure Novitiatus ſic ſuſceptus irritus declaratur: unde ſi in fine anni omnino ſponte profiteatur, vere perficit novitiatum præmittendum. Secus dicendum, ſi ſimoniace ſuſceptus fuiſſet; quia eſſet nullus, ſicuti etiam profeſſio ſubſequens eſſet nulla, ex capit. 1. de regularib. & capit. *Quoniam* de ſimon. Et tam admiſſus ſciens, quam admittens, incurreret excommunicationem Papæ reſervatam, in Extravag. de Simon. ut etiam diximus in tract. 4. c. 13. §. 13. n. 6., vide ibidem dicta.

Requiritur geſtatio habitus.

II. Ad validum novitiatum percurrendum, neceſſaria eſt habitus religioſi ſuſceptio, & geſtatio, ut tenet probabilior, ex verbis Trident. loc. cit. dicentis, annum probationis numerandum *a die ſuſcepti habitus*; & annum integrum *poſt ſuſceptum habitum*: cum nemo ambigere debeat, geſtationem habitus unam eſſe ex auſteritatibus illo integro anno experiendis. Qui autem animo ficto habitum ſuſciperet; & dumtaxat in fine anni animum mutaret, non proinde invalide percurriſſet novitiatum, dicunt plures cum Suarez, tom. 1. de Relig. tract. 10. lib. 2. c. 5. n. 15.; quia revera in foro Ec-

Caſus emergens.

Digitized by Google

cleſiæ annum percurriſſet, religionemque probaſſet, & ſalvaretur finis a lege intentus.

Novitiatus nullus, eſt renovandus. III. Quando novitiatus fuit irritus, quia vel ſimonia, vel immatura ætas, vel illegitima poteſtas recipiendi, vel alia cauſa illum irritum reddidit; probabilius eſt cum Navarro, Roderico, & aliis relatis a Sanchez lib. 7. de Matrim. diſp. 47. num. 40., novitiatum eſſe renovandum; quia quod in ſe eſt nullum, nequit operari aliquem effectum juris; ergo neque novitiatum a jure requiſitum ante profeſſionem.

Quid de loco novitiatus? IV. Locus novitiatus debet eſſe intra Ordinem, & ad hunc finem deſtinatus, atque in eo peragendus novitiatus. Si autem in aliquo caſu, ex rationabili cauſa novitius de Superiorum licentia, degeret in alio Ordinis conventu, non propterea interrumperetur novitiatus, quia adhuc experiretur auſteritates Ordinis, eſſetque religioni conjunctus. Si enim per menſem in novitiatu infirmitate aliqua detineatur, non interrumpitur annus, quamvis ex juſta cauſa non experiatur auſteritates; multo minus interrumpetur in caſu: ita Lezana t. 1. cap. 2. num. 11., Suarez tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 14., num. 13. & alii.

Quid de anno novitiatus? V. Integer omnino annus eſt in novitiatu percurrendus, ita ut neque per horam liceat prævenire profeſſionem; ita ut ſi die 2. Maii, hora vigeſima habitum ſuſceperit, ante talem horam profiteri non poſſit: *Nec qui minori tempore, quam per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur*, ait lex Tridentina ſeſſ. 25. capit. 15. Debet autem annus eſſe continuus, & non interruptus, juxta omnes: ita poſtulante ſcopo legis Tridentinæ. Non tamen interrumpere videtur, qui in monaſterio habitum exuit, & adhuc in monaſterio conſiſtens, & facti pœnitens, poſt aliquot horas, illum iterum induit: ſi tamen animo non redeundi exiret conventu, & poſt diem rediret; novitiatum interrumpi affirmant Suarez loc. cit. cap. 15. n. 16. Sanchez lib. 5. Sum. c. 4. num. 32. & alii, contra alios, quia verificatur completa deſertio ſtatus antea aſſumpti. Quamvis autem poſt expletum integrum annum ſtatim non ſequatur profeſſio, quia expectanda ſit ætas, aut ob aliud prudens motivum; non propterea annus interrumpitur.

* Cl. Sylvius in *Opuſc.* quod inſcribitur *Reſolutiones Variæ* Verb. *Novitius* plures circa hanc materiem caſus proponit atque reſolvit. Unum ſaltem hic exhibere non inutile erit, quem ſic primo loco exponit. Novitia, *ait*, poſt receptionem habitus, & cœptam in Monaſterio probationem, poſtea cum aliis ejuſdem Monaſterii Monialibus propter bella ſeu bellorum pericula, egreditur; habito tamen prius conſenſu illius Ordinarii, cui Monaſterium eſt ſubjectum; & quoniam illa pericula durant, conſequenter durat etiam mora, quam extra Monaſterium trahit cum reliquis; ſed itaut ſemper maneat in obedientia ſuæ Superioris. Quæritur, *utrum anno finito poſſit profiteri?*

Reſpondetur poſſe profiteri, poſito quod aliunde non ſit impedimentum; quia ſufficienter explevit annum Novitiatus, cum ad illud non ſit neceſſe, quod annus totus peragatur in Monaſterio, modo peragatur cum habitu, & ſub obedientia Superioris Monaſterii. Requiritur quidem quod annus probationis ſit continuus; ſed non eſt putandum quod diſcontinuetur per abſentiam a Monaſterio, quando Novitius ſeu Novitia retinet habitum, & non abeſt niſi cum licentia Superioris, manetque ſemper ſub ejus obedientia. Ita præcitatus Theologus, qui plures allegat Doctores ſic ſentientes, & ita anno 1637. reſolutum fuiſſe Duaci refert. Hæc deciſio principium ſuppeditat, unde alii conſimiles caſus facillimo negotio valeant extricari; & præcipue indigitat, quid ſtatuendum in caſu, qui nonnunquam accidit, ſcilicet dum Novitii recreationis gratia mane cum ſuo Magiſtro, vel cum altero de Superioris conſenſu vices illius gerente e Conventu egreſſi, nequeunt in ſero ob malam tempeſtatem regredi, ſed coguntur per totam noctem extra Conventum commorari.

VI. Impedimenta, quæ nullum, aut illicitum reſpective efficiunt ingreſſum Religionis, & novitiatum, quædam ſunt de jure naturali; quædam de poſitivo: de jure naturali ſunt, ætas decrepita, Inſania, Infirmitas gravis habitualis, Servitus proprie talis, ſine licentia domini, unde & profeſſio eſſet nulla, Conjugium conſummatum, ſine licentia alterius conjugis, quæ ſufficiet ante profeſſionem, cujus anterior omiſſio non reddit irritum novitiatum peractum, quia in nullo jure irritus declaratur; Profeſſio emiſſa in al- Impedimenta ad religionis ingreſſum.

tero Ordine, niſi obtineantur requiſitæ licentiæ; Debita ſolvenda, quæ ſaltem reddunt illicitum. Jure autem poſitivo non poſſunt recipi Archiepiſcopi, & Epiſcopi, ſine licentia Pontificis, quam niſi obtineant, invalide profitentur: ex capite *licet* de regul.; & cap. *niſi cumpridem*: egregia affertur ab Angelico congruentia 2. 2. q. 189. a. 7. in eo legenda. Cæteri autem omnes Eccleſiaſtici, etiam habentes curam animarum, & valide & licite poſſunt Religionem ingredi, & profiteri: nec requiritur licentia Epiſcopi, quanquam decentiſſimum ſit, illam petere, quamvis non obtineatur. Similiter, ſtando juri communi, licite admittuntur illegitimi, Judæi, & ex quacunque ſecta venientes: ideo unuſquiſque obſervet jura ſpecialia ſuæ Religionis. Hinc ſi novitius celavit defectum aliquem ex illis, propter quem religio illa non recipit, & religio proteſtata fuerit, quod ſi talem defectum habebat, non intendit ipſum admittere; ipſeque cum tali defectu occultato profiteatur, profeſſio eſt nulla; quia cum Conſtitutiones Religionis fuerint a Pontifice approbatæ, habent vim annullandi profeſſionem emiſſam cum tali defectu, de quo facta fuerit proteſtatio; tum etiam quia deeſſet aſſenſus religionis neceſſario requiſitus ad valorem; cum ſit contractus ultro citroque obligans, ut dicetur.

Quid juris Pontificii circa antedicta? VII. His non obſtantibus, notandum, Sixtum V. anno 1587. condidiſſe Conſtitutionem, *Cum de omnibus*, in qua prohibuit, ne viri, annum decimum ſextum excedentes reciperentur, niſi de eorum parentibus, patria, anteacta vita, prius diligenter inquiſitum fuerit; & ſi conſtiterit, eos furta, latrocinia, aut alia conſimilia ſcelera perpetraſſe, aut de eiſdem eſſe ſuſpectos, & eapropter vel fuiſſe condemnatos, vel formidetur, eſſe condemnandos; aut ære alieno ſupra ſuas vires eſſe gravatos, vel ratiociniis reddendis obſtrictos, ut ex hujuſmodi cauſa, aut lis, aut moleſtia illis jam fuerit illata, vel inferenda timeatur, vetat, ne recipiantur, & ſi profeſſionem emittant, ipſa ſit nulla; Prælatoſque eoſdem recipientes punit privatione vocis activæ, & paſſivæ, officiorum, graduum, dignitatum ab ipſis poſſeſſarum, nec non pœna inhabilitationis perpetuæ ad hujuſmodi in poſterum poſſidenda: Hanc Conſtitutionem anno ſequenti altera incipiente *Ad Romanum Pontificem* moderatus fuit, non quoad pœnas, ſed quoad crimina, dicendo: *Cum conſtiterit actis publicis, judices, & Curiam ſæcularem ante ſuſceptionem habitus de ipſo crimine accuſationem ſuſcepiſſe, vel inquiſitionem inſtituiſſe*. Deinde Gregor. XIV. anno 1590. in Bulla *Circumſpecta* ampliavit dictas moderationes, atque ex parte ſuſtulit. Poſtea Clemens VIII. anno 1592. in Conſtitutione: *Altiſſima paupertatis via* indicatas Conſtitutiones Sixti, & Gregorii quoad nullitatem profeſſionis reduxit ad terminos juris communis, perſiſtentibus tamen pœnis contra tranſgreſſores in eiſdem ſtatutis; validamque declaravit profeſſionem, niſi ex jure communi aliud impedimentum eam irritam reddens interveniat. Tandem idem Clemens anno 1597. in Conſtitutione *In his quæ*, conceſſit Fratribus S. Dominici conventus S. Stephani Salmanticenſis, ut quoſcunque juvenes, etiam ætatis annum 19. excedentes ad habitum admittere poſſent, recepto ab eiſdem juramento, quod criminoſi, ratiociniis obligati, furto, latrocinio, aut homicidio notati, aut aliis impedimentis in Bulla Sixti V. contentis, detenti non ſint, & per aliquem ejuſdem conventus religioſum deputatum ad inveſtigandum de anteacta vita illorum, moribus, & cæteris antedictis, ſine ſtrepitu judiciario, ſed per ſcrutinium ſecretum fieri concedit; qui deinde Prælato, & cæteris, ad quos recipepere pertinet, fideliter referat. Quo privilegio etiam cæteri Ordines mendicantes per communicationem frui poſſunt. Semper igitur ſubſiſtit profeſſio, dummodo nil obſtet contra jus commune. Prælati omittentes cognitiones prædictas, lethaliter peccant, & ſunt obnoxii pœnis a Sixto conſtitutis, quas Clemens intactas reliquit.

§. II De Privilegiis Novitiorum.

I. Quod Novitii gaudeant omnibus privilegiis profeſſorum, communior eſt DD. ſententia; eo quod in favorabilibus reputentur ut religioſi; ſunt namque ſub poteſtate Religionis, cujus onera ſuo modo ſubeunt, & ita declaraſſe Clementem VIII., affirmant paſſim DD. & Diana 3. p. tract. 2. reſolut. 6. circa hoc refert privilegium Societati Jeſu conceſſum, quod etiam aliis per communicationem confertur. Et Collegium Salmantic. tract. 15. c. 3. puncto 6. num. 86. ex indicatis Doctoribus id extendit etiam ad pro- Novitii gaudent privilegiis profeſſorum.

Digitized by Google

proxime veſtiendos, qui jam ſunt in conventu ſuæ veſtitionis, & ſe ad illam diſponunt per ſpiritualia exercitia &c.; quia ex lege penultima ff. *de multis teſtam.* in favorabilibus *proxime accingendus*, *habetur pro accincto*.

Recenſentur exemptiones. II. Hinc ſunt exempti a poteſtate Epiſcopi, & habitu induti gaudent privilegio fori, & Canonis, ex capite *Religioſo* de ſentent. excom. in 6. Deinde proxime veſtiendus abſolvi poteſt, ſicut cæteri Religioſi, a reſervatis illis, a quibus poſſunt abſolvi etiam alii profeſſi, de quibus dictum eſt in tract. 14. cap. 4. §. 12. Poſſunt illorum vota a Superiore commutari, vel diſpenſari reſpective; (non autem irritari, cum nondum habeat ſuper illos poteſtatem dominativam) quæ vota reviviſcunt, ſi exeant Religione. Poſſunt item diſpenſari nedum quoad Conſtitutiones, verum etiam quoad præcepta Eccleſiæ ex rationabili motivo, ut ſupponitur, ob juriſdictionem, qua religio gaudet ſuper eiſdem.

Abſolutus, exeundo, non reincidit in caſus. III. Si Novitius vi privilegiorum abſolutus a cenſuris, irregularitate, reſervatione, egrediatur Religione, non reincidit in eaſdem, ut plures docent apud Suarez tom. 4. de rel. tract. 8. lib. 2. c. 24. num. 6. dummodo bona fide habitum induerit; cum enim executus fuerit actum virtutis non infimum, ingrediendi bono animo Religionem, non eſt hoc beneficio privandus, abſolutio enim data fuit abſolute.

Teſtamenta a noviti s facta. IV. Teſtamentum factum a novitio ante profeſſionem, quamvis nondum cogitarit de profeſſione emittenda, facta profeſſione, probabilius tenet, dummodo non ſit aliunde vitiatum ex aliquo alio capite; quia cum non revocetur ab ipſo, ſubſiſtit: ita Garzia tract. 2. diffic. 6. dub. 1. n. 3., Barboſa in cap. *ſi quæ mulier* 19. q. 3. n. 12., & alii. Quod ſi in novitiatu ſine condito teſtamento decedat ante profeſſionem, ſuccedit in bonis illius hæres ab inteſtato, (de quibus diximus in tract. 10. cap. 3. §. 4.) eo quod non cenſeatur ſua bona reliquiſſe monaſterio, niſi quando profitetur; tunc namque reputatur proprie Religioſus: & ita docent etiam Sylveſter verbo Religio c. 5. q. 12., Navarrus Comment. 2. de Regular. nu. 49. & alii, contra plures alios relatos a Sanchez lib. 7. Sum. c. 3. num. 19., a quibus diſſentit n. 92.

Renunciationes, Donationes &c. a novitio factæ. V. Donationes liberæ inter vivos, contractus lucrativi, renunciationes quorumcunque bonorum temporalium, officiorum, dignitatum &c. a novitio factæ ante profeſſionem, etiam juratæ, non valent, niſi ſub hac forma a Tridentino ſeſſ. 25. cap. 16. præſcripta: *Nulla quoque renunciatio, aut obligatio ante facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuſcumque cauſæ piæ, valeat, niſi cum licentia Epiſcopi ſive ejus Vicarii fiat, intra duos menſes proximos ante profeſſionem, ac non alias intelligatur effectum ſuum ſortiri, niſi ſecuta profeſſione; aliter vero facta, etiamſi cum hujus favoris renunciatione expreſſa, etiam jurata, ſit irrita, & nullius effectus*. Proinde quamvis aliquam donationem &c. faceret ſub hac conditione, ſi profitear; nihilominus invalida eſſet, quia defuiſſet conſenſus Epiſcopi &c. Ut autem donationes &c. factæ modo a Tridentino præſcripto effectum habeant, debet profeſſio ſubſequens eſſe valida; eo quod profeſſio irrita, non ſit profeſſio, de qua ſola loquitur Concilium.

Quædam notanda circa hujuſmodi renunciationes. VI. Non poteſt novitius valide renunciare in favorem alicujus determinatæ perſonæ bona ſperata, puta ex hæreditate patris ſibi obventura, ipſo patre vivente, & diſſentiente, quia prohibetur hæc actio a lege in cap. *Final.* de pactis, ne præbeatur occaſio machinandi mortem illi, a quo expectatur hæreditas ſibi renunciata; quod inconveniens ceſſat, ſi illam renunciet Conventui, de quo nec præſumitur, nec timetur hujuſmodi machinatio; & ſic monaſterio facta, erit valida: ita plures cum Molina tom. 3. diſp. 579. num. 38. Quod ſi novitius ſuccedere debeat jure ſanguinis ab inteſtato in alterius hæreditatem, de hoc jure diſponere poteſt ante profeſſionem, modo a Concilio præſcripto; quia de hoc diſponit, dum adhuc eſt ſui juris; de quo ſi non diſponat, & deinde poſt profeſſionem hæreditas adveniat, acquiritur Conventui, cujus eſt filius, vel in quo invenitur, juxta morem ſuæ Religionis.

* S. P. Pius V. ſua Conſtitutione 109. in Bullario Romano quæ incipit *Summi Sacerdotis cura*, quæque relata eſt in Bullarium Ord. Præd. *tom.* 5. *num.* 95. Monialibus Novitiis, quæ S. Dominici Inſtitutum amplexæ ſunt, indulſit, ut in mortis articulo Religioſæ Profeſſionis vota vovere poſſint, quamvis necdum exacto probationis anno, dummodo tamen ad ætatem Profeſſioni emittendæ neceſſariam perti-

Digitized by Google

tigerint. Contendunt plures, hocce privilegium ſublatum cenſeri debere, ex quo Gregorius XIII. edita Conſtitutione, ad Sacrorum Canonum, Conciliique præſcriptum revocavit quidquid amplius S. Pius V. in Regularium favorem conſtituerat. Alii oppoſitum affirmant, ſuſtinentque, non obſtante Gregorii Conſtitutione, memoratum privilegium in ſuo robore permanere. Rem hanc indeciſam relinquit S. P. Benedictus XIV. *de Synod. Diœceſ. lib.* 13. *cap.* 12. *num.* 6. *nov. edit.* Poſito autem quod memoratum S. Pii V. Privilegium in ſuo vigore permaneat, nihilque ipſi a Gregorio Pontifice derogatum fuerit, variæ circa ipſum excitantur difficultates. Prima quidem, an complectatur etiam puellas educationis cauſa in Monaſteriis S. Dominici commorantes? Secunda, num ſaltem eodem Indulto uti poſſunt Novitii ejuſdem Ordinis Prædicatorum, & num propter privilegiorum communicationem, ad ceterorum quoque Ordinum Novitios, atque Novitias eadem Conſtitutio extendi valeat? Tertia, utrum ſi Novitia, quæ in proximum vitæ diſcrimen adducta, nondum evoluto probationis anno, Profeſſionem emiſit, convaleſcat, teneatur Novitiatum implere, & factam Profeſſionem ratam habere, aut aliam ex integro nuncupare.

Primam difficultatem jam reſolvit S. Congregatio in quadam cauſa *Neapolitana*, in qua *die* 14. *Martii* 1705., reſcripſit, ut refert S. P. Benedictus XIV. *loc. cit. num.* 3., profeſſionem puellæ, educationis cauſa in Monaſterium Monialium S. Dominici receptæ, nullam fuiſſe, licet in exitu vitæ emiſſam, propterea quod Religioſæ probationis annus non præceſſerit. Secundam difficultatem affirmative reſolvunt plures, nimirum quod non ſolum Novitii Ordinis Prædicatorum Piana conceſſione uti poſſunt, verum etiam eadem gaudeant per communicationem privilegiorum Novitiæ, & Novitii aliarum Religionum. Sic inter ceteros P. Lucius Ferraris *V. Moniales art.* 1. *num.* 56. Tertiam demum difficultatem eadem S. Congregatio decidit *die* 20. *Martii* 1649. *ad cap.* 15. *ſeſſ.* 25. *de Regular.* apud Pignatellum *tom.* 1. *conſult.* 356. nempe quod ſi Novitia, quæ in mortis articulo conſtituta profeſſionem emiſit, convaluerit, debeat iterum profiteri.

Animadvertendum autem occurrit, quod profeſſio emiſſa a Novitia in articulo mortis in idonea quidem ætate conſtituta, ſed nondum legitimum tyrocinii tempus emenſa, ſeu anno Novitiatus nondum completo, non ſuffragatur niſi quoad ſpirituales effectus, videlicet quoad aſſequendas Indulgentias acquiri ſolitas ab illis, qui rite ſolemnem profeſſionem emittunt; non autem quoad temporales effectus, ſcilicet quoad tribuendam Monaſterio actionem, qua dotem, ac reliqua bona ſic profeſſæ Monialis petere valeat. Ita cenſet Fagnanus *in Cap. Sicut nobis a nu.* 12. *uſque ad* 34. & præſertim *num.* 33. *de Regularibus*, cujus ſententiam amplexa eſt etiam S. Congregatio Concilii in cauſa *Narnien. Profeſſionis* propoſita 21. *Junii* 1743. & reſolut. 25. *Januarii* 1744. in qua cum quæſtio eſſet de Novitia, quæ in extremis conſtituta, poſt vigeſimum ſecundum Novitiatus menſem emiſerat profeſſionem in Monaſterio, cujus conſtitutionibus biennale experimentum ante Profeſſionem requirebatur, validum ſane Congregatio declaravit hujuſmodi actum, ſed ad ſpirituales tantummodo gratias lucrifaciendas. Alias conſimiles ejuſdem S. C. declarationes allegat P. Lucius Ferraris *loc. cit. n.* 98. Si autem talis Profeſſio in articulo mortis ſit emiſſa in manibus Abbatiſſæ, anno, ſeu tempore probationis integre expleto, tunc dos acquiritur Monaſterio, licet Profeſſio emiſſa fuerit, inſcio Ordinario, quia tunc nihil deficit ad ſubſtantiam veræ Profeſſionis. Sentit tamen Riccius *Prax. rerum quotid. for. Eccleſiaſt. part.* 2. *reſolut.* 493. *ſecundum Venet. impreſſionem* 1674. *nu.* 14. quem ſecutus eſt Monacelli *part.* 2. *tit.* 13. *formul.* 5. *n.* 14. quod profeſſio emiſſa etiam poſt tempus probationis a puella phtiſica, ſeu hectica non proſit Monaſterio quoad acquiſitionem bonorum, idque fuſe oſtendit, ut videre eſt apud ipſum, & Monacelli *loc. cit.* Circa hanc materiam præter jam relatos legeſis Rodericum *Quæſt. Regul. tom.* 3. *art.* 6. Dianam *Edit. Coordin. tom.* 7. *reſol.* 160. & 161. Pellizzarium *tom.* 1. *Manual. Regular. tract.* 2. *cap.* 7. *quæſt.* 24. & *tract.* 3. *cap.* 2. *q.* 3. & Donatum *tom.* 4. *tract.* 20. *q.* 21. & *ſeq.*

CA-

Digitized by Google

CAPUT VI.

DE

PROFESSIONE RELIGIOSA.

§. I. *De natura, & diviſione Profeſſionis, & quomodo incurratur.*

Quid, ac quotuplex ſit Profeſſio?

I. PRofeſſio Religioſa definiri poteſt, Contractus quidam moralis, quo homo, ſeipſum voluntarie Deo tradit in determinata Religione approbata, emittendo ſolemniter tria vota paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, cum conſenſu Prælati Regularis, nomine Dei eadem acceptantis. Duplex eſt profeſſio; Expreſſa, & Tacita: Expreſſa, quæ communiter, & verbaliter fit in manu Superioris: Tacita, quæ ſignis, vel actionibus a jure ſtatutis inducitur. Expreſſa (modo adſint cætera requiſita) quocumque modo ſignificetur, ſemper eſt valida: debet fieri abſolute, non conditionate; ſi tamen fieret ſub aliqua conditione non turpi, quamvis eſſet illicita, eſſet valida; &, expleta conditione, tranſiret in abſolutam. Expreſſa poteſt fieri etiam per procuratorem ad id ſpecialiter electum, cum nullo jure prohibeatur, ut docent Sylveſter loc. cit. verbo Religio c. 39. §. 5., Suarez tom. 3. lib. 6. c. 11. num. 22., & alii: at id non eſt agendum, niſi ob neceſſitatem ita fieri compellentem.

Modus incurrendi profeſſionem tacitam.

II. Relictis variis modis, quibus olim jure antiquo inducebatur profeſſio tacita; poſt Concil. Tridentinum non incurritur, niſi novitius expleverit annum decimum ſextum ætatis ſuæ, & integrum annum novitiatus percurrerit. Quamobrem ſi quis expletis & annis ſexdecim, & integro anno novitiatus, ſe ingerat exercitiis profeſſorum per triduum, vel habitum ſpecialiſſimum profeſſorum, (ubi hujuſmodi peculiaris profeſſorum habitus adhibetur) induat, & geſtet per triduum, vel ſi utrumque hoc ſignum conjunxerit ſtatim ante triduum, incurrit profeſſionem tacitam; additis tamen his conditionibus; prima, quod actus, quo illa inducitur, fiat de conſenſu Superioris, qui poteſt ad profeſſionem admittere, cum, ſine ſuo conſenſu, neque profeſſio expreſſa ſit valida. Secunda, ut non fiat coacte, ſed ſpontanee, ideſt nulla vi, aut metu extrinſeco, Tertia, ut ſciat tales actus eſſe profeſſorum proprios, & per illos tacitam induci profeſſionem; quia aliter non eſſet voluntaria. Quarta, ut tales actus exercens habeat per conſequens animum profitendi. Quinta, ut in caſu quo ſciret, ſe non eſſe profeſſum, vel non fuiſſe valide profeſſum, exerceat actus illos animo profitendi, & veram emittendi profeſſionem.

Requiſitum aliud ad legitimam profeſſionem.

III. Ad legitimam profeſſionem requiritur legitima poteſtas admittendi ad illam, quæ poteſtas, excepto ſolo Pontifice, in nullo alio reſidet, niſi in Superiore regulari, qui ſit Superior immediatus illius conventus, in quo novitiatus peragitur, vel in alio, ex ipſius Superioris commiſſione, juxta omnes: neque ſufficit ſolus Superioris conſenſus, niſi etiam accedat conſenſus majoris partis Patrum ſui Conſilii, vel Capituli, juxta leges Religionum reſpective: ita ex capite *conſuluit* 4., & ex c. *Finali* & ex cap. *Ad Apoſtolicam* de Regularibus in 6. Nihilominus non prohibetur Prælatis majoribus Religionis admittere ad profeſſionem, ſi Superior immediatus reluctetur, dummodo accedat conſenſus aliorum Patrum requiſitorum pro majori parte; quia poteſtas quæ reſidet in immediato, reſidet cumulative in majori, & hoc eſt verum de jure communi: unuſquiſque autem conſulat municipalia ſuæ Religionis ſtatuta, eademque ſervet.

Defectus profeſſionem nullam reddentes.

IV. Defectus ex quibus profeſſio redditur invalida, ſunt primo Ætas ante annum decimum ſextum completum, & ſi emittatur ante integrum annum novitiatus expletum, juxta ſuperius dicta. Secundo, Diverſitas ſexus, puta ſi mulier occulta profiteatur in monaſterio virorum, vel e contra: & nota quod quanquam vota non obligarent ut ſolemniter emiſſa, probabilior cum Navarro lib. 3. conſil. 18. primæ editionis, vel 19. ſecundæ, & aliis, docet quod obligarent tanquam vota ſimplicia, quia profitens voluit ſe obligare pro quanto potuit; niſi conſtet de contrario animo. Tertio, defectus libertatis, ut ſi mancipium ſine licentia profiteatur. Quarto, ſi matrimonium conſummaverit, etiam ſtante divortio, & profeſſus fuerit ſine alterius conjugis licentia. Quinto, ſi ſit Epiſcopus, & abſque licentia Pontificis. Sextò ſi nimia ſit ſenectute confectus, vel ex gravi morbo impotens ad regulam. Septimo, ſi occultaverit defectum, de quo interrogatus fuit. Octavo; ſi profeſſionem emiſit metu gravi adactus, & hoc ex jure poſi-

poſi-

Digitized by Google

poſitivo. Non tamen irritam efficit profeſſionem metus gravis, incuſſus Superiori admittenti ad profeſſionem, quia de hoc Jura ſilent. Nono, ſi erraret circa ſubſtantialia ſtatus Religioſi, puta ſi falſo crederet, ſe non obligari in perpetuum ad vota &c.; quia hic error efficit involuntarium circa ſubſtantiam ſtatus. Decimo, ſi profiteatur ſine animo ſe obligandi, ſaltem in foro conſcientiæ eſt nulla, graviter tamen peccaminoſa; tenereturque illam ratificare; & idem dicendum, ſi ficto animo acceptetur ab admittente, quia deeſt aſſenſus neceſſarius contractui. Demum ſi interveniat alius defectus, qui ex vi ſtatutorum Religionis a S. Sede approbatorum irritet profeſſionem.

Quomodo ratificetur profeſſio? V. Profeſſio, quæ nulla & irrita fuit; poſito quod rata poſſit haberi, (nam quædam ſunt quæ ratificari nequeunt, ut ſi emiſſa fuiſſet in Religione non approbata, aut a decrepito) non ratificatur per ſolum & merum tractum temporis, quamvis tollatur defectus, propter quem fuit invalida; nam juxta regulam 18. Juris: quod de jure ab initio non ſubſiſtit, tractu temporis non convaleſcit; ſed, ſi defectus ſe tenuit ex parte profeſſi, requiritur novus aſſenſus exterius ſignificatus, eo quod primus nullus fuerit; & alioquin aſſenſus ſit de ſubſtantia contractus; eapropter debet innoteſcere quod anterior profeſſio nulla fuerit; aliter putaret illam confirmare, & non novam emittere, prout requiritur: ſi tamen annum novitiatus integre & non interrupte percurrerit, non tenetur novum novitiatum ſuſcipere, quia jam implevit quod ab Eccleſia exigitur.

Explicatur melius. VI. Cum autem conſenſus deeſſe potuerit vel ex parte ſolius profitentis, vel ex parte ſolius admittentis, vel ex parte utriuſque; propterea probabilius dicendum videtur, quod quando defuit conſenſus ex parte alterius tantum, ſufficiet quod ille novum conſenſum eliciat, & ſignificet, (quin requirantur aliæ ſolemnitates fieri ſolitæ) quia jam ex parte alterius, qui conſenſum præſtitit, cum non fuerit retractatus, ut prudenter ſupponitur, cenſetur perſeverare. Et nota, quod quando defuit conſenſus in profitente, poteſt, juxta ſuperius dicta, tacite profiteri, actus profeſſorum exercendo: at hoc modo non revalidatur, ut ajunt, profeſſio, niſi poſt quinquennium hujus praxis; cum enim a Tridentino concedatur quinquennium ad reclamandum, ut infra videbitur; idcirco non præſumitur tacite ratificaſſe profeſſionem, niſi expleto quinquennio incipiente a die qua cognoſcitur, nullam fuiſſe, & faciendo actus profeſſorum animo volente ratificare. Quando autem conſenſus defuit ex parte utriuſque, probabilius eſt, quod requiratur novus aſſenſus in utroque, ita poſtulante natura cujuſvis contractus; ita Suarez tom. 3. de Relig. lib. 7. cap. 1. num. 20. & alii contra alios, docentes cum Navarro lib. 3. Conſil. de Regularibus conſil. 27. num. 2., quod quando defuit conſenſus ex parte Prælati admittentis, non requiratur novus conſenſus, qui ſuppletus fuit ab Eccleſia, & Pontifice intendente profeſſiones profitentium acceptare: & afferunt cap. *Significatum* de Regul. cap. 1. in 6.

§. II. *De effectibus Profeſſionis Religioſæ.*

Primus effectus Profeſſionis. I. PRimus Profeſſionis Religioſæ effectus, emiſſæ in ſtatu gratiæ, eſt, juxta omnes poſt S. Thomam 2. 2. q. 189. art. 3. ad 3., plenaria omnium peccatorum remiſſio etiam quoad pœnam. *Rationabiliter dicitur, quod etiam per ingreſſum Religionis aliquis conſequitur remiſſionem omnium peccatorum: ſi enim aliquibus eleemoſinis factis, homo ſtatim poteſt ſatisfacere de peccatis, . . . multo magis in ſatisfactione pro omnibus peccatis ſufficit, quod aliquis ſe totaliter divinis obſequiis mancipet per Religionis ingreſſum, quæ excedit omne genus ſatisfactionis, etiam publicæ pœnitentiæ, ut habetur in* Decretis 33. q. 1. c. admonere . . . *Unde legitur in vitis Patrum, quod eamdem gratiam conſequuntur intrantes Religionem, quam conſequuntur baptizati.*

Secundus, aliique profeſſionis effectus recenſentur. II. Secundus effectus eſt tollere irregularitatem ex defectu natalium, quoad ſuſcipiendos Sacros Ordines, non tamen quoad Prælaturas: ex cap. 1. de filiis presbyter. Poſſunt tamen etiam in ordine ad Prælaturas diſpenſari a propriis Superioribus, ut docet Sanchez lib. 4. Sum. c. 5. num. 16., & de Matrim. lib. 7. diſp. 86. num. 16. Tertius effectus eſt abolere ingratitudinem filii erga Patrem, ita ut non poſſit amplius exhæredari; ex capite *Finali* 19. q. 4. Quartus eſt dirimere matrimonium ratum, & non conſummatum, ut late oſtendimus in tract. 14. cap. 7. §. 10. Quintus eſt commutare omnia vota in ſæculo facta in ipſam Profeſſionem: ita S. Th. 2. 2. qu. 88. art. 12.

Digitized by Google

38. art. 12. ad 1. *Omnia alia vota ſunt quorumdem particularium operum, ſed per religionem homo totam vitam ſuam deputat Dei obſequio: particulare autem in univerſali includitur, & ideo Decretalis dicit: quod reus voti fracti non habetur, qui temporale obſequium in perpetuam Religionis obſervantiam commutat. Nec tamen Religionem ingrediens, tenetur implere vota jejuniorum, vel orationum, vel aliorum hujuſmodi, quæ exiſtens in ſæculo fecit; quia religionem ingrediens moritur priori vitæ, & etiam ſingulares obſervantiæ Religioni non competunt: & Religionis onus ſatis hominem onerat, ut alia ſuperaddere non oporteat.* Et hoc verum eſt, etiamſi profitens expreſſe non intenderet facere talem commutationem; eo quia hæc commutatio non pendeat ex profitentis voluntate, ſed ex jure naturali, & Eccleſiaſtico, ut notant Sylveſter verbo Votum cap. 4. q. 7. n. 3., Lezana t. 1. c. 3. n. 7., & alii poſt ipſos. Et hæc intelligenda ſunt tam de votis perſonalibus, quam realibus, ut notaverunt Sylveſter loc. cit. n. 4., & Cajetanus tom. 2. opuſc. tract. 11. q. 3. verſus finem: & alii. Idemque dicendum eſt de juramentis perſonalibus, & realibus ſoli Deo nuncupatis, quæ accenſentur votis: ſi autem juramentum factum fuiſſet homini, & ab eo acceptatum, tunc fides ipſi data, ſervanda eſſet; quia promiſſarius ille, jus ad rem promiſſam acquiſiviſſet, quo, ſine ſua libera ceſſione, privari non poteſt: ita quoque profeſſus non abſolveretur, ſi eſſet hæres defuncti habentis vota realia, quæ eſſent implenda ab hæredibus ipſius profeſſi; eſt enim obligatio conjuncta hæreditati. At ſciſcitaberis: gaudebit ne dicta commutatione Religioſus, qui nec jejunia, nec reliquas Ordinis auſteritates plerumque obſervat? Proponis dubium, quod apud neminem legi: idcirco meticuloſe reſpondeo ex regula generali de commutatione votorum; quod quemadmodum qui deficit notabiliter in obſervanda re, vel actione, in quam commutatum fuit votum, reus eſt ſacrilegæ omiſſionis; ita in præſenti: in eo enim præcipue fundatur ratio S. Thom. nec debet ſibi blandiri quod tria vota obſervet; quia commutatio non fuit facta in ſola vota ſolemnia, ſed magna ex parte in auſteritates cæteras, quibus unaquæque Religio plus minuſve abundat.

Alter poſtre-

III. Sextus demum effectus profeſſionis eſt fundatus in contractu inter Religionem & Profeſſum, quo contractu illa ſe obſtringit ad conſulendum Religioſo, tam benevalenti, quam ægroto, tam viventi, quam defuncto, de omnibus neceſſariis ad victum, veſtitum, educationem tam ſpiritualem quam intellectualem, nec non ad quæcumque alia ſubſidia, & ſuffragia, juxta Regulam & Conſtitutiones Ordinis: unde & ipſe viciſſim ſe obſtringit ad ipſi Religioni inſerviendum, tam in miniſteriis divini cultus, quam quoad reliqua omnia, quæ ipſi a Superioribus injungentur, juxta regulam; ita ut teneatur ſe idoneum reddere, ſtudio, & labore, ad munera ſibi imponenda juxta ſui Ordinis ſcopum, eademque obeunda: & quia hujuſmodi contractus eſt eorum, qui in utilitatem utriuſque contrahentis redundant; idcirco reus erit culpæ lethalis, ſi in materia gravi committat culpam levem juridicam, ideſt ſi omittat eam curam & diligentiam, quæ a diligentioribus impendi ſolet; juxta dicta in tract. 10. cap. 1. §. 5. Peccabit itaque mortaliter Religioſus, qui ita negligat dare operam (puta in religione noſtra) ſtudiis Philoſophiæ, Theologiæ, aliiſque ſacris, quibus ſe idoneum reddat inſerviendæ Religioni in Scholis, in Confeſſionali, in Pulpitis, in chorali cantu, ſi neceſſarium laborem omittat, ſedulamque diligentiam non impendat, ut ad hæc, aliaque obeunda munera aptus fiat. Neque cor ſuum ſeducere debet, quod ipſi ſufficiat in aliquo duntaxat officio Religioni inſervire; minime gentium; ad omnia, ſi poſſit, aptum ſe reddere debet ex ſtricta & rigoroſa juſtitia: non enim fuit ad Religionem admiſſus, neque ab eadem conductus, ut tali, aut tali miniſterio duntaxat eidem inſerviat; ſed ad omnia obeunda, quatenus caſus occurret, ipſique religioni opus fuerit; quandoquidem ipſa ſubminiſtret media requiſita, quibus, ſi velit, poſſit ad omnia Inſtituti munera ſe coaptare, ad quod, iterum dico, tenetur eam ſedulitatem præſtare, quam non ſolum diligentes, ſed, ita exigente natura hujus contractus, diligentiores impendere debent. Heu! quot Religioſi, vereor, plura mortalia quoad hoc caput contra ſe opponi experientur in Chriſti Judicio, quorum nullam, vel modicam rationem habuerunt; & quidem inexcuſabiliter; quia hæc ſcire tenentur, utpote eorum ſtatui intrinſeca & eſſentialia; qui alioquin tempus triverunt in ludis, ſola-

mus profeſſionis effectus valde notandus.

tiis

Digitized by Google

tiis, nugis, itineribus, aut ſtudiis a ſua vocatione extraneis; loco illud impediendi ad ſe habiles efficiendos inſerviendo Deo, & Religioni, juxta ſpiritum ſuæ vocationis, ſuique Inſtituti.

Ante Auctorem noſtrum duo alii ex eodem Ordine inſignes Theologi hac ipſa de re egerunt. Et quidem Bannez 2. 2. *quæſt.* 33. *art.* 13. *dub.* 3. hæc inter cætera tradidit: *Prima concluſio. Prælati in Ordinibus Mendicantium, potiſſime in Ordine Prædicatorum, tenentur ſub præcepto habere ſpecialem curam, ut Religioſi ſe exerceant in his operibus miſericordiæ ſpiritualibus, in doctrina, prædicatione, confeſſione, & conſiliis ſpiritualibus .... Tertia concluſio. Religioſus tenetur ex officio, & profeſſione ſua diſponere ſe, ut ſit idoneus ad exercenda potiſſima ſui Ordinis munia ſub peccato mortali.* Quibus relatis, ſic, ſubdit P. Daniel Concina in *Diſciplina Apoſtolico Monaſtica p.* 2. *diſſert.* 2. *c.* 10. *num.* 3.: „ Si graviter peccant, qui idoneos ſe reddere non ſatagunt ad ſuæ profeſſionis penſum perſolvendum: quodnam crimen perpetrabunt illi, qui reipſa idonei cum ſint, prudentia, & doctrina ornati, quævis tamen alia peragere malunt, quam Ordinis ſui munera obire? Nec quidquam illis ſuffragatur inanis illa excuſatio, qua ſe palpantes ajunt, quibuſdam ſtudiis vacare relaxandi animi cauſa, & aliquid ſolatii capiendi; quoniam id obtrudere poſſent, ſi in Concionibus, aut Confeſſionibus, vel ſacris litteris meliores horas inſumerent: at cum toto fere tempore intendant fabulis, & genealogiis interminatis, quæ quæſtiones præſtant magis, quam ædificationem Dei, a gravi culpa excuſari non poſſunt. "
Hæc illi; & quidem, ut videtur, jure, meritoque, ac vere. Ajebat vero Bannez, Religioſum ſub mortali peccato teneri ſe idoneum reddere ad potiſſima (non vero ad omnia) ſui Ordinis munia; ſicut & P. Concina reprobat eos, qui ſtudiis minus utilibus vacant, ſi in concionibus, aut (nota disjunctionem) confeſſionibus, vel ſacris litteris non vacent potiori tempore. Itaque ſi quis ſerio uni, alterique ex muneribus ſui Ordinis ſeſe idoneum reddere curaret, in iiſque idoneus effectus ſeſe ſedulo exerceret, non videretur damnandus, quod non omnibus omnino animum adjiceret: eoque vel magis quod nimis implicitus curis minus recte ſingula forte præſtaret vero diligentius, majorique ſui, atque aliorum profectu nonnulla, ſi iis ſolummodo intenderet.

§. III. *De Reclamatione ad reſcindendam Profeſſionem.*

I. *Quicumque Regularis prætendat, ſe per vim aut metum ingreſſum eſſe Religionem, aut etiam dicat, ante ætatem debitam profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile, velitque habitum dimittere quacumque de cauſa, aut etiam cum habitu diſcedere ſine licentia Superiorum; non audiatur, niſi intra quinquennium tantum, a die profeſſionis; & tunc non aliter, niſi cauſas quas prætenderit, deduxerit coram Superiore ſuo, & Ordinario. Quod ſi antea habitum ſponte dimiſerit, nullatenus ad allegandam quamcumque cauſam admittatur, ſed ad monaſterium redire cogatur, & tamquam apoſtata puniatur: interim vero nullo privilegio ſuæ Religionis juvetur.* Hæc Tridentina Synodus ſeſſ. 25. cap. 19. de Regul. Lex Tridentina circa hoc.

II. Ex hac lege habes, tres conditiones, ad hanc reclamationem, requiſitas: prima, ne reclamans, ante reclamationem, vel pendente cauſa, habitum deponat, vel ſine debita licentia fugiat: ſecunda, ut cauſam inſtituat coram ſuo Superiore & Ordinario, a quibus ſententiam expectet: tertia, ut cauſa inſtituatur ante quinquennium expletum a die profeſſionis; quo expleto, clauditur aditus ad reclamandum: eo quod præſumatur profeſſio valida, aut ratificata. Propterea illicite mortaliter reclamat, qui vere in conſcientia eſt profeſſus, vel ante quinquennium profeſſionem ratificavit: immo neque dubius tantum de validitate poteſt licite reclamare; quia poſſidet Religio ſibi ſubditum; neque in dubio poteſt illam hoc jure expoliare; in dubio enim non datur locus compenſationi, ut dicitur, in materia juſtitiæ; & cum profeſſionem emiſerit, in dubio præſumendum eſt, illam, ſicut oportet, emiſſe. Secus autem dicendum eſſet, ſi longe probabilius appareat, nullam fuiſſe. Similiter reclamare non poteſt, qui ficto animo tacite profeſſus fuit, niſi habeat teſtes, coram quibus ſignificaverit, ſe illas actiones profeſſorum facere ſine animo tacite profitendi; iis enim teſtibus deficientibus in propria cauſa nemini creditur in foro externo, quamvis juramentum proferat: & præcipue ſi geſta ſint contraria; unde præſumitur Conditiones ad reclamandum requiſitæ.

Digitized by Google

ſumitur valide factum: ex capite *vidua*, quæſt. 1. ca. 2. de Regul. At ſi expreſſe profeſſus fuerit, aut expreſſe ratificaverit, quanquam coram teſtibus proteſtetur ſe ficte profiteri, nil juvat hæc proteſtatio, ſaltem pro foro externo; quia faciens actum contrarium, videtur deludere proteſtationem: tum etiam quia, cum contractus ſit pendens a voluntate duorum, non valet proteſtatio ignota alteri contrahentium; ut ex variis Juribus bene docent Navarrus Comment. 3. de Regul. num. 14. & alii. Vide in fine hujus §. Conſtitutionem Benedicti XIV.

Quid ei dandum, durante cauſa, eaque finita?

III. Quamvis autem reclamans, a Religione ali debeat, quouſque cauſa finiatur, expenſæ tamen pro ſententia ad ipſum ſpectant, cum ſit actor pro ſua utilitate. Completa cauſa in ſui favorem, debet eidem Religio reſtituere quæ ipſi fuerunt relicta a conſanguineis, aut amicis, vel ex hæreditate, aut legato, aut donatione, aut renunciatione, aut alio titulo; quia cenſentur eidem data ratione potius cognationis, amicitiæ &c. quam Religionis, & præſuppoſita validitate profeſſionis. Non tamen tenetur Religio eidem reddere lucra, quæ titulo Religionis acquiſivit; puta legendo, concionando, confeſſiones audiendo &c.; quia, ut patet, adveniunt ipſi titulo religioſo; ſicut enim æquitas poſtulat, ut quæ præſumuntur ei obvenire ratione ſanguinis, eidem reddantur; ita eadem æquitas poſtulabit, ut quæ præſumuntur dari ceu munera religioſa, religioni acquirantur.

Caſus emergens reſolvitur.

IV. Quando jam conſtat, aliquem profeſſionem irritam emiſiſſe, poteſt Religio illum compellere intra quinquennium ad reclamandum; & ſi nolit, poteſt illum ejicere, dummodo non ex defectu ſolius conſenſus; (de quo inferius n. 6.) quia aliter lex in favorem Religionis, redundaret in ejus perniciem, ſi teneretur alere hominem non profeſſum, cum periculo ut deſeratur ab ipſo. Non tamen poteſt eum compellere, ut ratificet profeſſionem ante quinquennium, eo quod profeſſio debeat eſſe omnino voluntaria, & libera: poteſt itaque hunc nolentem ejicere, ut docent Barboſa in Collect. Concil. cap. 9. num. 6., Lezana tom. 1. c. 2. n. 7. & alii apud ipſos.

Caſus alter arduus.

V. Acriter diſcutitur inter Doctores, an certo ſciens, ſe non eſſe profeſſum, poſſit vel ante, vel poſt quinquennium ſe a Religione ſubducere, & matrimonium inire? Reſpondeo primum ex communi, quod ſi poſſit de facili reclamare, & probare nullam fuiſſe profeſſionem a ſe emiſſam, neque ad id agendum impediatur, peccet mortaliter fugiendo, & pœnis fugitivorum, vel apoſtatarum reſpective ſubjaceat; quia in foro Eccleſiæ habetur ut religioſus; & alioquin fugæ arripiendæ nullum habet juſtum motivum. Reſpondeo ſecundo ex communi, talem hominem teneri ad unum ex tribus, nempe aut reclamare, aut ratificare profeſſionem, aut ſe ſubducere, ſi abſque ſcandalo fieri poſſit; aliter injuſte recipiet alimenta, nec poteſt, ſe actibus profeſſorum ingerere, nec Ordines ſuſcipere; quos ſi ſuſcipiat, remanet ab eis ſuſpenſus, utpote ordinatus ſine titulo Religionis, cujus non eſt membrum. Si autem nec poſſit de facili reclamare, nec congruas rationes afferre ad probandum nullam fuiſſe profeſſionem a ſe emiſſam, neque abſque ſcandalo fugere: Reſpondeo tertio, poſſe alimenta percipere, compenſando tamen pro ipſis, labores impendendo in ſervitium Religionis eo modo quo poteſt: item Ordines ſuſcipere, ſi abſque gravi ſcandalo ab eis ſuſcipiendis abſtinere non poſſit; quamvis enim non habeat titulum, cum non ſit religioſus; lex tamen Eccleſiæ non videtur obligare, quando abſque gravi infamia, aut ſcandalo impleri non poteſt. Quid igitur dicendum circa fugam, quando vel non poteſt reclamare, eo quod prudenter timeat, ſe impeditum iri, aut graviter vexari; vel non poteſt rationes afferre, utpote impedimentum difficillimæ probationis, ſive reſpectu teſtium, nolentium deponere veritatem, ſive quia, cum reclamaverit, contrariam paſſus fuit ſententiam; & alioquin non habet vocationem ad ſtatum Religioſum: poterit ne tunc licite fugere, matrimonium inire? an vero tenebitur profeſſionem ratificare?

Reſolvitur.

VI. Plures dicunt cum Navarro loco cit. num. 27., Suarez tom. 3. de Relig. lib. 7. capitulo 3. num. 9. & ſeq. Barboſa 3. p. de pot. Epiſc. allegat. 10. n. 12. non teneri ratificare profeſſionem; neque poſſe ad id a Religione compelli; eo quod non habeat vocationem; & religioſus ſtatus ſit omnino ſponte, & libere aſſumendus; ac proinde poſſe fugere, matrimonium inire &c., Ut autem ſcandalum meliori modo tollatur, folium relinquat, in quo cum juramento declara-

retur

retur nullitas profeſſionis; & impotentia reclamandi. Plures cum Lezana tom. 1. cap. 2. num. 7., & t. 4. verbo Profeſſio num. 24. dicunt, quod ſi impedimentum oriatur ex defectu conſenſus, teneatur ratificare profeſſionem; quemadmodum, qui matrimonium contrahens, fictum dedit conſenſum, tenetur novum præſtare, ne deludat alteram partem in re gravi, quemadmodum in caſu noſtro deluſit Religionem, quæ ſuum conſenſum dedit: & proinde hic licite reclamare non poteſt neque infra quinquennium, neque poſt: & ſi exeat religione ſine licentia, redire tenetur, immo ad redeundum compelli poſſit. Profecto nimis dura videtur hæc ſententia, ut quis ſtatum vitæ perpetuum aſſumat, ad quem non eſt vocatus, immo cui obnititur, & repugnat. Argumentum autem a matrimonio petitum valde latam habet diſparitatem, ob incommoda graviſſima alteri conjugi reſultantia, niſi ratificetur aſſenſus; a quibus incommodis vacat Religio; quid enim ſua intereſt, ſi uno alumno careat, a quo nonniſi coactum ſervitium expectare poteſt, & forte plures vexationes?

Notanda circa primam conditionem a Tridentino poſitam.

VII. Circa primam conditionem, ad reclamandum a Tridentino requiſitam, nempe ne reclamans habitum dimittat; notandum, quod loquatur de dimiſſione habitus temeraria; ſi enim eſſet neceſſaria, puta, quia aliter ad reclamandum pergere non poſſet, aut impediretur a proſequenda cauſa, niſi, dimiſſo habitu fugiat ad judicem, vel ob quidpiam ſimile, non amitteret jus, ut poſſit audiri, ut dicunt auctores; addentes etiam, quod quamvis temere dimitteret habitum, & deinde illum reaſſumeret, adhuc poſſet audiri, quia reditus cum habitu ad monaſterium, reſtituit Religioni ſuimet poſſeſſionem: ita Lezana loc. cit. & Bonacina de Clauſ. quæſt. 1. punct. 1. difficul. 3., & alii.

Notanda circa ſecundam.

VIII. Secunda conditio præſcribit, ut cauſa agatur coram Superiore, & Ordinario. Ordinarii nomine ſignificatur Epiſcopus, vel ejus Vicarius, vel Proviſor Sedis vacantis, vel alius Superior Eccleſiaſticus regens locum, ubi eſt monaſterium, in quo reclamans profeſſionem emiſit. Superioris vero Regularis nomine ille denotatur, qui in eo conventu, profeſſionem acceptavit, vel ejus Succeſſor. Circa hoc tamen ſtandum eſt conſtitutionibus Religionum, ſi, quoad Superiorem, in aliquo differant; dummodo aliquis Superior regularis cauſam audiat.

Notanda circa tertiam.

IX. Tertia conditio circa quinquennium, fundatur in præſumptione, quod eo tractu temporis revalidata fuerit profeſſio, etiamſi a principio fuerit nulla: quod ſi neque eo tractu temporis ullo modo ratificata fuerit, neque illam ratificare velit homo ille, nunquam fieri poterit, quod ſit Religioſus, nec Religio in illum ullum jus acquirat. Proinde nota primo, quod ſi cauſa reclamationis inchoetur ante expletum quinquennium, legitime durat, quouſque compleatur, etiam poſt quinquennium; ex communi, in c. *relatum* & in c. *gratum* de Offic. Legati. Nota ſecundo, quod ſi toto quinquennio quis impeditus fuerit reclamare, & probetur, hoc impedimentum toto eo tempore perduraſſe, neque ullo modo profeſſionem ratificaſſe; etiam poſt quinquennium poteſt cauſam reclamationis inſtituere, cum ceſſet præſumptio ratificationis, ut docent Garzia tr. 3. diſp. 4. dub. 3., num. 24., Suarez loc. cit. c. 4. n. 6. & alii. Addunt caute & ſapienter, quod cum impotentia reclamandi difficile poſſit efficaciter probari, ſufficiet eam probare qualicumque ratione probabili, ut conſequatur beneficium reſtitutionis in integrum; qua via reſtitutionis in integrum duntaxat agere poterit, qui ignorantiam, quod profeſſio fuerit nulla, allegaverit, eo quod contra præſumptionem juris, allegans ignorantiam, non auditur via ordinaria: in caſu autem jus præſumit, quod poſt quinquennium ſciverit, nullam fuiſſe profeſſionem, eamdemque ratificarit; ac proinde, quod via reſtitutionis in integrum poſſit audiri, quæ eſt via extraordinaria.

Quando incipit quinquennium pro ignorante vel impedito?

X. Probabilius videtur pro tali ignorante, aut impedito quinquennium eſſe computandum a die ſublati impedimenti ad profeſſionem faciendam, vel ad reclamandum, vel depulſionis ignorantiæ, quod illa fuerit nulla: ita Miranda 1. 1. quæſt. 22. art. 3., & Suarez loc. cit. num. 4. & alii. Quia hoc quinquennium, poſt quod clauditur aditus reclamandi, præſcribitur propter præſumptionem profeſſionis eo temporis tractu ratificatæ; atqui quando durat impedimentum illius, nempe vel ætas immatura, vel ſubſiſtunt cauſæ metus illam nullam reddentis, vel etiam, eo ceſſante, ſubſiſtit ignorantia quod nulla fuerit, aut etiam, ceſſante hac ignorantia, non ceſſat impotentia mora-

lis

Digitized by Google

lis ad reclamandum, profeſſio invalida vel non poteſt convalidari, vel non poteſt contra ipſam reclamari; igitur præſcriptio quinquennii, fundata in illa præſumptione, non currit eo tempore quo perſiſtit impedimentum: incipiet ergo quinquennium vel a die notitiæ quod nulla fuerit profeſſio, vel a die qua potuit ratificari; & in hoc ſtatu duraverit per quinquennium.

XI. Qui, tranſacto quinquennio, vult reclamare, afferens pro motivo, aut quod ignoravit ſibi conceſſum quinquennium ad reclamandum, vel eo tempore fuiſſe impeditum a reclamando propter infirmitatem, & alterum horum probare poteſt; hujuſmodi reclamans eſt admittendus; eo quod non habeatur præſumpta ratificatio profeſſionis, quam adeſſe putat Concilium: eapropter petere poterit via extraordinaria reſtitutionem in integrum. Ita Suarez loc. cit. num. 6., Azorius tom. 1. l. 12. c. 1. quæſt. 10. Lezana & plures alii. Ut autem audiri poſſit, monent aliqui, quos inter Lezana t. 1. c. 2. num. 7. teſtis oculatus, qui Romæ ſcribebat anno 1644. quod debet impetrare reſcriptum a Pontifice, vel a Sacr. Congregat. coram qua allegaverit motiva, cur intra quinquennium non reclamaverit, ut deinde ab Epiſcopo, & Superiore audiri poſſit, & ſuam cauſam agere; quod eſt reapſe petere reſtitutionem in integrum, ſine quo reſcripto nequit ab Epiſcopo, & Superiore audiri. Qui plurima alia ad ſtatum Religioſum aliquo modo pertinentia deſiderat, legat laudatos Doctores, & inter alios noſtrum Hyacinthum Donatum Laynenſem, qui inter recentiores in pluribus tomis de omnibus difficultatibus ad Religioſum ſtatum ſpectantibus perdocte diſſerit.

S. P. Benedictus XIV. die 4. *Martii* 1748. Conſtitutionem dedit incipientem: *Si datam hominibus*, in qua præſcribit ordinem ſervandum in cauſſis ſuper nullitatem Profeſſionis Regularis. Ita ad epitomen eam redegit Petrus Colet *in Calce Tom.* 5. *Inſtitutionum Theologic. p.* 933. *Edit. Venetæ* 1757.

Volens Summus Pontifex certam normam, ac methodum tradere obſervandam a judicibus Eccleſiaſticis in cognitione cauſarum ſuper nullitate Profeſſionis in aliquo Ordine a Sede Apoſtolica approbato factæ; diſtinguit initio ſtatim Regulares illos, qui intra quinquennium a die factæ profeſſionis de illius nullitate actionem promovent, & illos, qui poſt elapſum quinquennium, reclamant. Primo loco de prioribus agit. Ad eos igitur, quod attinet, in medium affert celebre Decretum Conc. Trid. ſeſſ. 25. de Regul. cap. 19. cujus hæc ſunt verba: „ Quicumque „ Regularis prætendat ſe per vim, & „ metum ingreſſum eſſe Religionem, aut „ etiam dicat ante ætatem debitam pro„ feſſum fuiſſe, aut quid ſimile, velit„ que habitum dimittere quacumque de „ cauſſa, aut etiam cum habitu diſcede„ re ſine licentia Superiorum; non au„ diatur niſi intra quinquennium tantum „ a die Profeſſionis, & tunc non aliter, „ niſi cauſsas, quas prætenderit, dedu„ xerit coram Superiore ſuo, & Ordina„ rio. „ Hoc autem Decreto, licet ſoli viri Regulares expreſſe nominentur, etiam fœminas Religionem profeſſas comprehendi aſſerit. Affert deinde varias declarationes, & Decreta edita a S. Congregatione ejuſdem Concilii ad varia dubia, variis in caſibus orta, diſſolvenda.

Primum Decretum, ſeu declaratio ejuſdem Congregationis hic allata eſt: cauſſas ſuper nullitate Profeſſionis cognoſcendas eſse & a Superiore Regulari, & ab Ordinario loci ſimul, ſive a Regulari profeſso, ſive a Religione ipſa intra quinquennium deductæ ſint.

Secundum, tempus quinquennii ad reclamandum a die Profeſſionis computandum eſse etiam tunc, quum cauſsa, quæ pro nullitate Profeſſionis adducitur, conſiſtit in metu, qui per totum quinquennium, vel etiam ulterius perſeveraverit.

Tertium, cauſsam agendam eſse coram Judicibus a Concilio memoratis, etiam poſt elapſum quinquennium, dummodo ſatis conſtet, eam ſerio intentatam fuiſse a reclamante intra quinquennium.

Quartum, nomine Superioris Regularis, coram quo, ex Decreto Concilii hujuſmodi cauſsæ proponi, & agitari debent, intelligi Superiorem localem, nimirum Abbatem, vel Guardianum, ſive Priorem, aut alium quocumque nomine nuncupatum Præpoſitum, ſeu Rectorem illius Monaſterii, aut Cœnobii, in quo reclamans Profeſſionem emiſit; eum nempe, qui hujuſmodi Monaſterii, aut Cœnobii regimen exercet, quo tempore cauſſa in judicium deducitur. Quoad Moniales

les

les vero, ſi Ordinario loci immediate ſubjectæ ſint, quum nullus ſit earum Superior Regularis, ſolum Ordinarium loci judicare de Profeſſione reclamantium intra quinquennium: ſi vero Regularium regimini ſubſint, tunc hujuſmodi illarum cauſsas judicandas eſse ab Ordinario loci ſimul, & a Superiore Regulari, cui concreditum eſt univerſum Monaſterii regimen, non autem a Confeſsario Regulari earumdem Monialium.

Quintum, Superiorem Regularem non poſse hoc ſuum jus cedere Ordinario loci, eique permittere, ut in hujuſmodi cauſſis ſolus procedat; poſse tamen, ſi judicium aſsumere nolit, aut nequeat, alium ſubrogare vel Regularem, vel etiam Eccleſiaſticum ſæcularem juris Canonici peritum, qui una cum Ordinario Judicis partes exerceat.

Sextum, ſi forte Ordinarii, & Superioris Regularis judicia inter ſe diſcrepantia extiterint, cauſsam ad Apoſtolicæ Sedis judicium devolutam cenſeri.

Septimum, Decretum de Conſilio ejuſdem Congregationis ab Urbano VIII. editum die 5. Januarii 1636. incipiens *Ad occurrendum*, eſt: ſi quis Profeſſionem emiſerit in Cœnobio ad Novitiorum inſtitutionem minime deſtinato, in iis tamen locis, in quibus Clemens VIII. Decreta de Regularibus a ſe edita vim habere mandavit, & ex hoc capite Profeſſionem a ſe factam intra quinquennium impugnare voluerit, aut etiam ſi Religio intra idem quinquennium poſtulaverit alicujus Profeſſionem ex hujuſmodi capite irritam declarari, cauſsas hujuſmodi ad eamdem Congregationem privative pertinere. His allatis Decretis, declarat Summus Pontifex, ſe eadem novo approbationis, & confirmationis apoſtolicæ robore communire, & decernere ab omnibus in poſterum pro regula habenda, & plenariæ executioni demandanda eſse.

Quod ad cauſsarum hujuſmodi introductionem attinet, refert Decretum Conc. Trid. cit. ſeſs. 25. c. 19. ex quo ſequi dicit, Regularem poſtulantem judicium fieri de ſuæ Profesſionis nullitate, ab ipſo judicii limine repelli, niſi conſtet eum in Religionis ſuæ clauſtris morari, & habitum Regularem reſumpſiſse, ſi ipſum antea depoſuerit.

Quod vero ſpectat ad probationes, prohibet, ne ulterius in re tanti momenti judicia fundentur in extrajudicialibus, atque atteſtationibus, quantumvis juramento firmatis, quæ ad *perpetuum* dicuntur, volens, ac diſtricte mandans, ut ad aſtruendas probationes in hujuſmodi cauſſis neceſſarias verus, & judicialis proceſſus omnino conficiatur, in quo & articuli exhibeantur ex parte illius, qui adverſus Profeſſionem agit, & interrogatoria dentur ab ea parte, quæ ſtat pro ipſius Profeſſionis validitate, & teſtes tam ſuper articulis, quam juxta hujuſmodi interrogatoria examinentur, utque hac forma non ſervata Proceſſus ipſe, & ſententia dependenter ab eo prolata inſanabili nullitatis vitio corruere cenſeatur; ſalva etiam juris communis diſpoſitione, quoad alia nullitatis capita, ſi quæ forte in ipſa proceſſus compilatione intervenerint.

Præterea ſub eadem nullitatis pœna decernit, ut in hoc judicio citari, & audiri debeant tum defenſores Monaſterii, ſeu Cœnobii, in quo Profeſſus vota Religioſa ſuſcepit, tum ipſius Profeſſi conſanguinei, ſive propinqui, ſive alii, quibus ſua bona donavit, aut ceſſit: uno verbo omnes, quorum intereſt illius Profeſſionem ſuſtineri; in primis vero, ut citentur ii (ſi ſuperſtites fuerint) qui judicati fuerint tanquam auctores, aut complices metus eidem incuſſi, ut votis invitus ſe obſtringeret.

Decernit inſuper, & committit omnibus locorum Ordinariis, ut perſonam, quæ ſit de Eccleſiaſtico cętu, ſi fieri poteſt, probitate, & Doctrina præditam in ſuis Diœceſibus eligant, cui defenſoris Profeſſionum munus imponant, & cui omnia demandata, injuncta, & reſpective applicata eſſe cenſeantur, quæcumque in Conſtitutione, quæ incipit; *Dei miſeratione*, de Matrimonii defenſore decrevit: id ſolum peculiariter hic ſtatuens pro defenſore Profeſſionis, ut ſcilicet quidquid pro ipſius honorario; aut mercede, ſive pro expenſis in defenſione Cauſſæ occurrentibus eidem præſtandum eſſe judex prudenter arbitratus fuerit, id omne ab illis exſolvi debeat, quibus a Profeſſo renunciata fuerint bona in Religionis ingreſſu dimiſſa; ſi vero hi non exiſtant, aut ſi Profeſſus nihil renunciandum habuerit, ipſa Religio, ſi temporalia bona poſſideat, ad hujuſmodi ſolutionem teneatur. Quod ſi nec adſint bona renuntiata, nec Ordo Regularis, de quo agitur, quidquam poſſideat, tunc defenſori Profeſſionis ſatisfiat ex pecuniis mul-

ctarum

Digitized by Google

ctarum illius Tribunalis, in quo cauſſa agitata fuerit, ſive alterius, prout in citata Conſtitutione de matrimonii defenſore.

Lata demum ſententia a Superiore Regulari, & Ordinario loci, ſi ea pro validitate Profeſſionis pronunciata fuerit, & Profeſſus appellationem non interponat, vult, & declarat, dubitandum non eſſe cauſſam finitam eſſe. Si vero Profeſſus ad judicem ſecundæ inſtantiæ appellaverit, vel etiam ulterius eadem cauſſa retractanda fuerit, vult, ut in omnibus hiſce judiciis ſimiliter defenſor Profeſſionis ex officio deputatus interveniat eodem prorſus modo, quo in citata Conſtitutione decrevit, defenſorem matrimonii in ſecunda, & ulteriori inſtantia adeſſe debere judicio. Vult præterea, ut idem defenſor a ſententia in prima inſtantia lata pro nullitate Profeſſionis appellare omnino debeat; atque in ſecunda, ſeu in ulteriori hujuſmodi cauſſarum reviſione, eadem omnia vult obſervari, quæ pro cauſſis matrimonialibus in forma ulteriorum inſtantiarum quoad defenſorem obſervanda præſcripſit in citata Conſtitutione.

Si quis autem in Ordine Regulari Profeſſus poſt unicam ſententiam pro nullitate Profeſſionis latam, ſive pendente, ſive culpabiliter omiſſa appellatione, e Clauſtris exire, a Religione diſcedere, quodque magis eſt, habitum Regularem abjicere præſumpſerit, vult, atque ſtatuit, eum omnibus pœnis, atque cenſuris a S. Canonibus, & Apoſtolicis Conſtitutionibus contra Apoſtatas latis, atque ſancitis ſubjacere, & obnoxium eſſe: decernens liberum Profeſſo non eſſe in hujuſmodi cauſſis a Religione migrare, niſi duas ſaltem obtinuerit ſententias conformes, quibus ab eo emiſſa Profeſſio irrita, ac nulla declarata fuerit.

Jam vero judices primæ inſtantiæ in his cauſſis de Profeſſionibus, quæ intra quinquennium judicialiter impugnantur, eſſe debere Superiorem Regularem ſimul, & Ordinarium loci, ſatis conſtat ex ſupra dictis, quod ſi eædem cauſæ in ſecunda, aut ulteriori inſtantia ſint diſcutiendæ, ſtatuit Summus Pontifex inhærens antiquis quibuſdam Congregationis Concilii Decretis, quæ hic approbat, & confirmat, ſtatuit, inquam, ut ad eos judices devolvantur, ad quos de jure omnes aliæ cauſſæ Eccleſiaſticæ poſt ſententiam Ordinarii in gradu appellationis reſpective devolvuntur; ita tamen, ut hi quoque judices procedere in cauſſa debeant, & judicare una cum Superiore Regulari non quidem illius Monaſterii, in quo reclamans profeſſus eſt, ſed alterius Monaſterii ejuſdem Ordinis in eorum Civitate, aut Diœceſi exiſtentis, vel eo non extante, cum Superiore viciinoris Monaſterii ejuſdem pariter Ordinis, ſeu cum alia perſona Eccleſiaſtica, cui Superior ille, ad quem pertinet ſecundum ſuperius tradita, ſuas vices hac in re delegaverit. Si autem hujuſmodi cauſæ in ſecunda, aut ulteriori inſtantia ad Sedem Apoſtolicam devolvantur, & a Congregatione Concilii, vel a Congregatione ſuper conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium, aut denique ab Auditore Rotæ diſcutiendæ ſint, nullum tunc eſſe locum ad judicandum Superiori Regulari; imo neque tunc admittendum eſſe Superiorem Regularem ad ſententiam ferendam, cum ab eadem Congregatione Concilii, ſecundum ſupra allatum Urbani Decretum, examinanda fuerit etiam intra quinquennium validitas Profeſſionis ex eo capite, quod facta fuiſſe aſſeratur in Monaſterio, aut cœnobio Religionis Tyronibus inſtituendis minime addicto.

Hæc ſtatuenda eſſe cenſuit Summus Pontifex circa judicia ſuper nullitate Profeſſionis introducta intra quinquennium a die ipſius Profeſſionis emiſſæ; quæ omnia in hujuſmodi judiciis obſervanda eſſe declarat etiam in Curia Vicarii Pontificii in ſpiritualibus Generalis in urbe, ejuſque diſtrictu, quoties cauſſas hujuſmodi intra idem quinquennium in ipſius Tribunali ordinario judicandas eſſe contigerit. Deinde præſcribit ſervanda in cauſſis ejuſdem generis, quæ poſt elapſum quinquennium in judicium adducuntur.

Hac itaque ſuper re commemorat, ac refert primo, quod licet Synodus Trid. poſt quinquennium ab emiſſa Profeſſione omnem aditum interclusum eſſe voluerit Profeſſis ad reclamandum; progreſsu tamen temporis gravibus de cauſſis inductum fuerit, ut admitterentur inſtantiæ *pro reſtitutione in integrum adverſus lapſum quinquennii*. De his autem inſtantiis judicium facere, ſemper ad Apoſtolicam Sedem *privative* pertinuiſse, advertit, ſive ex parte Profeſſi, ſive ex parte Religionis proponeretur, & licet reclamatio ob impedimentum per totum quinquennium perſeverans dilata fuiſſe diceretur: idque ob eam cauſſam; quia remedium reſtitutionis in integrum *extraordinarium* in jure vocatur, cujus concedendi facultas Judicibus inferioribus competere nequit, non obſtante quacumque con-

Digitized by Google

reclamantibus adverſus Profeſſionem, Superiores ipſi ſe contradictores non exhibeant, aut etiam aperte ſuffragentur, ex falſa nimirum opinione, quod Religioſorum virorum Societate indignus cenſendus ſit, qui ab ea diſcedere exoptat, quodque ex inutili Monacho utilis fortaſse Clericus Sæcularis exiſtere poſſit.

Ad prædictum finem præterea quam maxime profuturum aſserit, ſi Eccleſiaſtici Præſules, & Judices debitas Officii ſui partes explere non prætermittent. Ideoque iis omnibus denunciat, ac diſtricte præcipit, ut in cunctis, quæ ad eorum Officia pertinent, nuſquam a juſtitiæ tramite, & a præſcriptis ſibi legibus diſcedant.

Atque his huic noſtræ Complexioni accuratæ finem imponimus: cuncta hactenus ſcripta, nedum Judicio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Veritatis Columnæ, verum etiam correctioni cujuſcunque Sapientioris libentiſſime ſubjiciendo.

Pari reverentia, ſubmiſſione, atque humilitate qui hanc univerſæ Theologiæ Moralis Complexionem additamentis locupletavit, omnia S. Romanæ Eccleſiæ auctoritati, judicio, ac cenſuræ ultro ſubiicit: & ſi quid fortaſſis ex ignorantia, vel inconſideratione calamo exciderit, quod tantulum a Fide Catholica diſcrepet, aut bonis moribus diſſonum ſit, nunc ex animo retractat, reprobat, expungit.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX ALPHABETICUS RERUM, ATQUE VERBORUM.

A

ABortus fœtus inanimati. Expenditur modus, quo ab Ordinariis reſervatur, p. 227. n. 1. & ſeq.
Accolythatus materia, forma, & munera, p. 271. n. 6.
Adoptatio quid, & quotuplex: nonnulla notanda ex Angelico Præceptore, p. 339. n. 1. & ſeq.
Adultus ut valide recipiat Sacramentum quam intentionem habere debeat, p. 40. n. 1. In defectu realis Baptiſmatis ſupplere poteſt per Baptimum flaminis, vel ſanguinis, p. 46. n. 5. & ſeq. Non poteſt pro libitu Baptiſmum differre, p. 47. n. 7. Diſpoſitiones, quas habere debet, ut valide, & licite Baptiſmum recipiat, p. 58. n. 7. & ſeq.
Ætas qualiter Matrimonium dirimat, p. 348. n. 1. & ſeq. Defectus ætatis quomodo irregularitatem inducat. p. 400. n. 1.
Affinitas Quid. Quouſque dirimat matrimonium. Regula computandi gradus. Quo jure dirimat. Affinitas non parit affinitatem, p. 349. n. 1. & ſeq.
Alienatio bonorum Eccleſiaſticorum quomodo & qualiter vetita, p. 446. n. 1. & ſeq.
Altare Privilegiatum. Quæſtiones nonnullæ reſolvuntur, p. 148. n. 1. & ſeq.
Amentes an poſſint baptizari, p. 59. n. 9.
Amor requiſitus in Actu Attritionis, p. 132. n. 10.
Animi defectus inducentes irregularitatem, p. 399. n. 1. ſeq.
Appellatio quando excuſet ab incurrenda cenſura. Requiſita, ut ſit legitima, p. 371. n. 3. & ſeq.
Aqua vino conſecrando admiſcenda eſt de neceſſitate præcepti graviter obligantis, p. 70. n. 8. & ſeq.
Arbor conſanguinitatis p. 341.
Attritio. Vide Contritio.

B

BAptiſmi notio, inſtitutio, obligatio, & neceſſitas, p. 45. nu. 1. & ſeq. Baptiſmus flaminis. Baptiſmus ſanguinis, p. 46. n. 5. & 6. Dilatio Baptiſmi parvulorum quando gravis. Quando mortalis etiam in adultis, p. 47. n. 7. & 8. Materia tum remota, tum proxima, p. 47. n. 1. & ſeq. Quomodo abluendus qui baptizatur, & in qua parte corporis, p. 48. n. 5. & 6. Forma Baptiſmi, & mutationes invalidum reddentes hoc Sacramentum, p. 49. n. 1. & ſeq. Miniſter ejuſdem. Obſervanda circa miniſtrum ſolemnitatis, neceſſitatis, & ex commiſſione, p. 50. n. 1. & ſeq. Quid de Regularibus ſolemniter baptizantibus, p. 51. n. 6. Quid requiratur in miniſtro ut licite baptizet, p. 52. n. 9. De ritu Patrini. Vide Patrinus. Quodnam ſit ſubjectum Baptiſmi capax? Quid de filiis infidelium non baptizatorum? Quid de filiis Judæorum & infidelium mancipiorum? Quid de filiis Hæreticorum, p. 45. n. 1. 4. 5. & 6. Diſpoſitiones requiſitæ in adulto ad validam & licitam Baptiſmi receptionem, p. 58. n. 7. & 8. De amentibus, ſeu furioſis, ac de monſtris, p. 59. n. 9. & 10. Quid agendum circa expoſitos, & circa baptizatos ab obſtetricibus, p. 60. n. 11. & 12. Effectus Baptiſmi recenſentur, *ibid.* n. 1. & ſeq.
Beneficium recipiens, cui adnexa eſt cura animarum, ipſo facto ad confeſſiones approbatur, p. 171. n. 7.
Beſtialitatis crimen, ejuſque varius reſervationis modus, p. 231. n. 1. & ſeq.
Bigamia quid & quotuplex. Qualiter inducat irregularitatem. Quis ab ea diſpenſet, p. 401. n. 1. & ſeq.
Blaſphemia quid & quotuplex. Varii modi, quibus ab Ordinariis reſervari ſolet, p. 209. n. 1. & ſeq.

C

CAlices a quibus conſecrari poſſint, p. 140. n. 3.
Capellani quoad debitum Miſſarum ſuæ Capellæ diebus, quibus tenentur ratione Beneficii, vel in caſu diminutionis redditùum, qualiter ſe gerere debeant, p. 146. n. 5. & ſeq.

Digitized by Google

Capitulum, Sede vacante, quid poſſit circa Dimiſſoriales, p. 267. a. 6.
Carnalia peccata ſpecialibus deformitatibus affecta diverſimode ab Ordinariis reſervata. Reſervationis modi expenduntur, p. 230. n. 1. & ſeq.
Caſus reſervati. Vide Reſervatio. Regulares.
Caſtitatis voti ſolemnis obligatio; præcautiones ad idem ſervandum, p. 435. n. 1. & ſeq.
Cenſura quid, & quotuplex, p. 362. n. 1. & ſeq. Quibus competat poteſtas ferendi cenſuras, p. 363. n. 1. & ſeq. Materia cenſuræ, p. 364. n. 1. & ſeq. Conditiones in eo, contra quem cenſura infertur, p. 365. n. 1. Cooperantes quando cenſuram incurrant, necne, p. 366. n. 8. & ſeq. Modi cenſuras ferendi, p. 367. nu. 1. & ſeq. Juſtitia cauſæ, ac locus ferendæ, vel latæ cenſuræ expenduntur, p. 368. nu. 1. & ſeq. Cauſæ excuſantes ab incurrenda cenſura, p. 370. n. 1. & ſeq. Quibus competat facultas a cenſuris abſolvendi. Modus abſolutionis impertiendæ, p. 372. n. 1. & ſeq. Abſolutio injurioſe extorta non valet. Quid de abſolutione, ſatisfacta prius parte, p. 373. n. 9. & ſeq.
Ceſſatio a Divinis quid & quotuplex. Cauſæ & effectus ejuſdem. Quid tandem circa violantes, p. 397. n. 1. & ſeq.
Character ſacramentalis exponitur. Sacramenta eundem imprimentia indicantur, p. 30. n. 1. & ſeq.
Choreæ & ſpectacula publica in aliquibus Diœceſibus reſervantur. Hujuſmodi reſervatio expenditur, p. 220. n. 1.
Circumſtantiæ mutantes ſpeciem neceſſario confitendæ. Quid de notabiliter aggravantibus, vel minuentibus intra eandem ſpeciem, p. 158. n. 6. & ſeq.
Clandeſtinitas qualiter matrimonium dirimat. Vide matrimonium, ubi de ſolemnitatibus requiſitis ad illius valorem.
Clauſuræ clauſtralis notio; loca ſub hac comprehenſa indicantur. Ejuſdem obligatio, ac pœnæ contra violatores, p. 442. n. 1. & ſeq. Bulla Benedicti XIV. contra mulieres clauſtra Regularium ingredientes, p. 444. n. 12.
Clerici quomodo teneantur decimas ſolvere, p. 23. n. 7.
Clericus ſolemniter baptizans abſque licentia incurrit irregularitatem, p. 51. n. 5.
Cognatio quid, & quotuplex, p. 339. n. 1. & ſeq. Lineæ & gradus cognationis naturalis. Uſque ad quem gradum dirimat matrimonium, & quo jure dirimat, pag. 340. num. 6. & ſeq.
Communionis obligatio quoad jus divinum, p. 16. n. 1. & ſeq.
Annuæ Paſchalis Communionis obligatio ex vi præcepti Eccleſiaſtici, p. 17. n. 1. & ſeq.
Complex criminis an & quando in confeſſione revelandus, p. 160. n. 9. Quid de Confeſſario, ſuadente revelationem complicis ob zelum imprudens, p. 186. n. 11.
Concubitus contra naturam quid ſit. Reſervationis modus, p. 230. n. 2.
Conditio qualiter matrimonium dirimat, p. 338. n. 1. & ſeq.
Confeſſarius quibus indigeat ut valide & licite miniſtret, p. 168. n. 1. & ſeq. Quid ſcire teneatur relate ad tria munera, quibus fungitur, p. 177. n. 5. & ſeq. Quibus denegare teneatur abſolutionem, p. 178. n. 7. & ſeq. Quando incurrat debitum reſtituendi pro pœnitente, quem deobligavit, p. 180. n. 12. Quando poſſit conformari opinioni pœnitentis, pag. 181. n. 13. Obligatio circa ſigillum, p. 183. n. 1. & ſeq. Vide ſigillum.
Confeſſionis neceſſitas ex vi juris divini. Obligatio per ſe, & per accidens hujus præcepti, p. 13. n. 1. & ſeq. Obligatio præcepti Eccleſiaſtici annuæ Confeſſionis faciendæ p. 14. n. 1. & ſeq. Habens ſola venialia an teneatur hoc præcepto, p. 16. n. 5.
Confeſſionis integritas quotuplex. Examen conſcientiæ neceſſario præmittendum, p. 157. n. 1. & ſeq. Quænam in Confeſſione aperienda, ibid. n. 3. & ſeq. Cauſæ excuſantes ab integritate, p. 161. n. 10. Caſus in quibus neceſſario Confeſſiones ſunt repetendæ, p. 162. nu. 12. & ſeq. Confeſſio verbis facienda, p. 163. n. 14. & ſeq. Confeſſio præmittenda ſumptioni Euchariſtiæ ab eo, qui ſibi conſcius eſt peccati mortalis. Quænam neceſſitas excuſet, p. 85. n. 1. & ſeq.
Confirmationis notio, materia, ejuſque uſus, forma & effectus, p. 60. n. 2. & 2. & p. 61. n. 1. & ſeq. Miniſter, ac requiſita ad licitam adminiſtrationem, p. 62. n. 1. & ſeq. Subjectum, ac requiſita, ut valide, & licite ſuſcipiat, p. 64. n. 1. 2. & 3. Omittens confirmari cum commode poſſit graviter peccat, p. 65. n. 4.
Conſanguinitas. Vide Cognatio.
Conſecratio. Vide Euchariſtia.
Conſuetudo peccandi in confeſſione aperienda, p. 158. n. 5. Inſtructio pro Confeſſariis circa modum ſe gerendi cum conſuetudinario, p. 180. n. 11.

Contritio quid & quotuplex; conditiones requiſitæ ut dolor ſit ſufficiens ad Sacramentum pœnitentiæ, p. 151. n. 1. & ſeq. Præmittenda abſolutioni, & toties renovanda, quoties renovatur abſolutio, p. 152. n. 8. & ſeq. Cum Sacramento neceſſaria non eſt contritio perfecta, ſed ſufficit imperfecta, quæ non ex ſolo pœnarum metu, ſed ex aliqua Dei Dilectione procedat, *ibid.* n. 10. Dolor & propoſitum requiruntur etiam in confeſſione venialium, p. 154. nu. 11. Contritio poſt peccatum commiſſum diu differri non poteſt abſque novo peccato, c. 156. n. 13.

Criminis impedimentum quid, & quotuplex. Qualiter Matrimonium dirimat, p. 342. n. 1. & ſeq.

Cultus diſparitas quid ſit. Qualiter matrimonium dirimat. Nuptiæ inter perſonas diſparis cultus jure naturali ſemper prohibitæ, irritæ vero ſolum jure Eccleſiaſtico, p. 344. n. 1. & ſeq.

D

Damna gravia proximo illata diverſimode ab Ordinariis reſervantur. Reſervationis modi expenduntur, p. 249. n. 1. & ſeq.

Decimas ſolvendi ſtricta obligatio, p. 20. n. 1. a qua eximere poteſt conſuetudo, & præſcripto, p. 21. n. 1. Quorum bonorum ſint ſolvendæ, quibus debeantur, & quos afficiat decimarum ſolvendarum obligatio, *ibid.* num. 1. & ſeq.

Degradatio quid & quotuplex. Crimina degradatione punibilia, p. 389. n. 1. & ſeq. Quinam facultatem habeant degradandi, & ritus degradationis, ac modus reſtituendi degradatum, p. 390 n. 1. & ſeq.

Denunciatio Confeſſarii ad turpia ſollicitantis quando & quomodo facienda, p. 188. n. 1. & ſeq.

Denunciationes tres matrimonio præmittendæ, p. 302. n. 9.

Detentio parvulorum in lecto infra annum abſque neceſſariis cautelis. Hujus caſus reſervatio explicatur, p. 228. n. 2.

Diaconatus materia, forma, & munera. Verum eſſe Sacramentum evincitur, p. 273. n. 4. & ſeq.

Diaconus eſt miniſter extraordinarius Euchariſtiæ diſtribuendæ, pag. 81. n. 2.

Dimiſſoriales litteras dare ad quos ſpectet; & quid de eo, qui Ordines recipit ab Epiſcopo non ſuo ſine Dimiſſorialibus, p. 267. n. 6.

E

Eccleſia quibus in caſibus polluatur. Modus eandem reconciliandi. Caſus & difficultates nonnullæ reſolvuntur, p. 147. n. 1. & ſeq.

Eccleſiæ vetitum, prout impedit ne Matrimonium contrahatur, quid ſignificet, p. 334. n. 2.

Epiſcopatus quid, p. 377. n. 12.

Epiſcopus proprius, unde talis dicatur, p. 267. n. 2. Quid poſſit circa caſus in Bulla Cœnæ contentos: ac quid circa alios caſus Papales, præcipue cum impeditis adire perſonaliter Apoſtolicam Sedem, p. 194. n. 5. & ſeq. An & quando diſpenſare poſſit in impedimentis Matrimonium dirimentibus, p. 354. n. 2. & ſeq.

Error communis, & titulus coloratus excuſat a repetendis confeſſionibus factis Sacerdoti juriſdictione carenti, p. 162. n. 13.

Error qualiter dirimat Matrimonium contractum, p. 337. n. 3. & ſeq.

Ætatis defectus qualiter Matrimonium dirimat, p. 348. n. 1. & ſeq.

Euchariſtia verum eſt Sacramentum. In quo ejus eſſentia conſiſtat: & a quo ejus unitas tum ſpecifica, tum numerica repetenda, p. 66. n. 1. & ſeqq. Materia apta ad Chriſti corpus, & ſanguinem conficiendum, p. 68. n. 1. & ſeq. Quænam ſint materiæ ineptæ, p. 69. n. 3. & ſeq. Aqua vino conſecrando admiſcenda, p. 70. n. 8. An fiat Sacramentum in agreſta, aut muſto, aut vino congelato, p. 71. nu. 10. & ſeq. Materia præſens eſſe debet, & deſignata, *ib.* n. 13. & ſeq. Forma hujus Sacramenti. Verba conſecrationis, & mutationes expenduntur, p. 76. n. 1. & ſeqq. Eorundem efficacia exponitur referendo, & explicando Canones Tridentinæ Synodi, p. 80. n. 1. & ſeq. Miniſter Euchariſtiæ conficiendæ, & diſtribuendæ, p. 81. n. 1. & ſeq. Quid de Regularibus Euchariſtiam miniſtrantibus, p. 82. nu. 5. Miniſtrans debet eſſe in gratia, p. 84. num. 7. Subjectum Euchariſtiæ ſuſcipiendæ; ac diſpoſitiones animi, & corporis requiſitæ expenduntur, p. 85. nu. 1. & ſeq. Indigne celebrans quot peccata committat, p. 87. n. 6. Pluries Viaticum recipi poteſt in eadem infirmitate, p. 91. n. 13. Qualiter hoc Sacramentum dandum ſit amentibus, & Energumenis, p. 95. n. 18. Euchariſtiæ digne ſumptæ effectus recenſentur, p. 96. n. 1. & ſeq. Euchariſtiæ Sacrificium. Vide Miſſa.

Exa-

Digitized by Google

Examen Confeſſioni præmittendum, pag. 157. n. 1.
Excommunicatio quid, & quotuplex. Effectus ejuſdem recenſentur, ac ſigillatim expenduntur, p. 375. num. 1. & ſeq. Excommunicationis minoris effectus explicantur, p. 384. n. 1. & ſeq.
Exorciſtatus materia, forma, & munera, p. 271. n. 5.
Extremæ unctionis inſtitutio, materia, forma, & Miniſter, p. 259. num. 1. & ſeq. Subjectum, effectus, & neceſſitas hujus Sacramenti, p. 262. n. 1. & ſeq.

F

FIdei myſteria ignorantes abſolvendi non ſunt. Tenentur confeſſiones cum tali ignorantia factas repetere, p. 181. n. 14.
Furtum rei ſacræ in loco ſacro ab Ordinariis aliquando reſervatur. Expenditur reſervatio, p. 221. num. 1.

G

GEnitores quando graviter peccent parvulorum baptiſma differentes, pag. 47. n. 7. Lethalis culpæ rei ſunt prolem ſuam confirmari negligentes, p. 65. n. 4.
Gratia, quam conferunt Sacramenta novæ legis exponitur, p. 27. n. 1. & ſeq. Sacramenta characterem imprimentia in peccato ſuſcepta, obice per pœnitentiam ſublato, ſuam gratiam cauſant, p. 29. n. 4.
Græci in Eccleſiis Latinorum, & Latini in Eccleſiis Græcorum qualiter ſe gerere debeant circa materiam Sacrificii, pag. 72. n. 17.

H

HOmicidium qualiter, & quos irregulares efficiat, p. 408. n. 1. & ſeq.
Homicidium variis modis ab Ordinariis reſervatur. Reſervationis modi expenduntur, p. 225. n. 1. & ſeq.
Honeſtas publica reſpectu Matrimonii in quo conſiſtat, & qualiter contractum Matrimonium dirimat, p. 347. n. 1. & ſeq.

I

JEjunium quid, & quotuplex, p. 1. n. 1. Abſtinendum a pluribus refectionibus, *ibid.* n. 2. Regula pro pauperibus. Protrahere refectionem ad plures horas, & bibere an ſit contra unicam refectionem, p. 2. num. 3. & ſeq. Quænam quantitas cibi jejunium frangat. Regula pro colatiuncula ſerotina tum quoad qualitatem, tum quoad quantitatem, p. 3. num. 6. & ſeq. A quibus cibis abſtinendum, *ibid.* n. 1. Quodnam tempus refectionis ſumendæ, p. 5. n. 2. Cauſæ eximentes a lege jejunii, *ibid.* n. 1. & ſeq. Quæſita Archiepiſcopi Compoſtellani, & reſponſa Benedicti XIV. circa diſpenſatos ab abſtinentia a carnibus tempore jejunii, p. 6. n. 2.
Jejunium in ſuſcipiente Euchariſtiam requiſitum, p. 88. n. 9. circa Tabachum reſolvitur quæſtio, an ſolvat jejunium, p. 90. n. 11. Ab hoc jejunio eximitur qui communicat per modum viatici; ubi circa rem hanc popularis error rejicitur, pag. 90. n. 12. Caſus incidentes reſolvuntur, p. 94. n. 15.
Ignorantia Trinitatis, & Incarnationis incapacem reddit abſolutionis, ac confeſſiones cum tali ignorantia factæ ſunt repetendæ, p. 181. n. 14. Ignorantia quando excuſet ab incurrenda cenſura, p. 370. n. 1. & ſeq.
Impotentia in matrimonio. Capita unde oriatur. Quotuplex ſit, & qualiter matrimonium dirimat, p. 350. n. 1. & ſeq.
Impedimenta matrimonii. Series & numerus eorundem expenditur, p. 334. num. 1. & ſeq. Quinam poſſit diſpenſare in impedimentis impedientibus, p. 336. nu. 7. Impedimenta dirimentia quænam, & a quibus diſpenſabilia: cauſæ legitimæ diſpenſandi recenſentur, p. 329. n. 1. & ſeq. Modus diſpenſationis petendæ. Regula ad explorandum diſpenſationis valorem, p. 355. n. 6. & ſeq,
Impudicitiæ cum Monialibus diverſimode ab Ordinariis reſervantur. Reſervationis modi expenduntur, p. 244. n. 1. & ſeq.
Impudicitia cum propria pœnitente. Modus reſervationis, p. 238. n. 4.
Indulgentiæ notio, diviſio, ac poteſtas eaſdem concedendi p. 254. n. 1. & ſeq. Requiſita ad eas acquirendas pro viventibus, p. 255. n. 1. & ſeqq. An ſemper requiratur confeſſio. Noviſſima circa rem hanc S. Congregationis decreta, 256. n. 5. Requiſita ad acquiſitionem indulgentiarum pro defunctis, p. 257. n. 1. & ſeq.
Inceſtus quid? Diverſimode ab Ordinariis reſervatur. Reſervationis modi expenduntur, p. 232. n. 1. & ſeq.

In-

Infamia quid & quotuplex. Qualiter irregularitatem inducat, p. 402. num. 1. & ſeq.
Infantes Infidelium, Judæorum, & Hæreticorum an invitis parentibus baptizari poſſint, p. 55. n. 1. & ſeq.
Integritas Confeſſionis quotuplex; quænam ſufficiat ad valorem Sacramenti, p. 157. n. 2. Cauſæ excuſantes ab integritate, p. 161. n. 10.
Intentio interna requiritur in adminiſtratione Sacramentorum, p. 33. n. 4. & ſeq. ſufficit virtualis, p. 34. n. 7.
Interdictum quid, & quotuplex. Modus intelligendi interdictum tum locale, tum perſonale, p. 391. n. 1. & ſeq. Effectus interdicti ſigillatim expenduntur, pag. 392. n. 1. & ſeq. Violantes interdictum qualiter peccent, & quas pœnas incurrant, p. 395. n. 1. & ſeq. Modi interdictum tollendi, & quibus competat poteſtas ab eodem abſolvendi, p. 396. n. 1. & ſeq.
Interſtitiorum diſpenſatio ad quos ſpectet, p. 265. n. 4.
Irregularitas quid & quotuplex. Effectus irregularitatis, p. 398. n. 1. & ſeq. Irregularitates tum ex defectu, tum ex delicto ſigillatim expenduntur, p. 399. n. 1. & ſeq. Diſpenſare in irregularitate ad quos ſpectet, p. 411. n. 1. & ſeq.
Iteratio Sacramenti qualiter inducat irregularitatem, p. 403. n. 1. & ſeq.
Juriſdictio quid & quotuplex, pag. 368. n. 1.

L

Laicus ſolemniter baptizans incurrit irregularitatem, p. 51. n. 5.
Lectoratus materia, forma, & munera, p. 271. n. 4.
Libellum repudii veteris legis, p. 307. num. 2.
Ligamen qualiter dirimat matrimonium; quænam certitudo requiratur de morte conjugis, ut novum contrahi poſſit, p. 347. n. 1. & ſeq.
Locutio cum Monialibus reſpectu Regularium, p. 449. n. 1. & ſeq.

M

Matrimonii nomen plura ſignificat; prout eſt contractus definitur, ac requiſita ad illius valorem expenduntur, p. 293. n. 1. & ſeq. Ut eſt Sacramentum definitur: ejus materia, forma, & miniſter deſignantur, p. 297. n. 1. & ſeq. Solemnitates ad ejus valorem requiſitæ, p. 298. n. 1. & ſeq. Matrimonii conſummati inſolubilitas quoad vinculum, p. 307. n. 1. & ſeq. Solubilitas matrimonii rati, p. 310. n. 1. & ſeq. Cauſæ ſolubilitatis matrimonii quoad Thorum expenduntur, p. 311. n. 1. & ſeq. Obligatio reddendi debitum conjugale: cauſæ excuſantes recenſentur, p. 315. n. 1. & ſeq. Cauſæ honeſtum aut inhoneſtum reddentes actum conjugalem, p. 318. n. 1. & ſeq. Oſcula, amplexus, tactus inter conjuges, p. 325. n. 11. Voto caſtitatis, vel religionis obſtrictus qualiter ſe gerere debeat circa debitum petendum, aut reddendum, p. 327. n. 13. & ſeq. Quandonam petitio debiti illicita ſit, vel jus petendi ammittatur, p. 329. n. 16. & ſeq. Series & numerus impedimentorum matrimonii, p. 334. & 337. n. 1. & ſeq. Modi revalidandi matrimonium invalide contractum recenſentur, p. 356. n. 1. & ſeq.
Metus quid & quotuplex: quas conditiones habere debeat, ut matrimonium dirimat, p. 345. n. 1. & ſeq.
Miniſter Sacramentorum generatim quis: requiſita, ut valide miniſtret, p. 32. n. 1. & ſeq. Requiſita, ut licite miniſtret, p. 37. n. 1. & ſeq. Quando peccet miniſtrando indignis, p. 38. n. 3. Petere Sacramentum a miniſtro indigno quando licet, p. 41. n. 4. Miniſter Sacramentorum in particulari. Vide ſuis reſpective locis.
Miſſa verum eſt Sacrificium: eſſentia, & qualitates hujus ſacrificii expenduntur, p. 101. n. 2. & ſeq. Principalis offerens eſt Chriſtus, Miniſter ſolus Sacerdos, p. 102. n. 6. Capita, unde deduci poteſt valor hujus Sacrificii: diſcrimen inter valorem, & fructum, p. 103. n. 1. & ſeq. Fructus immediate, vel mediate ab ipſo Sacrificio profluentes expenduntur, 104. n. 3. & ſeq. Applicatio Sacrificii quando & qualiter facienda, p. 105. n. 1. & ſeq. De iis, pro quibus Miſſæ Sacrificium offerri & applicari poteſt, necne, p. 111. n. 1. & ſeqq. Obligatio aliquoties celebrandi afficit omnes Sacerdotes, p. 117. n. 1. Tempus, hora, & locus celebrandi, p. 119. n. 2. & ſeq. De privilegio audiendæ & celebrandæ Miſſæ in Oratoriis privatis, p. 121 n. 1. & ſeq. Exteriora requiſita pro celebratione Miſſæ. Vide Ornatus. Stipendium celebrationi debitum. Vide Stipendium. Altare privilegiatum, Vide Altare.
Monſtrum humanum quando baptizandum, p. 59. n. 10.

NNa-

N

NAtalium defectus. Qualiter irregularitatem efficiat, p. 400. n. 1. & ſeq,
Nobilitas exacta in forma Privilegii pro celebratione Miſſæ in Oratoriis privatis exponitur, p. 123. §. 4. n. 1.
Novitiatus Religionis, & requiſita ad ipſum, p. 452. n. 1. & ſeq. Novitiorum privilegia, ac de eorundem Teſtamentis factis ante Profeſſionem, p. 454. 1. & ſeq.

O

OBedientiæ votum ſolemne deſcribitur: obligatio ac materia ejuſdem expenditur, p. 437. n. 1. & ſeq. Modi graviter delinquendi contra votum, p. 440. num. 1. & ſeq.
Obſtetrices ſcire tenentur requiſita ad Baptiſmum, p. 52. n. 10. Baptizatus ab Obſtetricibus non eſt rebaptizandus niſi error ſubſtantialis emerſerit, p. 60. n. 12.
Occaſio peccandi quid, & quotuplex: quænam ſub gravi fugienda, p. 178. n. 8. & ſeq.
Oratorium quid, & quotuplex. Decretum Clementis XI. contra nonnullos abuſus circa Oratoria privata, p. 121. n. 1. & ſeq. Forma Privilegii, ſeu Indulti celebrandi in Oratoriis privatis: clauſulæ ejuſdem ſigillatim expenduntur, p. 122. uſque ad 133. Nonnullæ reſolvuntur difficultates, *ibid.* n. 1. & ſeq.
Ordinis notio, materia, forma, & effectus generatim, p. 263. n. 1. & ſeq. Requiſita in ſubjecto ad validam & licitam Ordinis ſuſceptionem, p. 265. n. 1. & ſeq. Miniſter hujus Sacramenti, p. 267. n. 1. & ſeq. Ordinum in ſpecie natura & proprietates expenduntur, p. 270. nu. 1. & ſeq. Ordo qualiter Matrimonium dirimat, p. 339. n. 2. & ſeq. Pœnæ nubentium poſt ſuſceptum Ordinem Sacrum, *ibid.* n. 4. Ordinum indebita ſuſceptio vel uſus qualiter irregularitatem inducat, p. 403. n. 1. & ſeq.
Ornatus requiſitus pro celebratione Miſſæ tum in Altari, tum circa ea, quæ proximius ſpectant perſonam celebrantis, vel Sacrificium ipſum, p. 137. n. 1. & ſeq. Ornatus ſub gravi requiſitus in Miniſtro Euchariſtiæ diſtribuendæ, p. 85. n. 8.
Oſcula, amplexus, & tactus inter Conjuges, p. 325. n. 11.
Oſtiariatus materia, forma, & munera, p. 271. n. 3.

P

PAnis triticeus neceſſario requiſitus ad Chriſti Corpus conficiendum in Sacrificio Miſſæ, p. 68. n. 1. & ſeq.
Parochorum obligatio ſubditis Euchariſtiam miniſtrandi p. 85. n. 9. Eorumdem præſentia neceſſaria pro validitate Matrimonii, p. 298. n. 1. & ſeq. Parochus extra propriam Paræciam vel Diœceſim quid poſſit circa ſuos ſubditos, p. 172. n. 10.
Patrinus in Sacramento Baptiſmi quis, ejus neceſſitas: numerus, ac qualitates requiſitæ, p. 52. n. 1. & ſeq. Duo effectus compaternitatis recenſentur: difficultates nonnullæ reſolvuntur circa effectum conſanguinitatis, p. 53. n. 5. & ſeq.
Pauperes qualiter excuſentur, ſi parvas refectiones repetant in die jejunii, p. 2. n. 3.
Paupertatis votum, ejus materia, obligatio, & modi delinquendi contra ipſum per acquiſitionem, per detentionem, & per uſum rerum, p. 420. n. 1. & ſeq. Vita communis perquam neceſſaria voto paupertatis, p. 431. n. 1. & ſeq.
Peccata dubia in confeſſione aperienda, p. 157. n. 3.
Peccator in mortali exiſtens non poteſt diu differre actum contritionis abſque novo peccato, p. 156. n. 13. & ſeq.
Percuſſio Patris, & Matris, vel Parentum variis modis ab Ordinariis reſervatur, p. 221. n. 1. & ſeq.
Perfectio religioſa in quo conſiſtat, & qualiter ad eam teneantur omnes perſonæ ſolemniter profeſſæ ſtatum religioſum, p. 413. n. 1. & ſeq.
Pœnitens, quando teneatur Confeſſarium denunciare; modus denunciationis faciendæ, p. 188. n. 1. & ſeq.
Pœnitentiæ notio, inſtitutio, & neceſſitas, p. 149. n. 1. & ſeq. Materia tum remota, tum proxima Sacramenti pœnitentiæ, p. 150. n. 2. & ſeq. Vide Contritio. Confeſſio. Satisfactio. In Miniſtro pœnitentiæ requiritur juriſdictio, & approbatio, ut valide miniſtret, p. 168. n. 1. & ſeq. In articulo mortis, non extante miniſtro approbato, quilibet Sacerdos non approbatus, etiam excommunicatus, non tamen vitandus, ab omnibus abſolvere poteſt, p. 171. n. 9. Quid poſſint Parochi in proprios ſubditos, 172. n. 10. Generaliter approbatus non cenſetur approbatus pro Monialibus, *ibid.* n. 11. Quid poſſint Regulares circa Domeſticos ſæcula-

la-

ERRATA PRÆCIPUA, QUÆ IN TOM. II. IRREPSERUNT.

	Errata.	Corrige.
Pag. 17. col. 1. l. 56.	non modo urgere præceptum	non modo non urgere præceptum
24. c. 1. l. 35.	quæ ſignificat	quia ſignificat
30. c. 2. l. 42.	& participatione, quæ eſt in Chriſto	& participatione perfectionis, quæ eſt in Chriſto
l. 48.	eſſe indebilem	eſſe indelebilem
37. c. 2. l. 32.	*An quoniam*	*At quoniam*
46. c. 1. l. 7.	*fieri poteſt*	*fieri non poteſt*
54. c. 1. l. 48.	ſuſpicit	ſuſcipit
c. 2. l. 26.	in Baptiſmo	in Baptiſmo privato
60. c. 1. l. 50.	quin *per propriam fidem*	quia *per propriam fidem*
76. c. 2. l. 42.	ſint ſubſtantia	ſint de ſubſtantia
77. c. 2. l. 45.	*dicantur*	*dicuntur*
103. c. 1. l. 1.	rei oblata	res oblata
104. c. 2. l. 56.	quippe nulli alteri	quique nulli alteri
115. c. 1. l. 45.	ſeu petimus	ſed petimus
143. c. 1. l. 1.	Poſtiori jure	Potiori jure
145. c. 1. l. 7.	Quin in aliquo peculiari caſu	qui in aliquo peculiari caſu
161. c. 1. l. 38.	modo peſtilenti	morbo peſtilenti
164. c. 2. l. 38.	*rationabiliter*	*tolerabiliter*
l. 31.	*propter injunctionem facit, accipiant*	*præter injunctionem expreſſam facit accipiunt*
167. c. 2. l. 15.	utique intendat confeſſioni	utrique intendat confeſſioni
168. c. 1. l. 4.	circa animæ præjudicium	citra animæ præjudicium
176. c. 1. l. 18.	ad id Monaſterium	ad idem Monaſterium
l. 40.	*Non permittunt*	*Non permittant*
180. c. 1. l. 27.	*ne differenda abſolutio*	*nec differenda abſolutio*
200. c. 2. l. 46.	perpetuo impeditis	cum perpetuo impeditis
212. c. 2. l. 43.	tali, vel titulo	tali vel tali titulo
222. c. 2. l. 7.	niſi agilitas Parentes	niſi agilitas Parentis
228. c. 2. l. 17.	moraliter peccaverunt	mortaliter peccaverunt
230. c. 2. l. 37.	ſi conjunctæ &c. contrahit	ſi conjuncte &c.
241. c. 1. l. 4.	& repetitis viribus	& repetitis vicibus
252. c. 1. l. 17.	*dar il guſto*	*dar il guaſto*
l. 37.	hic denotatas	hic denotatis
270. c. 1. l. 23.	quæ aliis Ordinibus & formis indulta ſint	quæ aliis Ordinibus ante idem Concilium ab ipſa etiam Sede Apoſtolica, & ſub quibuſcumque tenoribus & formis indulta ſint
274. c. 2. l. 11.	imſitione manuum	impoſitione manuum
275. c. 1. l. 33.	*quibus munus imponuntur*	*quibus manus imponuntur*
286. c. 1. l. 43.	ſubſtantiam inficiunt	ſubſtantiam non inficiunt
303. c. 1. l. 38.	qualitem poſtulet	qualitatem poſtulet
308. c. 1. l. 14.	cohabitare nolit cum injuria Creatoris	cohabitare nolit niſi cum injuria Creatoris
313. c. 2. l. 35.	non autem poteſt ipſo petere	non autem poteſt ipſe petere
315. c. 1. l. 56.	facultas profitenii	facultas profitendi
335. c. 1. l. 26.	non videantur prohibita	non videntur prohibita
341. c. 1. l. 44.	Promartera	Promartertera
344. c. 1. l. 2.	uxoridii	uxoricidii
347. c. 1. l. 13.	pati metu	pari metu
l. 35.	malum incuſſit	metum incuſſit
352. c. 2. l. 2.	interditur	interdicitur
357. c. 1. l. 5.	ſufficiet inter ſe invicem	ſufficiet, ut inter ſe invicem
360. c. 2. l. 44.	fidemque debet	idemque debet
366. c. 2. l. 30.	& hinc innoteſcat retractatio	& huic innoteſcat intractatio
374. c. 2. l. 34.	erunt dumtaxat	erant dumtaxat
389. c. 2. l. 7.	ad quam licite non req=irantur	ad quam licet non requirantur
391. c. 2. l. 48.	interdicitur Clericus	interdicitur Clerus
424. c. 2. l. 45.	Immo etiam Religioſus	Immo etiamſi Religioſus
432. c. 2. l. 23.	*illis bonis*	*illius bonis*
433. c. 2. l. 22.	quamvis laxiori conſuetudine	quavis laxiori conſuetudine
436. c. 2. l. 1.	tamen eſt magis pernicioſa	eis tamen eſt magis pernicioſa
439. c. 1. l. 3.	integram poterius	integram potius
460. c. 1. l. 2.	loco illud impediendi	loco illud impendendi
l. ult.	minus recte ſingula forte præſtaret vero diligentius	minus recte ſingula forte præſtaret : præſtaret vero diligentius

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google